13
6 L
27

18-7-12

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

20.178. 20 18
F F
8 13-19.E.32

Google


CONCILIA
ANTIQVA
GALLIAE
TRES IN TOMOS ORDINE DIGESTA.

Cum epiſtolis Pontificum, Principum conſtitutionibus, & aliis Gallicanæ rei Eccleſiaſticæ monimentis.

Quorum plurima vel integra, vel magna ex parte, nunc primùm in lucem exeunt.

Opera & ſtudio IACOBI SIRMONDI Societatis IESV Presbyteri.

TOMVS III.



SOC·IESV·BIBL·SEC·COLL·ROM·

LVTETIAE PARISIORVM.
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, via Iacobæa, ſub Ciconiis.

M. DC. XXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

INDEX EORVM QVÆ IN TOMO III. CONCILIORVM præcipuè continentur.

CAPITVLARE Toloſanū Caroli calui regis, de exactionibus Eccleſiarum, pag. 1.
Conuentus in villa Colonia. 4.
Concilium apud Lauriacum. 8.
Sergij Papæ II. epiſtola de prælatione Drogonis Epiſcopi Metenſis. 9.
Concilium apud Theodoniſuillam, in loco qui dicitur Iudicium. 11.
Concilium Vernenſe II. in Verno palatio celebratum. 17.
Concilium Beluacenſe, in quo Hincmarus Remenſis Epiſcopus ordinatus eſt. 23.
Concilium Meldenſe ſub Sergio II. Papa, & Carolo caluo rege. 25.
Concilium Pariſienſe, in quo abſoluta ſunt qua in Meldenſi perfici non poterant: cum priuilegio Corbeienſi. 60.
Capitula excerpta in villa Sparnaco. 63.
Concilium Pariſienſe, in quo Remenſis diœceſis Ebboni eſt interdicta. 63.
Concilium Moguntiacum, in quo Gotheſcalcus monachus damnatus eſt. 64.
Concilium apud Cariſiacum, in quo Gotheſcalcus iterum damnatus eſt. 65.
Epiſtola Vvenilonis Archiep. & Gerardi Comitis, de Epiſcopis Auguſtoduni & Cabilone ordinandis. 67.
Concilium Turonenſe IV. ad Nomenoium Ducem Britonum. 69.
Leonis Papæ IV. epiſtola ad Prudentium Epiſcopum Tricaſſinum. 71. Eiuſdem ad Epiſcopos Britanniæ. 72.
Fragmenta quædam aliarum epiſtolarum Leonis IV. 74
Concilium Sueſſionenſe II. quinque prouinciarū, ſub Leone IV. 75. Concilij eiuſdem geſtorum pars de clericis ab Ebone ordinatis. 80. Capitula à Carolo rege in Synodo propoſita, & Miſſis dominicis data. 87.
Concilium Vermerienſe II. in quo Herimanno Epiſcopo, poſtquam conualuit, ſedes eſt reſtituta. 91.
Æneæ Epiſcopi Pariſienſis electio & ordinatio. 93.
Concilium Valentinum III. ſub Leone IV. Papa, & Lothario Imp. 95.
Benedicti Papæ III. epiſtola ad Hincmarum Remenſem, pro confirmatione Concilij Sueſſionenſis, & priuilegiorum Eccleſiæ Remenſis, 107. aduerſus Hubertum clericum. 109.
Synodus Cariſiaca de coërcendis rapinis & depopulationibus. 110.
Herardi Archiepiſcopi Turonenſis Capitula ad elericos parochiæ ſuæ. 111.
Epiſtola Epiſcoporum prouinciæ Remenſis & Rotomagenſis, ad Ludouicū Germaniæ regem. 117.
Concilium Metenſe de indulgentia Ludouici regis. 131.
Concilium Lingonenſe præſente Carolo Burguudiæ rege. 136.
Concilium Tullenſe apud Saponarias, ſub Nicolao Papa. 137. Libellus proclamationis à Carolo rege Synodo porrectus aduerſus Vvenilonem Senonenſem, cum epiſtola Concilij ad eundem Vvenilonem. 142. Epiſtolæ duæ Synodi ad Epiſcopos & optimates Britanniæ. 148. Canones Concilij Lingonenſis in eadem Synodo relecti. 153. Herardi Turonenſis Epiſcopi commonitorium ad Vvenilonem Senonenſem. 156.
Concilium Aquiſgranenſe duplex in cauſa Teutbergæ vxoris Lotharij regis. cum epiſtola Epiſcoporum regni Lotharij ad Nicolaum Papam. 158.
NICOLAI Papæ ad diuerſos epiſtolæ LXXIV. Prima duæ de vxore Boſonis Comitis fugitiua. 159.
Concilium Tullenſe II. apud Tuſiacum, ſub Nicolao Papa. 160. Epiſtola Synodalis ad rerum Eccleſiaſticarum peruaſores, & pauperum prędatores. 184. Hincmari epiſtola, Synodi iuſſu ad Metropolitanos Aquitaniæ ſcripta, de nuptiis Stephani. 175.

Nicolai PP. epiſtolę, ad Adonem Viennenſem, eius conſultis reſpondens. 186. ad Vvenilonem, de Herimanni Epiſcopi Niuernenſis infirmitate. 187. ad Riuoladrum Epiſcopum, de pœnitentia Vvimaro impoſitâ, qui tres filios peremerat. 188.

Cōcilium Aquiſgranenſe III. in cauſa Teutbergæ. 189.

Nicolai Papæ epiſtolæ, de Synodo Metenſi, & legatis ad eam miſſis in cauſa Teutbergæ. 191. 195. de Balduino, qui Caroli regis filiam rapuerat. 193. de cōtrouerſia monachorum S. Carileſi cum Epiſcopo Cenomanenſi. 199.

Concilium Siluanectenſe, in quo Rothadus Sueſſionenſis Epiſcopus damnatus, gradúque ſuo deiectus eſt. 202.

Nicolai Papæ epiſtolæ ad diuerſos, de Rothado, vt reſtituatur, aut Romam veniat cum aduerſariis. 203. ad Hincmarum, confirmatio Synodi Sueſſionenſis, & priuilegiorum Eccleſiæ Remenſis. 215. ad Traſulfum, de priuilegiis Corbeienſis cœnobii. 217. ad Hubertum abbatem, fratrem Teutbergæ. 220. Ludouico & Carolo regis filiis, ne à patre in poſterum diuellantur. 220. de Epiſcopo Cameracēſibus ordinando. 221. priuelegiū monaſterii S. Carileſi. 223. Stephano Comiti Aruernenſi, vt Sigonem Epiſcopum deiecto peruaſore reſtituat. 226.

Concilium Metenſe, de diuortio Lothary & Teutbergæ, coniugióque Vvaldradæ. 227.

Concilium Romanum Nicolai Papæ, in quo damnata eſt Synodus Metenſis, & Guntarius ac Teutgualdus Epiſcopi diuortii auctores depoſiti. 228.

Nicolai Papæ epiſtolæ, ad Hermintrudē reginā, de muneribus ab ea miſſis. 231. ad diuerſos, de Rothado, vt Romam veniat, & ne illius loco alius ordinetur. 231. Rodulfo Bituricenſi, ad eius conſulta reſpondens. 235. eidem de Teurgaudo & Guntario excommunicatis. 237. Rollando Arelatenſi, cui vices ſuas in Gallia committit. 238.

Lotharii regis epiſtola ad Nicolaum Papam expoſtulatoria. 239.

Aduentii Epiſcopi Metenſis ad Nicolaū Papam. 241. Caroli ad eundem, pro Aduentio. 243. Nicolai ad Aduentium. 244. ad Franconem Tungrenſem. veniam vtrique indulgens, quòd participes fuerint Synodi Metēſis. 245

Concilium Romanum Nicolai Papæ, in quo Rothadus Epiſcopus in priſtinum honorem reſtitutus eſt. 247. Libellus proclamationis Rothadi. 248. Sermo Nicolai Papæ, quē de cauſa Rothadi fecit. 252. eiuſdē epiſtola, de abſolutione & reſtitutione Rothadi. 254. eiuſdē epiſtolæ ad diuerſos, cùm Rothadus rediret in Galliam. 254.

Nicolai Papæ epiſtolæ, ad Carolum regem, vt pacem retineat cū Ludouico Imperatore, & de Arſenio legato. 266. ad Epiſcopos in regno Caroli, de eadē re. 268. ad Epiſcopos in regno Lotharii. vt Lothariū de Vvaldrada monere pergant. 269. Ludouico & Carolo regibus, de cauſa Lotharii, & de Rothado. 270. de pallio Egiloni Senonenſi cōceſſo. 275. Salomoni regi Britonū, de renouādo Epiſcoporum examine, & de iure Metropolitani Turonenſis apud Britones. 275. de excommunicatione Vvaldradæ. 277

Arſenij Epiſcopi legati epiſtola, de excommunicatione Ingeltrudis vxoris Boſonis. 279.

Concilium Sueſſionenſe III. in cauſa Vvulfadi & ſociorum eius ab Ebbone ordinatorum. 280. Nicolai Papæ epiſtola ad Herardum Turonenſem, de congreganda Synodo. 280. Hincmari ſchedulæ quatuor oblatæ Synodo. 282. adnuntiatio Herardi facta in Synodo. 291. Synodicæ Concilij duæ ad Nicolaum Papam vna de cauſa clericorum Remenſium. 293. altera de infeſtationibus Britonum, & de Actardo. 293 Caroli regis epiſtola ad Nicolaum, de actis in Synodo. 300. priuilegium monaſt. Sollemniacenſis. 301.

Nicolai Papæ epiſtola ad Epiſcopos Synodi Sueſſionicæ, Hincmari fraudes arguens, clericóſque ſuis gradibus reſtitui iubens, & totam eorum hiſtoriam perſcribi. 303. ad alios, de eadem re. 310. ad Aquitanos, vt Eccleſiis ablata reſtituanr. 319.

Nicolai Papæ ad Teutbergam, fieri non poſſe vt continentiæ ſtudio ſeparetur à mariro, niſi is cœlibem quoque vitā promittat. 320. Lothario regi, de eadem re. 322. Epiſcopis regni Lotharij, de Vvaldrada & Teurberga. 322. Carolo regi, vt Teutbergam in regnū ſuum recipiat, 324. Ludouico regi Germaniæ, de Teutberga, & Ingeltrude vxore Boſonis. 329. Carolo regi, vt à Lothario reſtitui ea curet, quæ à ſorore ſua vidua Berengarij abſtulerat. 330.

Nicolaus Hincmaro & aliis Epiſcopis, mittit obiectiones Græcorum contra Latinos, vt eas refellant. 331. Ludouico regi Germaniæ, & Epiſcopis in eius regno, de cauſa Lotharij, Vvaldradæ, Teutgaudi atq; Guntarij. 339.

Fragmenta quædam aliarum epiſtolarum Nicolai Papæ. 350.

Cōcilium Tricaſſinum ab Epiſcopis qui præcedenti anno apud Sueſſiones cōuenerant Nicolai Papæ iuſſu celebratum. 353. Synodica Concilii ad Nicolaum de cauſa Ebonis & clericorum eius. 353. Caroli epiſtola, de eodem Ebone & clericis eius, & de accelerata Vvlfadi promotione. 359.

Hadriani Papæ II. ad diuerſos epiſtolæ xxix. Prima Epiſcopis Synodi Tricaſſinæ. 362. ad eoſdem, de Actardo vacanti Eccleſiæ incardinando. 364. Carolo regi, reſpondens ad ea quæ ſcripſerat Nicolao. 366. Hincmaro, vt regem ad conſtantiam excitet in cauſa Lotharii, & de Actardo. 367. Herardo Turonenſi, vt Actardo monaſterium ſuum concedat: ſibi curæ futurum, vt Britonibus contra ipſius priuilegia nihil indulgeat. 368. Actardo, pallii vſum conſolationis cauſa concedit. 369. Ludouico regi Germaniæ, de victoriis Ludouici Imp. cuius interim & Lotharii fratris quæ ſunt tangi vetat. 370. Lothario regi, vt Teutbergam in conſortium recipiat, aut promiſſas illi abbatias ad vitę ſubſidia cōcedat. 371. Epiſcopis Germaniæ, qua lege Vvaldradam abſoluerit. 373.

Concilium apud Vermerium, in quo accuſatus Hincmarus Laudunenſis ad ſedem Apoſtolicam appellauit. 374.

Hadriani Papæ II. ad Hincmarum, & ad Carolum regem, commendans illis Eccleſiam Laudunenſem, dum Hincmarus Romam venit. 375. Epiſcopis regni Caroli, de cauſa Herlefredi preſbyteri. 376.

De ordinatione Bernarii Epiſcopi Gratianopolitani epiſtolæ tres. 376.

Lotharii regis geſta Romæ, quandō ad communiōnem ſuſceptus eſt ab Hadriano Papa, & obitus eiuſdem. 378.

Hadriani Papæ II. epiſtolæ ad proceres regnorum Lotharii & Caroli, vt Lotharii regnū nullus inuadat, ſed Ludouico Imp. eius fratri conſeruetur. 379.

Carolus caluus in regno Lotharii rex coronatus. 383.

Concilium apud Attiniacum decem prouinciarum, in quo Hincmarus Laudunenſis ad ſedem Apoſtolicā iterū appellauit. 386.

Hadriani Papæ II. ad Carolum regem, vt regno Lotharii excedat. 387. ad diuerſos, de eodem regno Lotharii, & legatis ob eam rem miſſis. 389. ad Ludouicum regē, & Epiſcopos Germaniæ, de eodē regnō Lotharii, &c. 392.

Epiſtola cleri plebiſque Senonenſis, pro conſecratione Anſegiſi Epiſcopi. 394.

Hadriani II. epiſtolæ tres, pro Carlomanno regis filio. 395.

Concilium Duziacenſe, in quo Hincmarus Laudunenſis tertiùm accuſatus epiſcopali gradu deiectus eſt. 397.

Hadriani Papæ II. ad Epiſcopos Synodi Duziacenſis epiſtola, qua Actardum à ſede Namnetenſi transfert ad Turonicā, & Hincmari Laudunenſis depoſitionem reſcindit. 397. Carolo regi, de iiſdem. 400. eidem imperium poſt Ludouici obitum promittit. 401.

Synodi Duziacenſis reſcriptum ad Hadrianum Papam. 403.

Rotberti Epiſcopi Cenomannicæ vrbis epiſtola confeſſionis, quam in ægritudine ad Epiſcopos direxit, petens ab eis abſolui: cum epiſtola abſolutionis, quam ei remiſerūt Epiſcopi 405.

Concilium Cabilonenſe in Eccleſia S. Laurentij. 406.

Concilium Siluanectenſe, in quo Carlomannus regis filius diaconi gradu deiectus laicæ communioni redditus eſt. 407.

Concilium Duziacenſe II. aduèrſus inceſta coniugia, & rerū Eccleſiaſticarum peruaſiones. 408. Synodica Concilij ad Epiſcopos Aquitaniæ. 408. Definitio Synodi de Duda monacha ſacrilegè corrupta. 414

Odonis Epiſcopi Bellouacenſis Inſtitutio de rebus Eccleſiæ S. Petri, & quinquagenario in ea numero canonicorum. 599.

Carolus caluus Italiæ regnum adeptus, Romæ Imperator renuntiatus. 421.

IOANNIS Papæ VIII. epiſtolæ ad diuerſos LXXVII. Prima Epiſcopi Galliæ & Germaniæ, de primatu Anſegiſi Senonenſis 422. Hincmaro, vt Epiſcopus ordinetur in Eccleſia Laudunēſi. 422. Epiſcopis & proceribus, de inuaſione Ludouici regis in regno Caroli. 423.

Decretum cleri Laudunenſis de electione Hedenulfi Epiſcopi. 430.

Ioannis VIII. epiſtola de damnatione Formoſi Epiſcopi, &c. 431.

Concilium Pontigonenſe, in quo Synodi quoque Ticinenſis acta confirmata ſunt, ſub Ioanne VIII. 434.
Ioannis VIII. ad Carolum Imp & alios, de tranſlatione Frotarij ab Eccleſia Burdigalenſi ad Bituricenſem. 447. Carolo Imp. vt auxilium mittat contra Sarracenos. 451. 455. vt Eccleſiæ Rom. prædones inquiri iubeat. 452. Richildi Auguſtæ, vt Eccleſiæ Romanæ ſuffragetur. 454.
Concilium Romanum Ioannis VIII. in quo electio Caroli calui Imp. Synodi ſubſcriptione firmata eſt. 457. Ioannis VIII. ad Carolum Imp. palmam mittit, petens auxilium contra Sarracenos. 461. Ariberto Ebredunenſi, de electo in Eccleſia Vencienſi. 463.
Ludouico balbo regi, vt pacem habeat cum regibus conſanguineis: tum de ſuo in Galliam aduentu, & Synodo futura. 464. Roſtagno Arelatenſi vices ſuas in Gallia committit. 466.
Ioannis VIII. epiſtolæ ad diuerſos, vt ad Synodum veniant. 468. &c. Theoderico Biſuntinenſi, Epiſcopum in Eccleſia Lauſanenſi, donec colloquantur, ordinari vetat. 472.
Conciliũ Trecaſſinum II. Ioannis Papæ VIII. ſub Ludouico balbo rege. 473. Ioannis VIII. lex de ſacrilegis Gothicis legibus addita. 480. Reclamatio Hincmari quondam Epiſcopi Laudunenſis. 482. Priuilegium Eccleſiæ Pictauenſis. 481. priuilegium Eccleſiæ Turonicæ. 483. priuilegium monaſterii Floriacenſis. 484.
Ioannis Papæ VIII. epiſtolæ ad diuerſos Epiſcopos, contra inuaſores bonorum Eccleſiæ Turonenſis 487. de controuerſia inter Vticenſem & Auenionenſem Epiſcopos. 488. Epiſcopis Britanniæ, vt Turonenſi deinceps pareant. 488. Ludouico balbo regi, ſtudium laudans Boſonis Comitis, & Agilmari Epiſcopi. 489. Epiſcopis, de indulgentia eorum, qui contra paganos pugnantes occubuerant. 490.
Ioannis VIII. Vvifredo Vencienſi, Epiſcopum qui cum excommunicatis communicarat Miſſarum celebratione prohibet. 490. Odoni Bellouacenſi, impuberes qui alium occiderant poſt peractam pœnitentiam ordinari poſſe. 490. Vvalæ Metenſi, ne cogatur ſponſus vxorem ducere ab alio corruptam. 491. Anſelmo Lemouicenſi, non ſeparandum virum ab vxore, qui filium ſuum neceſſitate cogente baptizauit. 492. tribus Archiepiſcopi, vt Epiſcopum Nemauſenſem à monaſterii cuiuſdam inuaſione remoueant. 492. Airardo Archiepiſcopo, & ſuffraganeis, contra inceſta & alia vetita matrimonia. 493. pro monaſterio Pultarienſi. 494.
Concilium Mantalenſe, in quo regis nomen Boſoni delatum eſt. 496.
Ioannis VIII. ad Carolum craſſum regem Italiæ, & alios, pro Hieronymo Epiſcopo Lauſanenſi. 499. Ludouico & Carlomanno regibus, de mittenda Romam Angelberga. 501.
Concilium apud S. Mactam, ſub Ioanne VIII. & Ludouico III. rege. 502.
Ioannis VIII. ad Genauenſes, vt Optando Epiſcopo à ſe conſecrato obediãt. 516. Ottramno Viennenſi, vt Romam de Boſonis cauſa ſe purgaturus veniat. 516. Ludouico & Carlomanno regibus, de eorum erga Eccleſiam Romanam ſtudio. 517. Hugoni & aliis Comitibus, eorum erga regem fidem laudans. 517. Ottramno Viennenſi, de Optando Epiſcopo Genauẽſi. 518. Adalberto Maurienenſi, vt Romam veniat cum Bernario Gratianopolitano, quem ignominioſè tractarat. 518. Hugoni abbati, vt Ludouico regi ſuadeat vt Romam veniat, Carlomannum in Eccleſiæ Romanæ dilectione confirmet. 519.
Fragmenta quædam aliarum epiſtolarum Ioannis VIII. 519.
Marini Papæ priuilegium monaſterio Sollemniacenſi conceſſum. 520.
Caroli craſſi regis & Imp. præceptum de canonica Epiſcoporum electione in Eccleſia Cabillonenſi. 521.
Concilium Nemauſenſe Theodardi Narbonenſis in villa Portu. 522.
Concilium Cabilonenſe Aureliani Lugdunenſis Archiepiſcopi. 523.
Concilium Metenſe ab Epiſcopis Belgicæ primæ celebratum ſub Stephano V. Papa. 524.
Concilium Valentinum, in quo regis nomen Ludouico Boſonis regis filio delatum. 529.
Concilium Viennenſe à Formoſi Papæ legatis celebratum. 530.
Concilium Remenſe Fulconis Archiepiſcopi contra Balduinum Comitem. 531.
Gerfredi monachi, qui Epiſcopum veneno necaſſe dicebatur, purgatio per corpus Domini. 532.

Conciliorum Galliæ.

Concilium Magalonenſe apud Iuniarias. 533.
Ioannis Papæ IX. epiſtola ad Heriueum Remenſem, de pœnitentia relapſorum ad paganos ritus. 534.
Concilium Troſleianum Heriuei Archiepiſcopi & Suffraganeorum, ſub Sergio III. Papa. 535.
Guillelmi Comitis Teſtamẽtum de fundatione Cluniacenſis monaſterij 569.
Concilium Cabilonenſe Auſtery Archiepiſcopi. 571
Heriuei Æduorum Epiſcopi teſtamentum de rebus ab eo collatis Eccleſiæ S. Nazarij. 571.
Caroli III. regis epiſtola, de controuerſia pro epiſcopatu Tungrenſi. 572.
Ioannis Papæ X. duæ de eadem. 575.
Concilium apud Troſleium, in quo Erlebaldus Comes excommunicatus, poſt mortem abſolutus eſt. 578.
Concilium Remenſe, de pænitentia eorum qui bello Sueſſionico interfuerant. 578.
Concilium apud Troſleium, in quo Iſaac Comes cum Stephano Epiſcopo Cameracenſ rediit in gratiam. 579.
Concilium apud Carilocum Ancherici Archiepiſcopi. 579.
Concilium apud Troſleium, in quo Herluinus Comes pænitentiam ſubiit pro vxore quam duxerat alia viuente. 580.
Concilium apud Caſtellum Theodorici, Artaldi Archiepiſcopi. 580.
Concilium Sueſſionenſe, in quo Hugo Heriberti filius, deiecto Artaldo, Remorum Archiepiſcopus conſecratus eſt. 581.
Damaſi Epiſcopi à Stephano Papa VIII. miſſi legatio ad proceres regni, vt Ludouicum regem ſuum ſuſcipiant. 582.
Adalberonis Epiſcopi Metenſis præceptum de monachis in cœnobio S. Arnulfi clericorum loco conſtitutis. 582.
Concilium Trenorchianum Guidonis Archiepiſcopi Lugdunenſis. 600.
Concilium Virdunenſe, in quo ſedes Remenſis Artaldo contra Hugonem adiudicata eſt. 583.
Concilium Moſomenſe, in quo ſedes Remenſis Artaldo iterum adiudicata. 584.
Cõcilium Engilenheimenſe Marini Legati, in quo Artaldo ſedes Remenſis reſtituta, Hugo Comes Ludouici regis perduellis excommunicatus, præſente Ludouico IV. rege, ſub Agapeto Papa II. 585. Synodi eiuſdem narratio altera, cum epiſtola Artaldi Epiſcopi ad Synodum. 588.
Conuentus Epiſcoporum in Eccleſia S. Vincentij Laudunenſis. 593.
Concilium Treuirenſe Marini legati, in quo Hugo Comes iterum excõmunicatus. 593.
Concilium Romanum Agapeti Papæ II. in quo confirmata ſunt acta Synodi Engilenheimenſis. 594.
Concilium apud S. Theodericum Artaldi Archiepiſcopi aduerſus Ragenoldum Comitem. 595.
Concilium apud Matronam fluuium, poſt mortem Artaldi. 595.
Ioannis Papæ XIII. epiſtola ad Epiſcopos Britanniæ, vt Turonenſi debitam reuerentiam exhibeant. 596
Concilium Remenſe Stephani legati, & Adalberonis Archiepiſcopi, contra Theobaldum Ambianenſem. 597.
Concilium apud Montem S. Mariæ, in quo approbatum eſt decretum Adalberonis de reformatione cænobij Moſomenſis. 598.
Concilium Namnetenſe. 601.

IN APPENDICE TOMI III.

PRÆTERMISSA.

Gregorij PP. IV. epiſtola, qua Ebonem Remenſem in priſtinũ gradum reſtituit. 609.
Nicolai Papæ ad Hincmarum Remenſem de cogenda Synodo Sueſſionenſi. 611.
Caroli regis ad Nicolaum PP. de Vulfado ad Eccleſiam Bituricenſem promouendo. 613.
Nicolai PP. ad Carolum regem, vt de Vulfado ante Synodi definitionem nihil innouetur. 615.
Clericorum Remenſium ad Nicolaum cuius auctoritate gradibus ſuis fuerant reſtituti. 619.

HINCMARI REM. CAPITVLA.

Capitula presbyteris data anno DCCCLII. 618. de quibus inquiri & renuntiari debet Epiſcopo. 623. Anno XII. Epiſcopatus ſuperaddita. 635. in Synodo Remis anno DCCCLXXII. 657. Archidiaconibus presbyteris data. 641.

ISAAC LINGONENSIS CANONES.

De pœnitentibus. 643. de homicidiis. 653. de adulteriis. 656. de inceſtis. 658. de raptoribus. 661. de rapacibus. 664. de ſacrilegis. 66[illegible]. de iuramentis. 669. de excommunicatis. 669. de ſtabilitate ſacerdotum in titulis. 671. Alia capitula Eccleſiaſticis vtilitatibus congrua. 672.
NOTÆ ad Tomum III. Conciliorum. 679.

TOMVS III.

Complectitur annos CXLVII. quibus Carolus caluus, & reliqui eius familiæ principes regnarunt, ab anno Chriſti DCCCXL. vſque ad DCCCCXXCVII.

Digitized by Google

CAPITVLARE TOLOSANVM

CAROLI IVNIORIS CALVI REGIS.

De Exactionibus Eccleſiarum.

SEQVENTIA CAPITVLA PRESBYTERORVM Gothiæ rogatu acta ſunt apud Toloſam ciuitatem anno IV. regni domni Karoli, Indictione VI. menſe Iunio, id eſt anno Chriſti DCCCXLIII. Gregorij IV. Papæ anno XVI.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *Vt Epiſcopi non ægreferant, quòd presbyteri ad regem reclamarunt.*
2. *De annua præſtatione, quam presbyteri Epiſcopis debent.*
3. *Quomodo inferri aut exigi præſtatio illa debeat.*
4. *Qui modus Epiſcopis in circumitione parochia ſit tenendus, & quæ impenſa à presbyteris præſtanda.*
5. *Vt Epiſcopi ſemel tantũ quotannis impenſam à presbyteris exigãt, licet ſæpius circũeant.*
6. *Vt ſi parochiam non circumeant, impenſam non exigant: & vt presbyteros in eorum domibus non grauent.*
7. *Vt Epiſcopi presbyterorum parochias ſine neceſſitate non diuidant: & vt diuiſis parochiis impenſa diuidantur.*
8. *Vt Epiſcopi hæc Capitula non negligant.*
9. *Vt Epiſcopi Synodos quotannis plures duabus presbyteris non imponant.*

PRÆFATIO.

HÆC quæ ſequuntur Capitula conſulentes neceſſitati Epiſcoporum Septimaniæ, & ſubiectorum eis presbyterorum prouidentes poſſibilitati, tractantes etiam ſacri & iuſtè irreprehenſibilis miniſterij honeſtatem, presbyterorum reclamatione commoniti, moderamine manſuetudinis noſtræ, vſque ad diligentiorem tractatum Synodi generalis decernimus.

CAPITVLA.

I. *Vt Epiſcopi non ægreferant, quòd presbyteri ad regem reclamarunt.*

VT Epiſcopi nullam inquietudinem, ſiue exprobrationem presbyteris, aut apertè ingerendo, aut alia qualibet occaſione machi-

nando, pro eo quòd ſe ad nos hac vice reclamare venerunt, inferāt: quia longa oppreſſio huiuſmodi itineris eos fecit ſubire laborem.

II. *De annua præſtatione, quam presbyteri Epiſcopis debent.*

Vt vnum modium frumenti, & vnum modium hordei, atque vnum modium vini, cum menſura, quæ publica & probata, ac generalis ſeu legitima per ciuitatem, & pagum, atque vicinitatem habeatur, Epiſcopi à presbyteris accipiant, & friſchingam ſex valentem denarios, aut ſex pro ea denarios, & non ampliùs exigant. Et ſi hæc non accipiunt, accipiant ſi volunt pro his omnibus duos ſolidos in denariis, ſicut in Toletano & Bracarenſe conſenſu Epiſcopi conſideraſſe dicuntur.

Conc Tolet. vii. c. 4. Bracar. II. c. 2.

III. *Quomodo inferri aut exigi præſtatio illa debeat.*

Vt presbyteri, qui propè ciuitatem quinque milliaria commanent, per famulos ſuos prædictam diſpenſam reddi in ciuitate cui iuſſerit Epiſcopus faciant. Qui autem longiùs ab vrbe commanent, ſtatuant Epiſcopi loca conuenientia per Decanias, ſicut conſtituti ſunt Archipresbyteri, quò ſimiliter & eadem propinquitate presbyteri per famulos ſuos debitam diſpenſam Archipresbyteris & Epiſcoporum miniſtris conuehant. Et procurent Epiſcopi, ne miniſtri illorum presbyteros dehonorent, aut pignora inhoneſtè tollendo, vel locationem pro receptione diſpenſæ exigendo: ſed cum gratiarum actione recipiant, quæ presbyteri cum hilaritatis humanitate, iuxta Apoſtolum, conferre debebunt. Quòd ſi miniſtri Epiſcoporum presbyteros dehonorauerint, dignam illis exinde caſtigationem exhibeant. quam niſi fecerint, & ad nos iterum pro hoc ſe presbyteri reclamauerint, motus noſtros qui culpabilis repertus fuerit ſentiat.

1. Cor. 9. 7.

IV. *Qui modus Epiſcopis in circumitione parochiæ ſit tenendus, & quæ impenſa à presbyteris præſtanda.*

Vt in circumitione parochiæ Epiſcopi de cetero ſingulos presbyteros, per ſingulas iacendo euntes Eccleſiolas, ſicut hactenus, non prædentur: cùm ſcriptum ſit eoſdem euangelizare debere non turpis lucri gratia, ne vituperetur miniſterium ſanctum. Sed conſiderent & denuntient loca ſibi & populo conuenientia, & illuc presbyteri, quotquot poſſibilitas & moderatio prouiderit, plebes ſuas adducant, & ibidem Epiſcopi prædicent, confirment, & populi errata inquirant ac corrigant. Iterum autem, quia Dominica voce datur licentia, qui Euangelium adnuntiant, vt de Euangelio viuant, licet Paulus Apoſtolus nihil horum fuerit vſus, presbyteri tale coniectum faciant, vt & Epiſcopi ſolatium habeant, & ipſi non grauen-

1. Cor. 9. 14.

tur. Quod ita nobis fieri poſſe videtur. videlicet vt quatuor preſbyteri ad locum vbi quintus degit, & Epiſcopus reſidet, plebes ſuas de quatuor partibus adducere ſtudeant; & vnuſquiſque eorum decem panes, & dimidium modium vini, & friſchingam de quatuor denariis, & pullos duos, & oua decem, & modium vnum de annona ad caballos, in ſubſidium benedictionis gratia præſentet Epiſcopo. Et ſimiliter quintus, in cuius domo Epiſcopus reſidet, faciat: nec ampliùs ab eo exigatur, niſi fortè ligna & vtenſilia in opus miniſterij commodet. Quapropter Epiſcopus prouideat, ne domus aut ſepes illius à miniſtris vaſtentur.

V. *Vt Epiſcopi ſemel tantùm quotannis impenſam à presbyteris exigant, licet ſæpius circumeant.*

Vt ſemel in anno Epiſcopi hanc circumitionem tempore congruo faciant; & ſi ampliùs miniſterium ſuum per diœceſim agere voluerint, hanc tamen diſpenſam non ampliùs quàm ſemel à preſbyteris per annum accipiant.

VI. *Vt ſi parochiam non circumeunt, impenſam non exigant: & vt presbyteros in eorum domibus non grauent.*

Quòd ſi circumitionem in ſalutem & neceſſitatem populi quacumque de cauſa dimiſerint, à preſbyteris nec hanc diſpenſam, neque pretium illius exigant, neque aliis, aut ſuis domeſticis, aut amicis, exigendam concedant. Et quando circumierint, & in domo preſbyteri reſederint, non ſub occaſione adfligendi preſbyteros immoderatè & non neceſſariè numerum famulorum adducant, neque vicinos ad paſtum incongruè conuocent. Quòd & ſi cum caritate vocare voluerint, faciant: ſed non ampliùs à preſbyteris, vel ſub occaſione vendendi, vel alio quolibet modo, quàm ſtatutum eſt exigant, neque paraueredos, aut alias exactiones tollant.

VII. *Vt Epiſcopi presbyterorum parochias ſine neceßitate non diuidant, & vt diuiſis parochiis impenſæ diuidantur.*

Vt Epiſcopi parochias preſbyterorum propter inhoneſtum & periculoſum lucrum non diuidant: ſed ſi neceſſitas populi exegerit, vt plures fiant Eccleſiæ, aut ſtatuantur altaria, cum ratione & auctoritate hoc faciant. Scilicet vt ſi longitudo, aut periculum aquæ, aut ſiluæ, aut alicuius certæ rationis vel neceſſitatis cauſa popoſcerit, vt populus & ſexus infirmior, mulierum videlicet vel infantum, aut etiam debilium imbecillitas ad Eccleſiam principalem non poſſit occurrere, & non eſt ſic longè villa, vt preſbyter illuc ſine periculo ad tempus & congruè non poſſit venire, ſtatuatur altare; & ſi ita populo complacet, & commodùm fuerit, ne ſine ratione ſcandalize-

tur, parochia maneat indiuiſa. Sin autem præfatæ cauſæ poſtulauerint, & populus non conductus, neque cupiditate vel inuidia excitatus, ſed rationabiliter adclamauerit vt Eccleſia illis fieri, & presbyter debeat ordinari, hoc Epiſcopi epiſcopaliter teſte Deo in conſcientiæ puritate, cum ratione & auctoritate, ſine intentione turpis lucri, maturè conſilio canonico tractent, & vtilitati ac ſaluti ſubiectæ plebis quæque agenda ſunt peragant, & ſecundum quod ſubtraxerint cuilibet presbytero de parochia, de diſpenſa quoque debita ab illo minus accipiant, & alteri, qui quod diuiditur à parochia ſuſcipit, ſub hac eadem menſura imponant.

VIII. *Vt Epiſcopi hæc Capitula non negligant.*

Vt Epiſcopi ſub occaſione, quaſi auctoritatem habeant canonum, his conſtitutis Excellentiæ noſtræ nequaquam reſultent, aut negligant: ſed potiùs canones vt intelligendi ſunt intelligere, & in cunctis obſeruare procurent. Quia ſi aliter fecerint, omnimodis & qualiter canones fidelium decimis agendum ſtatuant, & qualiter intelligi ac obſeruari cum manſuetudinis noſtræ decreto debeant, Synodali diiudicatione & noſtrâ auctoritate regia docebuntur.

IX. *Vt Epiſcopi Synodos quotannis plures duabus presbyteris non imponant.*

Vt Epiſcopi Synodos à presbyteris, niſi ſicut docet auctoritas canonum, duas ſcilicet, & per tempora conſtituta, non exigant. Sed & in eiſdem Synodis non per occaſionem, ſed per veritatem miniſterij ſui teſte Deo, ad quod conſtituti ſunt presbyteros & tractent, & teneant, & abſoluant.

Anno Christi 843. Caroli Calvi Regis 4.

CONVENTVS IN VILLA COLONIA.

CAPITVLA QVÆ ACTA SVNT ANNO IV. REGNI domni Karoli glorioſi regis, domni Hludouuici Imp. filij, in conuentu habito in villa quæ dicitur Colonia. quæ etiam ſubſcriptione eiuſdem Principis & Epiſcoporum, ac ceterorum fidelium Dei, confirmata fuere, conſenſu Vvarini, & aliorum optimatum, Indictione VI.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De honore cultúque Dei, atque Eccleſiarum, & ſeruorum Dei veneratione.*
2. *Vt honor & poteſtas regia inconuulſa permaneant.*
3. *De iuſtitiis vnicuique ſecundum legem ſuam faciendis.*
4. *Vt nemo quicquam regi contra iuſtitia rationem ſuggerat.*
5. *Vt ſi quid regi ſubreptum eſt, fideliter admoneatur.*
6. *De ijs qui initum concordiæ fœdus irruperint.*

PRÆFATIO.

SANCTA Eccleſia nauis more, vt de prioribus ſæculis taceamus, ab initio ſuæ inſtitutionis pelagus ſæculi huius diuerſa qualitate hactenus Domino moderante tranſegit: & modò tranquillitate grauis, amodò autem procellæ alicuius tempeſtate concuſſa, ſed non vſquequaque dimerſa, quin potiùs excitato fidelium precibus Chriſto ſuo gubernatore, ſalubri libertatis ſecuritate, atque optata donata ſerenitate. Vnde etiam in partibus noſtri orbis, quæ tempore diuæ recordationis aui noſtri, & ſanctæ memoriæ domni ac genitoris noſtri, aliquandiu fuerat pacis ſuauitate læta, inimico homine, iuxta ſanctum Euangelium, in agro Dominico ſuperſeminante diſcordiæ zizania in medio tritici Deo amatæ caritatis, adeo eſt diuerſis atque aduerſis vexata moleſtiis, vt non ſine maxima difficultate, reſpectu diuino, & fidelium Dei ac noſtrorum ſolatio, inter nos fratréſque noſtros pacificatio, & paterni regni ex conſenſu diuiſio, ſeu eiuſdem ſanctæ Eccleſiæ ac fidelis populi tantorum laborum quantulacumque fieret reſpiratio. Proceſſu verò temporis, vt ſolent poſt condenſos aëris turbines nubium in pertranſeundo remanere veſtigia, reſtiterunt fatemur in nobis, & in viris Eccleſiaſticis, necnon & in reipublicæ noſtræ ſolatiatoribus, huiuſmodi materiæ & fomites diſſenſionum, vt manifeſtè pateſceret nos diuina gratia indigere, vt omnes à contagio morbi priſtini penitus exueremur, qua præuenti eramus vt infirmitatem communem videre poſſemus. Quapropter venientes in vnum fideles noſtri, tam in venerabili ordine clericali, quàm & inluſtres viri in nobili laicali habitu conſtituti, & zelo Dei accenſi, memores etiam fidei, quam ipſi & anteceſſores eorum noſtris detulerunt prædeceſſoribus, ponentéſque ante oculos dilectionem & fidelitatem, quam nobis poſt defunctionem patris laudabiliter & continentiſſimè ſeruauerunt, ſecundùm quod legitur in litteris diuinitus inſpiratis, hortatus eſt alter alterum, immo omnes ſe inuicem monuerunt, vt cuncti vniuerſum animi rancorem pro quocumque conceptum negotio à corde propellerent, & in Dei voluntate ac ſanctæ Eccleſiæ competenti veneratione, ſeu noſtra fidelitate ſeruanda, atque debito honore & regia poteſtate ſtabilienda & conſeruanda, quin etiam ſeſe in pacis concordia & vera amicitia copularent: quatenus diuinæ clementiæ placerent obnixiùs, & de regis ac regni ſtabilitate & vtilitate poſſent tractare ſublimiùs, & ſuum atque totius populi communem profectum & tranquillitatem obtinerent propenſiùs. Sícque Deo amabili atque laudabili conuentu vnanimiter ac rationabiliter perpetrato, noſtræ manſuetudini ſuam deuotionem & actionem fideliſſimè ſuggeſſerunt. Nos autem tanta fidelium erga dominationem noſtram ſubtiliter perſpecta benignitate, vt cauſa pro ſui merito exigebat, eis condignas gratiarum actiones retulimus, & nos noſtrámque poteſtatem eorum bonæ conuenientiæ per beneuolentiam in hoc facto, quod ſine dubio ad præſentem & æternam tendit ſalutem, ſociam & comitem fore tota deuotione ſpopondimus, abdicatis omnibus, quantum patitur humana fragilitas, quæ perſona noſtri regiminis ignorantia, ſeu iuuentute, aut neceſſitate, contra conuenientem ſibi ſalubritatem & honeſtatem vſque modò egerat,

Matth. 13. 25.

2. Macc. 12. 30.

aut alterius aſtu contraxerat. Qua de re communiter inito conſilio, hoc ſcriptum fieri propoſuimus, quod etiam manuum omnium noſtrorum ſubſcriptione roborandum decreuimus. In quo quæ nobis nunc præcipuè ad communem ſalutem, & regni ſoliditatem, atque omnium noſtrorum vtilitatem, immo pleniſſimam honeſtatem, viſa ſunt pertinere conſcripſimus: non loquentes diuerſarum immutatione perſonarum, vt modò regalis ſublimitas, modò Epiſcopalis auctoritas, modò autem fidelium loquatur commoditas: ſed ſecundum Apoſtolum, ſub vno capite Chriſto, vt reuera vnus homo in vnius Eccleſiæ corpore, ſinguli autem alter alterius membra, quod proſit omnibus omnes vnanimiter vna voce loquamur, per
Matt.10.20. eum & in eo qui dixit: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.*

CAPITVLA.

I. *De honore cultúque Dei, atque Eccleſiarum, & ſeruorum Dei veneratione.*

De honore videlicet & cultu Dei, atque ſanctarum Eccleſiarum, quæ auctore Deo ſub ditione & tuitione regiminis noſtri conſiſtunt, communiter Domino mediante decernimus, vt ſicut tempore beatæ recordationis domni ac genitoris noſtri excultæ & honoratæ atque rebus ampliatæ fuerunt, ſalua æquitatis ratione ita permaneant, & quæ à noſtra liberalitate honorantur atque ditantur, de cetero ſub integritate ſui ſeruentur. Et ſacerdotes ac ſerui Dei vigorem Eccleſiaſticum, & debita priuilegia iuxta reuerendam auctoritatem obtineant: eiſdem verò regalis poteſtas, & illuſtrium virorum ſtrenuitas, ſeu reipublicæ adminiſtratores, vt ſuum miniſterium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & iuſtè concurrant.

II. *Vt honor & poteſtas regia inconuulſa permaneat.*

Honor etiam regius, & poteſtas regali dignitati competens, atque ſinceritas & obtemperantia ſeniori debita, remota omni ſocordia & calliditate, ſeu qualibet indebita quorumcumque coniunctione contra honorem & poteſtatem atque ſalutem noſtram, ſiue regni noſtri ſoliditatem, nobis in omnibus & ab omnibus, ſicut tempore anteceſſorum noſtrorum conſueuerat, exhibeatur. Et ſi quis quemcumque contra nos, & contra hanc pactam ſinceritatem aliquid moliri manifeſtè agnouerit, ſi eum conuertere nequiuerit, apertè prodat atq; denotet, & ſic conſilio atque auxilio Epiſcopalis auctoritas, & fidelium vnanimitas, vt noſter honor & poteſtas regia inconuulſa permaneat, totis niſibus decertare & adiuuare procuret.

III. *De iuſtitiis vnicuique ſecundum legem ſuam faciendis.*

Quia verò debitum eſſe cognoſcimus, vt à quibus honorem ſuſcipimus, eos iuxta dictum Dominicum honoremus, volumus vt omnes fideles noſtri certiſſimum teneant, neminem cuiuſlibet ordinis aut dignitatis deinceps noſtro inconuenienti libitu, aut alterius calliditate, vel iniuſta cupiditate, pro merito honore debere priuare, niſi iuſtitiæ iudicio & ratione atque æquitate dictante. Legem verò vnicuique competentem, ſicut anteceſſores ſui tempore meorum prædeceſſorum habuerunt, in omni dignitate & ordine, fauente Deo, me obſeruaturum perdono.

IV. *Vt nemo quicquam regi contra iuſtitiæ rationem ſuggerat.*

Quod vt faciliùs atque obnixiùs noſtra auctoritas valeat obſeruare, omnes ſicut in veſtra bene memorabili conuenientia pepigiſtis conſeruare ſtudebitis, immo etiam cuncti in poſtmodum ſollicitè præcauebunt, ne aliquis pro quacumque priuata commoditate, aut reiicienda cupiditate, ſiue alicuius conſanguinitatis, vel familiaritatis, ſeu amicitiæ coniunctione, nobis immoderatiùs ſuggerat, vel poſtulationibus, aut quolibet modo inliciat, vt contra iuſtitiæ rationem, & noſtri nominis dignitatem, ac regiminis æquitatem agamus.

V. *Vt ſi quid regi ſubreptum eſt, fideliter admoneatur.*

Et ſi fortè ſubreptum nobis quidpiam vt homini fuerit, competenter & fideliter, provt ſublimitati regiæ conuenit, & neceſſitatibus ſubiectorum expedit, vt hoc rationabiliter corrigatur, veſtra fidelis deuotio admonere curabit.

VI. *De iis qui initum concordiæ fœdus irruperint.*

Tandem autem viſum eſt nobis adnectere, vt ſi quis hoc fœdus concordiæ ſalubris, quod propter pacis caritatiſque cuſtodiam iniuimus, & chirographi virtute ſubſcripſimus, rebelli atque animo pertinaci inruperit, Chriſtiana dilectione admoneatur, & ad inconuulſum caritatis vinculum conſeruandum, quod qui tentauerit corrumpere, faciliùs poterit ſeipſum diſrumpere, quàm illud poſſit inrumpere, iuxta monita diuina vt reſipiſcat hortetur. & ſi audierit, fiat de ſocietate fideli omnibus gaudium: ſi verò obaudire renuerit, tunc pontificalis auctoritas, & regalis ſublimitas, atque in caritatis connexione perſiſtentium magnanimitas, ſecundum quod res & neceſſitas poſtulauerit, ac ratio expetierit, ſeu qualitati perſonæ conuenerit, zelum ſuæ deuotionis feruentiſſimè exerat, & quod inſpirante Deo agendum in omnem ſalutis & vtilitatis atque honeſtatis partem iudicauerit, inrefragabiliter peragat.

ADMONITIO AD LECTOREM

De ſuperioribus ac ſequentibus deinceps Capitulis.

QVÆ hactenus prolata ſunt, apud Toloſam & in villa Colonia edita, eadem in Caroli Calui Capitulis continentur: vnde & alia quoque deinceps depromentur, non omnia quidem, ſed ea dumtaxat, quæ vel in Synodis Epiſcopalibus geſta, vel ad res potiſſimum Eccleſiaſticas pertinere videbuntur; ceteris omiſſis, quæ ad ciuilia potiùs ſpectant, & ad rem noſtram minus faciunt. quæ ipſa cuique, ſi opus eſt, ex Capitulorum Caroli Calui volumine, in quo ſuis locis ac temporibus digeſta ſunt, repetere licebit. Quæ porrò ſequuntur in Synodo apud Lauriacum acta, in Caroli volumine non exſtant, ſed in Concilio Meldenſi, cui inſerta ſunt. quod argumentum eſt, Synodum illam epiſcopalem fuiſſe, non regiam.

CONCILIVM APVD LAVRIACVM.

CAPITVLA IN SYNODO ACTA, QVÆ HABITA eſt apud Lauriacum in pago Andegauenſi anno DCCCXLIII. Incarnationis Domini IESV Chriſti, menſe Octobri, Indictione VII. Caroli Calui Regis anno IV.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De eo qui Eccleſiaſticam auctoritatem contemnit.*
2. *De eo qui contra regiam dignitatem egiſſe comprobatur.*
3. *De eo qui poteſtati regiæ non obtemperat.*
4. *De eo qui aduerſus hæc Capitula præuaricatur.*

CAPITVLA.

I. *De eo qui Eccleſiaſticam auctoritatem contemnit.*

Iuo P. xvi. cap. 8.

SI QVIS publicus diuinæ legis præuaricator, vel pro manifeſtis criminibus erga Eccleſiaſtica iuſta & rationabilia iudicia contemptor repertus fuerit, vel inflatus ac tumidus monitis Eccleſiaſticis, ac ſanctorum Patrum conſtitutionibus contradictor, vel ſubſannator comprobatus fuerit, ſi monitionibus Epiſcopalibus obtemperare diſtulerit, anathematizetur.

II. *De eo qui contra regiam dignitatem egiſſe comprobatur.*

Si quis contra regiam dignitatem doloſè, ac callidè, ac pernicioſè ſatagere comprobatus fuerit, niſi digniſſimè ſatisfecerit, anathematizetur.

III. *De eo qui poteſtati regiæ non obtemperat.*

Iuo P. xvi. cap. 25.

Si quis poteſtati regiæ, quæ non eſt iuxta Apoſtolum niſi à Deo, contumaci ac inflato ſpiritu, contra auctoritatem & rationem pertinaciter contradicere præſumpſerit, & eius iuſtis & rationabilibus imperiis ſecundum Deum, & auctoritatem Eccleſiaſticam, ac ius ciuile, obtemperare irrefragabiliter noluerit, anathematizetur.

IV. *De eo qui aduerſus hæc Capitula præuaricatur.*

Quicumque ſuperbiæ facibus accenſi, vel proteruia ſtomachati, hæc, quæ pro ſanctæ matris Eccleſiæ tranquillitate, ſacerdotalique rigore,

rigore, & regia dignitate à nobis vnanimiter definita, manibúſque propriis roborata ſunt, violare, aut quolibet argumento irrumpere tentauerint, placet eos omnes anathematizari.

Anno Christi 844. 4. Idus Feb. Caroli Calvi Regis 4.

SERGIVS II. PAPA.

DROGO ARCHIEPISCOPVS METENSIS VICARIVS Sedis Apoſtolicæ in Gallia & Germania deſignatus.

NVllvs hactenus poſt ſancti Bonifacij obitum, vt Hincmarus epiſtola VI. *capite* XXIX. *docet, Pippini Regis, & Karoli ac Ludouici Imperatorum temporibus, hoc honore in Gallia, aut Germania fuerat perfunctus. Hoc demum anno* DCCCXLIV. *Drogo Metenſis Epiſcopus, Romam à Lothario Imp. cum Ludouico filio miſſus, regiæ proſapiæ prærogatiua, Lotharij quippe, fratrúmque regum patruus, prælationem hanc à Sergio Papa eſt adeptus: ſibi tamen vt ea vti liceret, non conſentientibus quorum intererat, obtinere non potuit. Sergij epiſtolam, qua Drogoni vices ſuas delegat, in Metenſi codice ſancti Arnulfi nacti ſumus, ſed* ἀντίγραφον, *in hunc modum.*

SERGII II. PAPÆ EPISTOLA AD EPISCOPOS Tranſalpinos, de prælatione Drogonis Vicarij Sedis Apoſtolicæ.

OPTAVERAM equidem, fratres cariſſimi, tam glorioſo certamini noſtram corporalem exhibere præſentiam, & pro recuperanda tam excellentis ordinis gloria modis omnibus deſudare. Sed quia nos cunctarum ſollicitudo angit Eccleſiarum, vbi ipſi eſſe non poſſumus, more præcedentium noſtrorum moderationis noſtræ Vicarios damus. Ad noſtræ igitur humilitatis vicem, cunctis prouinciis trans Alpes conſtitutis, Drogonem Archiepiſcopum Metenſem, glorioſi quondam Karoli Imperatoris filium, cuius beatiſſimi moderatoris induſtria Romanorum Francorúmque concorporatur imperium, cauta deliberatione conſtituimus. Vt quia ſereniſſimi atque piiſſimi filij noſtri, magni Imperatoris Hlotharij, eiúſque fratrum dilectiſſimorum filiorum noſtrorum Hludouuici & Karoli regum auunculus eſt, inſuper ſanctitate doctrináque conſpicuus, ab hac ſede ſanctiſſima Apoſtolorum principis auctoritate percepta, veſtris neceſſitatibus vice noſtra idoneus vbique miniſter exiſtat. Et quia omnium veſtrorum ſollicitudinem illi gerere præcepimus, omnium volumus obedientia comitari. Decet ſanè, fratres, vt qui pro omnibus laborat, cunctorum ſubſidio fulciatur. Huic ergo in congregandis generalibus Synodis, in omnibus ſupradictarum regionum partibus, noſtram commodamus auctoritatem: & quicquid prouinciali

Synodo fuerit definitum, ad eius abſque dilatiōne ſtatuimus notitiam perducendum. Si cui autem ab illis partibus hanc ſanctam ſedem appellare opus fuerit, & in noſtra audientia ſe audiri popoſcerit, hunc commonemus, vt ad eius primùm audientiam ſe ſummittat, & Eccleſiaſticorum geſtorum in ſua regione rationabili digeſtione prolata, ſi Epiſcoporum de eo, qui fortè criminibus impetitur, ſententia diſcordauerit, vt ab aliis reus, innocens iudicetur ab aliis; tunc ipſis geſtis ad nos delatis, litteris etiam præfati fratris noſtri, cui vicem noſtram conceſſimus, commendatus, ſiue ad nos, ſiue ad beatiſſimi Petri ſedem ſecurus accedat, nulláque eum in veniendo mora præpediat. Quam etiam condicto fratri noſtro Drogoni Archiepiſcopo in examinandis ac perquirendis Epiſcopis & Abbatibus, ſub hoc tenore hanc noſtram licentiam & auctoritatem conceſſimus, ſaluo in omnibus huius vniuerſalis Romanæ ſedis primatu, noſtríque pręſulatus honore, vigoréque & exaltatione cariſſimi ac ſpiritalis filij noſtri domni Hlotharij magni Imperatoris. Nam nobis valde placuit, propter diuerſas Eccleſiarum Dei perturbationes hoc neceſſarium ſatiſque dignum opus explere. Si verò hac admonitione contempta, ſola improbitate ſe criminibus exuendum exiſtimauerit, nouerit à noſtra manſuetudine nequaquam ſe temerariam abſolutionem adepturum, niſi primùm & prouinciali Synodo, & poſtmodum generali prædicti fratris noſtri audientia eius fuerit actio ventilata. Illic enim cauſa ſubtiliùs examinatur, vbi perpetrata dinoſcitur. Tamen ſi ſe ad nos venire popoſcerit, vt antè prædiximus, non teneatur. Si autem vel ſui Metropolitani prouincialem Synodum euocatus adire noluerit, vel ad generalem præfati Vicarij, legatíque noſtri conuentum venire contempſerit, cùm hæc noſtris Apoſtolicis auribus per ſuas litteras intimare decreuerit, noſtra & totius Eccleſiæ catholicæ ſe nouerit auctoritate iudicandum. Quòd ſi violentiam ſibi à religioſis filiis noſtris regibus quilibet Epiſcoporum, quominus canonum ſtatuta cuſtodiat, queritur irrogatam; nos hoc ſuffugium, annuente Domino, litteris ad eos miſſis credimus amputandum. Nequaquam enim auditu tolerabile eſt, vt germanorum fratrum in fide Trinitatis terna ſocietas à ſui dilectione, & communi iuris æquitate diſſiliat. Quòd ſi eorum quilibet poſt diſcordiæ principem abire maluerit, nec catholica fuerit pace contentus, hunc meritò Deo auxiliante, canonicis auctoritatibus, prout meliùs poſſumus, caſtigare ſtudemus. Ceterùm, fratres, tanquam ſub vno caritatis globo conſtitutam veſtram alloquor ſanctitatem, vt id ipſum omnes ſentiatis, & nôn ſint in vobis ſchiſmata, neque per aliquos inanium argumentationum cuniculos, vel vobis ipſis, vel populo vobis commiſſo, veritatem ſubducatis, quæ abſque refragationis diuerticulo
Math. 5. 9. vera proſequitur, dicens: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* At contra qui bella volunt, quia Diaboli filij ſint palam datur intelligi. Sed nós in eo qui vincit mundum, B. Petro Apoſtolo intercedente, confidimus, quòd nullo typo ſæcularis audaciæ veſtra ſuccumbit auctoritas. tamen etſi ad tempus præualuerint, quia in æternum damnabuntur ambiguum non eſt. Vos autem etſi perſecutionem patimini propter iuſtitiam, beati. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres. Amen.

CONCILIVM AD THEODONIS VILLAM.

CAPITVLA QVÆ ACTA SVNT IN SYNODO ſecus Teudonis villam habita, in loco qui dicitur Iudicium, quando tres fratres glorioſi principes, Hlotharius videlicet, Hludouuicus, & Carolus ſimul conuenerunt anno v. regni Caroli. cui Synodo Drogo Metenſis Epiſcopus præſedit conſenſu eorumdem regum. quæ & ipſi principes ante ſe fideléſque eorum relecta Capitula adprobauerunt, & ſe eadem ſeruaturos auxiliante Domino promiſerunt menſe Octobri, Indictione VII.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. Vt principes mutuam inter ſe caritatem, & concordiam habere ſtudeant.

2. Vt Epiſcopi ordinentur in viduatis ſedibus: & ſuos recipiant quæ his priuata ſunt.

3. Vt Monaſteria laicis conceſſa, religioſis deinceps viris ſeu feminis committantur.

4. De rebus Eccleſiaſticis non peruadendis, præter ſubſidium quod exinde offertur reipublicæ.

5. Vt locorum religioſorum, quæ laici tenent, curam interim & prouidentiam gerant Epiſcopi.

6. Vt ordo Eccleſiaſticus antiquum vigorem recipiat, iudicium & iuſtitia omnibus reddatur, & pœnitentia de præteritis agatur.

PRÆFATIO.

NAVIS ſanctæ Eccleſiæ ab exordio ſuo variis ſæpè perturbationibus merſa, ſed excitato fidelium precibus gubernatore ſuo Chriſto numquam eſt vſquequaque demerſa. Quæ quondam etiam vt nunc videtur penè conlapſa, progenitorum veſtrorum ſtudio & deuotione eſt auctore Deo iuxta modum diuinitus conceſſum recuperata. Vnde immenſas Domino Deo noſtro laudes referimus, qui & corda veſtra ad intentionem ſimilem excitauit, & poſt veſtigia patrum veſtrorum, quibus per temporale regnum ad æternum perueniatis, ire velle docuit & inſpirauit. Veſtræ nihilominus nobiliſſimæ dominationi multimodas gratiarum actiones rependimus, quia ad euitandum & veſtrum & noſtrum periculum, & ad communem totiúſque populi prouidendam ſaluationem, bonam & beneplacitam Dei voluntatem ſubſequi, & diuinum conſilium ſecundum præceptum Domini, quo dicitur: *Interroga ſacerdotes legem meam*, &, *Interroga patres tuos, & ad-* Agg. 2. 12. Deut. 32. 7.

nuntiabunt tibi, à nobis quamquam indignis Chriſti tamen vicariis quærere, & benigna deuotione, velut reuera ex ore ipſius Dei, expectare dignamini. Quod humilitatis veſtræ ſupernum donum ſancta Eccleſia cum tanto gaudio ſuſcipit, vt de vobis etiam in conſolatione ſua ſibi dictum à Domino

Pſal.44.17. aptare velit, *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij*. Id eſt, pro iſtorum progenitoribus, qui te paterno affectu ditauerunt, & ampliauerunt ac coluerunt, nati ſunt tibi iſti filij, qui in te & paterna munera reſarciant, recuperent, & conſeruent, & te fideli deuotione, vt bonæ indolis adoleſcentes, me ſuper eos intendente, eiſque manum ſolatij porrigente, tueantur & excolant.

CAPITVLA.

I. *Vt principes mutuam inter ſe caritatem, & concordiam habere ſtudeat.*

His ita præmiſſis, nobiliſſimi domini, vt cum pace veſtra dicamus, quia conſtat hanc ſanctam Eccleſiam ſanguine Chriſti redemptam, & prædeceſſorum veſtrorum multo labore redintegratam ac adunatam atque gubernatam, veſtra diſcordia eſſe diſciſſam & perturbatam atque adflictam; videtur nobis, ſi & in præſenti feliciter regnare, & in futuro cupitis eſſe ſalui, & ab hac eadem Eccleſia vobis ad gubernandum commiſſa, pro qua ex miniſterio regali reddituri eſtis regi regum rationem in die iudicij, tam multiplices ac perniciosas corruptionis peſtilentias vultis amouere, & vigorem regium ac ſeniorale, & ſuper veſtros, & ſuper impugnantes poteſtatem ve-

1.Tim.1.5. ſtram optatis habere, caritatem illam, quam Apoſtolus docuit, *de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*, inter vos ſtudete habere, & quia ſic habeatis, & fidelibus & infidelibus veſtris omni virtute & puritate curate manifeſtare, ſicut Dominus docuit dicens:

Ioan.13.35. *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*. Quæ non tantùm verbo & lingua, ſed potiùs remoto quolibet modo omni occulta nocendi machinatione, aut quod abſit aliena à caritate aperta impugnatione, quocumque quis indiget, pro viribus vero conſilio & prompto auxilio ab altero adiuue-

Prou.18.19. tur, quoniam ſcriptum eſt: *Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma*. Et ita in populum vobis commendatum, pro iſta quæ hactenus operante per membra ſua diabolo verſata eſt diſcordia, pacem illam diſſeminate, quam Chriſtus in cælum aſcendens fidelibus

Ioan.14.27. ſuis munere magno reliquit, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, ſine qua nemo videbit Deum.

II. *Vt Epiſcopi ordinentur in viduatis ſedibus: & ſuos recipiant quæ his priuata ſunt.*

Quia bene noſtis ab illo, qui ſolus meritò & rex & ſacerdos fieri

potuit, ita Eccleſiam diſpoſitam eſſe, vt pontificali auctoritate & regali poteſtate gubernetur, & ſcriptum eſſe liquidò peruidetis: *Vbi non eſt gubernator, populus corruit*, & tanto periculoſiùs, quanto anima plus eſt pretioſa quàm corpus: canonum etiam inrefragabilis auctoritas ſuper Epiſcoporum ordinatione, & in populi ad cuſtodiendum ſuſcepti vigilantia, ac ſedium ſuarum tenaci ſtabilitate euidentiſſimè præcipiat. feruentiſſimè Dei legatione fungentes monemus, vt ſedes quæ veſtra diſcordia vlteriùs nec nominanda ſine ſacro Epiſcopali miniſterio, & ſine Epiſcopis viduatæ manent, ſubmota funditus peſte Simoniacæ hæreſeos, ſine dilatione, iuxta auctoritatem canonicam, aut Epiſcopos à Deo datos, & à vobis regulariter deſignatos, & gratia ſancti Spiritus conſecratos accipiant: aut quæ ſuis Epiſcopis quacumque occaſione priuatæ ſunt, canonicè eos ſine aliqua excuſatione aut tarditate recipiant. Prou. 11, 14.

III. *Vt Monaſteria laicis conceſſa, religioſis deinceps viris ſeu feminis committantur.*

Sacrum quoque monaſticum ordinem à Deo inſpiratum, & ab ipſis Apoſtolis fundatum, ſeu à nominatiſſimis ac ſanctiſſimis patribus excultum, atque per iſtud imperium à veſtris piæ memoriæ prædeceſſoribus propagatum, & quædam etiam loca ſpecialiùs venerabilia, contra omnem auctoritatem & rationem, ac patrum veſtrorum, ſeu regum præcedentium conſuetudinem, laicorum curæ & poteſtati, in maximo veſtro periculo, & illorum perditione, & Dei ac ſanctorum non modica ad iraſcendum prouocatione, vos commiſiſſe dolemus. Quapropter pro Chriſto deuotiſſimè obſecramus, vt tam magnam offenſam & iuſtam reprehenſionem, atque periculoſam ſine exemplo præcedentium præſumptionem, ab animabus veſtris, & à felicitate regni veſtri pellatis, & loca venerabilia, & habitum ac ordinem ſacrum, eis qui ad hoc vocati ſunt, viris ſcilicet ex clericali & Eccleſiaſtico vel monaſtico ordine religioſis, ſeu & in ſuo ſexu feminis Deo dicatis atque deuotis, & in ſchola Chriſti eruditis, ad cuſtodiendum & prouidendum committatis, qui & quæ Dei ſunt Deo, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari reddant. Qui ſi minùs perfectè & in diuina religione, & in reipublicæ vtilitate profecerint, aut corripiantur, aut meliores & vtiliores in locis eorum ſubſtituantur: & non propter prauorum nequitiam ordo religionis, & loca ſacratiſſima, eis quibus licitum non eſt committantur: cùm manifeſtiſſimè ſcriptura demonſtret Ozam morte damnatum, 2. Reg. 6. 7.
qui arcam Domini quaſi cadentem releuare voluit, quamvel contingere inlicitum ei fuit.

IV. *De rebus Eccleſiaſticis non peruadendis, præter ſubſidium quod exinde offertur reipublicæ.*

Occaſionem etiam & fomitem, vnde ordo Eccleſiaſticus, & canonica forma, atque monaſtica religio, ſæpè à longè ſuperiori tempore, cùm minùs religioſos principes habuit, titubauit, & penè conlabens deperiit, & iterum, cùm deuotos & in Dei zelo feruentes principes accipere meruit, reſurrectione quadam reuixit, & vigorem recepit, atque ſui proceſſus tempore ambulauit, (quod non ſine graui dolore, & metu vltionis diuinæ dicimus,) in veſtri regiminis tempore in deſtructionem, non in ædificationem,
2.Cor.3.10. ſicut Paulus docuerat, accidiſſe conſpicimus. Quod & noſtris peccatis, qui diſpenſatores & paſtores Eccleſiarum eſſe debuimus, veraciter imputamus: & eorum, quorum factione res iſta adeò malè pullulauit & excreuit, alia præcedentia peccata hoc meruiſſe pro certo auctoritate diuina cognoſcimus. vt qui nocebant, ſicut ſcri-
Apoc.22.11. ptum eſt, nocerent adhuc, & qui in ſordibus erant, ſordeſcerent adhuc. vnde Deum grauiùs ad iracundiam prouocarent, & ſanctos, quos interceſſores ſuis peccatis habere debuerant, infenſos haberent, & ſacerdotes ac viros religioſos, ſeu Chriſti pauperes, quos oratores & reconciliatores ſibi de ſuo promereri neceſſe fuerat, proclamatores aduerſum ſe fieri irritarent; & ad cumulum ſuorum peccatorum, etiam illa peccata, vnde in conſpectu Dei rationem in die terribilis iudicij redderent, augerent, quæ illi commiſerunt, qui eadem iſta peccata per interceſſionem fideliſſimarum oblationum deleuerunt, quas Eccleſiaſticarum rerum peruaſores inconſultè, & in perniciem ſuî ſine reuerentia abutuntur. Quod
Oſee 4.8. ita verum eſſe vt dicimus, Dominus proteſtatur dicens: *Peccata populi mei comedunt*. Peccata enim populi comedunt, qui contra auctoritatem diuinam res Eccleſiaſticas indebitè peruadunt, & nec interceſſionis ope, nec prædicationis conſilio, vel quocumque diuino auxilio, pro peccatis eorum qui eas dederunt laborant, nec pio operi, ad quod fides fidelium eas tradiderat, inſeruire permittunt. De quo periculoſo facto vos, Chriſtianiſſimi Principes, venerabiliter admonemus, & deuotiſſimè obſecramus, vt memores ſalutis veſtræ, præſentis ſcilicet & æternæ, memores etiam largitatis progenitorum veſtrorum erga ſanctas Eccleſias, propter quam feliciter regnauerunt, & ſibi contrarios ſuperauerunt: memores ſi-
Geneſ.47. quidem cum quanta religione, etiam ante Chriſti ſanguinem, & in tempore famis in Ægypto, diſcretione ſancti Ioſeph apud nefandum regem Pharaonem terra ſacerdotalis extitit. innumera quo-

que ſcripturarum exempla, vt lacte Eccleſiæ nutriti, & ſcientiæ ipſius vberibus ſufficienter repleti, ante oculos reducentes, tunicam Chriſti, qui vos elegit & exaltauit, quam nec milites auſi fuerunt ſcindere, tempore veſtro quantociùs reconſuite & reſarcite, & nec violenta ablatione, nec inlicitorum præceptorum confirmatione, res ab Eccleſiis vobis ad tuendum & defendendum ac propagandum commiſſas auferre tentate: ſed vt ſanctæ memoriæ auus & pater veſter eas gubernandas vobis fautore Deo dimiſerunt, redintegrate, & præcepta regalia earumdem Eccleſiarum conſeruate ac confirmate. Ne ſicut intentauit Samuel propheta 1.Reg.11.10. ad Roboam filium Salomonis in conſciſſione pallij, præſens regnum, quod abſit, vobis patrum labore adquiſitum, & hereditate relictum, à vobis ipſe Chriſtus diuidat, & æternum regnum quod promiſit non tribuat. Nec contra Dei faciem iratas hominum facies conſideretis: quia ſi ad tempus illis diſplicueritis, cùm vos Deo placebitis, in vobis ille quod promiſit implebit: *Cùm* Prou.16.17. *placuerint*, inquiens, *Domino viæ hominis, omnes inimicos eius conuertet ad pacem.* Quod vt commodiùs valeatis implere, vnuſquiſque vir Eccleſiaſticus & interceſſionis adiutorium, & ſolatij quo res publica indiget ſubſidium, iuxta quantitatem rerum Eccleſiæ ſibi commiſſæ, ſaluo iure quod exinde diuinis diſpenſationibus debet impendi, promptè & ex animo parare, & impigrè, ſicut tempore anteceſſorum veſtrorum conſueuerat, ſtudebit offerre.

V. *Vt locorum religioſorum, quæ laici tenent, curam interim & prouidentiam gerant Epiſcopi.*

Et quia ſancta Eccleſia, in area trituræ Dominicæ docta, quædam nouit redarguenda, quædam diſſimulanda, quædam etiam gemenda vſque ad tempus perferenda, perſpeximus, eo feruentiori zelo quo maiora corrigenda ſunt, veſtram poteſtatem & ſacerdotalis conſilij auctoritatem, quædam ad præſens ex aſſe non valere corrigere. Et ideo de canonicorum Monaſteriis & ſanctimonialium, quæ ſub eadem forma viuere dicuntur, conſiderauimus, ſicut Apoſtolus Paulus dicit, ſecundum indulgentiam, non 1.Cor.7.6. ſecundùm imperium, vt ſi propter imminentem reipublicæ neceſſitatem laicis interim committuntur, Epiſcopi prouidentia, in cuius parochia conſiſtunt, adiuncto ſibi aliquo Abbate viro religioſo, ſtudeatur qualiter reſtauratio locorum, & ſtudium ac cuſtodia officij & religionis, atque ſubſidium temporalis neceſſitatis, in eiſdem locis degentibus, iuxta qualitatem & quantitatem

moderationis, adhibeatur & miniſtretur. Et qui eadem loca tenuerint, eis inde, ſicut & de aliis Chriſtianæ religionis negotiis, pro Chriſti & veſtra reuerentia obediatur. Quòd ſi quis non fecerit, prouiſorum curæ erit, vt ad veſtram hoc notitiam referant, & veſtra dominatio, ſecundum ſibi à Deo commiſſum miniſterium, pro modo culpæ quæ emendanda ſunt corriget. Per loca etiam monaſtica eiuſdem ordinis prouiſores neceſſe erit diſponere, cùm veſtra auctoritas eos, qui vices Chriſti ſecundum regulam diuinitus dictatam in Monaſteriis agant, ſtuduerit ordinare.

VI. *Vt ordo Eccleſiaſticus antiquum vigorem recipiat, iudicium & iuſtitia omnibus reddatur, & pœnitentia de præteritis erroribus agatur.*

Petimus tandem, vt ordo Eccleſiaſticus, in quibuſcumque ei fuerit neceſſe rigorem ſalutis humanæ exerere, per poteſtatem veſtram, & per miniſterium miniſtrorum dominationis veſtræ, ſecundum antiquam conſuetudinem ſuum vigorem recipiat. Et populi generalitas, vnà cum Eccleſiaſtica deuotione, iudicium quod honor regis diligit, & iuſtitiam qua thronus eius firmatur, per diſpoſitionem veſtram ſuſcipiat. ſeu admonitione atque conſilio ſacerdotali veſtra ſublimitas, & quiſque in quolibet ſtatu vel ordine, de rapinis, & ceteris, quæ diſcordiæ malo acciderunt, præteritis erroribus pœnitudinem gerat, & Domini reconciliationem expoſtulet. Quam facilè omnis qui quæſierit inueniet, ſi in loco diſcordiæ plantata fuerit caritas, quæ cooperit multitudinem peccatorum: eúmque potiùs quàm nos in conſilio non noſtro, ſed Dei, attendatis qui dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Luc.10.16. Matth.10.20

CONCILIVM

CONCILIVM VERNENSE II.

CANONES CONCILII IN VERNO PALATIO habiti, vbi præſedit Ebroinus Pictauorum Epiſcopus, & Vvenilo Senonum Archiepiſcopus, necnon & Hludouuicus ſancti Dionyſij Abbas, & Hincmarus pòſt Remorum Epiſcopus, anno v. regni domni noſtri Karoli filij Hludouuici Imp. menſe Decembrio, Indictione VII.

TITVLI CANONVM.

1. Vt cultum Dei rex omnibus præferat, & miſericordiam cum iudicio & iuſtitia conſeruet.

2. Vt mittantur à rege legati, qui ſcelerum patratores & Apoſtolicæ diſciplinæ contemptores coërceant.

3. Vt religioſi & idonei viri dirigantur, qui Monaſteria ſcrutentur in quibus collapſa eſt diſciplina.

4. Vt monachi vagi ad ſua loca reuertantur, & profugi vel eiecti corrigantur. Item de clericis Eccleſiarum ſuarum deſertoribus.

5. De ijs qui ſanctimonialibus illicitè miſcentur.

6. De ſpōſa ab altero rapta, & de pœna raptoris.

7. De ſanctimonialibus, quæ religionis cauſa virilem habitum ſumunt, vel crines adtondent.

8. Vt Epiſcopi qui ad bellum non eunt, homines ſuos alicui ex fidelibus regis committant.

9. Vt Remorum Eccleſia paſtore diu deſtituta quamprimum præficiatur Epiſcopus.

10. Vt in Eccleſia Aurelianenſi ratam rex eſſe permittat ordinationem Agij Epiſcopi.

11. De prælatione Drogonis expectandum videri Epiſcoporum Galliæ Germaniæq; conuentum & conſenſum.

12. Vt Eccleſiis reſtituantur loca & prædia Eccleſiaſtica, quæ laici poſſident.

PRÆFATIO.

GRATIAS omnipotenti Deo referimus, inclyte rex Carole, nos Epiſcopi & ceteri fideles, qui ex diuerſis partibus ad Vernum euocari ſumus, quòd depoſita diſcordia, vnde tot mala proceſſerunt, quæ & enumerare longum eſt, & declinare adhuc impoſſibile, rediſtis ad pacem cum fratribus veſtris, quam & natura vobis & religione deberis. In qua vt ſemper maneatis per Chriſtum, qui pax noſtra eſt, obſecramus, vt qui maximas res veſtras diſcordia penè dilapſas videtis, concordia & fido adiutorio releuatas citò adſpiciatis. Cedendum eſt enim Deo, de quo veriſſimæ continent litteræ: *Poteſtatem habet Excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud.* Dan. 4. 14. & qui dignatione mirabili pollicetur: *Beati pacifici, quo-* Matth. 5. 9.

niam filij Dei vocabuntur. Ceterùm quia eodem Deo inſpirante dignati eſtis iubere, vt de ſtatu Eccleſiæ, qui vehementer magnitudine ac multitudine peccatorum noſtrorum confuſus eſt, tractaremus, in nomine & adiutorio eius, quæ communi deliberatione reperimus, celſitudini veſtræ, ac populi fidelis deuotioni humiliter aperimus. Neque enim nos iuſtos approbare contendimus. Conſideratione conſcientiæ noſtræ illud Hieremiæ ſupplieiter dicamus: *Miſericordia Domini quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius.* Sed ad Deum reuerti, & vos nobiſcum trahere meditantes, officium noſtrum exequimur cunctis acquieſcentibus profuturum. Quippe non vobis noſtra, ſed illius auctoritate loquimur qui ait: *Qui eſt ex Deo, verba Dei audit.* Abſit autem vt in vobis impleatur quod ſequitur: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.*

Thren 3.22. Ioan. 8.47.

CANONES.

I. *Vt cultum Dei rex omnibus præferat, & miſericordiam cum iudicio & iuſtitia conſeruet.*

ITAQVE vos primò conuenimus, vt quia veſtra probitas cunctis vobis poteſt prodeſſe ſubiectis, cultum Dei rebus omnibus præferatis. Namque ipſe dicit: *Qui glorificant me, glorificabo eos: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Præterea miſericordiam & iudicium atque iuſtitiam conſeruetis. Scilicet vt miſericordia temperet ſeueritatem poteſtatis, iudicium comprimat obſtinatè peccantes, iuſtitia merentibus digna reſtituat. Siquidem, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* &, *Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore.* &, *Honor regis iudicium diligit.* &, *Iuſtitia firmari thronum regis* ſapientiſſimi Salomonis, immo per eum loquentis Dei prodit auctoritas. Taliter vobis agentibus, vel incruentam vobis, vt credimus, vel iuſtam de hoſtibus victoriam diuinà gratia prouidebit. Exemplo vobis eſſe poſſunt Dauid & Ezechias, qui merito ſanctitatis inimicos populi Dei vel pugnando, vel orando, mirabili celeritate vicerunt. ſed & domeſticum lumen Imperator Carolus, qui nomen quod familiæ veſtræ peperit clariſſimis actibus adornauit. Nec regni vobis amplitudinem ac ſoliditatem tantummodo, verùm etiam vobis benè gerentibus, poſt vitæ huius excurſum, eadem Dei gratia gloriam largietur æternam, qui rex & propheta ſuſpirans, *Satiabor,* inquit, *cùm apparuerit gloria tua.* Hæc autem veſtræ maieſtati non temere ſuggerimus: quia veſtri quoque cura nobis commiſſa eſt, quorum miniſterio per fidem atque baptiſma mundati, diem tremendi iudicij cum ceteris fidelibus expectatis.

1. Reg. 2.30. Matth. 5.7. Pſal. 105.3. Pſal. 98.4. Prou. 25.5. Pſal. 16.15.

II. *Vt mittantur à rege legati, qui ſcelerum patratores, & Apoſtolicæ diſciplinæ contemptores coërceant.*

Verùm vt ad nos Epiſcopos redeamus, per hanc ciuilem diſcor-

Digitized by Google

diam multa interdum in nobis ipſis, ac aliis nobis commiſſis, neglex imus, interdum negligere coacti ſumus: ita vt in omnibus ordinibus religio magnum detrimentum acceperit, & alij quidem per ignorantiam in interitum tendant, alij verò longa licentia aſſuefacti impune ſe peccare poſſe confidant. Tandem igitur ad propriam & ceterorum correctionem conuerſi, quæſumus vt ſcelerum patratores, & Apoſtolicæ diſciplinæ contemptores, miſſis à latere veſtro probatæ fidei legatis, abſque reſpectu perſonarum, & excæcatione munerum, coërceantur, & otio nobis quantum poſſibile eſt conceſſo, ſermo Dei prędicando fructificet, & canonum reuerenda auctoritas debitum in omnibus vigorem obtineat.

III. *Vt religioſi & idonei viri mittantur, qui Monaſteria ſcrutentur in quibus collapſa eſt diſciplina.*

In locis ſanctis, hoc eſt Monaſteriis, alios ſtudio, nonnullos deſidia, multos neceſſitate victus & veſtimenti à ſua profeſſione deuiare comperimus. Quod petimus vt in omnibus parochiis directi à veſtra manſuetudine religioſi atque idonei viri cum notitia Epiſcoporum ſcrutentur & corrigant, ac ſingulorum locorum ſtatum veſtræ celſitudini, & noſtræ mediocritati, tempore à vobis conſtituendo renuntient.

IV. *Vt monachi vagi ad ſua loca reuertantur, & profugi vel eiecti corrigantur. Item de clericis Eccleſiarum ſuarum deſertoribus.*

Monachos, qui cupiditatis cauſa vagantur, & ſanctæ religionis propoſitum impudenter infamant, ad ſua loca iubemus reuerti, & regulariter Abbatum ſollertia recipi. Eis autem qui poſt euidentem profeſſionem monachicum etiam habitum reliquerunt, vel qui ſua culpa proiiciuntur, niſi redire, & quod Deo ſpoponderunt implere conſentiant, hoc credimus poſſe remedio ſubueniri, ſi in ergaſtulis incluſi tamdiu à conuentu hominum abſtineantur, & pietatis intuitu conuenientibus macerentur operibus, donec ſanitatem correctionis admittant. Namque illi, qui quondam monachi, poſtea relicta ſingularitatis profeſſione ad militiam, vel ad nuptias deuoluuntur, Papæ Leonis decreto publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandi ſunt. Cap. 16. De clericis autem Eccleſiarum ſuarum deſertoribus antiqua forma Calchedonenſis Concilij ſeruanda eſt, quæ præſcribit, Can. 10. vt ſi Epiſcopus ſuſceperit clericum ad alium Epiſcopum pertinentem, & ſuſceptus & ſuſcipiens communione priuetur, donec is qui migrauerat clericus, ad propriam reuertatur Eccleſiam.

V. *De ijs qui ſanctimonialibus illicitè iunguntur.*

Qui ſanctimonialibus illicitè miſcentur, & ſacrilega fœdera cum

eis faciunt nuptiarum, eos Innocentij Papæ cenſura à communione iubet ſuſpendi, & niſi per publicam probatámque pœnitentiam omnino non recipi, aut his certò viaticum de ſæculo tranſeuntibus, ſi tamen pœnituerint, non negari.

VI. *De ſponſa ab altero rapta, & de pœna raptoris.*

Ab altero verò deſponſata, & ab altero rapta puella, ſecundum Can. 10. ſtatuta Ancyrani Concilij, ei à quo deſponſata fuerat reddenda eſt, etiamſi vim à raptore pertulerit. De raptoribus autem id nobis videtur optimum, vt quoniam Eccleſiaſticam excommunicationem parui pendunt, ſæcularium regum terreantur auſteritate.

VII. *De ſanctimonialibus, quæ religionis cauſa virilem habitum ſumunt, vel crines adtondent.*

Si quæ ſanctimoniales cauſa religionis, vt eis falsò videtur, vel virilem habitum ſumunt, vel crines adtondent, quia ignorantia magis quàm ſtudio eas errare putamus, admonendas caſtigandáſque decernimus: ne fortè veteris ac noui inſtrumenti præuarica-Can. 13. trices, iuxta Gangrenſem Synodum, ſeueritate anathematis ab Eccleſiæ corpore præcidantur.

VIII. *Vt Epiſcopi qui ad bellum non eunt, homines ſuos alicui ex fidelibus regis committant.*

Quoniam quoſdam Epiſcoporum ab expeditionis labore corporis defendit imbecillitas, aliis autem veſtra indulgentia cunctis optabilem largitur quietem, præcauendum eſt vtriſque, ne per eorum abſentiam res militaris diſpendium patiatur. Itaque ſi veſtra conſentit ſublimitas, homines ſuos reipublicæ profuturos cuilibet fidelium veſtrorum, quem ſibi vtilem iudicauerint, committant, cuius diligentia, ne ſe ab officio ſubtrahere valeant, obſeruetur.

IX. *Vt Remorum Eccleſiæ paſtore diu deſtitutæ quamprimum præficiatur Epiſcopus.*

Remorum Eccleſiam diu multúmque paſtore deſtitutam, nuper ſpoliatam rebus, oneratam iniuriis, abſque ingenti dolore fateri non poſſumus. Et quia veſtrã ſublimitatem, & noſtram paruitatem eruere deſideramus periculo, obſecramus vt tam fœdè lacerata Eccleſia redintegretur, atque iuxta venerabilium canonum conſtitutionem dignus ei celeriter quæratur Epiſcopus: vt clerus & populus tantis attritus & ſpiritalibus & corporalibus incommodis, conſolatione recepta, cum ſuo Præſule pro veſtra ſalute ac proſperitate communi Domino ſtudeat ſupplicare.

X. *Vt in Eccleſia Aurelianenſi ratam rex eſſe permittat ordinationem Agij Epiſcopi.*

Aurelianenſis etiam Eccleſia confuſione maxima noſcitur labo-

tare. Tamen quia ſuperiore anno Archiepiſcopus Vvenilo, ſuis annitentibus ſuffraganeis, ex eodem loco Agium presbyterum palatij veſtri memoratæ Eccleſiæ ordinauit, probabilium canonicorum ac laicorum atteſtatione inſtructus, & petitione impulſus, & eadem Eccleſia noſtro & veſtro vacat periculo; huius rei alium exitum non videmus, niſi vt veſtra pietas quod à tantis viris factum eſt ratum eſſe permittat.

XI. *De prælatione Drogonis expectandum videri Epiſcoporum Galliæ Germaniæque conuentum & conſenſum.*

De prælatione reuerentiſſimi Drogonis definire aliud non audemus, niſi expectandum, quàm maximus cogi poteſt, Galliæ Germaniæque conuentum, & in eo Metropolitanorum, reliquorúmque Antiſtitum inquirendum eſſe conſenſum, cui reſiſtere nec volumus, nec valemus. Nobis tamen, ſi quid tale alicui committi poteſt, & non alia, quàm quæ prætenditur, latet cauſa, illi potiſſimum conuenire videtur, qui & communione ſacerdotij nobis, & excellentiæ veſtræ propinquitatis priuilegio ſociatur.

XII. *Vt Eccleſiis reſtituantur loca & prædia Eccleſiaſtica, quæ laici poſſident.*

Veniemus nunc ad vltimam partem admonitionis noſtræ, quam qua intentione fundimus, dederit Deus vt vos ac proceres, ceteríque fideles, ea deuotione ſuſcipiatis. Videmus enim iram Dei nobis & vobis imminere, cùm pro rapinis & immanibus aliis ſceleribus, tum etiam maximè, quòd Eccleſiæ facultates, quas reges & reliqui Chriſtiani Deo vouerunt, ad alimentum ſeruorum Dei & pauperum, ad exceptionem hoſpitum, redemptionem captiuorum, atque templorum Dei inſtaurationem, nunc in vſu ſæcularium detinentur. Hinc multi ſerui Dei penuriam cibi & potus ac veſtimentorum patiuntur, pauperes conſuetam eleemoſynam non accipiunt, negleguntur hoſpites, fraudantur captiui, & fama omnium meritò laceratur. Et quidem, ſi hæc à paganis pateretur Eccleſia, patientiam flagitaret. Nunc autem oppreſſi à filiis noſtris, hoc eſt ab his, quos vel nos, vel deceſſores noſtri in Chriſto genuimus, Chriſtianos eos noſtro miniſterio facientes, nullam patientiæ conſolationem recipimus. quoniam de illorum interitu formidamus. Certè quod nullus quamquam impudentiſſimus negare audebit, poſſeſſio Eccleſiæ votum eſt fidelium, patrimonium pauperum, redemptio animarum. Votum ergo alterius quomodo quiſquam Deo audet auferre? hereditatem pauperum qua temeritate præſumit inuadere? vnde alij ſuas animas redemerunt, cur inde alij ſuas perdunt? Itaque quædam loca venerabilia, quod nunquam antea auditum eſt, laici ex integro poſſident,

Digitized by Google

quorundam partem ſibi vindicant, quorundam prędia multipliciter
Gen 47. 20. 22. diuiſa in hereditatem ſibi dari fecerunt. Ægyptij ſacerdotes, famis
neceſſitate ceteris cuncta vendentibus, ſuas poſſeſſiones retinuerũt,
& falſi dij reuerentiam à ſuis cultoribus meruerunt, quã in hac parte
2 Reg. 6. ſolus & verus Deus non obtinet. Oza percuſſus eſt propterea quòd
nutantem arcam ſubleuare præſumpſit, quam tangere nefas erat.
Rideat hoc aliquis, niſi, quod ſummo dolore dicimus, quidam op-
preſſores Eccleſiæ dignum ſuis moribus exitum noſtro etiam tem-
Pſal. 82. 13. 14. pore inuenerunt. Propheta clamat, *Qui dixerunt hereditate poſſidea-
mus ſanctuarium Dei, Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam*
Matth. 16. 26. *ante faciem venti.* Poſtremò ipſe Dominus Iesvs conditor & redem-
ptor, *Quid proficit homo, ſi lucretur vniuerſum mundum, ſe autẽ ipſum
perdat, & detrimentum ſui faciat?* Et quiſquam tam audax & deſpe-
ratus inuenitur, qui poſſeſſiones Dei ad certiſſimam perniciem ſuam
occupet & inuadat? O fideles Deo & vobis ipſis, nolite pro temporali
abundantia diuitiarum mereri ſempiternam cõgeriem miſeriarum:
nec vltrà decus animæ veſtræ tam peſtifero, tam inaudito, tam deni-
que certo ſacrilegio polluatis. Reddite Deo ſua, vt veſtra cum pace
poſſideatis, tormenta euadatis æterna, & poſtmodum ad gaudium
Domini noſtri vt ſerui fideles intromittamini. Sæculares honores ſę-
culares poſſideant, Eccleſiaſticos Eccleſiaſtici ſortiantur. Nec nos in-
ſatiabilis cupiditatis arguatis, quia qualeſcumque ſimus, vera nos di-
cere nec ipſi neſcitis: & licet pauci, ſunt tamen aliqui noſtrûm Deum
Pſal. 144. 19. timentes, qui iuxta illud propheticum exaudiantur: *Voluntatem ti-
mentium ſe faciet, & deprecationem eorũ exaudiet.* quia omnium finis
quotidie appropinquat, & quæ videtur temporalia ſunt, quæ autem
non videntur æterna. Si volumus euadere præſentes calamitates &
futuras euitare miſerias, in cõmune à noſtris prauitatibus ad Domi-
num conuertamur, & declinantes à malo faciamus bonum, vt bona
Domini mereamur videre in terra viuentium. Tu autem, clariſſime
1. Cor. 15. 33. rex, quia veriſſimè ſcriptum eſt: *Corrumpunt mores bonos colloquia
mala*, fuge peruerſorum conſortia & conſilia, nec à te quiſquam pe-
tere audeat quod maieſtatem tuam præſtare non deceat. Nec timeas
iratos homines, hoc eſt terram & cinerem, ampliùs quàm Deum qui
te creauit, quíque in veritate iudicabit. Cuius voluntatem ſi perfectè
ſecutus fueris, credimus quòd quorumlibet hominum te cõtumacia
liberabit, & omnibus anguſtiis clementer eripiet, ac poſt hoc tempo-
rale regnum ad perpetuum cumulata felicitate perducet. In fine om-
nes alloquimur, quòd ſi noſtris ſalutaribus adquieueritis conſiliis,
veſtro profectui plurimum congratulabimur. Sin autem nos, immo
Deum per nos loquentem contempſeritis, neceſſitate implendi mi-
niſterij quod nollemus facere compellemur.

ANNO CHRISTI 845. CAROLI CALVI REGIS 6.

CONCILIVM BELVACENCE.

HÆC CAPITVLA QVÆ SEQVVNTVR FACTA SVNT in Synodo habita apud Beluacum ciuitatem anno DCCCXLV. menſe Aprilio, anno VI. regni domini Karoli, Indictione VII. Quæ collata ſunt inter eumdem Principem domnum Karolum & Epiſcopos regni ſui: & eadem iſdem Princeps glorioſus Deo teſte ſub fidei ſuæ adſtipulatione ſe ſeruaturũ promiſit erga omnes Eccleſias & Epiſcopos regni ſui. Quæ ad vicem omnium Epiſcoporum ſui principatus, qui erant, quique futuri erant, de manu horum Epiſcoporum conſeruanda ſuſcepit. id eſt Vvenilonis, Erchanradi, Immonis, Rothadi, Symeonis, Lupi, Ragenarij, Heliæ, Erpoini, Aij, Hincmari presbyteri & vocati Archiepiſcopi.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. Vt conſeruetur ius Eccleſiaſticum.
2. Vt Epiſcopi ſine cauſa non dehonorentur.
3. Vt res Eccleſiis ablata reſtituantur.
4. Vt pracepta illicita de rebus Eccleſia reſcindantur.
5. Vt iniuſta conſuetudines ab Eccleſia non exigantur.
6. Vt Eccleſia contra oppreſſores defendantur.
7. Vt pracepta Eccleſiis data firmentur.
8. Vt ſi quid inuicem peccetur, mutuo conſilio corrigatur.

CAP. I. *Vt conſeruetur ius Eccleſiaſticum.*

VT ius Eccleſiaſticum & legem canonicam nobis ita conſeruetis, ſicut anteceſſores veſtri, qui hoc bene & rationabiliter obſeruauerunt, iuxta quod ſciri poterit, & Deus vobis poſſe dederit, noſtris prædeceſſoribus conſeruauerunt.

II. *Vt Epiſcopi ſine cauſa non dehonorentur.*

Quòd in mea perſona, nec in meo ordine, niſi fortè quod abſit inantea contra Deum, & contra vos manifeſtè fecero, vt damnari canonicè debeam, aduerſum me & meum ordinem ita damnabiliter non faciatis, pro quacumque præterita cauſa, vt mihi dehonoratio aut damnatio veniat.

III. *Vt res Eccleſiis ablata reſtituantur.*

Quòd res ad Eccleſiam mihi commiſſam pertinentes, & tempore principatus veſtri ablatas, ita præſentaliter reſtituatis, & reſtitutas conſeruetis, ſicut tempore aui & patris veſtri fuerunt: & excepto ſuperpoſito, quod in vſus poſſidentium vel ex ædificiis abſumptum eſt, quomodo tunc erant, quantum ad hoc quod res vſitato nonunc appellamus conſtat, quando vos inde illas tuliſtis.

IV. *Vt pracepta illicita de rebus Eccleſia reſcindantur.*

Vt præcepta inlicita de rebus Eccleſiæ mihi commiſſæ à vobis facta reſcindantur, & vt de cetero ne fiant caueatis.

V. *Vt iniuſta conſuetudines ab Eccleſia non exigantur.*

Vt ab Eccleſia mihi commiſſa indebitas conſuetudines, & iniuſtas

exactiones de cerero non exacteris: ſed ſic eas conſeruetis, ſicur tempore aui & parris veſtri conſeruaræ fuerunr.

VI. *Vt Eccleſiæ contra oppreſſores defendantur.*

Vt contra deprædatores & oppreſſores Eccleſiarum noſtrarum, & rerum ad eaſdem pertinentium, defenſionem ſecundum miniſterium veſtrum, quanrum poſſe vobis Deus dederir, exhibearis.

VII. *Vt præcepta Eccleſiis conceſſa firmentur.*

Vr præcepra, quæ auus & pater veſter Eccleſiis nobis commiſſis fecerunr & firmauerunt, & ſtabilira conſeruauerunr, quæ etiam vos confirmaſtis, de cerero rata conſeruetis.

VIII. *Vt ſi quid inuicem peccetur, mutuo conſilio corrigatur.*

Vt ſi vos conrra hæc Capitula, aur nos, quod abſit, non malitia, nec peruerſo ſtudio, ſed aur per humanam fragilirarem, aut per ignoranriam, vel per ſubreptionem, non damnabilirer contra vos egerimus, muruo hoc conſilio corrigamus, & firmata deinceps conuenientia maneat.

HINCMARVS IN SYNODO BELVACENSI ECCLESIÆ Remenſis ordinatur Epiſcopus.

QVOD *in Synodo Vernenſi cap.* IX. *poſtulatum à Carolo rege fuerat, vt Eccleſia Remenſi, quæ toto iam decennio poſt eiectum Ebbonem paſtore carebat, primo quoque tempore deſignaretur Epiſcopus, in Concilio mox Beluacenſi rege annuente perfectum eſt. Obtinuerũt enim qui ad Concilium conuenerant, prouinciæ Remenſis Epiſcopi, vt ordinaretur Hincmarus ſancti Dionyſij monachus. Qua de re ſcribens Flodoardus lib.* III. *Hiſtoriæ cap.* 5. Anno, *inquit*, Dominicæ Incarnationis DCCCXLV. Carolus Synodum Epiſcoporum regni ſui apud Bellouacum ciuitarem Remẽſis prouinciæ conuocauir. Vbi inter cetera Eccleſiæ regnóquê negotia neceſſaria, de Remenſis Eccleſiæ deſolarione, quæ Fulcone preſbyrero illam diu renenre, & Nothone ſibi in ea ſuccedente, tanto vacare paſtore videbatur temporé, cum eiſdem Epiſcopis cœpit rractare. Qui ſicuri videranr, vel audieranr, depoſitionem narrantes Ebbonis, & auctorirarem ſanctorum parrum pro huiuſmodi negoriis ad memoriam reuocantes, cogenre neceſſirate, arq; ſuadenre auctoritate, communi decreuerunr conſenſu, quo randem poſt decennium depoſirionis Ebbonis, in Eccleſia eadẽ ordinaretur Epiſcopus. Igirur à clero & plebe ipſius Merropolis, necnon ab Epiſcopis eiuſdem prouinciæ, Archiepiſcopo Senonenſis Eccleſiæ Vvenilone, arque Ercanrado Pariſiorum Epiſcopo annuente, cum conſenſu Abbatis ſui, & fratrum Monaſterij S. Dionyſij, in quo degebat, fauenre quoque Carolo rege, Hincmarus electus eſt. Sícque decrero peracto, eligenriúmque manibus roboraro, Eccleſiæ Remenſi ordinatur Epiſcopus.

CONCILIVM

CONCILIVM MELDENSE.

IN QVO PRÆFIXIS RECENTIVM ALIQVOT Synodorum decretis, alia ſimul ad redintegrandum Eccleſiæ ſtatum, & ad Principis ac Reipublicæ ſalutem, prolata ſunt Capitula. In Meldenſi Eccleſia celebratum die XV. Kalendas Iulias, Indictione VIII. anno Chriſti DCCCXLV. Sergij II. Papæ, anno II. Caroli Calui Regis anno VI. ſuccreſcente.

TITVLI CANONVM.

Ex conuentu in villa Colonia.

1. *De honore cultúque Dei, atque Eccleſiarum, & ſeruorum Dei veneratione.*
2. *Vt honor & poteſtas regia inconuulſa permaneat.*
3. *De iuſtitiis vnicuique ſecundum legem ſuam faciendis.*
4. *Vt nemo quicquam regi contra iuſtitiæ rationem ſuggerat.*
5. *Vt ſi quid regi ſubreptum eſt, fideliter admoneatur.*
6. *De ys qui initũ concordiæ fœdus irruperint.*

Ex Synodo apud Theodonis villam.

7. *Vt principes mutuam inter ſe caritatem & concordiam habere ſtudeant.*
8. *Vt Epiſcopi in viduatis ſedibus ordinentur.*
9. *Vt Monaſteria laicis conceſſa religioſis deinceps viris ſeu feminis committantur.*
10. *De abuſibus quos laici Monaſteria regentes præſumebant.*
11. *De rebus Eccleſiaſticis non peruadendis.*
12. *Vt ordo Eccleſiaſticus antiquum vigorem recipiat, iudicium & iuſtitia omnibus reddatur, & de præteritis erroribus pænitentia agatur.*

Ex Synodo apud Lauriacum.

13. *De eo qui Eccleſiaſticam auctoritatem contemnit.*
14. *De eo qui contra regiam dignitatem egiſſe comprobatur.*
15. *De eo qui poteſtati regiæ non obtemperat.*
16. *De eo qui aduerſus hæc Capitula præuaricatur.*

Ex Synodo apud Beluacum.

17. *Vt res Eccleſiis ablatæ reſtituantur.*
18. *Vt præcepta illicita de rebus Eccleſiaſticis reſcindantur.*
19. *Vt iniuſtæ conſuetudines ab Eccleſia non exigantur.*
20. *Vt Miſſi dirigantur, qui inquirant quæ ad regem & remp. pertinent.*
21. *De precariis & commutationibus vacante ſede factis.*
22. *De precariis quomodo fieri ac renouari debeant, & de præceptis regalibus.*
23. *De commutationibus rerum Eccleſiaſticarũ.*
24. *Vt Eccleſia contra oppreſſores defendantur.*

In Synodo Meldenſi acta.

25. *Quòd domus Epiſcopi rectè ordinari & componi debeat.*
26. *Vt domum Epiſcopi feminæ non frequentent, nec in ea reges aut principes ſæculares diu verſentur.*
27. *Vt ciuitates per regis tranſitum non deprædentur.*
28. *Vt Epiſcopis libertas à rege ad obeunda miniſteria concedatur, & Epiſcopi conceſſo ſibi otio non abutantur.*
29. *Vt Epiſcopi plebes ſibi creditas ipſimet viſitent.*

30. Vt à minore Eccleſia ad potiorem nemo adſpiret.

31. Vt Metropolitanis reuerentiam exhibeant Epiſcopi prouinciæ.

32. Vt principes Synodos prouinciales ſuis temporibus fieri permittant.

33. De Epiſcopis qui ad Synodos vocati non veniunt.

34. Vt canonum ſtatuta omnes cuſtodiant, & vocum nouitates in exponendis ſcripturis, aliiſve non præſumant.

35. Vt habere ſtudeat Epiſcopus, qui presbyteros plebium aſſiduè inſtruat & informet.

36. Vt presbyteri apud Eccleſias ſuas habitent, & mulierum frequentationem deuitent.

37. Vt clerici arma militaria non contingant.

38. Vt nullus deinceps Epiſcopus ſuper ſacra iuret.

39. Quòd deteſtanda ſint periuria.

40. De hoſpitalibus Scotorum, & aliis ad nihilum redactis.

41. De Monaſteriis euerſis, & in allodiũ datis.

42. Vt Miſſi dirigantur, qui res Eccleſiaſticas in allodium datas inquirant.

43. Vt per Simoniacam hæreſim nemo regimen obtineat.

44. Vt Chorepiſcopus vltra modum ſuum nihil præſumat.

45. Ne pro chriſmate pretium exigatur, & de eulogiis quæ à presbyteris offeruntur.

46. Vt ſacrum chriſma niſi in cœna Dominica non fiat.

47. Quomodo prouidendum ſit Eccleſia cuius Epiſcopus infirmus eſt.

48. Vt presbyteri excepta ægritudine non baptizent extra loca & tempora conſtituta.

49. Vt laici presbyteros ſuos villicationi, & aliis ſecularibus negotiis non implicent, nec aliorſum ducant.

50. Vt clerici alterius parochiæ ſine formata non recipiantur, & criminati ab omnibus excludantur.

51. Vt clerici qui cum ſenioribus ſuis ex aliis prouinciis veniunt, non miniſtrent, nec ordinentur ſiue litteris Epiſcopi ſui.

52. Vt nullus ordinetur, niſi certo in clero per anni ſpatium conuerſationem ſuam probarit.

53. De canonicorum in ciuitate vel Monaſteriis cura & diſciplina.

54. Vt titulos cardinales in vrbibus & ſuburbiis conſtitutos Epiſcopi penitus ordinent & diſponant.

55. Vt Epiſcopi vſuras omnino compeſcere ſtudeant.

56. Vt Epiſcopus ſine certa cauſa nullum excommunicet, nec anathema imponat ſine Archiepiſcopi, & comprouincialium Epiſcoporum conſenſu.

57. Vt monachi palatium ſine Epiſcopi auctoritate non adeant, nec vagentur, nec villicationibus diutiùs inſeruiant.

58. Vt canonicos ſine Epiſcopi conſenſu in ſeruitium ſuum rex non recipiat.

59. Vt monachus de Monaſterio ſine Epiſcopi conſultu non eiiciatur.

60. Vt qui ſacra loca infringunt, & prædantur, tamquam ſacrilegi puniantur.

61. Vt peruaſores rerum Eccleſiaſticarum publicæ pœnitentiæ ſubiiciantur.

62. Vt qui nonas & decimas perſoluere, aut ſarta tecta reſtaurare negligunt, excommunicentur.

63. Vt de manſo Eccleſiæ, aliiſve, indebitus cenſus à presbyteris non exigatur.

64. De raptoribus virginum & viduarum, qui eas conſenſu parentum poſtea duxerunt.

65. De raptoribus virginum & viduarum, qui nondũ eas ex voluntate parentũ duxerunt.

66. Vt qui deinceps virgines vel viduas rapere præſumpſerint, excommunicentur.

67. De iis qui ſanctimoniales rapiunt, & in coniugium ſumunt.

68. De iis qui alienas ſponſas rapiunt.

69. De eo qui viuente marito coniugem illius adulterauit, & illo mortuo ſumpſit.

70. De iis quæ ſub velamine religionis, quaſi ſanctimoniales degunt, & voluptatibus inſeruire dicuntur.

71. Vt auctoritatem regiam penes ſe habeant Epiſcopi, quæ miniſtros reipublicæ, ſi eorum indiguerint adiutorio, conueniant.

72. De ſepulturis infra Eccleſiam, & de ſepulcris non violandis, vel pecunia pro ſepultura non exigenda.

73. Vt erga Iudæos antiqua canonum & legum iura ſeruentur.

74. Vt potẽtes viri ac feminæ prouideant, ne in ſuis domibus vigeãt adulteria & libĩdines.

75. Vt Capellæ villarum regiarum non committantur laicis, ſed Eccleſiaſticis, & de Dominicis decimis.

76. Vt Comites ſeu Iudices placitum aut mallum non teneant poſt quartam feriam in capite ieiunij.

77. Vt feriati ſint octo dies Paſchalis feſtiuitates.

78. Vt Capitula à Karolo magno Imp. & à Ludouico Auguſto promulgata obſeruari præcipiantur.

79. Vt qui hæc ſtatuta Epiſcopalia & regalia violarit, ſi clericus eſt, gradum amittat, ſi ſæcularis, honore ſuo priuetur.

80. Concluſio ad regem, vt Capitula, quæ ipſe decreuit, & manu ſua firmauit, re ipſa conſeruet.

PRÆFATIO.

QVIA generis humani fragilitas pronior dilabatur ad corrigenda, quàm ſtudeat conſeruare correcta, & diuina teſtantur oracula, & conſuetudine monſtratur quotidiana, quia etiam virtutes faciliùs queant plantari, quàm vitia poſſint eradicari, & ager dumoſus ruricolarum vſu atque labore ad cultum fertilem perductus oſtendit, & propheta ſacerdotalem geſtans perſonam, Domino loquente, præmonſtrat dicens:
Ego conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna, vt euellas & deſtruas, & diſſi- Hier.1.10.
pes & diſperdas, & ædifices & plantes. Quatuor enim priùs ponens ad deſtruendum praua, & duo poſtmodum ad ſtatuendum recta, oſtendit quid falce ſacerdotali duriùs valeat & ſæpiùs debeat recidi. Quicquid terrena poteſtate vel cupiditate, ignorantia ſeu fragilitate, ſtudio ac ſubreptione peruerſum in Eccleſia, aut in humana conuerſatione pullulauerit, recidendum. Sacerdotum eſt enim, diuina populo dare mandata, & referre reſpon-
ſa: quia in rationali pectoris Aaron erant doctrina & veritas. Et ſacerdo- Exod.28.30.
talis chorus os Domini appellatur, ſicut ſcriptum eſt: *Si ſeparaueris pretio-* Hier.15.19.
ſum à vili, quaſi os meum eris. Cui etiam dictum eſt: *Tu autem annuntiabis eis,* Ezech.3.17.
quin populis vniuerſis, *ex me.* &, *legem requirent ex ore ſacerdotis, quia Ange-* Malac.2.7.
lus Domini exercituum eſt. Et multa alia his ſimilia, quæ vera Chriſtianitas plus iam penè credendo & venerando, quàm audiendo vel diſcendo cognoſcit. Sacerdotum eſt etiam, imminentem gladium, quæ eſt animaduerſio diuini furoris atque iudicij, populis nuntiare. eorum eſt nihilominus, verbi gladio, acutiore omni gladio ancipiti, qui penetrat vſquè ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque & medullarum, atque cogitationum & intentionum cordis, in vnoquoque Eccleſiæ filio praua reſecare à rectis, prauóſque in omni Eccleſia, ſi ita res popoſcerit, vt ſæculi iudices & iudicij diuini præcones, ſegregare de rectis. Quia nulli qui ſanum ſapit eſt dubium, ita Dominum omnia moderaſſe, vt clauibus Eccleſiæ datis aditus ad vitam claudi debeat, vel reſerari: & quicquid ordine ordinato à ſacerdotibus in Eccleſia geritur, per gratiam ſancti Spiritus ab illo geratur, qui quod eis promiſit nullatenus pro quocumque in quocumque di-
miſit: *Ecce ego,* inquiens, *vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Quod Matth.28.20.
certiſſimè cognoſcentes Domini ſacerdotes, & ſubtili examine perpendentes, quia eorum erat ad omnem actionem populi, vt Dominus per Moſem præceperat, tubis clangere, id eſt manifeſtiſſima prædicatione voluntatem Domini inſonare; poſtquam ab ipſis piæ memoriæ Ludouici diuini Auguſti temporibus, Eccleſia diuerſis & aduerſis cœperat vexationibus fatigari, in qua, vt propheta longè multo antè defleuerat, à planta pedis vſ- Eſa.1.6.
que ad verticem non erat, immo nec eſt deſiderabilis ſanitas, crebris monitionibus ſuam, principum quoque & potentum, ac pauperum, totiúſque Eccleſiæ clamantes neceſſitatem, vocem correctionis dederunt, ſi fortè vel
ipſa vexatio, vt ſcriptum eſt, intellectum daret auditui. Hoc verbis, hoc Eſa.28.19.
ſcriptis, hoc publicis, hoc priuatis ſuaſionibus, hoc ſpecialibus, hoc generalibus egerunt, pro Chriſto legatione fungentes, petitionibus: hoc etiam dicta Dominica proponentes, hoc propheticis & Apoſtolicis oraculis con-

teſtantes: hoc veterum ſtatuta præ oculis demonſtrantes: hoc capitulari & petitoria ſuggeſtione ſæpius & principes, & reipubl. potentes atque miniſtros ex diuina inſinuatione & voce blandè ac terribiliter, quia ita diuerſi rerum euentus exegerant, monuerunt. Et vt de multis quædam ad memoriam reducamus, ita egerunt ſcriptis quæ conſtant. Quorum vnum eſt ex Synodo in pago Andegauenſi habita, in villa quæ dicitur Lautiacus. Aliud in reuerſione glorioſi Regis ac domini noſtri Caroli à Redonis ciuitate: quod idem inclytus princeps, & ceteri quíque tam Eccleſiaſtici, quámque ex laicali ordine, qui adfuerunt viri manu propria firmauerunt. Tertium in generali Synodo apud Theodonis villam generaliter actum, & generali conteſtatione propalatum. Quartum ex conuenientia in prædicto conuentu cœptum, & in Verno palatio perpetratum: ſed inuidia ac malitia Diaboli, ſeu miniſtrorum eius, nondum principis & populi auribus prolatum. Inde verò, quia ſicut neceſſe fuerat diuinis iuſſionibus non eſt ſecuta obedientia, dedit Dominus ab Aquilone, vnde, iuxta prophetam, pandetur omne malum, dignos meritis noſtris Apoſtolos, crudeles ſcilicet & immaniſſimos Chriſtianitatis perſecutores Nortmannos, qui vſque Pariſios venientes, quod iuſſit Dominus monſtrauerunt. quorum actus Domini ſacerdotes, vt præuenerant ex ore Domini, ſermone ſunt etiam ſubſecuti. Sed & inde Beluacum ciuitatem venientes, quæ ex Domini voluntate cognouerant, & verbo & ſcripto nullatenus ſiluerunt. Tandem autem graſſante iniquitate, & elongante ſe optata atque optabili pace, non ſolùm à medio noſtrî, verùm quod eſt lugubrius à finibus noſtris: perſpicientes etiam diuinam miſericordiam, quæ potiſſimum in tribulatione ſuis fidelibus conſueuerat ſemper adeſſe, tot miſerorum gemitus, tantáſque lacrymas, & penè intolerabiles, & in hac regni dumtaxat parte inauditas afflictiones & horribiles calamitates ſurda, ſi dici fas eſt, aure iuſto iudicio præterire: Ob hoc iuſtæ indignationis diuinæ complangendum ſupplicium, & Eccleſiæ Chriſti deuoto pectore tractandum negotium, Præſulum quoque & ſequentis cleri correctionem, & regis ac regni ſalubritatem atque ſtabilitatem, & populi auctore & fautore Domino procurandam ſalutem, venerabiles Epiſcopi, Vvenilo videlicet Senonicæ ſedis Archiepiſcopus cum Suffraganeis ſuis, Hincmarus quoque ſanctæ Metropolis Eccleſiæ Remorum Epiſcopus cum Coepiſcopis ſuis, & Rodulfus Bituricæ ciuitatis Archiepiſcopus, cæteris etiam Domini ſacerdotibus legatis vel ſcriptis ſuam præſentiam exhibentibus, in Meldenſem Eccleſiam de ſuis ciuitatibus conuenerunt, ibíque ſecundum Synodalis ordinis cenſuram reſidentes, anno Dominicæ Incarnationis DCCCXLV. piíque Regis Caroli ſuccreſcente feliciter VI. cuius conſenſu ſub diuino nutu illuc conuentum eſt, XV. Kalendas Iulij, quia occaſiones duriſſimæ iam annis præcedentibus Synodalia tempora religioni abripientes ſibi indebitè ſubripuerant: poſt compaſſionis fraternæ, & communis miſeriæ luctum ſtatuerunt primò aliqua ex his, quæ nuper ab eodem deuotiſſimo Principe, vnà cum ſacro Eccleſiaſtico ordine, & illuſtrium virorum nobilitate decreta ſunt, ita vt conſtituta fuerunt præfigere: vel quæ ab ipſis ac ceteris Chriſti vicariis, ex diuina auctoritate, ad ſtatum ſanctæ Eccleſiæ redintegrandum, ad Principis, & Reipublicæ, & ſubſequentis Chriſtianitatis ſalutem ſunt

Hier. 1. 14.

prolata Capitula, recenti memoriæ, & auditui atque adſpectui ſalubriter Chriſto propitio præſcribere. & tunc quæ ſancti Spiritus gratia miniſtrauerit, & Patrum conſtitutio roborarat, deuotis mentibus intimare. Quia quæ bene inuenta & ſemel ſtatuta ſunt, obſeruatione indigent, vt ex veſtigiis præcedentium didicimus, non retractatione. Nec ſolùm ſtudendum eſt noua cudere, ſed & vetera conſeruare. Quia etiam mox poſt abſolutam Synodum, nec admonitionis Epiſcopalis congruentia, variis euentibus præpedita, potuit ſubſequi, nec monitionis efficacia promereti, prædicti venerabiles Epiſcopi, vnà cum æquè venerabili Guntboldo Rotomagenſi Archiepiſcopo ac Coepiſcopis ſuis, conſenſu ſupraſcripti glorioſiſſimi regis Caroli, anno Incarnationis Dominicæ DCCCXLVI. XVI. Kalendas Martias Pariſius conuenerunt, & cœptum diuinum negotium pertractantes, vt ad perfectionem debitam propitiante Domino perduceretur ſatagere ſtuduerunt. Sicque per ſeptiformis Spiritus ſancti virtutem nos omnes, licet indigni, Chriſti tamen vicarij, & Apoſtolorum ipſius ſucceſſores, omnem hominem ecce iam non modò ſepties, verùm & octies, intuitu meriti ſtabulario repromiſſi: *Quod ſupererogaueris*, inquit, *cùm rediero reddam tibi*, conuenientes, vt vel nunc in hac octaua, quæ reſurrectionem prætendit, conuentione à mortuis operibus communiter reſurgamus, conſilium Dei, iuxta Pauli vocem, adnuntiamus, & mundos nos à ſanguine audientium exhibemus. Indéque non obedientibus, quam non optamus, iram & indignationem ac tribulationem, ſicut idem ſanctus Apoſtolus docuerat, denuntiamus: omni autem obedienti, & operanti bonum, ac perſeueranti in bono, Chriſti Domini noſtri voce promittimus, quam & depoſcimus, gloriam, & incorruptionem, & vitam æternam, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Luc.10.35. Act.20.26.27 Rom.2.8.9.

CANONES.

Capitula ex conventu habito in villa quæ dicitur Colonia, conſenſu Principis, & Epiſcoporum, ac ceterorum fidelium prolata & confirmata, & ab omnibus Dei fidelibus neceſſariò obſeruanda.

I. *De honore cultúque Dei, & de Eccleſiarum ac ſeruorum Dei veneratione.*

De honore videlicet & cultu Dei atque ſanctarum Eccleſiarum, quę auctore Deo ſub ditione & tuitione regiminis noſtri conſiſtunt, communiter Domino mediante decernimus, vt ſicut tempore beatæ recordationis domni ac genitoris noſtri excultæ, honoratæ, atque rebus ampliatæ fuerunt, ita permaneant: & quæ à noſtra liberalitate honorantur atque ditantur, de cætero ſub integritate ſui ſeruentur. & ſacerdotes ac ſerui Dei vigorem Eccleſiaſticum & debita priuilegia, iuxta venerandam auctoritatem obtineant. Eiſdem verò regalis poteſtas, & illuſtrium virorum ſtrenuitas, ſeu Reipubl. adminiſtratores, vt ſuum miniſterium competenter exequivaleant, in omnibus rationabiliter & iuſtè concurrant.

II. *Vt honor & poteſtas regia inconuulſa permaneat.*

Honor etiam regius & poteſtas regali dignitati competens, atque ſynceritas & obtemperantia ſeniori debita, remota omni ſocordia & calliditate, ſeu qualibet indebita quorumcumque coniunctione contra honorem & poteſtatem atque ſalutem noſtram, ſiue regni noſtri ſoliditatem, nobis in omnibus & ab omnibus, ſicut tempore anteceſſorum noſtrorum conuenerat, exhibeatur. Et ſi quis quemcumque contra nos, & contra hanc pactam ſynceritatem, aliquid moliri manifeſtè cognouerit, ſi eum conuertere nequiuerit, apertè prodat atque denotet; & ſic conſilio atque auxilio Epiſcopalis auctoritas & fidelium vnanimitas, vt honor & poteſtas regia inconuulſa permaneat, totis niſibus decertare & adiuuare procuret.

III. *De iuſtitiis vnicuique ſecundum legem ſuam faciendis.*

Quia verò debitum eſſe cognoſcimus, vt à quibus honorem ſuſcipimus, eos iuxta edictum Dominicum honoremus, volumus vt omnes fideles noſtri certiſſimum teneant, neminem cuiuſlibet ordinis aut dignitatis deinceps noſtro inconuenienti libitu, aut alterius calliditate, vel iniuſta cupiditate, promerito honore debere priuari, niſi iuſtitiæ iudicio & ratione atque æquitate dictante. Legem verò vnicuique competentem, ſicut anteceſſores ſui tempore noſtrorum prædeceſſorum habuerunt, in omni dignitate & ordine, fauente Domino, noſtram magnificentiam obſeruaturam promittimus.

IV. *Vt nemo quicquam regi contra iuſtitiæ rationem ſuggerat.*

Quod vt faciliùs atque obnixiùs veſtra auctoritas valeat obſeruare, omnes, ſicut in veſtra bene memorabili conuenientia pepigiſtis, conſeruare ſtudebitis, immo etiam cuncti in poſtmodum ſollicitè præcauebunt, ne aliquis pro quacumque priuata commoditate, aut reiicienda cupiditate, ſiue alicuius conſanguinitatis, vel familiaritatis, ſeu amicitiæ coniunctione, nobis immoderatiùs ſuggerat, vel poſtulationibus, aut quolibet modo illiciat, vt contra iuſtitiæ rationem, & noſtri nominis dignitatem ac regiminis æquitatem agamus.

V. *Vt ſi quid regi ſubreptum eſt, fideliter admoneatur.*

Et ſi fortè ſubreptum nobis quippiam vt homini fuerit, competenter & fideliter, prout ſublimitati regiæ conuenit, & neceſſitatibus ſubiectorum expedit, vt hoc rationabiliter corrigatur, veſtra fidelis deuotio admonere curabit.

VI. *De iis qui initum concordiæ fœdus irruperint.*

Tandem autem viſum eſt nobis adnectere, vt ſi quis hoc fœdus concordiæ ſalubris, quod propter pacis caritatiſque concordiam iniuimus, & chirographi virtute ſubſcripſimus, rebelli atque animo pertinaci irruperit, Chriſtiana dilectione admoneatur, vt ad inconuulſum veritatis vinculum conſeruandum, quod qui tentauerit irrumpere, faciliùs poterit ſeipſum diſrumpere, quàm illud poſſit irrumpere, iuxta monita diuina vt reſipiſcat hortetur. & ſi audierit, fiat de ſocietate fideli omnibus gaudium: ſi verò obaudire renuerit, tunc pontificalis auctoritas, & regalis ſublimitas, atque in caritatis connexione perſiſtentium magnanimitas, ſecundum quod res & neceſſitas poſtulauerit, ac ratio expetiuerit, ſeu qualitati perſonæ conuenerit, zelum ſuæ deuotionis feruentiſſimè exerat, & quod inſpirante Deo agendum in omnem ſalutis, & vtilitatis, atque honeſtatis partem iudicauerit, irrefragabiliter peragat.

Ex Capitulis vero in Synodo apud Theodonis villam habitis quædam monenda ſubiungemus: quædam autem pro tempore tunc dicenda, nunc breuitati ſtudentes recidimus: quædam etiam, neceſſitati conſulentes, & ordini prouidentes, patrum ſequentes conſuetudinem interpoſuimus, ita ab Epiſcopis prolata principum & ceterorum fidelium ſaluti.

VII. *Vt principes mutuam inter ſe caritatem & concordiam habere ſtudeant.*

Videtur nobis, ſi fideliter vultis regnare, & vigorem regium ac ſeniorale & ſuper veſtros, & ſuper impugnãtes poteſtatem veſtram, optatis habere, caritatem illam, quam Apoſtolus docuit, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, cum fratribus veſtris ſtudere habere, & quia ſic habeatis, & fidelibus & infidelibus omni virtute & puritate, quantum Deus dederit, curate manifeſtare, ſicut ipſe docuit dicens: *In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* 1.Tim.1.5. Ioan.13.35.

VIII. *Vt Epiſcopi in viduatis ſedibus ordinentur.*

Quia bene noſtis ab illo qui ſolus rex & ſacerdos fieri potuit, ita Eccleſiam diſpoſitam eſſe, vt pontificali auctoritate, & regali poteſtate gubernetur: & ſcriptum eſſe liquidò peruidetis: *Vbi non eſt gubernator, populus corruit*: & tanto periculoſiùs, quanto anima plus eſt pretioſa quàm corpus: canonum etiam irrefragabilis auctoritas ſuper Epiſcoporum ordinatione euidentiſſimè præcipiat: feruentiſſimè Dei legatione fungentes monemus, vt quandocumque Deo diſpenſante, quilibet Epiſcopus ad Dominum migrauerit, ſubmota Prou.11.14.

funditus peſte Simoniacæ hæreſeos, ſine dilatione, iuxta auctoritatem canonicam, ſedes vacans Epiſcopum à vobis regulariter deſignatum, & gratia ſancti Spiritus conſecratum accipiat.

IX. *Vt Monaſteria laicis conceſſa religioſis deinceps viris, ſeu feminis committantur.*

Sacrum quoque monaſticum ordinem, à Deo inſpiratum, & ab ipſis Apoſtolis fundatum, ſeu à nominatiſſimis ac ſanctiſſimis patribus excultum, atque per iſtud imperium à veſtris piæ memoriæ prædeceſſoribus propagatum, & quædam etiam loca ſpecialiùs venerabilia, contra omnem auctoritatem & rationem, ac patrum veſtrorum ſeu regum præcedentium conſuetudinem, laicorum curæ & poteſtati, in maximo veſtro periculo, & illorum perditione, & Dei ac ſanctorum non modica ad iraſcendum prouocatione, vos commiſiſſe dolemus. Quapropter pro Chriſto deuotiſſimè obſecramus, vt tam magnam offenſam, & iuſtam reprehenſionem, atque periculoſam ſine exemplo præcedentium præſumptionem, ab animabus veſtris, & à felicitate regni veſtri pellatis; & loca venerabilia, & habitum ac ordinem ſacrum, eis qui ad hoc vocati ſunt, viris ſcilicet ex clericali & Eccleſiaſtico vel monaſtico ordine religioſis, ſeu & in ſuo ſexu feminis Deo dicatis atque deuotis, & in ſchola Chriſti eruditis, ad cuſtodiendum & prouidendum committatis: qui & quæ Dei ſunt Deo, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari reddant. Qui ſi minus perfectè, & in diuina religione, & in Reipubl. vtilitate profecerint, aut corripiantur, aut meliores & vtiliores in locis eorum ſubſtituantur. & non propter prauorum nequitiam, ordo religionis, & loca ſacratiſſima, eis quibus licitum non eſt committantur. Quia vt ſancti Patres dicunt, non debet eſſe in regimine vel in contubernio communis habitatio, quorum eſt diuerſa profeſſio. Et magnopere cauendum eſt, ne tam manifeſta religionis deſtructio regni huius
2.Reg.6.7. fiat deſolatio, cùm manifeſtiſſimè ſcriptura demonſtret Ozam morte damnatum, qui arcam Domini quaſi cadentem releuare voluit, quam vel contingere illicitum ei fuit. Hæc autem loca ſacrata non ideo ab illis, qui ea tenere non debent, occupari prohibemus, vt à nobis illa cupidè poſſideri quæramus: ſed vt hi, quibus ea habere non licet, licita habeant; & illi qui ad regiminis onera portanda à Domino vocati ſunt, diuina miniſteria exequantur.

X. *De abuſibus, quos laici Monaſteria regentes præſumebant.*

Peruentum eſt ſiquidem ad nos, quod auditu lugubre, & dictu nefas, actúque horribile ac nimis triſte dinoſcitur; quia contra omnem auctoritatem, contra patrum decreta, & totius Chriſtianæ religionis conſuetudinem, in Monaſteriis regularibus laici in medio

ſacerdotum

ſacerdotum & Leuitarum, ac cæterorum religioſorum virorum, vt domini & magiſtri reſideant, & velut Abbates, de illorum vita & conuerſatione decernant, eóſque diiudicent, & regimina animarum, ac diuina eis ſecundum regulam, non ſolùm ſine præſentia, verùm etiam ſine conſcientia Epiſcopi, committant ſacraria: & ita præſumptiuè doceant, qui noluerunt fieri diſcipuli veritatis, & ſaltu inordinato magiſtri fiant erroris. Quod quàm temerario auſu præſumptum ſit, omnis ſcripturarum demonſtrat auctoritas: adeo vt, ſicut ſcriptum eſt, nec in perſecutione Dominica ſine miniſtris pontificum reſpublica ad comprehendendum Dominum, quanto magis ad ordinanda diuina ſeruitia? auderent tranſmittere. Ait enim ſcriptura ſecundum Ioannem: *Iudas autem cùm accepiſſet cohortem, & à pontificibus & phariſæis miniſtros.* & iterum: *Et adduxerunt* IESVM *ad Annam primùm, & inde ad Caipham pontificem*, & poſt examinationem pontificis, ſuſcepit eum Pilatus. Et Paulum princeps ſacerdotum ſecundum legem ſedens, per legem iudicare debebat. Et quibus panes propoſitionis non licet edere, etiam regis à Deo electi petitione, niſi ab immunditia ſua mundentur, iudicia ſacerdotum panes proponunt. Quod non eſt aliud, niſi quod Ioannes dicit, cùm venerit, Antichriſtum acturum. Et nunc Antichriſti, videlicet iſti, multi ſunt. Et quod Dominus ſecundum Marcum: *Cùm videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco vbi non debet, qui legit intelligat.* Verè enim iſta eſt abominatio deſolationis, non ſolùm religionis, ſed etiam præſentis & perpetuæ ſalutis: & non ſolùm ſubditorum, & talium apocryphorum rectorum, verùm & regis, & regni, atque regni primorum, huic deteſtabili inordinationi fautorum. Et quod adhuc habetur flebilius, quidam Epiſcoporum è vicino ſedentes, & iuxta prophetam canes muti non valentes latrare, nec opponere murum pro domo Iſraël, hæc ſcientes ſilent, & ſurda aure pertranſeunt. Vnde & zelo diuino accenſi, auctoritate Dei, ex quo omnis paternitas, ſecundum Apoſtolum, in cælo & in terra nominatur, decernimus, vt quicquid huiuſmodi hactenus actum eſt, ſacerdotali ac regali rigore, ſeu diſpoſitione caſſetur, & ad ſtatum auctoritatiuum reducatur, & talis abbatia, quæ paternitas Latino nomine dicitur, funditus remoueatur. Et ſi quis hoc decretum contempſerit, & admonitus à tali præſumptione ſe corrigere noluerit, & idem, & qui ei fauerit vel conſenſerit, à corpore Chriſti ſeparetur & ſanguine. Qui autem de monachis per talem manum obedientiam ſuſceperit regularē, grauioris culpæ vindicta puniatur. Quòd ſi poſt modum quiſquam illorum præſumpſerit, iudicio ſancti Spiritus præſenti decreta auctoritate anathematizetur. Si autem monachus contemnens gradum Eccleſiaſticum habuerit,

Ioan. 18. 3. Ibid. 13. Act. 23. 2. 1 Reg. 21. 1. Ioan. 2. 18. Marc. 13. 14. Eſa. 56. 10. Epheſ. 3. 15.

eo priuetur: & ſi gradum non habuerit, pane & aqua contentus ergaſtulo diebus XL. retrudatur, & de miniſterio indebitè adepto vltionem canonicam, qui à qualibet ſæculari poteſtate prędictum honorem Eccleſiaſticum vult obtinere, ex hoc decreto ſuſtineat. Epiſcopi verò, qui hactenus tantam ſilentio conſenſerunt præſumptionis perniciem, duriùs arguantur: & ſi deinceps iſtud ſine vindicta dimiſerint, aut agere in ſuis parochiis conſenſerint, tribus menſibus hoc Synodali iudicio à Miſſarum ſolemniis ſe abſtineant, & ſuæ tantùm Eccleſiæ communione contenti fiant.

XI. *De rebus Eccleſiaſticis non peruadendis.*

Occaſionem etiam & fomitem, vnde ordo Eccleſiaſticus, & canonica forma, atque monaſtica religio, ſæpè à longè ſuperiori tempore, cùm minus religioſos principes habuit, titubauit, & penè collabens deperiit: & iterum, cùm deuotos & in Dei zelo feruentes principes accipere meruit, reſurrectione quadam reuixit, & vigorem recepit, atque ſui proceſſus tempore ambulauit; quod non ſine graui dolore, & metu vltionis diuinæ dicimus, in veſtri regiminis
2.Cor.3.10. tempore, in deſtructionē, non in ædificationem, ſicut Paulus docuerat, accidiſſe conſpicimus. Quod & noſtris peccatis, qui diſpenſatores & paſtores Eccleſiarum eſſe debuimus, veraciter imputamus, & eorum, quorum factione reſiſta adeo malè pullulauit & excreuit, alia præcedentia peccata hoc meruiſſe pro certo auctoritate diuina
Apoc.22.11. cognoſcimus: vt qui nocebant, ſicut ſcriptum eſt, nocerent adhuc, vnde Deum grauiùs ad iracundiam prouocarent, & ſanctos, quos intercesſores pro ſuis peccatis habere debuerant, infenſos haberent, & ſacerdotes ac viros religioſos, ſeu Chriſti pauperes, quos oratores & reconciliatores ſibi de ſuo promereri neçeſſe fuerat, proclamatores aduerſum ſe fieri irritarent; & ad cumulum ſuorum peccatorum etiam illa peccata, vnde in conſpectu Dei rationem in die terribilis iudicij redderent, augerent, quæ illi commiſerunt, qui eadem ipſa peccata per interceſſionem fideliſſimarum oblationum deleuerūt, quibus Eccleſiaſticarum rerum peruaſores inconſultè, & in perniciem ſuî ſine reuerentia abutuntur. Quod ita verum eſſe, vt dicimus,
Oſee 4.8. Dominus proteſtatur dicens: *Peccata populi mei comedunt*. Peccata enim populi comedunt, qui contra auctoritatem diuinam res Eccleſiaſticas indebitè peruadunt, & nec interceſſionis ope, nec prædicationis conſilio, vel quocumque diuino auxilio, pro peccatis eorum qui eas dederant laborant, nec pio operi, ad quod fides fidelium eas tradiderat, inſeruire permittunt. De quo periculoſo facto vos, principes Chriſtianiſſimi, venerabiliter admonemus, & deuotiſſimè obſecramus, vt memores ſalutis veſtræ, præſentis ſcilicet &

æternæ, memores etiam largiratis progenitorum veſtrorum erga ſanctas Eccleſias, propter quam feliciter regnauerunt, & ſibi contrarios ſuperauerunt: memores ſiquidem cum quanta religione, etiam ante Chriſti ſanguinem, & in tempore famis in Ægypto, diſcretione ſancti Ioſeph, apud nefandum regem Pharaonem terra ſacerdotalis exritit. innumera quoque ſcripturarum exempla, vt lacte Eccleſiæ nutriri, & ſcientiæ ipſius vberibus ſufficienter repleri, ante oculos reducentes, tunicam Chriſti, qui vos elegit & exaltauit, quam nec milites auſi fuerunt ſcindere, tempore veſtro quantocyus reconſuite & reſarcite: & nec violenta ablatione, nec illicitorum præceptorum confirmatione, res ab Eccleſiis vobis ad tuendum & defenſandum ac propagandum commiſſis auferre tentate: ſed vt ſanctæ memoriæ auus & pater veſter eas gubernandas vobis fautore Deo dimiſerunt, redintegrate, & præcepta regalia earumdem Eccleſiarum conſeruare & confirmate: ne ſicut intentauit Semeias propheta ad Roboam filium Salomonis in conſciſſione pallij, præſens regnum, quod abſit, vobis patrum labore acquiſitum & hereditare relictum, à vobis ipſe Chriſtus diuidat, & æternum regnum quod promiſit non tribuat. Nec contrà Dei faciem iratas hominum facies conſideretis: quia ſi ad tempus illis diſplicueritis, cùm vos Deo placebitis, in vobis ille quod promiſit implebit: *Cùm placuerint*, inquiens, *Deo viæ hominis, omnes inimicos eius conuertet ad pacem.*

Geneſ 47.
3.Reg.11.30.
Prou.16.17.

XII. *Vt ordo Eccleſiaſticus antiquum vigorem recipiat, iudicium & iuſtitia omnibus reddatur, & de præteritis erroribus pœnitentia agatur.*

Petimus tandem, vt ordo Eccleſiaſticus, in quibuſcumque ei fuerit neceſſe rigorem ſalutis humanæ exerere, per poteſtarem veſtram, & per miniſterium miniſtrorum dominationis veſtræ, ſecundum antiquam conſuetudinem ſuum vigorem recipiat, & populi generalitas, vnà cum Eccleſiaſtica deuotione, iudicium quod honor regis diligit, & iuſtitiam, qua thronus eius firmatur, per diſpoſitionem veſtram ſuſcipiat. ſeu admonitione atque conſilio ſacerdotali veſtra ſublimitas, & quiſque in quolibet ſtatu vel ordine, de rapinis & ceteris, quæ diſcordiæ malo acciderunt, præteritis erroribus pœnitudinem gerat, & Domini reconciliationem expoſtulet: quam facilè omnis qui quæſierit inueniet, ſi in loco diſcordiæ plantata fuerit caritas, quæ cooperit multitudinem peccatorum; cúmque potiùs, quàm nos, in conſilio non noſtro, ſed Dei attendatis, qui dixit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

Luc.10.16.
Matth.10.20.

Capitula in Synodo acta quæ habita eſt apud Lauriacum in pago Andegauenſi, anno DCCCXLIII. Incarnationis Domini noſtri Iesu Chriſti, menſe Octobri, Indictione VII.

XIII. *De eo qui Eccleſiaſticam auctoritatem contemnit.*

Si quis publicus diuinæ legis præuaricator, vel pro manifeſtis criminibus erga Eccleſiaſtica iuſta & rationabilia iudicia contemptor repertus fuerit, vel inflatus ac tumidus monitis Eccleſiaſticis ac ſanctorum patrum cõſtitutionibus contradictor vel ſubſannator comprobatus fuerit, ſi monitionibus Epiſcopalibus obtemperare diſtulerit, anathematizetur.

XIV. *De eo qui contra regiam dignitatem egiſſe comprobatur.*

Si quis contra regiam dignitatem doloſè ac callidè, ac pernicioſè ſatagere comprobatus fuerit, niſi digniſſimè ſatisfecerit, anathematizetur.

XV. *De eo qui poteſtati regiæ non obtemperat.*

Si quis poteſtati regiæ, quæ non eſt iuxta Apoſtolum niſi à Deo, contumaci ac inflato ſpiritu, contra auctoritatem & rationem, pertinaciter contradicere præſumpſerit, & eius iuſtis & rationabilibus imperiis, ſecundum Deum, & auctoritatem Eccleſiaſticam, ac ius ciuile, obtemperare irrefragabiliter noluerit, anathematizetur.

XVI. *De eo qui aduerſus hæc Capitula præuaricatur.*

Quicumque ſuperbiæ facibus accenſi, vel proteruia ſtomachati, hæc, quæ pro ſanctæ matris Eccleſiæ tranquillitate, ſacerdotalíque rigore, & regia dignitate, à nobis vnanimiter definita, manibúſque propriis roborata ſunt, violare, aut quolibet argumento irrumpere tentauerint, placet eos omnes anathematizari.

Ex Capitulis apud Belvacum in Synodo habitis.

XVII. *Vt res Eccleſiis ablatæ reſtituantur.*

Vt res Eccleſiaſticæ tempore principatus veſtri ablatæ ex integro præſentaliter reſtituantur, & reſtitutæ conſeruentur, ſicut tempore aui & patris veſtri fuerunt, & excepto ſuperpoſito, quod ad vſus poſſidentium abſumptum eſt, quomodo tunc erant, quando vos illas inde tuliſtis, ſine refragatione reddantur. Hinc enim in canone Aurelianenſi ſcriptum eſt titulo XIII. Ne cui liceat res vel facultates Eccleſiæ aut Monaſteriis, vel Xenodochiis, pro quacumque eleemoſyna cum iuſtitia delegatas retentare, alienare, atque ſubtrahere. Quòd ſi quis fecerit, tamquam necator pauperum, ca-

Conc. Aurelian. V. can. 13.

nonum antiquorum ſententiis conſtrictus, ab Eccleſiæ liminibus excludatur, quamdiu ab ipſo ea quæ ſunt ablata vel retenta reddantur.

XVIII. *Vt præcepta illicita de rebus Eccleſiaſticis reſcindantur.*

Vt præcepta illicita iure beneficiario de rebus Eccleſiaſticis facta à vobis ſine dilatione reſcindantur, & vt de cetero ne fiant, à dignitate veſtri nominis regij caueatur.

XIX. *Vt iniuſtæ conſuetudines ab Eccleſia non exigantur.*

Vt ab Eccleſiis veſtræ ditioni ſubiectis indebitas conſuetudines, & iniuſtas exactiones de cetero non exactetis; ſed ita eas conſeruetis, ſicut ordo docet canonicus, & tempore aui & patris veſtri conſeruatæ fuerunt.

XX. *Vt Miſſi dirigantur, qui inquirant de iis quæ ad regem & rempublicam pertinent.*

Et ne magnificentiam veſtram illuc veſtræ dignitati indecens & inhoneſta impellat neceſſitas, quò non trahit voluntas, & partim neceſſitate, partim etiam ſubreptione, quia aliter quàm ſe rei veritas habeat vobis dictum vel poſtulatum fuit, maximè quod ad rempublicam pertinuit, aut præreptione in beneficiario iure, aut in alodio abſumptum habetur: videtur nobis vtile & neceſſarium, vt fideles & ſtrenuos Miſſos ex vtroque ordine per ſingulos Comitatus regni veſtri mittatis, qui omnia diligenter inbreuient, quæ tempore aui ac patris veſtri, vel in regio ſpecialiter ſeruitio, vel in vaſſallorum dominicorum beneficiis fuerunt, & quid, vel qualiter, aut quantum exinde quiſque modò retineat, ſecundum veritatem renuntietur vobis. Et vbi inueneritis, quia ratio & vtilitas, ac ordo, ſeu veritas in abſumptis vel donationibus habeantur, in ſtatu permaneant. vbi autem irrationabilitas, vel potiùs fraus inuentæ fuerint, vnà cum conſilio fidelium veſtrorum hoc taliter corrigite, vt & ratio, atque vtilitas, ſeu iuſtitia non deſerantur, & dignitas veſtræ magnificentiæ per neceſſitatem ita vilis non fiat, ſicut vos non decere cognoſcitur. Quoniam domeſtica domus veſtra aliter obſequiis domeſticorum repleri non poterit, niſi habueritis vnde eis meritum rependere, & indigentiæ ſolatium ferre poſſitis. & ſic demum reſpublica veſtra de ſuo ſuffragetur ſibi, & Eccleſiæ à quibus non expedit habeantur immunes.

XXI. *De precariis & commutationibus vacante ſede factis.*

Vt precariæ & commutationes tempore viduatarum Eccleſiarum factæ ab his qui loca Epiſcoporum occupauerant, reſcin- Ivo P.III. cap.127.

Digitized by Google

dantur, & cum auctoritate Eccleſiaſtica, vel ciuili, ſi faciendæ ſunt, fiant.

XXII. *De precariis, quomodo fieri ac renouari debeant, & de præceptis regalibus.*

12 4.2. Precariæ à nemine.

Precariæ autem à nemine de rebus Eccleſiaſticis fieri præſumantur, niſi quantum de qualitate conuenienti datur ex proprio, duplum accipiatur ex rebus Eccleſiæ, in ſuo tantùm qui dederit nomine, ſi res proprias & Eccleſiaſticas vſu fructuario tenere voluerit. Si autem res proprias ad præſens dimiſerit, ex rebus Eccleſiaſticis triplum fructuario vſu in ſuo tantùm quis nomine ſumat. Quia ſic eas quemque tractare oportet, vt alienarum diſpenſatorem, non propriarum largitorem. Et à nulla poteſtate quis cogatur facere precariam de rebus propriè Deo & ſanctis illius dicatis, cùm ratio & vſus obtineat, neminem qui non vult contra vtilitatem & rationem præſtitum de proprio facere beneficium. Præcepta autem regalia ſuper precariis Eccleſiaſticis fieri nec ratio ſinit, nec auctoritas quolibet modo permittit. Quoniam præcepta in iure Eccleſiaſtico firmare indignum iudicet neceſſe eſt maieſtas regia, niſi ab Eccleſiaſtico rectore petantur. Idem autem cuſtos Eccleſiæ ſollertiſſimè caueat, ne ſui ordinis & Eccleſiaſticæ communionis fortè immemor, contra auctoritatem præceptum regium pro quacumque aſſentatione fieri petat; qui etſi fecerit, non audiatur. Si autem & obtinuerit, regia diſcretione & Epiſcopali iudicio idem reſcindatur, & petitor iniuſtus pro principis iniuſta ſuggeſtione dignè corripiatur. & precariæ ſecundum antiquam conſuetudinem, & auctoritatem de quinquennio in quinquennium renouentur.

XXIII. *De commutationibus rerum Eccleſiaſticarum.*

Cap. 1. De rerum permut. Iuo P. III. cap. 231.

Vt commutationes rerum Eccleſiaſticarum valde caueantur, & ſubtiliſſimè, ſi aliquo modo fieri debent, inſpiciantur. Quæ autem inconſultè ſunt factæ, iuxta decretum canonicum Papæ Hilari, quæ illicitè deceſſor Epiſcopus admiſerit, vel ab aliis illicitè commiſſa ſunt, ab eo qui ſucceſſor eſt emendentur.

XXIV. *Vt Eccleſiæ contra oppreſſores defendantur.*

Vt contra deprædatores & oppreſſores Eccleſiarum, & rerum ad eaſdem pertinentium, defenſores ſecundum miniſterium veſtrum, quantum Deus poſſe dederit, exiſtatis: & præcepta, quæ auus ac pater veſter Eccleſiis ditioni veſtræ ſubiectis fecerunt ac firmauerunt, & ſtabilia conſeruauerunt, quæque vos confirmaſtis, de cetero rata in omnibus conſeruetis.

CAPITVLA IN SYNODO ACTA QVÆ APVD MELDENSEM VRBEM DIVINO NVTV HABITA EST, ANNO INCARnationis Dominicæ DCCCXLV. XV. Kalendas Iulias, Indictione VIII.

XXV. *Quòd domus Epiſcopi rectè ordinari & componi debeat.*

Salubre & decens eſſe cognoſcitur, atque Apoſtolicis regulis conueniens, vt non ſolùm ſecundum Apoſtolum domui ſuæ ſpiritaliter Epiſcopus bene præſit, verùm etiam & domum temporalem ordinatam & compoſitam, ſecundum competens miniſterium ſuum, & de vicinitate Eccleſiæ, & de conuenientia religionis, & de receptione pauperum vel hoſpitum habeat: & ita ſit ordinata, vt quicumque conuerſationem, & domos conuerſationis ipſius viderit, habitacula ea religionis valeat computare, non diuerſoria impudicitiæ, aut alicuius irreligioſitatis, quæ caſtitati vel bonæ opinioni contraria ſint vel officiant, æſtimentur. 1. Tim. 3.

XXVI. *Vt domum Epiſcopi feminæ non frequentent; nec in ea reges aut principes diu verſentur.*

Suggerendum eſt etiam, & ex diuino mandato intimandum regiæ dignitati, vt Epiſcopium, quod domus Epiſcopi appellatur, qualiſcumque ſit in oculis domini Epiſcopus, ipſe tamen à rege regum rex conſtitutus, pro ſanctitate ordinis Epiſcopalis, ſicut S. Gregorius ad Fortunatum docet Epiſcopum, venerabiliter ac reuerenter introeat, & ſecundum ſanctam prædeceſſorum conſuetudinem, quando, orationis & debitæ ſuſceptionis gratia, in tranſitu conuenienti ciuitatem ingreſſus fuerit, habitaculis Epiſcopalibus reuerenter inhabitet, & non diuerſoria feminarum, magnificentia ſua & religio venerabilis ibidem fieri permittat. Quia ſi ſecundum leges canonicas in manſiones clericorum introitus feminarum prohibentur, quanto magis domus Epiſcopi ab huiuſmodi inhabitatione & conuerſatione, etiam & à legitimo connubio coniugatorum, debet immunis eſſe & aliena? Sed & immunitates præcedentium Imperatorum ac regum ab huiuſmodi longiori & diuturna conuerſatione & commoratione regum, & quorumcumque potentium ac ſæcularium perſonarum, in Epiſcopio prohibent. Quapropter & diuinitus & humanitus ſancitas diuinas & humanas leges veſtra deuotio & dignitas obſeruare curabit, ſi & in cæleſti regno, & in terreno feliciter cupitis proſperari.

XXVII. *Vt ciuitates per regis tranſitum non deprædentur.*

Quia hactenus, propter diuerſas neceſſitatum incommoditates, aliter vos fieri incompetentia compulit, quàm ſalubritas popoſciſſet, & honeſtas atque vtilitas poſtulaſſet, veſtra ſtudebit magnitudo

X L. *De hoſpitalibus Scotorum, & aliis ad nihilum redactis.*

Admonenda eſt regia magnitudo de hoſpitalibus, quæ tempore prædeceſſorum ſuorum & ordinata & exculta fuerunt, & modò ad nihilum ſunt redacta. Sed & hoſpitalia Scotorum, quæ ſancti homines gentis illius in hoc regno conſtruxerunt, & rebus pro ſanctitate ſua adquiſitis ampliauerunt, ab eodem hoſpitalitatis officio funditus ſunt alienata. Et non ſolùm ſuperuenientes in eadem hoſpitalia non recipiuntur, verùm etiam ipſi, qui ab infantia in eiſdem locis ſub religione Domino militauerunt, & exinde eiiciuntur, & oſtiatim mendicare coguntur. Vnde pertimeſcenda eſt canonica ſententia, & maximè decretalis Symmachi Papæ definitio, quia vt necator pauperum, & Chriſti traditor Iudas, idem qui huius ſceleris auctor & perpetrator eſſe dinoſcitur, præſenti & perpetuo eſt anathemate feriendus. Qui reiculam, inquit Symmachus Papa, vel « quicquid fuerit Eccleſiæ, petunt à regibus, & corrumpendæ pieta- « tis inſtinctu egentium ſubſtantiam rapiunt, irrita habeantur quæ « obtinent, & à communione Eccleſiæ, cuius facultatem auferre cu- « piunt, excludantur. Item in canone Aurelianenſi: Si quis quolibet tempore contra hanc conſtitutionem noſtram venire tentauerit, aut aliquid de conſuetudine vel facultate Xenodochij abſtulerit, vt Xenodochium, quod auertat Deus, eſſe deſinat, vt necator pauperum, irreuocabili anathemate feriatur. Conc. Arvern. can. 4. Conc. Aurelian. v. can. 15.

X L I. *De Monaſteriis euerſis, & in allodium datis.*

Prouidendum eſt regiæ maieſtati, vt Monaſteria, quæ ab hominibus Deum timentibus in ſua proprietate conſtructa, prædeceſſores illius cauſa defenſionis & mundeburdi ſuſceperunt, vt libera libertate, remota ſpe hereditaria de illorum propinquitate, ibidem religio obſeruaretur, & nunc in allodium ſunt data, quapropter omnis exinde religio funditus eſt euerſa: qualiter vota fidelium inconuulſa permaneant, ne voces eorum contra ſe ante Deum clamantes, adiuncto periculo de eorum perditione, qui in eiſdem locis neceſſitate naufragantur, condemnabiles ſentiat.

X L I I. *Vt Miſſi dirigantur, qui res Eccleſiaſticas in allodium datas inquirant.*

Monenda eſt ſolertia regia, vt ſtrenuos & fideles Miſſos per regnum ſibi commiſſum dirigat, & inueſtigent, ac diligenter inbreuient res Eccleſiaſticas, quas per ſubreptionem atque ignorantiam quorumcumque, in allodium ipſe aut pater ſuus donauit, & conſulens periculo animarum, ſuæ videlicet ac patris ſui, hoc ad tempus corrigere ſtudeat, ne fortè cùm voluerit minimè poſſit.

XLIII. *Vt per Simoniacam hæreſim nemo regimen obtineat.*

1. q. 7. Cauendum eſt, & ſummopere. Cauendum eſt, & ſummopere præcauendum, ac per virtutem Chriſti ſanguinis interdicendum, & Epiſcopis, & regibus, & omnibus ſublimioribus poteſtatibus, atque cunctis fautoribus & electoribus quorumcumque, atque conſenſoribus, ſeu ordinatoribus in gradu Eccleſiaſtico, vt nemo per Simoniacam hæreſim regiminis locum obtineat quacumque factione, calliditate, promiſſione, ſeu commoditate, aut datione per ſe, aut per emiſſam perſonam: cùm Spiritus ſanctus, inter cetera documenta Eccleſiaſtica, per os ſancti Lib. iv. epiſt. 110. » dicat Gregorij: Cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus promouetur? » Et item: Ementes quippe atque vendentes par pœna conſtringit: » cùm liqueat hanc hæreſim in ipſa ſua origine Apoſtolica eſſe dete- Rom. 1. 32. ſtatione damnatam. Et Apoſtolus docet, non ſolùm qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte. Et item B. Gregorius: Lib. iv. epiſt. 9. » Dolens, inquit, dico, gemens denuntio, quia ſacerdotium, quod » apud vos intus cecidit, foris diu ſtare non poterit. Item idem: Ad- Lib. vii. epiſt. 110. » uerſarius animarum callida ſpecie ſuadet, quaſi debere ab habenti- » bus accipi, vt ſit quod poſſit non habentibus erogari. ſed ſcriptum Pro. 21. 27. » eſt: *Hoſtiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex ſcelere.*

XLIV. *Vt Chorepiſcopus vltra modum ſuum nihil præſumat.*

Vt Chorepiſcopus modum ſuum iuxta canonicam inſtitutionem teneat, & nec ſanctum chriſma, nec ſanctum paracletum Spiritum Cap. 3. ſolis Epiſcopis, iuxta decreta Innocentij, tribuere debitum tradere tentet: nec Eccleſias conſecret, neque ordines Eccleſiaſticos, qui per impoſitionem manus tribuuntur, id eſt, non niſi vſque ad ſubdiaconatum, & hoc iubente Epiſcopo, & in locis quibus canones deſignant, agere præſumant. Impoſitioni autem pœnitentiæ, aut pœnitentium reconciliationi, per parochiam ſecundum mandatum Epiſcopi ſui inſeruiat. Si verò ciuitatis Epiſcopus obierit, nihil ex Epiſcopali miniſterio ſpecialiter Epiſcopis debito attentet: quia ex hoc magnum ſcandalum, & diuiſionem rerum Eccleſiaſticarum, atque dilationem in canonicè ordinandis Epiſcopis, Dei Eccleſiis accidiſſe conſpeximus. Nam ſi Epiſcopus ciuitatis propter deſidiam, aut ſæcularem peruagationem, vel propter infirmitatem modum ſuum Chorepiſcopis tranſcendere conſenſerit, ſententiam canonicam debet attendere, qua decretum eſt, vt qui contra dicta canonum fecerit, gradus ſui periculo ſine retractatione ſubiaceat.

XLV. *Ne pro chriſmate pretium exigatur: & de eulogiis quæ à presbyteris offeruntur.*

Vt nemo Epiſcoporum, vel quilibet miniſter Eccleſiaſticus, propter ſacrum chriſma aliquid muneris accipiat, neque denarios, vel quælibet munuſcula, quæ per miniſtros Epiſcoporum à preſbyteris inordinabiliter exiguntur. Decet tamen preſbyteros, cum voluntariis eulogiis tempore congruo viſitare & venerari ſuos Epiſcopos. Iuo Part. I. cap. 171.

XLVI. *Vt ſacrum chriſma, niſi in cœna Dominica, non fiat.*

Vt nemo ſacrum chriſma, niſi in quinta feria maioris ſeptimanæ, id eſt in cœna, quæ ſpecialiter appellatur Dominica, conficere præſumat.

XLVII. *Quomodo prouidendum ſit Eccleſiæ, cuius Epiſcopus infirmus eſt.*

Vt nemo viuente Epiſcopo Eccleſiam illius, aut res ad eam pertinentes inuadere, aut dominari præſumat: neque ſub voluntariæ cleri ac populi electionis obtentu, præter voluntatem Epiſcopi, quiſquam, quacumque ſæculari poteſtate præditus, quaſi Oeconomum conſtituat. Sed ſi Epiſcopus miniſterium Eccleſiaſticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiſcopi hoc, cum voluntate Epiſcopi eiuſdem Eccleſiæ, maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat. Obſequium verò ad rempublicam pertinens qualiter exequatur, per tales ex ſubditis & Eccleſiaſticis miniſtris, cum conſenſu Archiepiſcopi propter pacis caritatíſque cuſtodiam, Epiſcopus ordinet ac diſponat, quos ſuccedendi in Epiſcopatu appetitus indebitus non eleuet, neque vexet. niſi ita moratus extiterit, vt ſecundum inſtituta B. Gregorij in libro Epiſtolarum, & humiliter in ſubditione proſit, & pòſt viriliter conueniens ſanctis regulis præſit: quia ob hoc in multis Eccleſiis ſcandalum magnum conſpeximus. Sin autem in Archiepiſcopo talis neceſſitas acciderit, ſimiliter ipſe conſilio Coepiſcoporum ſuorum huiuſmodi ordinationem exhibeat.

XLVIII. *Vt presbyteri excepta ægritudine non baptizent extra loca & tempora conſtituta.*

Vt nemo preſbyterorum baptizare præſumat, niſi in vicis & Eccleſiis baptiſmalibus, atque temporibus conſtitutis, niſi cauſa ægritudinis, vel certæ neceſſitatis, ſicut ſacra canonum docet auctoritas. & vici auctoritatem, & priuilegia debita & antiqua retineant. Iuo Part. I. cap. 209.

XLIX. *Vt laici presbyteros ſuos villicationi, & aliis ſæcularibus negotiis non implicent, nec aliorſum ducant.*

Iuo Part. VI. cap. 219. 2. Tim. 24. Vt nemo laicorum preſbyteros Eccleſiarum ſuarum turpi villicationi, & ſecundum Apoſtolum ſæculari & inhoneſtæ negotiationi implicare, nec ſecum aliorſum contra auctoritatem præſumat ducere, quo miniſterium ſibi cōmiſſum cogantur negligere. Quòd ſi contra interdicta præſumpſerit, excommunicetur.

L. *Vt clerici alterius parochiæ ſine formata non recipiantur, & criminati ab omnibus excludantur.*

Vt preſbyteri, vel quilibet clerici, in alterius parochia ſine formata non recipiantur, neque retineantur, nec etiam miniſtrare ſinantur. Criminati autem ab omnibus excludantur & reiiciantur à parochiis, in quibus cupiunt immorari, vſquequo ad eum reuertantur Epiſcopum, à quo aufugiſſe noſcuntur.

LI. *Vt clerici, qui cum ſenioribus ſuis ex aliis prouinciis veniunt, non miniſtrent, nec ordinentur ſine litteris Epiſcopi ſui.*

Iuo Part VI. cap 217. Qui cum ſenioribus ſuis de aliis prouinciis ad noſtras parochias veniunt, ſine formata miniſtrare non permittantur. quam etſi attulerint, & miniſtrare idonei inuenti fuerint, inſtruantur quàm religioſè atque ſtudioſè ſacrum miniſterium peragant, & in quibus locis illud agere non debeant, & vt excommunicatis nequaquam communicent. Clerici verò, ſi ab huiuſmodi hominibus ad ordinandum offeruntur, inſtrui debent, vt ad Epiſcopos, ex quorum parochiis ſumpti ſunt, eos remittant, & aut ibi ordinentur, aut litteras canonicas ab Epiſcopo, ex cuius diœceſi ſunt, perferant, ſicut canonica docet auctoritas.

LII. *Vt nullus ordinetur, niſi certo in clero per anni ſpatium conuerſationem ſuam probarit.*

Iuo Part VI. cap. 24. Qui verò ex noſtris parochiis, aut ad titulum, aut abſolutè, ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, niſi aut in clero certo & religioſo, vel etiam in ciuitate, ſaltem vno anno immorentur, vt de vita & conuerſatione atque doctrina illorum certitudo poſſit agnoſci. Conc. Calched. can. 6. Et nemo abſolutè quemquam ordinare præſumat, ſicut ſancti ſanxerunt canones.

LIII. *De canonicorum in ciuitate vel Monaſteriis cura & diſciplina.*

Vt canonici in ciuitate vel Monaſteriis, ſicut conſtitutum eſt, in dormitorio dormiant, & in refectorio comedant, & in domo infirmorum neceſſariò ſubleuentur: & tam ſani quàm infirmi canonicè

veſtiantur, atque in clauſtris horis congruis degant, & ſub cuſtodia canonica lectionibus & ceteris diuinæ inſtitutionis inſiſtant officiis. Qui verò Epiſcoporum loci conuenientiam, aut facultatem non habuerit, vt hoc perficere & ordinare poſſit, princeps ſecundum conſtitutionem domni Imperatoris Ludouici annuat. Id eſt, ſi vicina Epiſcopio terra de eadem Eccleſia eſſe reperta fuerit, & ab alio poſſideatur, Eccleſiæ rectori ad clauſtra clericorum, vel alia quælibet Eccleſiæ commoda facienda reddatur. Si autem de fiſco fuerit, regia liberalitas eandem terram ad ſeruorum Dei habitacula conſtruenda largiri dignetur. Si autem de alia caſa Dei, aut de cuiuſlibet proprio fuerit, ex conuenientia commutandi licentia tribuatur. & ſi paupertas loci ad ædificandas domos neceſſarias non ſuffecerit, eos ad adiutorium ædificandi poteſtas regia cogat, qui res de eadem Eccleſia in beneficiis retinent.

LIV. *Vt titulos cardinales in vrbibus & ſuburbiis conſtitutos Epiſcopi penitus ordinent & diſponant.*

Vt titulos cardinales in vrbibus vel ſuburbiis conſtitutos Epiſcopi canonicè & honeſtè, ſine retractatione, ordinent & diſponant.

LV. *Vt Epiſcopi vſuras omnino compeſcere ſtudeant.*

Vt Epiſcopi ſeipſos, atque miniſtros ſuos, & maximè Eccleſiaſticos, cunctóſque Chriſtianos in ſua parochia, perpendentes ex hoc ſtatuta Nicæni Concilij, & ceterorum Conciliorum, ab vſuris ſine excuſatione compeſcant: & quos compeſcere aliter non potuerint, canonicam in eos ſententiam proferant.

LVI. *Vt Epiſcopus ſine certa cauſa nullum excommunicet, nec anathema imponat ſine Archiepiſcopi & comprouincialium Epiſcoporum conſenſu.*

Vt nemo Epiſcoporum quemlibet ſine certa & manifeſta peccati cauſa communione priuet Eccleſiaſtica. Anathema autem ſine conſenſu Archiepiſcopi, aut Coepiſcoporum, prælata etiam Euangelica admonitione, nulli imponat, niſi vnde canonica docet auctoritas: quia anathema æternæ eſt mortis damnatio, & non niſi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi. 11. q. 3. Nemo Epiſcoporũ.

LVII. *Vt monachi palatium ſine Epiſcopi auctoritate non adeant, nec vagentur, nec villicationibus diutiùs inſeruiant.*

Vt monachi, quibus Monaſteriorum cura commiſſa non eſt, paſſim & ſine auctoritate palatium non adeant, nec in eo immorentur, vel vbi & vbi diſcurrere, ac peruagari acephali præſumant: ſed ſi tales quilibet fuerint, vt vtiles & neceſſarij Eccleſiæ ac principi re-

periantur, cum auctoritate Epiſcopi canonicè ac religioſè pergant. Sin autem, in Monaſteriis ſuis, ſicut canonica & regularis docet inſtitutio, religioſè reſideant. Quos etiam nec Epiſcopus, nec Abbas, vel quilibet alius, veredariorum more in miſſaticis inſtanter tranſmittat: quia per quoſdam illorum, contra canonicam auctoritatem, & Eccleſiaſtica & ciuilia perturbantur negotia. Nec ſub prætextu obedientiæ diutiùs villicationibus inſeruiant: ſed regulariter obedientiam in viciſſitudine ſua peragentes, ſecum, vt de S. Benedicto legitur, in Monaſterio habitent, atque ſeipſos recolligant: Hæc autem tranſgredientes, ſiue prælati in fauendo, ſiue ſubditi in obtinendo, excommunicentur.

Greg. lib. 2. Dial. cap. 3.

LVIII. *Vt canonicos ſine Epiſcopi conſenſu in ſeruitium ſuum rex non recipiat.*

Canonicorum autem, qui in parochiis tonſurantur & erudiuntur, interdum etiam & ordinantur, ſine auctoritate dignitas regalis in ſuum periculum non dignetur recipere, præſertim cùm eos ſalubriter & auctoritatiuè poſſit habere. Quapropter cùm quilibet canonicorum ad regiam venerit maieſtatem, & ſuo ſe voluerit mancipare ſeruitio, conſenſu Epiſcopi, ad cuius diœceſim pertinere dinoſcetur, eum recipiat. Et ſi in ordine clericali eum promoueri voluerit, manus ipſius impoſitione ad Eccleſiaſticum ordinem ſancti Spiritus munere, ſi dignus fuerit, conſecretur: quatenus & diuina auctoritas vigeat, & regalis dignitas obſequatur, & ſalus ordinantis, & ordinati, atque iubentis, in omnibus obſeruetur. Alioqui hæc ſtatuta tranſgredientes canonicæ ſubigantur ſententiæ.

LIX. *Vt monachus de Monaſterio ſine Epiſcopi conſultu non eiiciatur.*

Vt monachus de Monaſterio, ſine conſultu vel præſentia Epiſcopi, aut vicarij eius, ad hoc regulariter deductus non eiiciatur: cuius diſpoſitione & auctoritate de cetero vita & conuerſatio eiecti, ne perditus perpetuò fiat, ſi aliquomodo ſaluari poteſt, ordinari debet atque decerni.

LX. *Vt qui ſacra loca infringunt, & prædantur, tamquam ſacrilegi puniantur.*

Vt hi qui Monaſteria, atque ſacrata loca, vel Eccleſias infringunt, & depoſita, vel alia quælibet, exinde abſtrahunt, & ſacerdotes ac viros Eccleſiaſticos non ſolùm dehonorant, verùm & diuerſo atque aduerſo modo affligunt, velut ſacrilegi, canonicæ ſententiæ, quæ ex his decreta eſſe dinoſcitur, ſubigantur.

LXI. Vt

LXI. *Vt peruaſores rerum Eccleſiaſticarum publicæ pœnitentiæ ſubijciantur.*

Vt peruaſores rerum Eccleſiaſticarum, qui eaſdem res vel contra auctoritatem non ſolùm retinere, verùm & crudeliter depopulari noſcuntur, quidam etiam & facultates Eccleſiæ in diuerſa collaboratione & reditibus eas exſpoliant, deuaſtant, & opprimunt, vt rapaces, qui ſecundum Apoſtolum à regno Dei excluduntur, ex criminali & publico peccato publica pœnitentia ſatisfaciant. Quòd ſi hoc agere noluerint, & poteſtate regia ad hoc exhortati vel coacti non fuerint, proferatur contra eos Apoſtolica terribilis ſententia qua dicitur: Si quis frater nominatur, & eſt rapax, cum huiuſmodi nec cibum quiſquam præſumat ſumere: quia iniquum & ſacrilegum, vt Symmachus Papa, & poſt eum B. Gregorius Sabino ſubdiacono ſcribit, & contra leges eſt, ſi quis quod venerabilibus locis relinquitur, prauæ voluntatis ſtudiis ſuis tentauerit compendiis retinere. Quapropter ſecundum ſtatuta canonum, ab omni Eccleſiaſtica communione vt ſacrilegus debet arceri, donec ſtudeat digna ſatisfactione quod admiſit corrigere.

Iuo P. xiv, cap. 86.

1. Cor. 6. 10.

1. Cor. 5. 11.

LXII. *Vt qui nonas & decimas perſoluere, aut ſarta tecta reſtaurare negligunt, excommunicentur.*

Hi verò qui ex rebus Eccleſiaſticis nonas & decimas perſoluere, & ſarta tecta Eccleſiæ ſecundum antiquam auctoritatem & conſuetudinem reſtaurare debent, & hoc non ſolùm negligunt, verùm & per contemptum dimittunt, atque clericos fame ac penuria, Eccleſiaſtica quoque ædificia diſſolutione annullari permittunt, tam diu ab Eccleſiaſtica communione ſeparentur, vſque dum diligentia emendare ſtudeant, quod ſocordia neglexerunt. Quòd ſi iterum iterauerint, poſt excommunicationis ſatisfactionem, regia poteſtate compulſi, iuxta legale & antiquum edictum, Qui negligit cenſum, perdat agrum. Serui autem Eccleſiarum, quibuſcumque poteſtatibus ſubditi, vnde melior conſuetudo, vel deuotior cõmendatio ex tempore & iuſſione domni Ludouici, vel certè domni Caroli, ſiue etiam Pippini non exiſtit, ſaltem xx. diebus in anno, eidem Eccleſiæ ad reficiendas ipſius ruinas abſque moleſtia ſeruire ſinantur. Vbi autem & amplior commendatio, & melior cõſuetudo inde habetur, pro hac noſtra neceſſitudinis conſideratione non decidat.

LXIII. *Vt de manſo Eccleſiæ, aliiſve, indebitus cenſus à preſbyteris non exigatur.*

Vt ſecundum canonicam auctoritatem, & conſtitutionem domni Imperatoris Ludouici, de agro Eccleſiaſtico & manſo, ac manci-

Iuo P. III. cap. 36.

piis, quæ ipſe ſuis Capitulis conſtituit, vel ſi quilibet pro loco ſepulturæ aliquid largirus Eccleſiæ fuerit, neque de decimis & oblationibus fidelium, cuiquam presbyteros aliquem cenſum perſoluere cogar, nec quiſquam cuiuſlibet ordinis vel dignitatis exinde quicquam ſubtrahat, aut redhibitionem quamcumque exigat temporalem. Quòd ſi fecerit, communione vſque ad ſatisfactionem priuetur, & regia poteſtate hoc emendare legaliter cogatur.

LXIV. *De raptoribus virginum & viduarum, qui eas conſenſu parentum poſtea duxerunt.*

Raptores virginum & viduarum, qui etiam poſtea voluntate parentum eas quaſi deſponſantes ſub dotalitij nomine in coniugium duxerunt, publicæ pœnitentiæ ſubigantur, & poſt publicam pœnitentiam, prout præuiderit Epiſcopus, peractam, ne in peius corruant, iterum conuenientes, de cetero eleemoſynis & ceteris quibuſque religioſæ & ſaluificæ conuerſationis actionibus inſeruire procurent, vſquequo ab opere coniugali ex conſenſu ſe valeant abſtinere. Filij verò ex huiuſmodi vituperabili coniunctione ante coniugium etiam minus laudabile procreati, ad Eccleſiaſticam dignitatem nullomodo prouehantur: nec de tali coniugio generati Eccleſiaſticis ordinibus applicentur, niſi fortè eos, aut maxima Eccleſiæ vtilitas vel neceſſitas poſtulet, vel euidens meritorum prærogatiua commendet.

1. q. 7. Tali coniugio.

LXV. *De raptoribus virginum & viduarum, qui nondum eas ex voluntate parentum duxerunt.*

Iuo P. VIII. cap. 177. 36. q. 2. Si autē necdum eas.

Hi autem, qui necdum eas quas rapuerant, cum voluntate parentum, ſub præfato deſponſionis vel dotalitij nomine, in coniugium ſumptas habent, quando in omnium aures hæc fuerit conſtitutio promulgata, ab earum coniunctione ſeparentur, & publicæ pœnitentiæ ſubigantur: raptæ autem parentibus legaliter reſtituantur. Poſt peractam verò publicam pœnitentiam, ſi ætas & incontinentia exegerit, legitimo & ex vtriſque partibus placito coniugio ſocientur. Nam in his non regulam conſtituimus, ſed, vt verbis magni Leonis vtamur, quid ſit tolerabilius æſtimamus. Quòd ſi vnus ex coniugatis obierit, is qui publicam pœnitentiam egit, & ſuperſtes extiterit, iterare coniugium non præſumat, niſi fortè Epiſcopus præuiderit aliquam concedere indulgentiam, vt grauiorem poſſit amouere offenſam.

LXVI. *Vt qui deinceps virgines vel viduas rapere præſumpſerint, excommunicentur.*

Iuo P. VIII. cap. 178.

Quicumque verò deinceps rapere virgines vel viduas præſum-

pſerint, ſecundum ſynodalem B. Gregorij diffinitionem, ipſi & complices eorum anathematizentur, & raptores ſine ſpe coniugij perpetuò maneant. Gregor. II. ſyn Rom. cap.10.& 11.

LXVII. *De ijs qui ſanctimoniales rapiunt, & in coniugium ſumunt.*

Qui ſanctimoniales virgines vel viduas rapiunt, & progreſſu etiam criminis in coniugium ſumunt, publicæ pœnitentiæ, iuxta modum quem præuiderit Epiſcopus, ſubigantur. Ipſæ verò locis congruis pœnitentiæ retrudantur, & ad habitum religionis redire cogantur. vterque autem ſine vlla ſpe vxoriæ copulationis perenniter maneant. Si autem, quod abſit, coniugia iterare præſumpſerint, acriori ſubdantur vindictæ, & amplius propellantur. Qui ſi fortè obedire monitis ſalutaribus noluerint, anathematizentur. Iuo Part.vii. cap.70.

LXVIII. *De ijs qui alienas ſponſas rapiunt.*

De his qui ſponſas alienas rapiunt, vel conſenſu parentum accipiunt, antiqua & ſynodalis ſententia obſeruetur. Quòd etſi fortè in Eccleſia euentus talis reperiri dinoſcitur, vt pro ſalutis & religionis competentia humanius quiddam debeant tractare pontifices, ſicut canonica, vt eiſdem verbis vtamur, docet auctoritas: quia prior quidem, inquiens, definitio durins, poſterior autem quiddam tractauit humanius, nullomodo vt ad maximam indulgentiam deſcendamus, alterius ſponſæ acceptor ſine publica tranſeat pœnitentia, & ſponſo legaliter multam componat. Quòd ſi his obedire renuerit, ſine vlla refragatione anathematizetur: fautores verò illius, iuxta modum culpæ, Epiſcopali decreto pœniteant. Si verò, quod non optamus, de gradu Eccleſiaſtico talibus nuptiis ſe conſenſorem vel interuentorem manifeſtè prodiderit, à gradu proprio repellatur. Et ſi veriſimilibus exinde ſuſpicionibus fuerit propulſatus, & canonicè nequiuerit approbari, ſecundum ſanctorum patrum ſtatuta ſe purgare cogatur. Iuo P.viii. cap.170.

LXIX. *De eo qui viuente marito coniugem illius adulterauit, & illo mortuo ſumpſit.*

Is qui viuente marito coniugem illius adulteraſſe accuſatur, & eo in proximo defuncto, eamdem ſumpſiſſe dinoſcitur, omnimodis publicæ pœnitentiæ ſubigatur. de quo, etiam poſt pœnitentiam, præfata ſi expedierit ſeruabitur regula. Niſi fortè idem aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe notentur, aut propinquitas, vel alia quælibet actio criminalis impediat. quod ſi probatum fuerit, ſine vlla ſpe coniugij, cum pœnitentia perpetuò maneant, Si autem negauerit ſe eamdem feminam viuente marito nequaquam adulteraſſe, & præfati homicidij nemo eorum reus extiterit, Iuo P.viii. cap.101.

& probatis teſtibus neuter eorum conuinci potuerit, purgent legaliter famam ſuæ opinionis, & ſumpto vtantur coniugio, ſi alia, vt diximus, non præpedit ratio.

LXX. *De iis quæ ſub velamine religionis, quaſi ſanctimoniales degunt, & voluptatibus inſeruire dicuntur.*

Vt illæ, quæ quaſi ſanctimoniales ſub velamine religionis degere cognoſcuntur, ſed potiùs iuxta Apoſtolum in deliciis viuentes mortuæ in diuinis oculis computantur, libidinibúſque & ceteris carnis voluptatibus inſeruire accuſantur, ſi manifeſtè detegi potuerint, Epiſcopali auctoritate & regia poteſtate in talibus locis reſidere ſub teſtimonio religioſo cogantur, vbi pœnitentiam ſi fecerint dignam, adſequantur etiam fructuoſam. Si autem manifeſtè detegi non valuerint, erga Eccleſiam ſuæ opinionis malam famam legaliter purgare cogantur, & vt religioſiùs de cetero viuant, Epiſcopali decreto & regia poteſtate coërceantur.

1.Tim.5.6.

LXXI. *Vt auctoritatem regiam penes ſe habeant Epiſcopi, qua miniſtros reipublicæ, ſi eorum indiguerint adiutorio, conueniant.*

Vt auctoritatem ſigillo regio roboratam more tractoriæ Chriſtianiſſimus princeps ſingulis donet Epiſcopis, quam quiſque Epiſcoporum penes ſe habeat, vt quando ei neceſſe fuerit, per eamdem auctoritatem reipublicæ miniſtros conueniant, vt ipſi, in quibuſcumque ciuili indiguerit adiutorio, reipublicæ miniſtris concurrentibus, ſuum immo diuinum poſſit rite peragere miniſterium.

LXXII. *De ſepulturis infra Eccleſiam, & de ſepulcris non violandis, vel pecunia pro ſepultura non exigenda.*

Ivo Part.III. cap.221. Vt nemo quemlibet mortuum in Eccleſia, quaſi hereditario iure, niſi quem Epiſcopus, aut preſbyter pro qualitate conuerſationis & vitæ dignum duxerit, ſepelire præſumat. Nec quiſquam oſſa cuiuſlibet mortui de ſepulcro ſuo eiiciat, aut ſepulturam cuiuſquam temerario auſu quoquo modo violet: ſed vnumquemque in loculo ſibi à Deo præparato atque conceſſo, aduentum ſui iudicis præſtolari concedat. maximè, cùm non ſolùm diuinæ leges, ſed etiam & humanæ apud humanam rempubl. ſepulcrorum violatores reos mortis diiudicent. Sed & neque pro loco ſepulturæ, vt verbis ſancti Gregorij vtamur, pretium de terra conceſſa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium, aliquo modo tentet. Si quando autem proximi, vel heredes, ſponte aliquid offerre in Eccleſia voluerint in eleemoſynā defuncti, accipere non vetamus: peti verò, aut aliquid exigi, omnino prohibemus; ne quod valde irreligioſum eſt, aut venalis, quod abſit, Eccleſia dicatur, aut de humanis

Lib VII Indict.2.epiſt.55

mortibus videamur gratulari, ſi compendium exinde ſtudemus modo quolibet quærere.

LXXIII. *Vt erga Iudæos antiqua canonum & legum iura ſeruentur.*

Vt erga Iudæos à Chriſtianis principibus, ac ceteris omnibus Dei fidelibus, tam clericis, quàm laicis, viris ſeu feminis, ſacrorum canonum, & antiquorum regum atque legum iura ſeruentur. ex quibus pauca de multis ſubter adnotare curauimus.

CONSTANTINVS FLAVIVS Imperator Auguſtus. Si quis Iudæorum Chriſtianum ſeruum, vel cuiuſlibet alterius ſectæ, emerit & circumciderit, à Iudæi ipſius poteſtate ſublatus, in libertate permaneat. Interpr. l. 1. Cod. Theod. Ne Chriſt. manc.

THEODOSIVS ET VALENTINIANVS AVGVSTI. Iudæis vel paganis cauſas agendi vel militandi licentiam denegamus: quibus Chriſtianæ legis nolumus ſeruire perſonas, ne occaſione dominij ſectam venerandæ religionis immutent. Omnes igitur perſonas erroris infauſti iubemus excludi, niſi his emendatio matura ſubueniat. Valent. III. Conſtitutio cap. 5. ITEM IIDEM IMPERATORIS AVGVSTI. Hac victura in omne æuum lege ſancimus, neminem Iudæum ad honores & dignitates accedere, nulli adminiſtrationem patere ciuilis obſequij, nec defenſoris ſaltem fungi officio. Nefas quippe credimus, vt ſupernæ maieſtati & legibus Romanis inimici, ſub ſpecie cuiuſlibet officij, Chriſtianos, vel etiam ſacerdotes, ſub quacumque occaſione, iniuriis audeant fatigare, vel legis noſtræ aliquos aut condemnare, aut adiudicare præſumant. nec carcerali cuſtodiæ præſint, ne Chriſtiani, vt fieri aſſolet, nonnumquam abſtruſi cuſtodum odiis alterum carcerem patiantur. Nullam denuo audeant ſtruere Synagogam. Nam ſi fecerint, nouerint hanc fabricæ Eccleſiæ Catholicæ profuturam; & quinquaginta pondera auri auctores fabricæ eſſe multandos: ruinas tantùm Synagogarum ſuarum permiſſa licentia reparandi. Quicumque Iudæus ſeruum, ſeu ingenuum, inuitum vel ſuaſione plectenda ex cultu Chriſtianæ religionis in nefandam ſectam ritúmve traduxerit, amiſſis facultatibus capite puniatur, iuſtiſſimæ pœnæ ſanguinis deſtinatus, qui fidem alterius expugnauit peruerſa doctrina. Quicumque ex his ad honores irrepſit, habeatur vt antè conditionis extremæ, ne videamur hominibus execrandis contumelioſum immunitatis beneficium præſtitiſſe. Nouella 5. Theodoſij de Iudæis, &c.

CHILDEBERTVS REX FRANCORVM. Iudæis à cœna Domini vſque in primum Paſcha per plateas aut forum, quaſi inſultationis cauſa, deambulandi licentia denegetur.

GREGORIVS Papa Theodorico & Theodeberto regibus Francorum, & Brunechildæ Reginæ: Mirati ſumus, quòd in regno veſtro Iudæos Chriſtiana mancipia poſſidere permittitis. Quid enim ſunt omnes Chriſtiani, niſi membra Chriſti? Lib. VII. epiſt. 113. & 114. ET POST PAVCA. In hoc vos ampliùs petimus Dei cultores demonſtretis, quòd fideles eius ab inimicis eius abſoluitis. Lib. VII. epiſt. 35. ITEM IDEM ad Fortunatum Epiſcopum: Chriſtiana, inquit, mancipia, quæ à Iudæis adducuntur aut poſſidentur, aut mandatoribus contradantur, aut certè Chriſtianis emptoribus intra diem quadrageſimum venun-

dentur: & tranſacto hoc dierum numero, nec apud eos quolibet modo remaneant. Si autem quædam ex iiſdem mancipiis talem ægritudinem fortaſſis incurrerint, vt intra ſtatutos dies vendi non valeant, adhibenda ſollicitudo eſt, vt dum ſaluti fuerint priſtinæ reſtitura, ſimiliter modis omnibus diſtrahantur, & inde fraudis tollatur cuncta occaſio, ne Chriſtiana mancipia in domo Iudæi habitare ſinantur.

Conc. Epaon. can. 15. S. ALCIMVS AVITVS Eccleſiæ Viennenſis Epiſcopus, & S. Apollinaris Eccleſiæ Valentinæ, & S. Gregorius Lingonicæ Eccleſiæ Epiſcopus, & S. Viuentiolus Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus, cum aliis xx. Epiſcopis in nomine Domini congregatis, ita ſanxerunt: Si ſuperioris loci clericus hæretici cuiuſcumque conuiuio interfuerit, anni ſpatio Eccleſiæ pacem non habebit. quod iuniores clerici ſi præſumpſerint, vapulabunt. A Iudæorum verò conuiuiis etiam laicos conſtitutio noſtra prohibuit. nec cum vllo clerico noſtro panem comedat, quiſquis Iudæorum conuiuio fuerit inquinatus.

Conc. Agath. can. 40. S. CÆSARIVS Eccleſiæ Arelatenſis cum aliis xxxv. Epiſcopis: Omnes, inquiunt, deinceps clerici, ſiue laici, Iudæorum conuiuia euitent, & nec eos ad conuiuium quis excipiat: quia cùm apud Chriſtianos cibis communibus non vtantur, indignum eſt atque ſacrilegum, eorum cibos à Chriſtianis ſumi, cùm ea quæ Apoſtolo permittente nos ſumimus, ab illis iudicentur immunda: ac ſic inferiores incipiant eſſe catholici, quàm Iudæi, ſi nos illis, quæ ab eis apponuntur, vtamur, illi verò à nobis oblata contemnant.

Conc. Maticſc. I. can. 13. PRISCVS Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus, Arremius Senonicæ, Remedius Biturícæ, & S. Siagrius Æduorum Epiſcopus, cum ceteris pluribus, ſtatuta Eccleſiaſtica renouantes, ita definierunt: Ne Iudæi Chriſtianis populis Iudices deputentur, aut telonarij eſſe permittantur, per quod illis,

Ibid. can. 14. quod Deus auertat, Chriſtiani videantur eſſe ſubiecti. Vt Iudæis à cœna Domini vſque primum Paſcha, ſecundum edictum bonæ recordationis domni Childeberti regis, per plateas aut forum, quaſi inſultationis cauſa, deambulandi licentia denegetur. Et vt reuerentiam cunctis ſacerdotibus Domini, vel clericis impendant, nec ante ſacerdotes conſeſſum, niſi ordi-

Ibid. can. 15. nati, habere præſumant. Quòd ſi facere fortaſſe præſumpſerint, à Iudicibus locorum, prout perſona fuerit, diſtringantur. Et vt nullus Chriſtianus Iudæorum conuiuiis participare præſumat. Quòd ſi facere quicumque, quod nefas eſt dici, clericus aut ſæcularis præſumpſerit, ab omnium Chriſtianorum conſortio ſe nouerit coërcendum, quiſquis eorum impietati-

Ibid. can. 16. bus fuerit inquinatus. Et licèt quid de Chriſtianis, qui aut captiuitatis incurſu, aut quibuſdam fraudibus Iudæorum, ſeruitio implicantur, debeat cuſtodiri, non ſolùm canonicis, ſed & legum beneficiis iampridem fuerit conſtitutum: tamen quia nunc ita quorumdam querela exorta eſt, quoſdam Iudæos per ciuitates, aut municipia conſiſtentes, in tantam inſolentiam & proteruiam prorupiſſe, vt nec reclamantes Chriſtianos liceat vel ad pretium de eorum ſeruitute abſolui: idcirco præſenti Concilio ſancimus, vt nullus Chriſtianus Iudæo deinceps debeat deſeruire: ſed datis pro quolibet bono mancipio duodecim ſolidis, ipſum mancipium quicumque Chriſtianus, ſeu ad ingenuitatem, ſiue ad ſeruitium, licentiam habeat redimendi. quia nefas eſt, vt quos Chriſtus Dominus ſanguinis ſui effuſione

redemit, perſecutorum vinculis permaneant irretiti. Quòd ſi adquieſcere his quæ ſtatuimus quicumque Iudæus noluerit, quamdiu ad pecuniam conſtitutam venire diſtulerit, liceat mancipio ipſi cum Chriſtianis vbicumque voluerit habitare. Illud etiam ſpecialiter ſancientes, quòd ſi quis Iudæus Chriſtianum mancipium ad ritum Iudaicum conuictus fuerit perſuaſiſſe, & ipſo mancipio careat, & legali damnatione plectatur.

S. Lvpvs Trecaſſenorum Epiſcopus, & cum eo alij xx. & quatuor Epiſcopi, vel vicarij Epiſcoporum, ſimiliter in nomine Domini noſtri Iesv Chriſti congregati, pro cauſis corporis eius, quod eſt Eccleſia, inter multa hoc etiam ſtatuerunt: Quia Deo propitio ſub catholicorum regum dominatione conſiſtimus, Iudæi à cœna Domini vſque in ſecundam Sabbati in Paſcha, hoc eſt ipſo quatriduo, procedere inter Chriſtianos, neque catholicis populis ſe vllo loco, vel quacumque occaſione, miſcere præſumant. Conc. Aurel. III can. 30.

In Concilio Laodiceno ſtatutum eſt, quòd non oporteat à Iudæis, vel hæreticis, ea quæ mittuntur munera feſtiua ſuſcipere, nec cum eis feſta celebrare. Et quòd non oporteat à Iudæis azyma accipere, & communicare cum impietatibus eorum. Can. 37. & 38. Et in alio Concilio. Vt ſi quis Iudaicæ prauitati iugali ſocietate coniungitur, id eſt, ſi ſeu Chriſtiano Iudæa, ſiue Iudæo Chriſtiana mulier carnali conſortio miſceatur, quique horum tantum nefas admiſiſſe noſcuntur, à Chriſtiano cœtu atque conuiuio, & à communione Eccleſiæ protinus ſegregentur. Conc. Aruen. can. 16.

Ex* Concilio Toletano iv. cap. lviii. *De his qui contra fidem Chriſti Iudæis munus vel fauorem præſtant.* Tanta eſt quorumdam cupiditas, vt quidam eam appetentes, iuxta quod ait Apoſtolus, etiam à fide errauerint. 1. Tim. 6. 10. Multi quippe hucuſque ex ſacerdotibus atque laicis accipientes à Iudæis munera, perfidiam eorum patrocinio ſuo fouebant. qui non immeritò ex corpore Antichriſti eſſe noſcuntur, quia contra Chriſtum faciunt. Quicumque igitur deinceps Epiſcopus, ſiue clericus, ſiue ſæcularis, illis contra fidem Chriſtianam ſuffragium vel munere, vel fauore præſtiterit, vt profanus & ſacrilegus anathema effectus, ab Eccleſia catholica, & regno Dei efficiatur extraneus: quia dignum eſt, vt à corpore Chriſti ſeparetur, qui inimicis Chriſti patronus efficitur.

Item in eodem Concilio cap. lix. *De filiis Iudæorum, vt à parentibus ſeparati Chriſtianis debeant deputari.* Iudæorum filios vel filias, ne parentum vltra inuoluantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus, deputandos autem Monaſteriis, aut Chriſtianis viris ac mulieribus Deum timentibus, vt ſub eorum conuerſatione cultum fidei diſcant, atque in melius inſtituti, tam in moribus, quàm in fide proficiant. Vt mercatores huius regni, Chriſtiani, ſiue Iudæi, mancipia pagana, quæ per tot populos & ciuitates fidelium tranſeuntes ad manus infidelium & ſæuiſſimorum hoſtium noſtrorum perducunt, ex quo & ipſi infelices ſerui, qui ſi à Chriſtianis emerentur, poterant ſaluari, miſerabiliter pereunt, & inimicorum regni maximus numerus augetur, coërceantur à piis principibus noſtris, & intra Chriſtianorum fines vendere compellantur: ne tam horrenda crudelitate, & aperta infidelitate, & animarum damnis Deus exaſperetur, & vires hoſtibus augeantur.

LXXIV. *Vt potentes viri ac feminæ prouideant ne in ſuis domibus vigeant adulteria & libidines.*

Prouideant viri potentes, & maximè potentes feminæ, vt in ſuis domibus adulteria, & luxuriæ concubinaticæ, & inceſta adulteria non vigeant. Et ſuos preſbyteros, qui cum eis in Capellam vadunt, huiuſmodi virtutem habere faciant, quatenus omnia vitia in domibus ſuis reſecent, & oratione Dominicam ac ſymbolum cunctos tenere & frequentare compellant. quia parochiani preſbyteri, & Epiſcoporum miniſtri, de minoribus & vilioribus perſonis hoc prouidere ſtudebunt.

LXXV. *Vt Capellæ villarum regiarum non committantur laicis, ſed Eccleſiaſticis, & de Dominicis decimis.*

Indignum valde eſt, vt qui in regia dignitate ceteros Eccleſiæ filios auctore Deo præcellitis, negligentiùs quæ Dei ſunt exequi videamini. Vnde dignum erat, vt Capellas villarum veſtrarum laicis non committeretis; ſed potiùs illis, qui & eadem ſacrata loca religioſiùs tractarent, & vobis exinde adiuti obſequium debitum impenderent. Sed quia aliter cauſis interuenientibus res ſe habere dignoſcitur, monemus & hortamur, vt ſecundum canonicam auctoritatem, ne quod abſit periculum interdicti anathematis ex decimis præſumptis incurratis, ſi Capellas veſtras preſbyteris, aut viris Eccleſiaſticis dederitis, & Dominicas decimas acceperint, ſarta tecta Eccleſiæ & luminaria exinde competenter prouideant, & preſbyteri parochianas decimas accipiant, & populi neceſſitatibus debitè inuigilent. Si autem laici Capellas habuerint, à ratione & auctoritate alienum habetur, vt ipſi decimas accipiant, & inde canes aut geniciarias ſuas paſcant. Sed potiùs preſbyteri Eccleſiarum eas accipiant, & inde reſtaurationem Eccleſiarum, & luminaria, & hoſpitum ac pauperum receptionem exhibeant, & pro vobis ac ſtatu regni veſtri domini miſericordiam ſtudioſè implorent.

LXXVI. *Vt Comites, ſeu Iudices, placitum aut mallum non teneant poſt quartam feriam in capite ieiunij.*

Vt regia maieſtas obſeruare præcipiat omnibus Reipublicæ miniſtris, quod à diuina auctoritate & ſanctorum patrum conſtitutione cautum eſſe dignoſcitur: videlicet vt nemo Comitum, aut quiſquam ex iudiciaria poteſtate, poſt quartam feriam, quæ caput ieiunij nominatur, in qua omnes pœnitentes manus impoſitionem ad vacandum ſolummodo pœnitentiæ, & diuinis officiis accipiunt, placitum aut mallum tenere præſumant.

LXXVII. *Vt*

LXXVII. *Vt feriati ſint dies octo Paſchalis feſtiuitatis.*

Dies quoque octo ſacroſanctæ Paſchalis feſtiuitatis omnibus Chriſtianis feriatos eſſe decernimus, ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo, cæmentario, pictorio, venatorio, forenſi, mercatorio, audientali, ac ſacramentis exigendis. quatenus eiſdem diebus tanto licentiùs, quanto liberiùs, omnibus Chriſtianis ſanctæ reſurrectionis laudibus, & ſacroſanctæ prædicationi iugiter inſiſtere liceat. Quòd ſi quis temerare præſumpſerit, excommunicetur.

LXXVIII. *Vt Capitula à Karolo magno Imp. & à Ludouico Aug. promulgata obſeruari præcipiantur.*

Vt Capitula Eccleſiaſtica à domno Carolo magno Imperatore, necnon & à domno Ludouico pio Auguſto promulgata, obnixè obſeruari præcipiantur, ſicut & legalia obſeruanda eſſe noſcuntur.

LXXIX. *Vt qui hæc ſtatuta Epiſcopalia & regalia violarit, ſi clericus eſt, gradum amittat, ſi ſæcularis, honore ſuo priuetur.*

Hæc autem conſtituimus, non præiudicantes aut parui pendentes quæ à maioribus & prædeceſſoribus noſtris fortè ſeueriùs propter rigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſunt conſtituta: ſed tempori ſeruientes, & fragilitati delinquentium, fiſi de multimoda Dei miſericordia, ſi ſaltem his obedire voluerint, conſulentes, præſcripta taliter præfiximus, vt quicumque quæ à diuino ſpiritu per pontificalem auctoritatem, & regiam maieſtatem promulgata & prolata atque confirmata ſunt, contumaci atque rebelli animo contraire præſumpſerit, ſi Eccleſiaſtico ordine quælibet perſona fuerit honorata, Synodali auctoritate gradus proprij amiſſione multetur: ſi autem in ſæculari habitu qualibet poteſtate vel dignitate fuerit ſublimata perſona, honore, quo in republica fruitur, ſine retractatione à regia maieſtate priuetur, & inſuper exilij vel afflictionis cuiuſlibet, provt ordo Eccleſiaſticus, & regalis ſeueritas decreuerit, vltione plectatur.

XXC. *Concluſio ad regem, vt Capitula, quæ ipſe decreuit & manu ſua firmauit, re ipſa conſeruet.*

Vos ſimul cum iſtis & aliis Dei ac veſtris fidelibus, nós atque ſocios noſtros in Epiſcopali auctoritate rogaſtis, vt propter Deum & noſtrum miniſterium, iuxta cognitas neceſſitates, verum conſilium ſecundum Deum & ſecundum ſæculum inueniſſemus: quod & fecimus, iuxta quod Dominus inſpirare dignatus eſt, & veſtræ Chriſtianæ deuotioni verbis & ſcriptis protulimus. Quòd ſi illud pleniter, & in omnibus adimplere poteſtis, ſicut verbo & ſcripto vobis ex diuino mandato innotuimus, Deo agimus gratias. Si autem vultis, & adhuc non poteſtis, quanto plus perfectioni ad-

& rerum ſuarum diſpenſationis libertatem haberet, cum omni integritate tam noſtris quàm futuris temporibus Inſuper & auctoritatem atque conſenſum præcellentiſſimi, atque nobiliſſimi regis Karoli protulit, qui & idem Monaſterium, ſecundum morem prædeceſſorum ſuorũ, quaſi iure hereditario, in ſua familiaritate ac defenſione ab exordio regni ſui fauente Domino ſuſcepit, & veluti munus reuera Deo gratiſſimum, inter diuerſos turbines cauſatum, vt tranquillitate præcipuè ordini eidem congruente potiretur, Deo deuotiſſimè obtulit, ſuiſque ſacratiſſimis litteris promulgauit. Petiit itaque à nobis, quo ea quæ ſacris litteris piiſſimorũ principum confirmata fuerant, noſtra quoque auctoritate ex voluntate principis confirmarentur. Quod & nos iuſtum, & ordine noſtro dignum eſſe cenſuimus, tam pro reuerentia Dei, qui ipſum locum protegit atque prouehit, quàm & propter munus paſtorale gregis Chriſti ſuſceptum: nec non & ob eorũ dilectionem, qui ipſo in loco laudabiliter Domino hactenus famulantur. Nam ſicuti comperimus, ipſe locus venerabilis, Balthilde regina à Clothario filio ſuo impetrante, à ſanctis viris fundatus eſt, & ſacræ religionis normam, quam primo tempore ſuſcepit, inuiolatam deinceps retinuit: in tantum vt eos qui ſe fundauerant non modò æquauerit religione, ſed etiam penè ſuperauerit. Qua de cauſa & nobiliſſimi viri in eodem loco ad Dei ſeruitium ſponte confluxerunt, & eumdem locum tam nobilitate ſua, quàm & vitæ merito decorauerunt. Vnde factum eſt, vt ipſe locus familiarior dominis rerum fieret. adeo vt ſub ſua tutela reges atque reginæ eum ſuſciperent. Sed quia noſtris temporibus omnia ferè deprauata erant, cernentes religioſi viri eiuſdem loci electionis iura multis in locis non ſeruari, verentes ſimilia pati, ſacras litteras clementiſſimorum principum expetierũt, electionem ſibi, & rerum ſuarum liberam diſpoſitionem iuxta inſtitutionem diuinæ legis confirmantes. Nec eas ſufficere arbitrati, ex nutu nobiliſſimi atque præſtantiſſimi regis, noſtra quoque auctoritate ſibi eadem poſtulauerũt confirmari. Quod nos non immerito conceſſimus Primò quia patres & defenſores Eccleſiæ eſſe debemus. Deinde quia niſi pro talibus inuigilauerimus, rei fore ante conſpectũ diuinæ maieſtatis pertimeſcimus. Quocirca monemus atq; hortamur filios ac dominos noſtros piiſſimos principes, noſtri pariter & futuri tẽporis, quia penè in omnibus locis id confunditur, ſaltim propter amorem & reuerentiam Dei, & ſeruorum eius debitam dilectionem, inſuper & regni ſui proſperitatem atque augmentum, & electionis gratiam, & liberam diſpoſitionem facultatum ſuarum illi loco conſeruare ſatagant. & ſit in illo Monaſterio ſemper priuilegium electionis, ſicuti antiquitus in Eccleſiis electio cõſeruata fuit, non ſuppoſita, aut ſuffecta, ſed libera, iuxta auctoritatem canonicam, & regulam S. Benedicti. Quòd ſi aliquando contigerit, vt rector aliquis in eodem loco non dignè Deo viuat, aut fortè minùs officioſus circa principem ſit, hoc ſtatuimus, vt ſi ille propter ſuam negligentiam depoſitus fuerit, electio illis intemerata permaneat: videlicet vt eligant alterum, quem ad illud officium ſecundum monaſticam diſciplinam aptũ inuenerint. Non enim iuſtum, vt vnius culpa ſuper omnes redundet; neque vllo pacto rectum eſſe poteſt, vt vno peccante ſuper omnes vindicta conſurgat, aut cauſa vnius Eccleſia Chriſti ſua priuilegia perdat: ſed ſic vnius culpa reſecanda eſt, vt omnibus qui in eodem loco ſunt & venturi ſunt, cònſulatur. In ipſa porro electione regularis auctoritas conſeruetur. id eſt, vt ille præponatur ſanctæ congregationi, quem non multitudinis electio commendauerit; ſed quem ſanioris cõſilij, licet pauci numero, fratres elegerint, & quem vitæ meritũ, & ſapientię dignitas probabilem reddiderit. Quòd ſi aliquando cõtigerit, vt aliquis peruaſor, immo lupus ouilis Dominici, aut pecunia more Simonis, aut qualibet gratia, apud dominos rerũ Monaſterium illud impetrare voluerit: primò ſecundum canonicam auctoritatem, quia ſæculari poteſtate Eccleſiam Dei obtinere voluit, anathematizamus vnà cũ omnibus ſanctis patribus, qui ſacros canones edidere: quo non minus noſtra, nobis miſericordiſſima gratia Dei conlata, obligetur auctoritate, quàm & omnium præcedentium patrũ, qui pro ſtabilitate ſanctæ Dei Eccleſię huiuſmodi decreta protulerunt. Deinde inferimus, quia ſeruorũ Dei contubernium turbare voluit, exturbet illũ ſicuti Achan de terra viuentium, ſi tamen non citò reſipuerit. Si autem & impetrauerit, neque hîc, neque in futuro ſocietatem cum ſancta Dei Eccleſia habeat, quam infami ſatis exemplo contaminauit. Immo chorus omnium Eccleſiarum contra eum indeſinenter concrepet qui dixit, Hereditate poſſideam Pſal. 82. 13.

Eccleſiæ Epiſcopus, huic priuilegio auctoritate Epiſcopali aſſentiens ſubſcripſi.

IRMINFRIDVS ſanctæ Bellouacēſis Eccleſiæ Epiſcopus, huic priuilegio auctoritate Epiſcopali aſſentiens ſubſcripſi.

VVENILO ſanctæ Senonicæ Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, hoc priuilegium relegi, atque Epiſcopali auctoritate ratum decerneos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ſubſcripſi.

FVLCOINVS Taruanenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus, huic priuilegio auctoritate Epiſcopali aſſentieos ſubſcripſi.

HELIAS Carnotenſis Epiſcopus, hoc priuilegium relegi, atque Epiſcopali auctoritate ratum fieri dignum duxi.

RAGINARIVS ſanctæ Ambianenſis Eccleſiæ Epiſcopus, huic priuilegio auctoritate pontificali aſſentiens ſubſcripſi.

PRVOENTIVS ſanctæ Trecaſſinæ Eccleſiæ indignus Epiſcopus, huic priuilegio auctoritate Epiſcopali aſſentiens ſubſc.

ALDRICVS Cenomanēſium Epiſcopus.

AGIVS indignus Epiſcopus Aurelianenſis Eccleſiæ, huic priuilegio auctoritate Epiſcopali ſtabilito ſubſcripſi.

ERCHENRADVS Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopus, priuilegio Epiſcopali auctoritate ſtabilito ſubſcripſi.

FRECVLFVS Lexouienſis Eccleſiæ Epiſcopus Epiſcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris, &c.

SAXOBOVS Sagenſis Eccleſiæ Epiſcopus, hoc decretum conſenſi, & ſubſcripſi.

IMMO Nouiomagenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus, hoc priuilegium conſenſi, & ſubſcripſi.

ERLVINVS gratia Dei Conſtantiæ Epiſcopus hoc priuilegium conſenſi.

BALTFRIDVS Baiocenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.

LVDOVICVS Monaſterij pretioſiſſimorum Martyrum Chriſti Dionyſij ac ſociorum eius Abbas priuilegium hoc relegi, ratúmque decernens, &c.

RADBERTVS ipſius Monaſterij Abbas priuilegium hoc relegi, ratúmque habui.

ADALGARIVS Abba Monaſterij ſanctæ Crucis.

AINALDVS Abba S. Carileſi.

CAPITVLA EXCERPTA
IN VILLA SPARNACO.

HÆC QVÆ SEQVVNTVR CAPITVLA EXCERPTA ſunt à domno rege Carolo & principibus eius ex Capitulis quæ anno DCCCXLVI. ediderant Epiſcopi in Synodis, Vvenilo ſcilicet cum ſuffraganeis ſuis, Vrſmarus cum ſuffraganeis ſuis, Hincmarus cum ſuffraganeis ſuis. Et oblata ſunt eidem principi, ſicut ipſe iuſſerat, collecta ad relegendum in Sparnaco villa Remenſis Eccleſiæ. Et quia factione quorumdam motus eſt animus ipſius regis contra Epiſcopos, diſſidentibus primoribus regni ſui ab eorumdem Epiſcoporum admonitione, & remotis ab eodem Concilio Epiſcopis, ex omnibus illis Capitulis hæc tantùm obſeruanda & complacenda ſibi collegerunt, & Epiſcopis ſcripta tradiderunt, dicentes non ampliùs de eorum Capitulis, quàm iſta & iſta velle cum principe obſeruare.

COMMEMORATIONES CAPITVLORVM.

1. *De honore & cultu Eccleſiarum.*
2. *De honore Epiſcoporum, & veneratione ſeruorum Dei.*
3. *De iuſtitiis.*
4. *Vt cautela fiat erga eos, qui cauſa iuuentutis, aut inſipientia in aliquo fallunt, ſiue contemnunt admonitionem Epiſcoporum, ne ſubitò aut incautè damnentur anathemate.*
5. *De his qui contra regiam poteſtatem contumaces eſſe moliuntur.*
6. *De precariis.*
7. *De hoſpitalibus.*
8. *De rapacibus.*

9. Vt Epiſcopis tempus congruum obſeruetur, ad miniſterium ſuum peragendum.

10. Vt clerici arma militaria non contingant.

11. Vt Miſſi dirigantur, qui inquirant ſi præcepta à nobis de rebus Eccleſiarum ad proprium ſint facta.

12. De hæreſi Simoniaca.

13. Vt à nullo ſedes Epiſcopalis proprio infirmante Epiſcopo vſurpetur.

14. Vt canonici infra dormitorium dormiant.

15. Vt monachi ad palatium non veniant niſi cauſa obedientiæ, exceptis Abbatibus.

16. Vt laici decimas de Eccleſiis non contingant.

17. De ſanctimonialibus contra auctoritatem nuptis.

18. De ſponſis aliorum.

19. De ſepulturis infra Eccleſiam.

Plenitudo autem Capitulorum, quæ in plenitudine Synodalium actionum habentur, vnde hæ commemorationes excerptæ ſunt, ita per loca continentur.

1. DE honore & cultu Dei atque ſanctarum, &c.	*Synodi Meldenſis cap. 1.*
2. Sacerdotes ac ſerui Dei vigorem Eccleſiaſticum &c.	*Syn. Meld. cap. 1.*
3. Quia verò debitum eſſe cognoſcimus &c.	*Syn. Meld. cap. 3.*
5. Si quis poteſtati regiæ, quæ non eſt iuxta &c.	*Syn. Meld. cap. 15.*
11. Et ne magnificentiam veſtram illuc &c.	*Syn. Meld. cap. 20.*
6. Vt precariæ & commutationes tempore &c.	*Ibid. cap. 21. 22. 23.*
8. Vt contra deprædatores & oppreſſores &c.	*Syn. Meld. cap. 24.*
9. Vt regia magnificentia liberiorem &c.	*Syn. Meld. cap. 28.*
10. Vt quicumque ex clero eſſe videntur &c.	*Syn. Meld. cap. 37.*
7. Admonenda eſt regia magnitudo &c.	*Syn. Meld. cap. 40.*
12. Cauendum eſt, & ſummopere precauendum &c.	*Syn. Meld. cap. 43.*
13. Vt nemo Epiſcopo viuente Eccleſiam &c.	*Syn. Meld. cap. 47.*
14. Vt canonici in ciuitate & Monaſterij &c.	*Syn. Meld. cap. 53.*
4. Vt nemo Epiſcoporum quemlibet ſine certa &c.	*Syn. Meld. cap. 56.*
15. Vt monachi quibus Monaſteriorum cura &c.	*Syn. Meld. cap. 57.*
16. Hi verò qui ex rebus Eccleſiaſticis &c.	*Syn. Meld. cap. 62.*
17. Qui ſanctimoniales virgines vel viduas &c.	*Syn. Meld. cap. 67.*
18. De his qui ſponſas alienas rapiunt &c.	*Syn. Meld. cap. 68.*
19. Vt nemo quemlibet mortuorum in Eccleſia &c.	*Syn. Meld. cap. 72.*

ANNO CHRISTI 847. Apr. exeunte.

LEO IV. PAPA.

CAROLI CALVI REGIS 7.

ANNO CHRISTI 847. CAROLI CALVI REGIS 7.

CONCILIVM PARISIENSE.

IN QVO EBBONI, CVM DE EIVS DEPOSITIONE Sergij Papæ iuſſu inſtaurari iudicium cœpiſſet, Remenſis diœceſis, donec iudicio ſe ſiſteret, eſt interdicta.

NIHIL *intentatum à Lothario relictum eſt, quo Ebboni Remenſem Eccleſiam reſtitueret. Poſtquam enim pulſo ex ea iterum fugatóque Caroli regis metu parum ſucceſſiſſe animaduertit, quòd Romam cum Drogone Metenſi profectus anno* DCCCXLIV. *redintegrari ſe à Sergio Papa, & pallio donari fruſtra contenderat, Hincmarum autem illius loco Epiſcopum Remenſibus ordinatum cognouit; quod reliquum erat, egit apud Sergium, vt Ebbonis deiecti cauſam nouo iudicio retractari iuberet. Ceterùm Ebbo iudicij exitum reformidans aleam ſubire auſus non eſt. Quare à Synodo quæ Pariſiis conuenerat, diœceſis Remenſis aditu, donec ſe ſiſteret, abſtinere iuſſus, deſiſtere in poſterum maluit, nullámque amplius, quoad vixit, de repetenda ſede vocem emiſit. De hac ergo Ebboniani iudicij reparatione Flodoardus in hæc verba ſcribit lib.* III. *cap.* II. Emenſo, *inquit*, anno poſt Hincmari ordinationem, Lotharius pro contentione regni, quam erga fratrem ſuum Carolum habebat, cuius obſequiis idem Præſul fideliter adhærebat, contra eum commotus, epiſtolas à Sergio Papa exegit pro reparando iudicio de Ebbonis depoſitione. Vnde idem Papa litteras Carolo regi mittens, præcepit vt Guntbaldum Rotomagenſem Epiſcopum cum ceteris regni ſui, quos ipſe Guntbaldus ad hoc ſibi eligeret, Legatis eius obuiam Treueris ad hanc dirimendam querelam dirigeret, & Hincmarum Epiſcopum ad ipſam Synodum venire faceret. Ipſe quoque Guntbaldo litteris mandauit, vt cum poſt diem ſanctæ Domini reſurrectionis miſſos ſuos in ſeruitium Imperatoris mitteret, ipſe cum Epiſcopis prædictum locum hanc cauſam diffiniturus adiret. Sed & ipſi Hincmaro litteras miſit, vt ad idem veniret Concilium. Legatis itaque Sergij Papæ iuxta condictum tunc venientibus, Guntbaldus annuente rege Carolo cum Epiſcopis Synodum indixit, ad quam Ebbonem per litteras & legatos ex auctoritate prædicti Papæ conuocauit. Quò tamen Ebbo neque veniſſe, neque vicariam perſonam vel litteras canonicas miſiſſe traditur. Guntbaldus tamen & ceteri Epiſcopi, qui apud Pariſios tunc conuenerant, Vvenilo ſcilicet Eccleſiæ Senonicæ Metropolitanus cum diœceſaneis ſuis, Lantrannus Turonenſis cum ſuffraganeis ſuis, & ſpecialiter Hincmarus cum omnibus Remenſis diœceſeos Coepiſcopis, litteras ſuas ad eum miſerunt, ei diœceſim Remenſem interdicentes, vt non haberet dein licentiam ex ea quempiam ſollicitare, nec ſcripto, nec verbo, nec miſſo aliquo, donec ſecundum iuſſionem Sergij Papæ ipſis occurreret, & iuxta canonica & Apoſtolica ſtatuta diffinitionis ſententiam ab ipſis coram generali conuentu perciperet. Sed ille ad nullam Synodum, vel ad ſedem

bono ſit ita & in malo: & tales ſint in hoc mundo quidam, qui propter prædeſtinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non poſſint ab errore & peccato ſe corrigere. quaſi Deus eos feciſſet ab initio incorrigibiles eſſe, & pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes, & incorrigibilem eum reperientes, annuente atque iubente piiſſimo rege noſtro Hludouuico, decreuimus eum cum pernicioſa ſua doctrina damnatum mittere ad vos: quatinus eum recludatis in veſtra parochia, vnde primùm inordinatè receſſit: & non ſinatis eum ampliùs errorem docere, & ſeducere populum Chriſtianum. quia iam multos, vt audiui, ſeductos habet, & minus deuotos erga ſuam ſalutem, qui dicunt, Quid mihi proderit laborare in ſeruitio Dei? quia ſi prædeſtinatus ſum ad mortem, numquam illam euadam: ſi autem malè egero, & prædeſtinatus ſum ad vitam, ſine vlla dubitatione ad æternam requiem vado. Hæc ergo paucis vobis ſcripſimus, intimantes qualem eius doctrinam reperimus. Vos etiam valebitis de ore eius quod ſentit pleniùs audire, & quid inde agendum ſit, iuſtè decernere. Dominus omnipotens ſanctitatem veſtram bene valentem, & pro nobis orantem, in æternum conſeruare dignetur.

Anno Christi 848. Caroli Calvi Regis 9.

CONCILIVM APVD CARISIACVM.

IN QVO GOTHESCALCVS ITERVM DAMNATVS, presbyteri gradu eſt deiectus, virgiſque cæſus, atque in ergaſtulum retruſus.

De hac Synodo ſcribit etiam Hincmarus in illo eodem opere aduerſus Gotheſcalcum, vbi & Epiſcopos enumerat, qui interfuerunt, & quatuor Capitula profert, quæ ibidem ab Epiſcopis edita ſunt, oppoſita quatuor Capitulis Gotheſcalci. Inde igitur deprompta ſunt quæ ſequuntur. Inde, *inquit*, in Synodali conuentu in Cariſiaco palatio iterum auditur Gotheſcalcus ab Epiſcopis, & ceteris quamplurimis viris Eccleſiaſticis atque religioſis, qui eidem Synodo interfuerunt, videlicet Vvenilone Senenſium Archiepiſcopo, Hincmaro Remorum Epiſcopo, Fulcoino Morinenſium Epiſcopo, Teuderico Camaracenſium Epiſcopo, Hrothado Sueſſonicæ ciuitatis Epiſcopo, Ragenario Ambianenſium Epiſcopo, Immone Nouiomagenſium Epiſcopo, Erpoino Siluanectenſium Epiſcopo, Lupo Catalaunenſium Epiſcopo, Yrminfrido Beluacenſium Epiſcopo, Pardulo Laudunenſium Epiſcopo, Teutboldo prouinciæ Lugdunenſis, & Lingonicæ ciuitatis Epiſcopo, Gernobrio Turonenſium prouinciæ Epiſcopo, Rigboldo Remorum Chorepiſcopo, Vvitao Camara- Ex Cod. S. Remigij Rem.

cenſium Chorepiſcopo, & aliis, qui nunc Dei gratia Epiſcopi ordinati, tunc autem iam dictæ Synodo cum Epiſcopis ſuis ſecundum Eccleſiaſticum morem adfuerunt. Vvenilo ſcilicet, tunc cum Ragenario patre ſuo, nunc autem Rotomagenſium Archiepiſcopus, Æneas notarius ſacri palatij, & modò Pariſiorum Epiſcopus, Iſaac diaconus Parduli, & nunc Lingonicæ ciuitatis Epiſcopus. Sed & venerabiles Abbates Synodo ipſi interfuere, Ratbertus Corbeiæ, Bauo Orbacis, & Halduinus Altuillaris Monaſterij, aliíque Domini ſacerdotes & diaconi. Vulfadus quoque Remorum metropolis Oeconomus, & Rodoaldus Archidiaconus, cum aliis ſequentibus cleri ordinibus. In quorum præſentia idem Gotheſcalcus, ſicut & in Moguntina ciuitate, inuentus hæreticus, atque incorrigibilis, honore preſbyterali, quem per Rigboldum Chorepiſcopum, cùm eſſet Sueſſonicæ parochiæ monachus, inſcio ciuitatis ſuæ Epiſcopo, vſurpauerat potiùs quàm acceperat, abiectus, & pro ſua irreuocabili contumacia, ſecundum leges, & Agathenſes canones, & regulam ſancti Benedicti, vt improbus virgis cæſus, ſicut decreuerant Germaniæ prouinciarum Epiſcopi, ne aliis noceret qui ſibi prodeſſe nolebat, ergaſtulo eſt retruſus.

CAPITVLA QVATVOR APVD CARISIACVM in Synodo contra Prædeſtinatianos conſtituta.

I. *Quòd vna tantùm ſit prædeſtinatio Dei.*

Devs omnipotens hominem ſine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiſo poſuit, quem in ſanctitate iuſtitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio malè vtens peccauit & cecidit, & factus eſt maſſa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus & iuſtus, elegit ex eadem maſſa perditionis ſecundum præſcientiam ſuam, quos per gratiam prædeſtinauit ad vitam, & vitam illis prædeſtinauit æternam: ceteros autem, quos iuſtitiæ iudicio in maſſa perditionis reliquit, perituros præſciuit, ſed non vt perirent prædeſtinauit: pœnam autem illis, quia iuſtus eſt, prædeſtinauit æternam. Ac per hoc vnam Dei prædeſtinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iuſtitiæ.

II *Quòd liberum hominis arbitrium per gratiam ſanetur.*

Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Chriſtum dominum noſtrum recepimus: & habemus liberum arbitrium ad bonum, præuentum & adiutum gratia; & habemus liberum arbitrium ad malum, deſertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto ſanatum.

III. *Quòd Deus omnes homines velit ſaluos fieri.*

Deus omnipotens omnes homines ſine exceptione vult ſaluos fieri, licet non omnes ſaluentur. Quòd autem quidam ſaluantur, ſaluantis eſt donum: quòd autem quidam pereunt, pereuntium eſt meritum.

IV. *Quòd Chriſtus pro omnibus hominibus paſſus ſit.*

Chriſtus IESVS dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cuius natura in illo adſumpta non fuerit, ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit; licet non omnes paſſionis eius myſterio redimantur. Quòd verò omnes paſſionis eius myſterio non redimuntur, non reſpicit ad magnitudinem & pretij copioſitatem, ſed ad infidelium, & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, reſpicit partem. quia poculum humanæ ſalutis, quod confectum eſt infirmitate noſtra, & virtute diuina, habet quidem in ſe vt omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.

VVENILONIS ARCHIEPISCOPI SENONENSIS, & Gerardi Comitis Epiſtola ad Amulum Archiepiſcopum Lugdunenſem.

Petunt regis nomine, vt Bernum eius propinquum Auguſtodunenſi Eccleſiæ præficiat, & Godelſadum Cabilonenſi ordinet Epiſcopum.

REVERENTISSIMO ET CLARISSIMO PRÆSVLI Amulo Vvenilo Epiſcopus, & Gerardus Comes, plurimam ſalutem.

MVLTA & magna iuſſu domini regis ex eius parte familiariſſimè vobis mandata reuelaſſemus, ſi quod ipſe optauit, quod etiam ſuis vobis litteris ſignificauit, nos quoque plurimum voluimus, ad Auguſtodunenſem vrbem vacuum fuiſſet vobis expectationi noſtræ occurrere. Sed quia nuntij veſtri certiſſimas impoſſibilitatis veſtræ cauſas nobis prodiderunt, quæ copioſè multiplicitérque dicenda verbis nobis commiſit, ſenſuum veritate ſeruata, conati ſumus veſtræ ſapientiæ compendioſis litteris aperire. Præcepit itaque, vt eius vobis ſermonibus diceremus, ſe fideliter tenere, quòd rex regum idémque ſacerdos ſacerdotum, qui ſolus potuit Eccleſiam regere quam redemit, poſtquam humanitatem ſuam in cælum euexit, ſemper cum ſuis futurus diuinitate, poteſtatem ſuam ad eandem gubernandam Eccleſiam, in ſacerdotes diuiſit & reges, vt quod ſancti docerent pontifices, & ipſi implerent, & impleri facerent deuotiſſimi reges. Quamobrem ſe cupere debitam ſanctitati veſtræ impendere reuerentiam, ſicut ei quem ſciat diuinitatis cultum integrè velle ſeruare. Atque viciſſim poſtulare, vt cum eo tale fœdus concordiæ ineatis, vt vbicumque Eccleſiaſticæ vtilitati in portione regni ſibi collata, veſtræ auctoritatis diſpoſitione, in re tanta cupit conſulere, vnanimitate veſtri conſenſus continuò adiuuetur. Et ne vos longis ambagibus diutiùs fatigemus, recens incommodum Auguſtodunenſis Eccleſiæ, & prolixa perturbatio, flexit eius pietatem, vt ſua largitate, veſtráque promotione, talem ei præficiat, qui ruinas illius, & ſpiritaliter, &

Lupi Abbatis epiſt. 81.

ſæculariter ſtrenuè ſarcire ſufficit. Eſt autem, quem benignitati veſtræ plurimum commendat, propinquus eius Bernus, ab ætate memoriæ glorioſæ Imperatoris Ludouici tenerè educatus, & claris ornatus honoribus: quem & ipſe hoc ſuo tempore multis experimentis inuenit idoneum, & opitulante gratia Dei tanto negotio credit aptiſſimum. In hoc probatiſſimorum eius conſiliariorum acquieſcit conſenſus. Idque veſtræ prudentiæ dominus noſter nobis iuſſit ſuggerere, non eſſe nouitium, aut temerarium, quòd ex palatio honorabilioribus maximè Eccleſiis procurat Antiſtites. Nam Pippinus, à quo per maximum Carolum, & religioſiſſimum Ludouicum Imperatores duxit rex noſter originem, expoſita neceſſitate huius regni Zachariæ Romano Papæ, in Synodo, cui martyr Bonifacius interfuit, eius accepit conſenſum, vt acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis mederetur, ne fortè ſimplicitate pontificum poſſet contingere, quod in hac Æduorum vrbe euenit. Proinde ſuppetere, vt honorem à Papa Romano maioribus eius, & regibus & Imperatoribus conceſſum, & à Lugdunenſis Eccleſiæ Metropolitanis, cui auctore Deo præſidetis, numquam hactenus infirmatum, à vobis nulla veſtra iniuria conſequatur. Quòd ſi in hac parte ſpretus non fuerit, facturum ſe vt in regno eius veſtrum miniſterium debitam ſemper venerationem obtineat, & optatum exitum ſortiatur. Cuius petitioni noſtras nos ſupplices iungimus preces, vt quod tantis viris videtur optimum, vobis quoque complaceat: vt in obſequendo vobis, non ſolùm nos, verùm etiam illos faciatis, quod optamus, cupidiſſimos debitores. Idque impetratum amanter fidiſſima nobis familiaritate volumus, vt quod vobis Deus inſpirauerit, nobis quàm celerrimè litteris oſtendatis: vt per nos citiùs dominus noſter rex, quod plurimum cupit, beneuolam in ſe veſtram cognoſcens voluntatem, dignas Deo referat gratias, & antequam neceſſitate regni longiùs abductus damnoſam præſulis dilationem recipiat, vobiſque fidiſſimum adiutorem dirigat ordinandum. Godelſadum etiam, quem ex palatio ſuo, more prædeceſſorum regum maiorum ſuorum, vt antè monſtratum eſt, Cabilonenſi præfici Eccleſiæ flagitat idem rex, in hac quadrageſima non grauemini ordinare. Quòd ſi per abſentiam Teutboldi Epiſcopi viſum fuerit impoſſibile, quocumque tempore conſtitueritis, congruum vobis curabimus ex Epiſcopis noſtris facere ſupplementum: vt quod proſit populo Chriſtiano abſque dilatione per vos Deus implere dignetur.

CONCILIVM TVRONENSE IV.

ADVERSVS NOMENOIVM BRITANNICÆ
gentis Ducem, ab Epiſcopis quatuor prouinciarum celebratum,
anno Chriſti DCCCXLIX. Leonis IV. Papæ, anno III. Caroli Calui Regis x.

SYNODICA CONCILII AD NOMENOIVM Ducem, qua illum Epiſcopi de multis exceſsibus, & de reiectis Papæ litteris arguunt, monéntque vt reſipiſcat.

LANDRANNVS Turonum Metropolitanus Epiſcopus, Lupi Abbatis epiſt. 84.
Dodo Andegauorum, Aldricus Cenomanorum, Vvenilo
Senonum Metropolitanus Epiſcopus, Heriboldus Autiſiodori Epiſcopus, Prudentius Tricaſſinorum, Agius Aurelianorum, Ercanradus Pariſiorum, Hucbertus Meldorum, Helias Carnutum, Herimannus Niuernorum, Hincmarus Remorum Metropolitanus, Immo Nouiomagi, Pardulus Lauduni, Rhotadus Sueſſionum, Hilmeradus Ambianorum, Erpoinus Siluanecti, Hermenfridus Bellouacorum, Paulus Rotomagi Metropolitanus Epiſcopus, Saxobodus Saiorum Epiſcopus, Freculfus Lexouiorum, Vvaltfridus Baiocenſium, Nomenoio Priori gentis Britannicæ ſalutem, quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro. DOMINVS quidem Deus occulto, iuſto tamen iudicio permiſit eſſe te rectorem gentis tuæ. In quo tamen regimine qualem te exhibueris, teſtis eſt conſcientia tua, & amaræ querimoniæ diuerſarum Eccleſiarum, & afflictiones nobilium & ignobilium, diuitum & pauperum, viduarum & orphanorum, quos damnabili cupiditate, & horribili crudelitate vexaſti. Sed quia Chriſtianum nomen non penitus abiecisti, & nos ex Apoſtolica ſucceſſione debitores ſumus omnibus, vt bene agentes ad perſeuerantiam exhortemur, delinquentes autem ad pœnitentiam auctoritate diuina prouocemus; vehementiſſimè tuis exceſſibus condolemus, & à tuo intuitu paterna, & Epiſcopali ſollicitudine te cupimus reuocare. Cupiditate tua vaſtata eſt terra Chriſtianorum, templa partim deſtructa, partim incenſa cum Sanctorum oſſibus, ceteriſque reliquiis. Poſſeſſiones Eccleſiarum, quæ fuerunt vota fidelium, redemptio animarum, patrimonia pauperum, illicitè in tuos vſus redacta. hereditates nobilium ablatæ, & maxi-

ma multitudo hominum & interfecta, & ſeruitute oppteſſa. rapinæ crudeliſſimæ petpetratæ, adulteria & corruptiones virginum paſſim commiſſæ. Epiſcopi legitimi ſedibus propriis expulſi, & vt mitiùs loquamur, quia dicere nolumus fures & lattones, mercenarij introducti. Patroni noſtri beati Martini quondam diœceſis, ex qua vos eſſe negare non poteſtis, violata. omnes poſtremò Eccleſiaſtici ordines perturbati, quod nimis dolendo & compatiendo dicimus. Satis hæc ad tuam perditionem ſufficiebant. Sed ad cumulum malorum auxiſti temeritatem, & omnem læſiſti Chriſtianitatem, dum vicarium beati Petri Apoſtolicum, cui dedit Deus ptimatum in omni orbe terrarum, ſpreuiſti. Cùm enim eum poſtulaſſes, vt in libro ſuo te ſcriberet, & pro te Dei clementiam exoraret, & ille directis litteris ſe id facturum promiſiſſet, ſi ſe monentem obedienter audires: non ſolùm nihil eorum quæ mandauerat feciſti; ſed ne littetas quidem ipſas recepiſti. Et quia nolebas à malo deſinere, timuiſti bene monentem audire. In eo igitur læſiſti Apoſtolos, quorum eſt ptinceps Petrus, læſiſti Epiſcopos, qui iam cum Deo regnant in cælis, & miraculis coruſcant in terris: læſiſti & nos, qui etſi non habemus eorum meritum, idem tamen diuina gratia poſſidemus officium. Nuper etiam excipiens Lantbertum, quem Eccleſia materna pietate ex aliqua parte receperat, ea ſcilicet conditione, vt ſe cotrigeret, & mala ſolita perfectè declinaret, feciſti te patticipem, immo auctorem perturbationis populi Chriſtiani. Eum enim amator pacis dominus noſter rex, etiam ad tuam ſuaſionem, remouerat à finibus tuis, & aliis honoribus decorauetat: & nunc eum tebellare conantem velut in gremium recepiſti, & vt in malo ptoficiat fauete non deſinis. Iube adferri libros
2.Par.19.a. tuos, & in eis comminantem Dominum audies: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris*: & non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus dignos eſſe morte inuenies. Nec ignoras, quòd certi fines ab exordio dominationis Francorum fuerint, quos ipſi vindicauerunt ſibi, & certi quos petentibus conceſſerunt Britannis. Quomodo ergo deſpicis legem Dei, quæ præcepit, ne ttanſgrediaris terminos quos poſuerunt patres tui, & terram Ftancorum iniuſtè tibi defendere co-
Deut.27.17. naris, nec formidas illud: *Maledictus qui tranſgreſſus fuerit terminos proximi ſui?* O quid facturus es in die magni iudicij, cùm tibi reddenda erit ratio de tuis annis, menſibus, horis, momentis? Et hoc erit celeriter. Verum eſt enim, quòd iuuenis poſſit citò mori, ſed ſenex diu non poſſit viuere. Ante te prolixum ſæculum, poſt te quoque Deo certum eſt quantum durabit. Pro hac vita breuiſſima noli tibi ſempiternam miſeriam comparare. Niſi deponas peruaſionem alienorum, oppreſſiones omnium, ſocietates perditorum, & recipias admonitionem ſedis Apoſtolicæ, noſtræque vnanimitatis, non tibi prodeſſet fides, nec quæcumque pietas, aut bona opera.
Math.7.21. Quod ſaluator dicit: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Cogita quid meteatur qui ſcandalizauerit vnum de puſillis, & ita poteris colligere quàm ingentem ſis perlaturus, niſi teſipueris, damnationem, qui partem maximam populi Chriſtiani grauiſſimè perturbaſti. Quamobrem monemus te, obſecramus, obteſtamúrque tuæ ſalutis cupidi, pone finem malis tuis, conuertere ad Dominum, cuius nemo noſtrûm poteſt effugere iudicium. Fac fructus dignos pœnitentiæ: hoc eſt, quia gran-

diter deliquiſti, granditer bona exerce: vt non ſolùm non torqueatis cum diabolo & reprobis in inferno; verùm etiam gaudeas cum Deo & electis eius in cælo. Id tibi quoque pollicemur, quia ſi te Deo reſtituetis, apud eum interceſſores pro peccatis tuis eſſe cupimus, & apud pium principem noſtrum, vt tibi tuæque poſteritati benignè conſulat, conabimur obtinere. Maximum reatum te contraxiſſe ſcimus, quòd epiſtolam ſedis Apoſtolicæ reſpuiſti, exiſtimans aliqua in ea tibi noxia contineri. Sed quòd exemplar eius venerabilis Papa nobis dignatus eſt dirigere, notum tibi facimus, nihil in ea contineri, quod ad tuam pertineat læſionem. Et propterea parati ſumus, ſi vis, ſecundò legatum ſedis memoratæ cum ſcriptis toti mundo venerandis dirigere. Quòd ſi eum non receperis, nos qui monuimus excuſabiles erimus. Sin autem receperis & auſcultaueris, & Dominum & beatum Petrum propitios, & nos habebis in fide coniunctos, & interceſſores proficuos. Si verò nos benignè monentes contempſeris, certum tibi ſit, numquam tibi futurum locum in cælo, & citò non futurum in terra: quòd tua culpa ſeparatus ab Apoſtolica & noſtra ſocietate anathematis vltione, locum habebis, quod auertat Deus, in tartaro. Hæc etiam per tuum miniſterium denuntiamus Lantberti hominibus, & quibuſlibet gentis tuæ: quòd ſi communicauerint ipſi, & rebellioni eius conſenſerint, anathemate condemnabuntur, & traditi Satanæ ſine fine peribunt. Conuerſos autem recipimus, & in pace Chriſtiana permanere optamus, atque pro eis parati ſumus domini noſtri regis clementiam quantum poſſumus flectere.

LEONIS IV. PAPÆ EPISTOLA I.
Ad Prudentium Epiſcopum Tricaſſinum.

Vt Monaſterium ab Adremaro conſtructum conſecret.

LEO EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI reuerentiſſimo & ſanctiſſimo Prudentio Tricaſſinæ ſedis Epiſcopo ſalutem.

COGNOSCAT prudentia ſanctitatis tuæ, qualiter hic religioſus monachus, Adremarus nomine, cum monachis ſuis, cum ſumma deuotione, ad laudem & gloriam ſanctæ Trinitatis, & remedium animæ ſuæ ſuorúmque omnium, in honorem B. Petri Apoſtolorum principis, ſeu & S. Leonis eiuſdem vicarij Papæ, Monaſterium deſiderat conſecrare, & ſitum ac ſtructuram eius ſancti cœnobij in rebus iuris iam dicti B. Petri Apoſtoli, quæ eius verè ſunt, fundare ac conſtruere. quæ res prædictæ Guidoni glorioſiſſimo Comiti per præceptum pontificale donatæ ſunt. Quam ob cauſam iubemus ac hortamur ſanctitatem tuam, vt quando ab illius prædicti monachi fueris humilitate poſtulatus, illuc accedere debeas, & loco, quem vobis ſignificauerit, ipſas illic reliquias ſupranominatorum ſanctorum, quas à nobis accepit, eo tenore & conditione recondas atque conſecres, vt ſemper & perpetualiter ſub iure ac po-

teſtate ſanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ iam fatum Monaſterium conſiſtat atque permaneat. Sanctitatem tuam omnipotens Deus incolumem cuſtodiat, frater. Bene vale.

LEONIS IV. PAPÆ EPISTOLA II.

Ad Epiſcopos Britanniæ.

Docet Epiſcopos Simoniacos in Concilio iudicandos eſſe: deinde reſpondet aliis eorum conſultationibus.

LEO OMNIBUS REVERENTISSIMIS ET SANCTISſimis confratribus Britannicæ gentis Epiſcopis.

QVANTO ſtudio quantáque ſolertia gregem vobis à Domino commiſſum paſcitis, diuiniſque fouetis eduliis, nobis directa ſcripta reſerarunt. Vnde non modica exultatione congratulor, & tantarum ambiguitatum indagatione lætificatus, à timore negligentiæ, qui me illius regionis in infimis deprimebat, quaſi à graui languore releuatus, & vt pote ſanus, licet omni ſalute captus, magis animo ſoſpes ſurrexi, quàm corpore. quia cùm quoſdam laicorum in Eccleſiaſticis cognoueram curis præpollere, & ſtudioſo animo ab illorum reſpondere vigilantiis cogerer, nihil aliud vos, qui diuinis negotiis & Eccleſiaſticis ſorte veniſtis, quàm crederem dormitare: nunc diuina gratia hi confratres noſtri, videlicet talium & tales Eccleſiarum præſules, ad nos perducti & cogniti, magis ſecurus nunc duro, quàm antea. Legationem denique communem omnium Epiſcoporum reuerentiſſimorum nobis propoſitam delinquentes, requiritis de his qui turpiſſimo lucro columbas in templo Domini vendere non pertimeſcunt, & ſua acta improba temeritate Simonis hæreſi coniungunt, vtrum poſſint in ordine pœnitentiam agere, aut tantummodo extra ordinem & ſacerdotalem fieri gradum. Quibus nos quidem conuictis, qui tam deteſtabile nefas, quod iam multis eſt damnatum Conciliis, peregiſſe noſcuntur, nulla pœnitentia poſſumus ſubuenire, & tot ſpiritalibus patribus obuiare: ſed in illorum patrum me ſententia conuenire omnibus certum ſit. Ita tamen vt omnia in Conciliis ſint Epiſcoporum. Nam nullam damnationem Epiſcoporum eſſe vnquam cenſemus, niſi aut ante legitimum numerum Epiſcoporum, qui fit per XII. Epiſcopos, aut certè probata ſententia, per LXXII. idoneos teſtes, qui tales ſint, qui & accuſare poſſint, & priùs ad ſacra Chriſti quatuor Euangelia ſacramenta præſtent, quòd nil falſum depromant, ſicut nobis B. Silueſter tradidit, & Romana ſancta tenere videtur Eccleſia. Et ſi inter eos, quos damnandos eſſe dixerint homines, fuerit Epiſcopus, qui ſuam cauſam in præſentia Romanæ ſedis Epiſcopi petierit audiri, nullus ſuper illum finitiuam præſumat dare ſententiam: ſed omnino eum audiri decernimus. De cetero verò, quod nobis apicibus veſtris factum eſt clarum, quid vel qualiter de ipſis capitulis interrogatis debeam reſpondere, vnde precibus veſtris annuere curauimus, & ſingillatim quid agendum eſt, ſiue expoſito à ſanctis patribus, ſiue more antiquitus tradito, curauimus demonſtrare.

1. q. 7. Requiritis de iis.

2. q. 4. Nullam damnationem.

I. Ad quos Eccleſiaſticus ordo pertineat.

Primo quidem capitulo dictum, cui Eccleſiaſticus ordo pertineat: quod Epiſcopis & clericis ordinatis pertinere non dubium eſt. quod vos ignorare minimè credimus, ab ipſis Apoſtolicis viris cognoſcitis. Et cùm in ſacris Conciliis ab Epiſcopis promulgatæ ſint regulæ & receptæ, quis extra Epiſcopos promulgator canonicarum quiuerit eſſe ſententiarum?

II. Vnaquæque parochia Epiſcopi prouiſione regenda.

Regenda verò eſt vnaquæque parochia, ſub prouiſione ac tuitione Epiſcopi, per ſacerdotes vel cæteros clericos, quos ipſe cum Dei timore prouiderit, cui iure pertinere videtur & circumire, vt ſibi neceſſarium viſum fuerit Eccleſiaſtica vtilitate cogente. 10. q. 1 Regenda eſt vnaquæque.

III. Non cogendus presbyter ad ſacra Concilia eulogias deferre.

De eulogiis ad ſacra Concilia deferendis nihil inuenimus à maioribus terminatum, ſed ſicut vnicuique presbytero placuerit. Nam ſi conſtitutum fuerit illo in tempore benedictiones adferri, forſan minùs libenter ad Synodos occurrent, & magis venire detrectabunt. quæ vt arbitror non ſunt rationabiliter requirendæ, nec vltro delatæ reſpuendæ. D. xviii. De eulogiis.

IV. Sors nihil aliud, quàm diuinatio & maleficium.

De expetentia autem diuinationum vel maleficiorum, ſcriptum quidem in ſacris habemus canonibus, vt ipſa verba ponamus, ita: Qui diuinationes « expetunt, & morem gentilium ſubſequuntur, aut in domos ſuas huiuſce- « modi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expian- « di cauſa, ſub regula quinquennij iaceant. Vnde ad illorum ſimilitudinem, « ſortes, quibus cuncta vos in veſtris diſcriminatis iudiciis, nihil aliud quàm quod illi patres damnarunt, diuinationes & maleficia eſſe decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & vltra inter Chriſtianos nolumus nominari, & vt abſcindantur, ſub anathematis interdicto præcipimus. Conc. Ancyr. can. 23. 26 q. 1. Sortes quibus.

V. Vt nullus de propria cognatione coniugem ſibi copulet.

Vt definitum eſt à patribus, nullus de propria cognatione ſibi audeat copulare, alioqui anathema ſit. Vnde beati iunioris Gregorij decreta eximiè ſunt tenenda. Ioo P. ix. cap. 11.

VI. Per quæ decreta iudicare debeant Epiſcopi.

De libellis & commentariis aliorum non conuenit aliquem iudicare, & ſanctorum Conciliorum canones relinquere, vel decretalium regulas, id eſt quæ habentur apud nos ſimul cum illis in canone, & quibus in omnibus Eccleſiaſticis vtimur iudiciis. id eſt Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Calchedonenſium, Sardicenſium, Carthaginenſium, Africanenſium: & cùm illis regulæ Præſulum Romanorum, Silueſtri, Siricij, Innocentij, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, Gelaſij, Hilari, Symmachi, Simplicij. Iſti omnino ſunt, per quos iudicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul & clerici D. xx. De libellis.

iudicantur. Nam ſi tale emerſerit vel contigerit inuſitatum negotium, quod minimè poſſet per iſtos finiri, tunc ſi illorum, quorum meminiſtis, dicta Hieronymi, Auguſtini, Iſidori, vel ceterorum ſimiliter ſanctorum doctorum ſimilium, reperta fuerint, magnanimiter ſunt retinenda ac promulganda, vel ad Apoſtolicam ſedem referatur de talibus. Quam ob cauſam luculentiùs, & magna voce pronuntiare non timeo, quia qui illa, quæ diximus, ſanctorum patrum ſtatuta, quæ apud nos canones prætitulantur, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue clericus, ſiue laicus, non indifferenter receperit, ipſe ſe conuincit nec catholicam & Apoſtolicam fidem, nec ſancta vera Chriſti Euangelia quatuor vtiliter & efficaciter, & ad effectum ſuum retinere vel credere.

FRAGMENTA QVÆDAM ALIARVM EPISTOLarum Leonis IV. Papæ.

Ex Epiſtola ad Nomenoium Ducem Britanniæ.

Vt Giſlardum inuaſorem ſedis Namneticæ defenſare deſinat.

7 q. 1. Non furem. NOn furem & latronem, qualem Giſlardum ſentimus eſſe in Namnetica ſede, qui viuentis, quod non licuit, locum non timuit vſurpare, pro cuiuſcumque muneris donis vltra debes defenſare.

Ad Lotharium Auguſtum.

Cur Alteo Epiſcopo Auguſtodunenſi pallium non concedat.

Iuo P. iv. cap. 210. MANDASTIS vt priuilegium & pallium Alteo Epiſcopo concederemus. Vnde poſcimus vt veſtra ſuper hoc magnitudo non indignetur. quoniam quod ab ipſo ſanctiſſimo Papa Gregorio, vſque ad hæc tempora noſtra factum minimè recordamur, facere non potuimus, neque præfixos patrum terminos immutare.

ITEM. Quod iuſta & ſedula nos imitari conſuetudo non præcipit, ita ab hac veluti à magno nos præcipitio cuſtodire oportet.

Ad Hincmarum Archiepiſcopum.

Cur Synodi Sueſſionenſis confirmationem differat.

Ex Hincmari epiſtola ad Nicolaum. CAVSAS pro quibus hoc vſque ad tempus ſuſpendimus, caritati veſtræ dicernus. Prima igitur hæc eſt quia ſicut ab Epiſcopis prænominata Synodus vtiliter ventilata, ſiue ſopita eſt; ita per aliquos ex eis, vt dubitatio foret radicitus euulſa, ſtatuta veſtræ Synodi deſtinare debuiſtis. Alia autem iuxta votum veſtri deſiderij id nos perficere minimè permiſit, eo quòd legati ſedis Apoſtolicæ præſentes ibidem non fuerunt. Neque Imperialis epiſtola nobis talis eſt præſentata, quæ hoc quod expetendum miſiſtis, ſpecialiter indicare potuiſſet. Quarta ſcilicet cauſa hæc eſt, quia hi, quos depoſitos caritas veſtra auctoritate Synodi fore affirmat, per proprias litteras ſedem Apoſtolicam appellarunt, & volunt iterum noſtra ſe Apoſtolica audiri præſentia.: & tunc ſi culpabiles inuenti fuerint, non ſe abnuunt canonicam ſuſtinere cenſuram.

Ad Hincmarum eumdem.

De eadem Synodo duobus legatis demandatum ſcribit.

SED ad veſtras petitiones exequendas & obtinendas Petrum venerabilem, & dilectiſſimum nobis, Spoletanum Epiſcopum, viua voce noſtra vice executorem inſtruximus: & alium Petrum venerabilem æquè, & amantiſſimum, Epiſcopum Aretinum litteris commonuimus, & alios fideles veſtros atque noſtros ſimiliter inde monuimus, *& reliqua.* Ex eadem.

CONCILIVM SVESSIONENSE II.

IN MONASTERIO SANCTI MEDARDI APVD Sueſſiones; præſente Carolo Caluo rege, à quinque prouinciarum Epiſcopis celebratum, die x. Kalendas Maias, Indictione I. hoc eſt anno Chriſti DCCCLIII. Leonis IV. Papæ anno VI. Caroli eiuſdem Regis XIII.

TITVLI CANONVM.

1. De clericis ab Ebbone poſt depoſitionem perperam ordinatis: & de legitima Hincmari ſucceſſoris eius ordinatione.
2. Hermanni Epiſcopi Niuernenſis Eccleſia, propter ipſius infirmitatem, Vueniloni Archiepiſcopo commendata.
3. De Burchardo Carnutum Epiſcopo cedere vel ordinari iuſſo.
4. Aldrici Epiſcopi paralyſi laborantis Eccleſia eius Metropolitano commendata.
5. Duo monachi presbyteri, Pippinum è ſancti Medardi Monaſterio abducere conati, depoſiti atq. in diuerſa Monaſteria relegati.
6. De Ragamfrido diacono, qui præcepta falſa regio nomine condidiſſe dicebatur.
7. De Miſſis ad inſtaurandum Dei cultum per ſingulas prouincias dirigendis.
8. Vt Eccleſiæ immunitatem olim adeptæ in perpetuum illa fruiſinantur.
9. Vt ex poſſeſſionibus Eccleſiaſticis nonæ ac decimæ perſoluantur.
10. Vt in locis ſacratis iudicia publica non exerceantur.
11. Vt diſciplina Eccleſiaſtica noxios nemo audeat tueri.
12. Vt inceſti & alij perditi, qui Epiſcoporum examen refugiunt, per iudices publicos compellantur.
13. Vt nullæ res Eccleſiaſticæ abſque regis permiſſu commutentur.

PRÆFATIO.

REGNANTE in ſempiternum Domino Deo vniuerſorum, anno Incarnationis eiuſdem Domini Dei noſtri IESV Chriſti DCCCLIII. anno verò regni glorioſi Caroli filij Ludouici religioſiſſimi Auguſti XIII. Indictione I. Epiſcopis iuxta inſtituta canonum Synodum celebrare volentibus annuit idem Rex Carolus, eóſque ad vrbem Sueſſionum, in Monaſterio S. Medardi & S. Sebaſtiani, x. Kalendas Maias conuenire præcepit. vbi poſthabitis ſæcularibus curis, ipſe quoque Rex adeſſe dignatus eſt: vt non ſolùm deuotione Eccleſiæ ſe filium eſſe oſtenderet, verùm etiam, ſicubi opus eſſet, protectorem regia poteſtate monſtraret.

CANONES.

I. *De clericis ab Ebbone poſt depoſitionem perperam ordinatis: & de legitima Hincmari ſucceſſoris eius ordinatione.*

CVM itaque præſules diuerſarum Eccleſiarum, pio rege multa humiliter & prudenter proponente, tractaſſent potiùs quædam quàm diffiniuiſſent, VI. Calendas Maij Synodo præſidentibus Hincmaro Remorum, Vvenilone Senonum, Amalrico Turonorum Metropolitanis Epiſcopis, idem Remorum Metropolitanus Epiſcopus venerabilis Hincmarus oſtendit, non paucos à deceſſore ſuo Ebbone, poſtquam canonicè depoſitus fuiſſet, nec verò canonicè reſtitutus, irrationabiliter ordinàtos. Iam rex abſque vlla ambitione Synodum ſolus ingreſſus ſimpliciter cum Epiſcopis reſidebat. Serie igitur depoſitionis memorati Ebbonis pleniſſimè prolata, multis Metropolitanis, pluribúſque aliis Epiſcopis, qui auctores fuerunt, recitatis, reſtitutionis autem illius non canonicæ, immo nec veriſimilis, paucis admodum & aliarum regionum præſulibus nominatim expreſſis; claruit præfatum Ebbonem Epiſcopale officium illicitè repetiiſſe, quóſque gradibus Eccleſiaſticis æſtimatus fuerit promouiſſe, damnationi potiùs obnoxios effeciſſe: Hincmarum autem ſucceſſorem eius canonicis ſanctionibus cautè, ac ſubtiliter obſeruatis ad ſedem acceſſiſſe, & præter decreta maiorum in hac parte nihil omnino moliri, ſicut in geſtis ſynodalibus exinde ab Epiſcopis eiuſdem Concilij more canonico confirmatis pleniùs edocetur.

II. *Herimanni Epiſcopi Niuernenſis Eccleſia, propter ipſius infirmitatem, Vveniloni Archiepiſcopo commendata.*

Poſtmodum venerabilis Vvenilonis Senonicæ vrbis Metropolitani Epiſcopi ſuffraganeus Niuernenſis Eccleſiæ, nomine Herimannus, pro ſuis exceſſibus, quos corporali moleſtia ſæpè dicebatur admittere, à ſanctis præſulibus modeſtè & acriter increpatus eſt, quòd priùs frequenter correptus, ordini ſacratiſſimo perſeuerantia leuitatum adhuc iniuriam faceret: & in præſentia principis, infirmitatem paſtoris nequaquam faſtidientis, iniunctum eſt Metropolitano eius, vt adiunctis ſecum aliquot Epiſcopis ad oppidum Niuernenſe accederet, & omnia ibi negotia Eccleſiaſtica ſapienter componeret: ipſum verò Coepiſcopum ſuum Herimannum apud vrbem Senonum ſecum haberet, donec æſtiuum tempus, quod valde contrarium infirmitati illius ferebatur, pertranſiret: & ſic Domino annuente abſtinentia competenti aſſuetum, Epiſcopali grauitate inſtructum, Apoſtolicis moribus informatum, clerus & populus eum ad ſedem propriam vtiliter fauente Dei gratia reuocaret.

III. *De Burchardo Carnutum Epiſcopo cedere vel ordinari iuſſo.*

De Burchardo etiam, qui Carnotenam Eccleſiam tenebat, ſtatutum eſt, vt aut ſe idoneum ad aſſumendum Epiſcopalem gradum admonitu Vvenilonis Metropolitani Epiſcopi oſtenderet, aut certè pronam in ſe clementiam cognoſcens principis cederet, in vtroque Dei iudicium experturus. Igitur ſequenti die cauſa illius ad medium deducta, venerabiles Epiſcopi, Remorum Metropolitanus Hincmarus, Lugdunenſium Pardulus, Aurelianorum Agius, ſeorſum eum admonere præcepti ſunt, vt ſi abſque diſcrimine valeret, officium ſe poſſe aggredi fateretur, aut ſi non poſſet, propter Dei timorem impoſſibilitatem ingenuè confiteretur. Parte cleri, quæ præſens erat, ac laicorum, bonum ei teſtimonium perhibente, memoratis præſulibus ſuadentibus, ad Concilium intromiſſus, tanto quidem gradu ſe dignum eſſe profiteri arrogantiæ aſſeruit eſſe, non veritatis: ſi quis verò crimen aliquod ſibi vellet obiicere, ad id purgandum ſe paratum eſſe firmauit. Nullo qui id conaretur exiſtente, decreuit ſancta Synodus, ne diu Carnutum ſedes vacaret: ſed directis illuc ſecundum voluntatem Metropolitani Epiſcopi venerabilis Vvenilonis, qui electionem præfati Burchardi recognoſcerent, & ipſi referrent, optantibus canonicè ordinaretur Epiſcopus.

IV. *Aldrici Epiſcopi paralyſi laborantis Eccleſia eius Metropolitano commendata.*

Præterea Cenomannicæ vrbis Aldricus Epiſcopus paralyſi diſſolutus epiſtolam direxit, cauſam ſuæ abſentiæ inſinuans, petenſque, vt maximè ſibi adhuc viuenti, & quandocumque defuncto, ſacris precibus opitularentur. Quod exuberantes caritate ſe facturos omnes promiſerunt, & Metropolitano illius, Turonicæ vrbis venerabili Epiſcopo Amalrico, vt ad eandem vrbem accederet, iniunxerunt; & quæcumque eſſent eidem Eccleſiæ proficua, vt ſtrenuè exequeretur, vnanimiter præceperunt.

V. *Duo monachi presbyteri, Pippinum è S. Medardi Monaſterio abducere conati, depoſiti atque in diuerſa Monaſteria relegati.*

Ante hoc tempus venerandi Concilij, obtinente Pippino, Pippini regis filij Ludouici piiſſimi Auguſti filio, Aquitaniam, conſentiente etiam auunculo eius glorioſo rege Carolo, cui eadem prouincia in partem obtigerat, Eccleſiaſtica diſciplina & militari ſoluta, eadem regio à ſuis indigenis valde vaſtata eſt, & multi illic impunè illicita perpetrarunt. Tandem aliquando, reſpiciente Deo populum ſuum, idem Pippinus à ſuis contemptus & deſertus, atque in pote-

ſtatem auunculi ſui Caroli redactus, conſilio reuerentiſſimorum pontificum & procerum attonſus, & in habitu monachico ad Monaſterium ſancti Medardi cuſtodiendus & docendus deductus eſt. Ibi duo quidam monachi habitu, propoſiti ſui vix credibiliter transgreſſores, ardentes immodica cupiditate, eumdem Pippinum abducere conati ſunt, & pacem Chriſtiani populi diſſipare. Quos præſentibus diuerſorum cœnobiorum religioſis Abbatibus, & cauſam ſubtiliter iuxta regulam beati Benedicti examinantibus, concors congregatio ſancti Medardi à ſua vnanimitate præcidit, atteſtata ſe ab horum crimine longè abſiſtere, quod vſitatas culpas iam inde ab initio huius religionis monachorum omnium, præter dumtaxat Eutychis & aliorum hæreticorum, facilè ſuperaret. Eiectos iuſſu venerabilis Rothadi Sueſſionum Epiſcopi ad Synodi audientiam Archidiaconus deduxit: & partim confeſſi, partim conuicti conſpirationis malum perpetraſſe, canonum ſeueritate depoſiti ſunt, preſbyteri quippe erant, & ſeparatim in Monaſteria ſui ordinis longè diſtantia relegati, vt deinceps nemo tale quid committere auderet, niſi qui ſimilia perpeti non timeret.

VI. *De Ragamfrido diacono, qui præcepta falſa regio nomine condidiſſe dicebatur.*

Poſt hæc glorioſiſſimus domnus rex Karolus, coram ſacra Synodo quemdam diaconum Remenſis Eccleſiæ nomine Ragamfridum imperiit, quòd præcepta falſa regio nomine compilaſſet, ſicut ad eum quorumdam ſuggeſtionibus & veriſimilibus indiciis eſſet perlatum. Vnde quia putatum eſt quibuſdam ſignificationibus, vt purgationem ſui iſdem diaconus ſubterfugere voluiſſet, aliis aliter dicentibus, viſum eſt omnibus in eodem ſacro conuentu degentibus, vt ab omni Concilio illi interdiceretur, ne à parochia Remenſi quoquomodo præſumeret abſcedere, donec ſe ab illis, quæ ei impingebantur, idoneum redderet, vel competenter ſatisfacere procuraret. Quod & omnibus ſingillatim Epiſcopis illi auctoritate Epiſcopali præcipientibus ex diuino mandato eſt interdictum.

VII. *De Miſſis ad inſtaurandum Dei cultum per ſingulas prouincias dirigendis.*

Vt in ciuitatibus, & Monaſteriis, vtriuſque ſexus & ordinis, Dei cultus quàm proximè fieri poſſet inſtauraretur, ſtatuit ſancta Synodus, annitente pio principe, vt idonei legati dirigerentur, qui ſingulorum locorum ſtatum ſolertiſſimè perſcrutarentur; & quæ ipſi per ſe non valerent corrigere, iudicio proximè futuri Concilij, & poteſtati regiæ reuelarent.

VIII. *Vt Eccleſiæ immunitatem olim adeptæ in perpetuum illa frui ſinantur.*

Decreuerunt prætereа ſancti pontifices, vt Eccleſiæ, quæ olim indulgentia religioſorum principum, vel aliorum fidelium deuotione, immunitatem meruiſſent, ea in perpetuum perfrui ſinerētur.

IX. *Vt ex poſſeſsionibus Eccleſiaſticis nonæ ac decimæ perſoluantur.*

Et vt ex poſſeſſionibus, quæ Eccleſiaſticæ certis indiciis comprobantur, nec plenè propter varias neceſſitates poſſunt reſtitui, ſaltem nonæ ac decimæ tribuantur.

X. *Vt in locis ſacratis iudicia publica non exerceantur.*

Et vt in locis ſacratis, diebus Dominicis, vel aliis ſolemnitatibus, iudicia publica non exerceantur. neque enim fas eſſe, ibi reos puniri, vbi reſpectu diuinæ reuerentiæ miſericordiam conſenſu fidelium conſequuntur.

XI. *Vt diſciplina Eccleſiaſtica noxios nemo audeat tueri.*

Illud quoque cunctis volentibus confirmatum eſt, qui diſciplina Eccleſiaſtica noxij, ſiue ingenui, ſiue ſerui, coërcentur, nulli audeant eos tueri; & vindictam eorum in quoſlibet ad poteſtatem Epiſcoporum pertinentium retorquere. Quòd ſi qui deinceps præſumpſerint, & excommunicationem Eccleſiaſticam, & motum indignationis regiæ perpeſſuros.

XII. *Vt inceſti & alij perditi, qui Epiſcoporum examen refugiunt, per iudices publicos compellantur.*

Obtentum eſt etiam à deuotiſſimo principe, vt inceſti, & quilibet alij perditi, examen Epiſcoporum refugientes, per iudices publicos ad eorum præſentiam deducantur, ne alterius illecebram peccandi nutriat impunitas vitiorum.

XIII. *Vt nullæ res Eccleſiaſticæ abſque regis permiſſu commutentur.*

Poſtremò quod à quibuſdam conſeruabatur, præfixum eſt generaliter ab omnibus cuſtodiendum, ne vllæ res Eccleſiaſticæ abſque regis conniuentia commutentur.

CONCILII EIVSDEM SVESSIONENSIS GESTORVM Synodalium pars, ex ſingulis eius Actionibus decerpta.

De clericis ab Ebbone ordinatis, & de Hincmari ſucceſſoris eius ordinatione.

RESIDENTIBVS in Synodo venerabilibus Epiſcopis, Hincmaro Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Vvenilone Senonenſi Archiepiſcopo, Amaltico Turonenſi Archiepiſcopo, Theodorico Cameracenſi Epiſcopo, Rothado Sueſſionicæ vrbis Epiſcopo, Lupo Catalaunenſi Epiſcopo, Immone Nouiomagenſi Epiſcopo, Erpuino Siluanectenſi Epiſcopo, Ermenfrido Beluacenſi Epiſcopo, Pardulo Lauduneuſi Epiſcopo, Hilmerado Ambianenſi Epiſcopo, Hucberto Meldenſi Epiſcopo, Agio Aurelianenſi Epiſcopo, Prudentio Tricaſſinæ ciuitatis Epiſcopo, Herimanno Niuernenſi Epiſcopo, Iona Auguſtodunenſi Epiſcopo, Godelſado Cabilonenſi Epiſcopo, Dodone Andegauenſi Epiſcopo, Gunthberto Ebrocenſi Epiſcopo, Hildebranno Sagienſi Epiſcopo, Erloino Conſtantiæ vrbis Epiſcopo, Baltfrido Baiocenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Heiratdo Lexouienſis Eccleſiæ Epiſcopo, Anſegaudo Abrincatinæ vrbis Epiſcopo, Breidingo Matiſconenſium Eccleſiæ Epiſcopo, Launo Æquoleſinæ ciuitatis Epiſcopo, Ricboldo Remorum Chorepiſcopo. Reſidentibus etiam preſbyteris & Abbatibus, Dodone Abbate Monaſterij ſancti Sabini, Lupo Abbate Monaſterij Bethleem, quod Ferrarias dicitur, Bernardo Abbate ex Monaſterio ſancti Benedicti, quod appellatur Floriacus, Odone Abbate ex Monaſtetio Corbeiæ, Erico Abbate ex Monaſterio Corbionis, Bauone Abbate ex Monaſterio Orbacenſi; & quamplutibus aliis ſacerdotibus & Abbatibus: adſtantibus diaconibus; adſtante quoque & reliquorum graduum clero. Reſidente etiam in cœtu Epiſcoporum glorioſo rege Carolo, qui in eadem Synodo ſuam exhibere dignatus eſt præſentiam, apud Sueſſionis ciuitatem, in Monaſterio ſancti Medardi confeſſoris Chriſti, quod ſitum eſt in ſuburbio ipſius ciuitatis, in Eccleſia quæ eſt in honore ſancti Trinitatis ſacrata, anno Incarnationis Domini noſtri IESV Chriſti DCCCLIII. anno etiam regni iam dicti pij principis Caroli XIII. Indictione I. VI. Calendas Maij.

EX ACTIONE I.

Dum quædam Eccleſiaſtica & neceſſaria negotia in eadem Synodo ventilarentur & diffinirentur, venit Sigloatdus ſeruans locum Archidiaconi Remenſis Eccleſiæ, dixitque filios eiuſdem Remenſis Eccleſiæ & Hincmari Archiepiſcopi, ſtare pro foribus, qui ſe pro ſua neceſſitate in Synodum introduci petebant. Hincmarus Archiepiſcopus dixit: Recita illorum nomina, vt audiat domnus rex glorioſus Carolus, & ſacra Synodus illorum conſcripta nomina, & tunc quod iuſſum fuerit, in nomine Domini fiat. Et recitauit idem Sigloatdus ſeruans locum Archidiaconi Remenſis hæc nomina: Rodoldus, Giſlaldus, Vvlfadus, Fredebertus, ex canonicis ipſius

ipſius ſanctæ matris Eccleſiæ, Sigiſmundus ex Monaſterio ſancti Theodorici; ex monachis autem de Monaſterio ſancti Remigij, Nortuinus, Heinradus, Mauringus, Anteus, Teutlandus, Haroaldus, Radulfus, & Vvicpertus. Quibus iuſſu Synodi & principis introductis, Hincmarus Archiepiſcopus dixit: Quæ eſt petitio veſtra, fratres? Illi autem reſponderunt: Miſericordiam petimus nobis à veſtra paternitate impendi de miniſtratione ordinum Eccleſiaſticorum, ad quos à domno Ebbone quondam prouecti, à veſtra autem auctoritate ſuſpenſi ſumus. Hincmarus Archiepiſcopus dixit: Habetis libellum reclamationis aut poſtulationis, ſicut Eccleſiaſtica ſe habet traditio? Illi autem reſponderunt, ſe præ manibus nullum habere libellum. Hincmarus Archiepiſcopus dixit: Legum Eccleſiaſticarum conſuetudo & auctoritas talis eſt, vt in cauſis geſtorum ſemper ſcripturam requirant: adeo vt qui ad ſacrum fontem accedit, ſuum dare nomen præcipiatur. qui ad ſummum ſacerdotium prouehitur, decreto manibus omnium roborato eligitur: ordinatus autem à ſuis ordinatoribus litteras accipere iubetur. qui etiam ab Eccleſiaſtica ſocietate quolibet exceſſu diſcinditur, libellari inſcriptione, aut recipitur, aut deiicitur. Sed & qui accuſatur, vel qui excommunicatur, ſeu reconciliatur, per ſcripturam accuſari, vel reconciliari iubetur. Et ſic in ceteris huiuſmodi in tantum ſcriptura depoſcitur, vt ſicut beatus Gregorius in commonitorio ad Ioannem defenſorem ex Romanis legibus ſumens ſcribit, Sententia quæ ſine ſcriptura profertur, nec nomen ſententiæ habere mereatur. Quapropter, fratres & filij, oportet vos ſecundum Eccleſiaſticam auctoritatem reclamationem veſtram libelli ſerie allegare, cúmque veſtris manibus roboratum Synodo ſacræ porrigere, vt conuenienter & canonicè vobis valeat reſponderi. Et tunc ipſi fratres libellum conſcribentes porrexerunt Hincmaro Archiepiſcopo, qui tunc vnà cum Vvenilone Archiepiſcopo, & Amalrico Archiepiſcopo, ſub præſentia glorioſi regis domni Caroli, Synodo præſidebat. Relegens verò Hincmarus Archiepiſcopus libellum porrectum, & ſubſcripta nomina, comperit deeſſe nomen Vulfadi, quod antè Sigloardus prædictorum relegens nomina recitarat. Tunc Hincmarus Archiepiſcopus audiente ſacra Synodo dixit: Tu frater Sigloarde antea nomen Vulfadi fratris noſtri inter præfatorum nomina recitaſti, & modò hîc illius non videmus præſentiam, nec nomen libello ſubſcriptum inuenimus. Sigloardus ſeruans locum Archidiaconi Remenſis Eccleſiæ reſpondit: Frater noſter Vulfadus, de quo veneratio veſtra dicit, hîc in Monaſterio iacet infirmus, & ideo veſtris ſanctis adſpectibus, & ſacræ Synodo, glorioſóque principi ſuam non poteſt exhibere præſentiam. Hincmarus Archiepiſcopus coram omni Synodo dixit: Tu frater Sigloarde accipe libellum, & adhibe tecum Liudonem Archidiaconum venerabilis fratris, & Coepiſcopi noſtri Parduli Laudunenſis Eccleſiæ, & Iſaac diaconum ſanctæ Remenſis Eccleſiæ, & vade ad iam dictum fratrem Vulfadum, & dicei ex parte glorioſi principis noſtri, ac ſacræ Synodi, noſtræque humilitatis voce, vt ſi in hac cauſa, quam præſens libellus continet, his fratribus noſtris vult participare, huic libello, ſicut ſe habet auctoritas, nomen ſuum propria manu ſubſcribat, & per ſuam ſubſcriptionem nobis ſuam ſtudeat repræſentare perſonam. Tunc Sigloardus ſeruans locum Archi-

Iuo P. vi. cap 269.

2 q. 2. Legum Eccleſiaſtic.

Lib. 11. ep. 54

diaconi Remenſis Eccleſiæ, & Liudo Archidiaconus venerabilis Parduli Epiſcopi Laudunenſis Eccleſiæ, & Iſaac diaconus Remenſis Eccleſiæ, vt in ore duorum vel trium teſtium veritatis verbum confirmaretur, perrexerunt ad iam dictum fratrem Vvlfadum, qui nomen ſuum libello ſubſcripſit, & Synodo ſacræ cum ceteris fratribus voto ſuo, & voce fratrum prædictorum qui ad eum tranſmiſſi fuerant, libellum roboratum porrexit. Quem ſuſcipiens Hincmarus Archiepiſcopus, & relegens coram Synodo, excelſa voce dixit: Iſtorum fratrum ſententia manifeſtè me tangit: qui ſi contra aliquem Coepiſcoporum noſtrorum clamaſſent, ad noſtræ humilitatis auctoritatem ab eo prouocare debuerant. Nunc autem quia de iudicio noſtro queruntur, oportet vt libellari ſubſcriptione ad electos prouocent iudices, quatenus cauſa illorum debitum & certum finem accipiat.
„ Sic enim ſcriptum eſt in Concilio Africano cap. LXIII. Si autem fuerit
„ prouocatum, eligat qui prouocauerit iudices, & cum eo & ille contra quem
„ prouocauerit, vt ab ipſis deinceps nulli liceat prouocare. Item in eodem
„ Concilio cap. LXXXVIII. A iudicibus autem, quos communis conſen-
„ ſus elegerit, non liceat prouocare. Item in libro 1. Capitulorum Synoda-
Lib.1.cap.44. lium domni Caroli Imperatoris cap. XLIII. Vt probati à Metropolitano iudices non ſpernantur. Et ideo vtrarumque partium eligendi ſunt iudices, qui noſtram rationem audiant, & conſultu ac ſententia Synodali definiant. Vnde & relegit, & porrexit hunc libellum idem Hincmarus Archiepiſcopus, in quo hæc ſcripta continebantur. LIBELLVS HINCMARI ARCHIEPISCOPI DE ELECTIONE IVDICVM. Ego Hincmarus ſanctæ Metropolis Eccleſiæ Remorum Epiſcopus, in hac dumtaxat cauſa quæ ventilatur, de his qui ſe à domno Ebbone poſt depoſitionem ſuam aſſerunt ordinatos, eligo mihi iudices Vvenilonem Senonenſem Archiepiſcopum, Amalricum Turonenſem Archiepiſcopum, Pardulum diœceſeos noſtræ Laudunenſem Coepiſcopum, ſeruantem locum in hoc iudicio noſtræ auctoritatis, ſaluo in omnibus primatu Metropolis Remorum Eccleſiæ, & manente in ſuo ſtatu iure, quod cum aliis Metropolitanis mihi à ſacris canonibus eſt collatum: ſalua etiam reuerentia Apoſtolicæ ſedis, cui in omnibus cauſis reuerentia debet exhiberi, ſicut Innocentius Papa ad Victricium Rotomagenſem ſcribit Epiſcopum, & ſancti etiam canones præfigere dinoſcuntur. Et recedens de loco ſuo poſuit ſedere Coepiſcopum ſuum Pardulum Laudunenſem in hoc iudicio, vt præſcriptum eſt, quòd ſeruaret locum primatus Metropolis Remorum Eccleſiæ. Deinde licet à Metropolitano iudices electi ſufficerent ſecundum canonicam auctoritatem; ne quererentur proclamantes ſe illius opprimi auctoritate, dedit eis licentiam, ſi vellent eoſdem, vel alios quoſlibet & quantoſlibet ex conſenſu ſuo vellent, eligere iudices. Qui elegerunt prænominatos reuerendos viros, & ſuperaddiderunt ſibi velle conſtitui iudicem Prudentium Trecaſſinæ ciuitatis Epiſcopum: quod & præfatus non abnuit Remenſis Archiepiſcopus. Et ſic miſſum eſt ſcriptum illorum de electione iudicum per præfatos fratres, Sigloardum videlicet ſeruantem Archidiaconi Remenſis Eccleſiæ locum, & Liudonem Archidiaconum Laudunenſis Eccleſiæ, & Iſaac diaconum Remenſis Eccleſiæ, ad Vvlfadum eorum conſortem, quem iacere in eodem Monaſterio infirmum prædiximus; vt ſi co-

rum conſenſui in eadem iudicum electione conſentiret, propria voce edicere procuraret. à quo iidem fratres in reſponſis Synodo retulerunt, quòd præfatæ electioni iudicum vſquequaque idem Vvlfadus præberet aſſenſum, eoſdemque ſibi iudices deuotè expeteret.

Ex Actione II.

Et ſic prima actione finita, in primordio actionis ſecundæ, iudices Synodum iuſſu principis, & in conſpectu ipſius ſcilicet glorioſi regis domni Caroli, ſic ſunt voce promptiſſima allocuti: Fratres & conſacerdotes noſtri, manifeſtum eſt, quia ſi Ebbo quondam Epiſcopus in ſuo ſtatu canonicè manens hos fratres canonicè ordinauit, debent vtique miniſtrare. Si etiam iniuſtè deiectus eſt, & canonicè reſtitutus, & poſt ſuam canonicam reſtitutionem hos fratres ſtuduit ordinare, ſine vlla quæſtione debent etiam miniſtrare. Qua de re ordinatores fratris & Coepiſcopi noſtri Hincmari doceant, ſi iuſtè & rationabiliter, quia tunc canonicè fuerat Ebbo deiectus, & non ſecundum Eccleſiaſticas regulas extitit reſtitutus, & ante canonicam audientiam miniſtrare, & iſtos quaſi ordinare præſumpſit, quin etiam vſurpauit, facilis patet reſponſio, quoniam miniſtrare nec debent, nec potuerunt. Tunc ſurgens Theodoricus Epiſcopus Eccleſiæ Cameracenſis, porrexit in conſpectu principis & Synodi ſcriptum, dicens: Sicut audiui & vidi depoſitionem canonicam Ebbonis Epiſcopi, ita & veſtræ reuerentiæ profiteor voce, & ſcriptum porrigo, & auctoritate confirmo. Et reuelatum eſt volumen illud Synodo, coram principe glorioſo Carolo, à Lupo venerabili presbytero & Abbate in Monaſterio S. Petri, quod Bethleem vel Ferrarias dicitur. In quo volumine continebatur, qualiter idem Ebbo voce propria, & iudicum peccatorum ſuorum, videlicet Epiſcoporum, iudicio, Aiulfi ſcilicet Archiepiſcopi, Badaradi Epiſcopi, Modoini Epiſcopi, & teſtificatione teſtium, Nothonis Archiepiſcopi, & ipſius Theodorici, quem prædiximus, Epiſcopi, & ipſius libelli ſubſcriptione, qui relectus eſt in Synodo, quem ipſe propria manu in conſpectu prænominatæ Synodi ſubſcripſerat, & Synodo ipſi porrexerat, pro reatibus & criminibus confeſſis, à miniſterio Epiſcopali alienum ſe reddens, & XLIV. Epiſcoporum ſententiam, vt à miniſterio Epiſcopali recederet, & ſub pœnitentiæ modo Domino deſeruire ſtuderet, ſuſcipiens ſe condemnauit, & condemnatus receſſit. In quo etiam volumine continebatur, quia & taliter ſe Epiſcopus à miniſterio exuens adminiſtratione Epiſcopali ſpoliatus manere deberet. Et quia idem Ebbo reſtitutus canonicè non fuerat, inſuper & ab Apoſtolica ſede, ſicuti in geſtis pontificum coram principe Synodo relectum eſt, à Sergio Papa confirmante deiectionem illius damnatus extitit, vt in laica tantummodo communione permaneret. Sed miniſterium Epiſcopale, quo ſuo & Epiſcoporum iudicio fuerat ſpoliatus, irreuerenter vſurpare præſumpſit. Et hoc ſecunda actione pleniſſima auctoritate monſtratum, & à cuncta Synodo generaliter diffinitum eſt.

Ex Actione III.

In primordio tertiæ actionis iudices coram Synodo dixerunt: Nunc quia euidenti ratione, & veneranda auctoritate decretorum catholicæ &

Apoſtolicæ Eccleſiæ, & ſacrorum canonum promulgatione monſtratum eſt, & qualiter canonica & Apoſtolica auctoritas iubeat vel accuſare vel condemnare, & quia Ebbo canonicè fuerat depoſitus, & non fuerat reſtitutus, immo & ab Apoſtolica ſede priſtinæ ſuæ damnationi addictus, volumus vt ordinatores fratris noſtri Hincmari doceant, qualiter idem frater noſter Hincmarus canonicè fuerit ordinatus. Tunc ſurgens Rothadus Epiſcopus Sueſſionenſis ciuitatis, porrexit canonicam auctoritatem, qualiter Metropolitanus Epiſcopus debeat ordinari. & ſi de eadem Eccleſia non ſumitur, qualiter petente eiuſdem Eccleſiæ clero vel populo à vicina debeat Eccleſia poſtulari. porrigens etiam canonicas litteras Erchenradi Epiſcopi Pariſiorum Eccleſiæ, confirmatas ſuis ſuíſque Archiepiſcopi & Coepiſcoporum ſuorum manibus, quas ad petitionem Remenſis Eccleſiæ cleri & plebis idem Hincmaro tribuerat: porrigens nihilominus decretum canonicum cleri & plebis manibus roboratum, qualiter iam dictum Hincmarum ſibi poſtularunt Epiſcopum ordinari. Et his omnibus relectis, docuit quia canonicè cum præſentia omnium Epiſcoporum Remenſis diœceſeos eumdem Hincmarum ordinauit Archiepiſcopum. Poſthæc ſurgens idem Hincmarus in conſpectu principis glorioſi & Synodi, porrexit & litteras canonicas, quas canones ſacri ordinatum à ſuis ordinatoribus accipere iubent, diem præferentes & Conſulem. Porrexit etiam epiſtolam totius Galliæ Epiſcoporum ſubterſcriptam ad Apoſtolicam ſedem pro confirmatione ipſius ordinationis: quoniam ſedes Apoſtolica per Sergium Papam ſæpè dictum Ebbonem damnauit Epiſcopum, adeo vt inter laicos communionem tantum habere mereretur, vt diximus. Oſtendit etiam ipſi Chriſtianiſſimo principi coram ſancta Synodo diploma ſacrum, ipſius venerandi principis manibus inſignitum, & ſigillo ſubter ſignatum, ex approbatione ſuæ ordinationis, ad eamdem ſanctam & Apoſtolicam, omnium ſcilicet Eccleſiarum matrem, Romanam Eccleſiam.

Ex Actione IV.

Et ſic quarta actione euidentiſſimis documentis oſtenſum, & Synodali iudicio decretum eſt, Hincmarum Archiepiſcopum canonicè à vicina diœceſi adeptum, canonicè electum, & canonicè ordinatum, & canonicè pallio Apoſtolicæ ſedis rata ordinatione perfectum, & in culmine primatis Metropolitana auctoritate vſquequaque & in omnibus confirmatum. Deinde iudices percontati ſunt, quid de his canonica auctoritate æſtiment vel decernant, quos ſæpè fatus Ebbo poſt ſuam depoſitionem abſque vlla legitima reſtitutione præſumpſerat ordinare. Tunc ſurgẽs Immo Nouiomagenſis Epiſcopus, porrexit rotulam auctoritatem canonicam & Apoſtolicam continentem, quòd qui ab ipſo voluerant & viſi fuerant ordinari in gradus Eccleſiaſticos, ab eodem quod idem non habuit nemo accipere potuit: damnationem vtique, quam habuit, per prauam manus impoſitionem eis dedit. quia qui particeps factus eſt damnato, quomodo debeat honorem accipere, vt Innocentius Papa dicit, inueniri non poteſt. Decret c.31.

Ex Actione V.

Et ſic quinta actione canonica & Apoſtolica auctoritate inuentum &

decretum eſt à ſacratiſſima Synodo, vt quicquid in ordinationibus Eccleſiaſticis idem Ebbo poſt damnationem ſuam egerat, ſecundum traditionem Apoſtolicæ ſedis, vt in geſtis pontificum legitur, præter ſacrum baptiſma, quod in nomine ſanctæ Trinitatis perfectum eſt, irritum & vacuum habeatur: & ordinati ab eo, in quamcumque terrarum partem profugi euagentur vel vagati ſunt, quia diuinum iudicium effugere nullatenus poſſunt, Spiritus ſancti iudicio Eccleſiaſticis gradibus priuati perpetuò habeantur. Tunc relegens vnus ex prædictis fratribus, nomine Fredebertus, libellum proclamationis, voce omnium dixit, ſe ideo ab eodem Ebbone permiſiſſe ſe ordinari, quia viderat ſuffraganeos Remenſis Eccleſiæ, Rothadum videlicet Epiſcopum, Simeonem Epiſcopum, Erpuinum Epiſcopum, in metropolim Remenſem Eccleſiam conueniſſe cum litteris domni Lotharij, & eumdem Ebbonem reſtituiſſe. Et oſtenderunt litteras, quaſi ex nomine Theodorici Epiſcopi, Rothadi Epiſcopi, Lupi Epiſcopi, Immonis Epiſcopi, Simeonis Epiſcopi, Fulcoini Epiſcopi, Ragnarij Epiſcopi, Hildemanni Epiſcopi, Erpuini Epiſcopi manibus confirmatas, quæ manifeſtè falſiſſimæ ſunt comprobatæ. Tunc ſurgens Immo Epiſcopus, licet ipſi accuſatores & criminatores Epiſcoporum ad accuſationem eorum non eſſent idonei, ſicut ſcriptum eſt in Concilio Africano cap. xcv. Qui poſteaquam excommunicatus fuerit, in ipſa adhuc excommunicatione conſtitutus, ſiue ſit clericus, ſiue laicus, ſi accuſare voluerit, diffinimus ad accuſationem non admitti: tamen ad ſatisfactionem glorioſi principis & ſacræ Synodi, porrexit rotulam, quæ & de communicatione eorum cum illo poſt depoſitionem Ebbonis Epiſcopi, & de cuius chartulæ ſubſcriptione, euidentiſſima protulerunt indicia, quibus mendaciſſima eſt approbata illorum aſſertio. Sed & de baculis & anulis ab illo datis, vnde & in præfata ſchedula idem frater relegerat, friuola eſt autumatio per auctoritatem ab omnibus comprobata. Vnde & iidem fratres, qui felle amaritudinis maiores natu criminati ſunt, quorúmque vox muta fore eſt iudicata, iuxta canonicam auctoritatem, ſecundum Concilium Eliberitanum, quod actum eſt tẽpore Conſtantini cum Miſſis Apoſtolicæ ſedis, cap. lxxv. Si quis, inquiens, Epiſcopum vel preſbyterum, ſiue diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei eſſe communionem. Et quia gradus Eccleſiaſticos quibus priuarentur non habebant, iuſſi ſunt communione priuati.

Ex Actione VI.

Et ſic ſexta actione finita, decreto iudicum, & Synodali iudicio, atque conſenſu principis, Hincmarus Archiepiſcopus primatus ſui locum recepit, & iudex ac præſes Synodi effectus, ſuperuenturis actionibus cum Archiepiſcopis, Venilone ſcilicet & Amalrico, ſenſum accõmodauit. Tunc de preſbytero quodam, & monachorum Abbate in Altiuillaris Monaſterio, nomine Halduino, qui ab eodem Ebbone diaconus iuſſus fuerat ordinatus, & à Lupo poſtea venerabili Epiſcopo Catalaunenſi preſbyter ſine examine fuerat conſecratus, mota eſt quæſtio. Vnde ſurgens idem Lupus Epiſcopus porrexit volumen, in quo continebatur, Quia Metropolis Remorum Eccleſia carebat paſtore, iuſſus eſt regiis litteris domni Caroli, vt

in confectione chriſmatis, & in aliis neceſſitatibus, videlicet vt ſuæ matri Eccleſiæ pro ſua poſſibilitate in Eccleſiaſticis negotiis conſuleret procuraret. Qua de re cum epiſtola regia, vt eumdem fratrem nomine Halduinum & preſbyterum ordinaret, & Abbatem monachorum in Monaſterio Altiuillaris faceret, Archidiaconus Remenſis Eccleſiæ, cum aliis miniſtris tam canonicis quàm monachis, eumdem illi ad ordinandum in gradu diaconi ad preſbyterium obtulit. quem ſecundum conſuetudinem, quam in offerendo ordinandos ex canonica & monaſteriis ipſa Metropolis Eccleſia habebat, ordinandum ſuſcepit, & ad votum præcipientis principis & offerentium ordinauit. De quo iudicatum eſt à Synodo ſecundum ſacros

Conc.Nic. can.9. » canones, ſicut ſcriptum eſt, Vt qui preſbyteri ſine examine per ignorantiam, vel per ordinantium diſſimulationem ſunt prouecti, cùm fuerint cogniti, deponantur: quia quod irreprehenſibile eſt catholica defendit Eccleſia. Et oſtenſum eſt in eodem ex Concilio Sardicenſi cap. IX. & ex aliis Conciliis ac decretis, damnationis ſcripto ſecundum canonicam formam eumdem Epiſcopum nihil de illius ordinatione attigiſſe; ſed qui ſaltu ſine gradu diaconi ad ſacerdotium proſilierat, in degradationem debitam reſilire deberet.

Ex Actione VII.

Et hoc negotio ſeptima actione finito, interrogatum eſt de his qui ſæpedicto Ebboni oratione vel oblatione communicauerant: quoniam ſcriptum eſt in canonibus, vt qui excommunicato communicauerint omnes ab Eccleſia reſpui, maximè eos qui ſciebant eum eſſe deiectum. Vnde ſurrexit Erpuinus, & porrexit rotulam, canonicam & Apoſtolicam auctoritatem continentem, qualiter libellari ſatisfactione ſanati valeant & debeant exorbitantes. Vnde & in geſtis pontificum, & in decretalibus Apoſtolicis Papæ Leonis, & in libro Epiſtolarum domni Gregorii, qui dicitur ex Regiſtro, & in Eccleſiaſticis hiſtoriis, & in decretis multorum pontificum, ſufficienter eſt exemplis manifeſtiſſimis demonſtratum. per quorum doctrinam libellari ſatisfactione, & decreto canonico manibus omnium roborato, in electione canonica venerabilis Archiepiſcopi Hincmari, omnis Remorum Eccleſia, indita ſibi pœnitentia, largita indulgentia, benedictione ſuperefuſa, communione ſacra tributa, per ſæpefatum venerabilem Hincmarum Archiepiſcopum, operante Domino noſtro Iesv Chriſto, purificata eſſe noſcitur & ſanata.

Ex Actione VIII.

Et ſic octaua actione finita, benignus & pius princeps, ſæpedictus domnus Carolus rex glorioſus, ſacram Synodum, & ſæpedictum Hincmarum Epiſcopum humiliter petiit, vt quia præfati fratres Epiſcopos diœceſis ſanctæ Remenſis Eccleſiæ falſis appetere criminibus, quòd poſt depoſitionem Ebbonis illi communicauerint, & eum irregulariter reſtituerint, & ob id ſecundum canonicam auctoritatem communione priuati exſtiterint, quoniam gradus Eccleſiaſticos habere non poſſunt, legum Eccleſiaſticarum auctoritate decernente, humaniùs de illis definientes, vel communionem habere valeant per ſacræ Synodi indulgentiam. Quod & pie-

tas ſacerdotalis libenter aſſenſit, & miſericorditer piéque conceſſit, recognoſcentibus iiſdem fratribus, & petentibus veniam. Et ſic cunctis ex ordine ſecundum regulam Eccleſiaſticam canonicè & diligenter patratis, decretum & iudicatum à ſancta & venerabili Synodo, aſſentiente & fauente Chriſtianiſſimo & glorioſo rege domno Carolo, hæc omnia geſtis inſeri, & in conſpectu Synodi relegi, & rata omnia iudicata cunctorum manibus & ſubſcriptione canonica perpetuò inconuulſa & inuiolabiliter permanſura firmari.

CAPITVLA A DOMNO CAROLO REGE IN eadem Synodo apud Sueſſionis ciuitatem, in Monaſterio S. Medardi propoſita, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIII. in menſe Aprili.

Mandata Miſsis dominicis per regnum directis data.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De omnium Monaſteriorum inſtauratione.*
2. *De Monaſteriis in alodem datis.*
3. *De Capellis & Abbatiis in beneficium datis.*
4. *Vt presbyteri omnes ſub diſpoſitione ſint Epiſcoporum.*
5. *De rebus Eccleſiaſticis in alodem datis.*
6. *De rebus Eccleſiaſticis vnde nona & decimæ ſolui debent.*
7. *Vt malla, vel placita, in locis ſacratis, & diebus feſtis non fiant.*
8. *Vt tempore Quadrageſimæ, & aliis ieiuniorum diebus, non fiant.*
9. *Vt colonos ab Epiſcopis flagellari eorum ſeniores indignè non ferant.*
10. *Vt miniſtri reipublicæ Epiſcopis parochiam circumeuntibus ſint auxilio.*
11. *Quòd ſuper beneficia Eccleſiaſtica & præſtarias regia præcepta non fiant.*
12. *Vt commutationes rerum Eccleſiaſticarum, vel mancipiorum, ſine conſenſu regis non fiant.*

PRÆFATIO.

SEPTIMA actione eidem ſacræ Synodo Chriſtianiſſimus domnus Rex Carolus hæc quæ ſequuntur Capitula propoſuit, & conſultu eorumdem Epiſcoporum, ea per regnum ſuum innoteſcenda, exercenda, & conſeruanda commonuit, præcepit, & confirmauit.

CAPITVLA.

I. *De omnium Monaſteriorum inſtauratione.*

VT Miſſi noſtri per ciuitates, & ſingula Monaſteria tam canonicorum quàm monachorum, ſiue ſanctimonialium, vnà cum Epiſcopo parochiæ vniuſcuiuſque in qua conſiſtunt, cum conſilio etiam & conſenſu ipſius qui Monaſterium retinet, (quem volumus & expreſsè præcipimus vt præſens ſit) vitam inibi degentium & conuerſationem inquirant, & vbi neceſſe eſt corrigant, & vbi deſunt, congruas officinas conſtruere iubeant, & vbi ſunt factæ, & per negligentiam ſunt deſtructæ, inſtaurari præcipiant; & victum ac potum, & veſtitum, atque cetera neceſſaria, pro qua-

litate ac poſſibilitate loci, & inhabitantium neceſſitate ordinent, & hoſpitalitatem ſuperuenientium hoſpitum, & receptionem pauperum ibidem diſponant & ordinent. Eccleſiæ quoque luminaria, & ornatum debitum ordinent, & theſaurum ac veſtimenta, ſeu libros diligenter inbreuient, & breues nobis reportent. Inbreuient etiam quid vnuſquiſque Eccleſiarum prælatus, quando prælationem Eccleſiæ ſuſcepit, ibi inuenerit, & quid modò exinde ibi minus ſit, vel quid & quantum ſit ſuperadditum. Quid etiam Nortmannis per noſtram commendationem, ſiue ſine noſtrâ commendatione, datum ſit, quid ve relictum, vel quid à quoquam ibi in eleemoſynam datum. Numerum etiam canonicorum & monachorum, ſiue ſanctimonialium vniuſcuiuſque loci deſcribant & nobis referant; vt ſecundum qualitatem & quantitatem loci, cum conſilio Epiſcoporum & fidelium noſtrorum, vbi minor numerus fuerit, noſtra auctoritate addamus; vbi verò indiſcretione prælatorum ſuperfuerit, ad menſuram redigamus. Inquirant quoque, quot tempore aui noſtri Caroli, & domni genitoris noſtri Hludouici, vnoquoque in loco fuerint, & quot modo ſint. Et vbi loca à Nortmannis, ſiue à quibuslibet aliis deſtructa ſunt & penitus annullata, quot ibi nunc propter paucitatem rerum, & deuaſtationem earumdem conſtitui, vel ordinari poſſint: vt inde cum conſenſu fidelium noſtrorum ordinemus quid de cetero agendum ſit, & qualiter Abbatiarum prælati, & in locis ſacris inhabitantes, de his quæ Miſſi noſtri præcepetint obedierint, nobis diligentiſſimè & capitulatim referre procurent.

II. *De Monaſteriis in alodem datis.*

Vt Miſſi noſtri diligenter inueſtigent per ſingulas parochias ſimul cum Epiſcopo, de Monaſteriis quæ Dominum timentes in ſuis proprietatibus ædificauerunt, & ne ab heredibus eorum diuiderentur, parentibus & prædeceſſoribus noſtris ſub immunitatis defenſione tradiderunt, & poſtea in alodem ſunt data: vt deſcribant quæ ſint, & à quo, vel quibus in proprietatem data ſint, & nobis renuntiare procurent: vt cum Epiſcopis & ceteris fidelibus noſtris conſideremus, quid & qualiter inde ſecundum Dei voluntatem & noſtram ſalutem agere debeamus.

III. *De Capellis & Abbatiolis in beneficium datis.*

Vt Miſſi noſtri per ſingulas parochias, vna cum Epiſcopo parochiæ, ipſius, requirant de Capellis & Abbatiolis & caſis Dei in beneficium datis, qualis cenſus inde exeat, vt Eccleſia de qua ſunt exinde veſtituram habere poſſit, & nobis renuntient, vt hoc noſtra auctoritate commendetur & confirmetur, & ſecundum qualitatem & quantitatem loci clericos, & luminaria ibi ordinent, & loca reſtaurari faciant.

IV. *Vt presbyteri omnes ſub diſpoſitione ſint Epiſcoporum.*

Denuntiandum eſt omnibus, & à Miſſis noſtris ordinandum, vt omnes Eccleſiæ presbyteri ſub immunitate & priuilegio, & ordinatione atque diſpoſitione Epiſcoporum ſingularum parochiarum, in quibus conſiſtunt, ſecundum auctoritatem canonicam, & capitularia domni Caroli Imp. aui noſtri, & pij Auguſti Hludouici domni & genitoris noſtri permaneant.

V. De

V. *De rebus Eccleſiaſticis in alodem datis.*

Vt Miſſi noſtri diligenter inueſtigent cum Epiſcopo & prælatis Monaſteriorum, & per fideles & ſtrenuos viros in vnaquaque parochia, de rebus Eccleſiaſticis in alodem datis: & ſicut euidentibus, & veris indiciis ac auctoritatibus compererint, diligenter à quo & quibus datæ ſint, vel quantum exinde percepturi ſint, deſcribant, & nobis renuntient.

VI. *De rebus Eccleſiaſticis vnde nonæ & decimæ ſolui debent.*

Vt Miſſi noſtri expreſſè, & cum omni diligentia, cum Epiſcopo, & prælatis Monaſteriorum, per ſingulas parochias requirant de rebus Eccleſiaſticis, vnde nonæ & decimæ ſolui debent & non ſoluuntur, & perſolui ab eaſdem res tenentibus faciant. Et ſi aliqua contradictio, quæ rationabilis videatur, oborta fuerit, deſcribatur. Et prælatus ipſius caſæ Dei, vnde res eſſe noſcuntur, & ille qui eas detinet, & nonam ac decimam ſoluere detrectat, ſimul cum Miſſis noſtris ad noſtram iubeantur venire præſentiam: vt tunc veritate comperta, & definitione decreta, quod rationabiliter inuenerimus inde præcipiamus. Volumus etiam inueſtigent noſtri Miſſi, qualiter illi, qui eaſdem res Eccleſiaſticas, vnde decimæ dantur, ſiue non dantur poſſident, illas ſaluas habeant, & in caſticiis, & ſiluis cuſtoditis: vel ſi terræ aut mancipia inde perdita ſint, vel aliquid huiuſmodi, aut ſi familia oppreſſa ſit contra legem. & omnia per breues nobis renuntient Miſſi noſtri.

VII. *Vt malla, vel placita, in locis ſacratis, & diebus feſtis non fiant.*

Vt Miſſi noſtri per ſingulas parochias Comitibus & reipubl. miniſtris ex banno noſtro præcipiant, ne malla vel placita in exitibus & in atriis Eccleſiarum, & preſbyterorum manſionibus, neque in Dominicis vel feſtiuis diebus tenere præſumant. Sed Comes conuenientem locum conſideret, & inueniat, vbi ſtationem ad mallum tenendum conſtituat: quia nefas eſt ibi reos puniri, vbi reſpectu diuinæ reuerentiæ miſericordiam conſenſu fidelium & decreto prædeceſſorum noſtrorum conſequuntur.

VIII. *Vt tempore Quadrageſimæ, & aliis ieiuniorum diebus, non fiant.*

Vt Miſſi noſtri Comitibus & omnibus reipubl. miniſtris firmiter ex verbo noſtro denuntient atque præcipiant, vt à quarta feria ante initium Quadrageſimæ, nec in ipſa quarta feria, vſque poſt octauas Paſchæ, mallum vel placitum publicum, niſi de concordia & pacificatione diſcordantium, tenere præſumant. Similiter etiam à quarta feria ante Natiuitatem Domini vſque poſt conſecratos dies obſeruent, necnon & in ieiuniis quatuor temporum, & in rogationibus ſimili obſeruatione eoſdem feriatos dies venerari omnimodis ſtudeant.

IX. *Vt colonos ab Epiſcopis flagellari eorum ſeniores indignè non ferant.*

Vt Miſſi noſtri omnibus per ſingulas parochias denuntient, quia ſi Epiſcopus, & miniſtri Epiſcoporum, pro criminibus colonos flagellauerint cum virgis, propter metum aliorum, & vt ipſi criminoſi corrigantur, cum tali diſcretione, ſine vlla occaſione indebita, ſicut in Synodo collocutum

eſt, vt vel inuiti pœnitentiam corporaliter & temporaliter agant, ne æternaliter pereant: ſi ſeniores ipſorum colonorum indignè tulerint, & aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eoſdem colonos ne diſtringantur contendere præſumpſerint; ſciant quia & bannum noſtrum component, & ſimul cum excommunicatione Eccleſiaſtica noſtram armiſcaram duriſſimè ſuſtinebunt.

X. *Vt miniſtri reipublicæ Epiſcopis parochiam circumeuntibus ſint auxilio.*

Vt Miſſi noſtri omnibus reipub. miniſtris denuntient, vt Comes & reip. miniſtri ſimul cum Epiſcopo vniuſcuiuſque parochiæ ſint in miniſteriis illorum, quando idem Epiſcopus ſuam parochiam circumierit, cùm Epiſcopus eis notum fecerit; & quos per excommunicationem Epiſcopus adducere non potuerit, ipſi regia auctoritate & poteſtate ad pœnitentiam, & rationem atque ſatisfactionem adducant.

XI. *Quòd ſuper beneficia Eccleſiaſtica & præſtarias regia præcepta non fiant.*

Sciant etiam fideles noſtri, quia conceſſimus in Synodo venerabilibus Epiſcopis, ne ſuper beneficia Eccleſiaſtica vel præſtarias, etiamſi Epiſcopus, aut quilibet Monaſteriorum prælatus, irrationabiliter petierit, præcepta confirmationis noſtræ vllo modo faciamus. Et ideo ab irrationabili petitione ſe vnuſquiſque compeſcat.

XII. *Vt commutationes rerum Eccleſiaſticarum, vel mancipiorum, ſine conſenſu regis non fiant.*

Vt Miſſi noſtri omnibus per illorum miſſaticum denuntient, ne commutationes rerum vel mancipiorum quilibet prælatus earumdem rerum Eccleſiaſticarum, ſine licentia & conſenſu noſtro facere præſumat, neque mancipia Eccleſiaſtica quiſquam niſi ad libertatem commutet. videlicet vt mancipia, quæ pro Eccleſiaſtico dabuntur, in Eccleſiæ ſeruitute permaneant, & Eccleſiaſticus homo, qui commutatus fuerit, perpetua libertate fruatur.

ADMONITIO AD LECTOREM.

SYNODVS ſupraſcripta, tametſi à Benedicto III. comprobata, poſtea tamen à Nicolao Papa reiecta eſt, non vniuersè quidem, ſed ea tantùm ex parte, quæ ad clericos ab Ebbone poſt eius depoſitionem ordinatos ſpectabat: quorum cauſam iterum in Synodo III. Sueſſionenſi examinari ac diſcuti iuſſit, vt ſuis locis oſtendetur. Ceterùm Synodi huius editionem hactenus confuſam & præpoſterè digeſtam, ex codice Metenſi reſtituimus. In Miſſorum etiam commonitorio pluſcula primo capite adiecta ſunt, tum ex eodem codice noſtro, tum ex Bellouacenſi & Gandauenſi.

CONCILIVM VERMERIENSE II.

HÆ QVÆ SEQVVNTVR DIFFINITIONES IN Synodo apud Vermeriam palatium habita actæ ſunt anno DCCCLIII. in menſe Auguſto, Indictione prima.

I. *Herimanno Epiſcopo Niuernenſi, poſtquam conualuit, Eccleſiæ ſuæ diſpoſitio reſtituta.*

Omnibvs ſanctæ dilectionis fratribus, ad quorum hæc potcruñt peruenire notitiam, Vvenilo Senonum, Hincmarus Remorum, Paulus Rotomagenſium, Amalricus Turonum Archiepiſcopi, Teutboldus Lingonum, Pardulus Laudunenſium, Hucbertus Meldenſium, Anſegaudus Abrincatum, Hrothadus Sueſſonum, Immo Nouiomagenſium, Hilmeradus Ambianenſium, Yrminfridus Beluacenſium, Erpoinus Siluanectenſium, Baltfridus Baiocacenſium, Guntbertus Ebrocenſium, Eirardus Lixouienſium, Erloinus Conſtantiæ, Hildebrannus Sagorum, Godelſadus Cabillonenſium, Ionás Æduorum, Braidingus Matiſconenſium, Agius Aurelianenſium Epiſcopi, apud Vermeriam palatium, iuſſu glorioſi principis Karoli, anno ab Incarnatione Domini DCCCLIII. Indictione I. VI. Kalendas Septembris, in nomine eiuſdem Domini noſtri Iesv Chriſti ſynodaliter congregati ſalutem. Notvm fraternitati veſtræ fieri volumus, quia nuper inſtanti anno, per præſentem primam Indictionem, apud vrbem Sueſſonum x. Kalendas Maij ad Synodum conuenientes, cui ſacro conuentui idem glorioſus rex ſuam eſt dignatus exhibere præſentiam, inter cetera Eccleſiaſtica negotia, de venerabili fratre noſtro Herimanno Niuernenſis vrbis Epiſcopo quæſtionalis eſt ratio nobis oblata: videlicet quia infirmitate præoccupatus ſeu præpeditus corporea, ſæpè ineptire, & quædam quæ ad naufragium rerũ, & facultatum Eccleſiaſticarum pertinere, atque ad ſaluationem ac debitam ſeu rationabilem diſpenſationem impedire poterant, niſi celeri remedio ſubuẽtum foret, agere indiſcretè ſoleret. Cuius ſuggeſtionis certa experimentorum documẽta euidentiùs perquirentes, aliquanta inuenimus, quæ nobis fidẽ fecerunt aliis quæ audieramus ſenſum accommodare. Vnde ſecundum quod in decretalibus B. Gregorij exemplo reperimus, ſtatuimus illi œconomum perſuadere, qui ei ſuffragium, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ cuſtodiam debitam & canonicam exhiberet, donec annuente Domino iſdem frater venerabilis à ſua infirmitate optabiliter conualeſceret. Sed quo-

niam intimatum eſt nobis, in ſua Eccleſia nominé poſſe reperiri, qui interim eumdem venerabilem, partim indebita forte pietate, partim reuerentia ſeniorali, ſecũdum modum à nobis conſtitutum cuſtodire aut vellet aut poſſet, conſilij conſultu illum hortati ſumus, vt cum domno Vvenilone prænominato ſcilicet reuerentiſſimo confratre noſtro & Archiepiſcopo ſuo maneret, illéque ei conueniens ſtudiũ impertiri curaret, & Eccleſiæ Niuernenſi ea quibus indigeret viſitatorio officio impenderet & ordinaret; quouſque æſtiuum tẽpus, quod huiuſmodi infirmitati, qua impediri dicebatur, valde contrarium eſt, pertranſiret, & ſæpe fatus dilectiſſimus ac venerabilis frater noſter, vt prędiximus, à ſua infirmitate immelioraretur, & ſuæ poteſtati ſuęque ipſius cuſtodiæ, ſuæve Eccleſiæ diſpoſitioni, vt eſt debitũ, reſtitueretur. Quæ quoniam gratias Deo ad votum, iuxta diuinam ordinationem, vt fuerant diſpoſita, ſunt quoq; perducta; & canonica habet auctoritas, vt ab vno quilibet reiectus Epiſcopo, non dicamus à tantis pro tempore, & ad tempus remotus ſecundum quendam modum Epiſcopis, non recipiatur ſine teſtimonij, aut litterarũ euidentiſſimo documento: per hos noſtræ humanitatis apices plerumque dictum venerabilem fratrem noſtrum ſuæ ditioni & poteſtati, atque Epiſcopali cuſtodiæ, ſuæque Eccleſiæ gubernationi debitè reſtituimus: & nos cum non morum vitiis aut peccatis publicis, quæ cenſura damnat Eccleſiaſtica, à ſua illum Eccleſia aliquãtulum remouiſſe, quod ſine aperta conuictione, vel manifeſta confeſſione fieri non licet, qua de re & non libet, ſed corporeæ ſuæ infirmitati, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ neceſſitati, pietative conſuluiſſe manifeſtiſſimè demonſtramus. Quod vt præſentibus ſcilicet & futuris temporibus enucleatiùs cognoſcatur, his geſtis manibus propriis ſubterfirmare decreuimus.

II. *Monaſterium Lebraha, quod iuris erat ſancti Dionyſij, Conrado in precariam dari vetitum.*

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Epiſcopi, qui iuſſu glorioſi principis domni noſtri Karoli ad Synodum in Vermeriam palatium conuenimus, id eſt Vvenilo Archiepiſcopus, Paulus Archiepiſcopus, Amalricus Archiepiſcopus, Hincmarus Archiepiſcopus, Teutboldus Epiſcopus, Pardulus Epiſcopus, Anſegaudus Epiſcopus, Hrothadus Epiſcopus, Immo Epiſcopus, Erminfridus Epiſcopus, Erpoinus Epiſcopus, Hilmeradus Epiſcopus, Agius Epiſcopus, Erloinus Epiſcopus, Baltfridus Epiſcopus, Guntbertus Epiſcopus, Eirardus Epiſcopus, Hildebrannus Epiſcopus, Ionas Epiſcopus, Godelſadus Epiſcopus, Braidingus Epiſcopus, Chuonrado inclito & nobiliſſimo viro præſentem & æternam optamus in omnium ſaluatore ſalutem. Cvm inter cetera Eccleſiaſtica negotia de ordinabili diſpoſitione Monaſterij S. Dionyſij diſponeremus, venerunt monachi ipſius ſacri cœnobij in præſentiam venerandæ Synodi, deferentes auctoritates, videlicet teſtamentum, quod ſanctæ recordationis Abba Fulradus de Monaſterio Lebraha, vbi S. Alexander martyr quieſcit humatus, & de cella quæ ad S. Hippolytum nominatur, ſeu de rebus aliis quas per idem teſtamentum iſdem venerabilis Abbas S. Dionyſio contulerat: nec non & priuilegium, quod exinde ſancta ſedes Apoſtolica per B. Stephanum Papam eidem Monaſterio ſuper præfato teſtamento fecerat: dicentes quòd venerabilis Ab-

bas illorum domnus Hludouicus, ex præcepto glorioſi regis domni noſtri Karoli, eos conſuluiſſet, ac conſenſum eorum quæſiſſet, quatenus præſcriptum Monaſterium vobis in precariam acceptis rebus veſtra traditione ad eandem caſum Dei delegandis conceſſiſſet: quod conſentire ſine conſultu ſui Epiſcopi atque Archiepiſcopi, immo ſacræ Synodi, non auderet. Quam cauſam ſubtiliter inueſtigantes, & ad liquidum cognoſcentes, diffiniuimus iuxta ſacram & diuinam auctoritatem, atque ſecundum teſtamentum præfati piæ recordationis Fulradi, necnon & ſecundum decretum Apoſtolicæ ſedis, nullo vnquam tempore iam dictum Monaſterium S. Alexandri, cum rebus ſibi pertinentibus, à maiore Monaſterio S. Dionyſij quocumque ingenio diuellendum, nec beneficiario, neque precario iure diſtrahendum. Subiunxerunt etiam iidem monachi, quod veſtra commendatione ac iuſſione, immo etiam actione, idem Monaſterium cum rebus ipſi ſubditis in veſtram ditionem redactum & aſſumptum, quin etiam vſurpatum habuiſſetis. Quod quàm abſurdum, & contra legem atque iuſtitiam ſit, ſi tamen ita ſe res habet, ipſi etiam peruidetis. Vnde veſtram, paterna & caritatiua ſeu auctoritatiua cum interpoſitione diuini nominis & Epiſcopalis auctoritatis, nobilitatem hortamur & obteſtamur, vt hoc nullatenus agere vlteriùs attemptetis: ſed etſi molitum eſt ab huiuſmodi molitione vos veſtróſque compeſcatis. quia & contra Deum, & contra omnem auctoritatem, contráque veſtram ſalutem eſſe dinoſcitur. Sciatis etiam, quia domnum & ſeniorem noſtrum regem glorioſiſſimum Karolum, & humili ſuggeſtione, & diuina auctoritate obſecrauimus, præfatóque venerabili Abbati & monachis ſuis præcepimus, vt in hoc nulli aſſenſum præbeant: quoniam nec vobis, nec cuiquam fidelium expedit talia poſtulare. Valeto, vir nobiliſſime, & admodum nobis in Chriſto cariſſime.

III. *Capitula quæ in Synodo Sueſſionenſi propoſita fuerant, Vermeriæ relecta & ſuſcepta.*

Sed & Capitula, quæ Synodali conſultu domnus rex Karolus in Concilio memorato apud Sueſſionis ciuitatem ſacto propoſuit conuentui, coram fidelibus ſuis in eodem palatio Vermeria relegi fecit, & ab omnibus conſonanter ſuſcepta ſunt, & accepta.

ÆNEÆ EPISCOPI PARISIENSI electio & ordinatio.

Epiſtola cleri Pariſienſis ad Metropolitanum Senonenſem, eiúſque ſuffraganeos, vt Æneæ Epiſcopi ſui electionem ratam habeant.

Lupi Abbatis Epiſt. 98.

Religiosissimis patribus & fratribus Vveniloni Metropolitano Senonicæ ſedis Antiſtiti, & vniuerſo cleto eius, & ceterarũ Eccleſiarum præſidẽtibus, quæ in diœceſi memoratæ ſedis cẽſentur, cunctis in eis Domino famulantibus, clerus matris Eccleſiæ Pariſiorum, & fratres cœnobij S. Dionyſij, & S. Germani, & B. Genouefæ, ac Foſſatenſis, diuerſorúmque Monaſteriorum vnanimitas, præſentem & futuram ſalutem.

Venerabilem paſtorem noſtrum Ercanradum nuper deceſſiſſe cùm longè

lateque diuulgatum ſit, tum ſanctitatem veſtram latere non potuit; noſque affici mœſtitia de vocatione patris defuncti, ac ſollicitudine permoueri de electione ſucceſſuri, prudentia veſtra intelligit. Cùm enim principaliter ſe futurum Dominus Iesvs polliceatur cum his qui principes religionis exiſtunt, non patimur diu carere Antiſtite, cuius doctrina ad ſalutem noſtram inſtruamur, exemplo informemur, benedictionibus in nomine Domini muniamur. Eius, vt pote honorū omnium auctoris nequaquam nos cura deſtitutos firmiſſime credimus, dum ipſe curas noſtras ſua clementia ſuſtulit, & vota vltronea benignitate præuenit. Namque ipſe, in cuius manu cor regis eſt, glorioſi domni noſtri Caroli, quemadmodum plenè confidimus, menti infudit, vt eius nos regimini committeret, quem in diuinis & humanis rebus ſibi fidiſſimū multis experimentis probaſſet. Igitur Dei pronam in nos amplectentes miſericordiā, & regis noſtri piam ſuſpicientes prouidētiam, Æneam, cuius præconia præmiſimus, concorditer omnes eligimus Æneam patrē, & Æneam pontificem habere optamus. Quāuis enim tanta prudentia ac probitate præcellentiſſimus rex noſter polleat, vt ſolum eius iudiciū de viro memorato poſſet ſufficere, tamen conditionis humanę neſcij, futurarúmque curioſi rerū, nos ipſi propoſitum ac mores longè priùs inſpeximus, & inter graues probabileſque perſonas, & ſanctitate feruentes, hunc quem Antiſtitem habere cupimus, quotquot eum noſſe potuimus, vt nunc palam eſt, abſque errore annumerauimus. Proinde ſancti patres, ne dilatione diuini & regij beneficij torqueamur; ſed nobis ſuſpenſis, nobis deſiderantibus, nobis flagitantibus, ponatur celeriter lucerna ſuper candelabrum, & lumen veritatis populus Dei videat, & æmula deuotione præſulis veſtigia tenens, ſempiternæ beatitudini præparetur. Profeſſionem verò noſtri conſenſus in Æneam, Deo annuente, per veſtrum miniſterium nobis futurum Antiſtitem, ſubſcriptionibus noſtris certatim roborauimus, vt noſtra vnanimitate comperta votum ſumma properantia cōpleatis.

EPISTOLA VVENILONIS METROPOLITANI, ET Coepiſcoporum prouinciæ Senonicæ, ad clerum Eccleſiæ Pariſienſis.

De ordinato ab ipſis Ænea Epiſcopo.

Lupi Abbatis epiſt. 99.

VVenilo ſanctæ Senonicę ſedis Metropolitanus Epiſcopus, Heriboldus Antiſiodori Epiſcopus, Agius Aurelianorum, Prudentius Tricaſſinorum, Herimannus Niuernenſium, Frobaldus Carnutum, Hildegarius Meldorum, clero matris Eccleſiæ Pariſiorum, & cunctis in diuerſis cœnobiis ſub ea Domino militantibus ſalutem. De exceſſu reuerēdiſſimi Coepiſcopi noſtri Ercanradi non mediocriter anxij veſtrique mœroris participes, tandem iuſtiſſima diſpoſitione Dei non minores cōſolationes recepimus, dū vos ſub paſtore bono agentes, qui ſummè bonus eſt, vicarium eius ſcilicet viſibilem, miniſteriique conſortē, abſque dilatione expetere veſtris litteris tenentibus lineas rationis cognouimus. Præparatum enim à Domino ei bonum exitum credimus, cuius munere talem videmus patere ingreſſum. quamquam nobis futurus nunc ſocius olim fuit præcognitus, & merito ſuæ probitatis amabilis. Quis enim vel leuiter tetigit palatium, cui labor Æneæ non innotuit, & feruor in diuinis rebus non apparuit? Quamobrē electionem veſtrā in eo factam Deo propitio libenter ſequimur, vt eum profuturum populo eius ad dignitatem pontificatus promouendum concorditer decernamus. Sit igitur vobis paſtor qui pro ſuis in Deum meritis bene complacuit, & ſequentes eius veracem doctrinam, & ſancta opera imitantes, ad cæleſtis regni paſcua properate felices. Ordinationi autem eius ſubſcripſimus concorditer vniuerſi, vt ſecuri miniſterio poteſtatis eius fruamini.

CONCILIVM VALENTINVM III.

LOTHARII IMP. IVSSV IN CAVSA VALENTINI Epiſcopi celebratum, VI. Idus Ianuarias, Indictione III. anno Chriſti DCCCLV. Leonis IV. Papæ annô VIII. Lotharij eiuſdem Imp. & Caroli Calui Regis XV.

TITVLI CANONVM.

1. Quòd nouitates vocum omni ſtudio vitandæ ſint.
2. De æterna Dei præſcientia bonorum & malorum.
3. De prædeſtinatione Dei, electorum ad vitam, & impiorum ad mortem.
4. De redemptione ſanguinis Chriſti: & de quatuor, & nouemdecim Capitulis.
5. Quòd omnes regenerati à peccatis abluti ſint, non tamen omnes ſalui fiant.
6. De gratia & libero arbitrio.
7. Vt Epiſcopi per ciuitates minus idonei non ordinentur.
8. Vt excommunicentur qui poſſeſſiones Eccleſiarum inuadunt, etiamſi à principe indultas dicant.
9. De presbyteris parochialibus, dotibúſque baſilicarum: & de iis qui baſilicas in prædiis ſuis condere volunt.
10. Vt nonæ ac decimæ de rebus Eccleſiæ ſubtractis perſoluantur, & decimæ de omnibus quæ poſſidentur.
11. Vt in iudicio forenſi iuramentum iuramento legitimè facto non opponatur.
12. De iis qui ſingulari certamine alios occidunt, vel occiduntur.
13. Vt Epiſcopi mutuò ſe adiuuent contra rebelles, & auctoritatis ſuæ contemptores.
14. Vt Epiſcopi gregem ſuum nulla oppreſſione lædant.
15. Vt Epiſcopi formam diſciplinæ in omni vita & conuerſatione ſua ſe intuentibus exhibeant.
16. Vt verbum prædicationis per ſe vel per alios fidelibus adminiſtrent.
17. Vt viſitationes parochiarum moderatè & aptè peragant.
18. De ſcholis inſtaurandis.
19. Vt Metropolitani de vita & opinione Epiſcoporum præcipuam curam gerant.
20. Vt theſaurus omnis Eccleſiæ fideliter cuſtodiatur.
21. De commutationibus rerum Eccleſiaſticarum nullatenus, aut diligentiſſima cura faciendis.
22. De ſeruitio presbyterorum erga Epiſcopos ſuos.
23. Synodi ſententia pro Archidiacono Eccleſiæ Viennenſis, qui de ſtatus ſui conditione ab æmulis impetebatur.

PRÆFATIO.

REGNANTE Domino noſtro IESV Chriſto, anno DCCCLV. ab Incarnatione eius, glorioſiſſimo Lothario imperante XV. Indictione III. menſe Ianuario, VI. Idus eiuſdem menſis, apud vrbem Valentinam, in domo Baſilicæ S. Ioannis adiacente. Cùm propter cauſam Epiſcopi ciuitatis ipſius criminibus diffamati, ex iuſſione præfati pij principis, reuerentiſſimi trium

prouinciarum Epiſcopi in vnum collecti reſediſſent; id eſt Lugdunenſium, Viennenſium, & Arelatenſium, numero XIV. quibus præfuerunt auctore Domino Epiſcopi Metropolitani, videlicet Remigius Lugdunenſis, Agilmarus Viennenſis, Rodlandus Arelatenſis, conlaborante eis quam maximè venerabili Ebbone Gratianopolitano Epiſcopo; adiuncto etiam venerabili cœtu preſbyterorum, deuotiſſimis quoque diaconis adſtantibus, Euangeliis in medio poſitis, poſt obiectiones Epiſcopo factas diſcuſſas, & finitas, placuit omnibus in ſancta Synodo conſtitutis, ne fratrum conuentus abſque ædificatione diſcederet, hæc pauca in Chriſti nomine, quæ ſubter adnexa ſunt, ad commonitionem ſui ceterorúmque fidelium, deuota & ſollicita pietate adnotare.

CANONES.

I. *Quòd nouitates vocum omni ſtudio vitandæ ſint.*

Qvia doctorem gentium in fide & veritate fideliter commonentem obedientérque audimus: *O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* & iterum, *Profana autem & inaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit.* & iterum, *Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quia generant lites. ſeruum autem Domini non oportet litigare.* & iterum, *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* paci, quantum Deus dederit, & caritati ſtudere cupientes, attendentes pium eiuſdem Apoſtoli conſilium, *ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*, nouitates vocum, & præſumptiuas garrulitates, vnde potiùs inter fratres contentionum & ſcandalorum fomes excitari poteſt, quàm ædificatio vlla timoris Dei ſuccreſcere, cum ſtudio omni deuitamus. Indubitanter autem doctoribus piè & rectè tractantibus verbum veritatis, ipſiſque ſacræ ſcripturæ lucidiſſimis expoſitoribus, id eſt Cypriano, Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, ceteríſque in catholica pietate quieſcentibus, reuerenter auditum, & obtemperanter intellectum ſubmittimus, & pro viribus quæ ad ſalutem noſtram ſcripſerunt amplectimur. Nam de præſcientia Dei, & de prædeſtinatione, & de quæſtionibus aliis, in quibus fratrum animi non parum ſcandalizati probantur, illud tantùm firmiſſimè tenendum eſſe credimus, quod ex maternis Eccleſiæ viſceribus nos hauſiſſe gaudemus.

1.Tim.6.20. 2.Tim 2.16. Ibid.23. Philip.2.3. Epheſ.4.3.

II. *De æterna Dei præſcientia bonorum & malorum.*

Deum præſcire & præſciſſe æternaliter, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali ſunt geſturi, quia vocem ſcripturæ dicentis habemus: *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti* Dan.13.42.

omnia antequam fiant, fideliter tenemus, & placet tenere, bonos præſciſſe omnino per gratiam ſuam bonos futuros, & per eandem gratiam æternà præmia accepturos: malos præſciſſe per propriam malitiam malos futuros, & per ſuam iuſtitiam æterna vltione damnandos: vt ſecundum Pſalmiſtam, *quia poteſtas Dei eſt, & Domini miſericordia, reddat vnicuique ſecundum opera ſua.* & ſicut Apoſtolica doctrina ſe habet, *His quidem qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: his autem quis ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* In eodem ſenſu idem alibi: *In reuelatione*, inquit, *Domini* IESV *Chriſti de cælo cum Angelis virtutis eius, in igne flammæ dantis vindictam his qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri* IESV *Chriſti, qui pœnas dabunt in interitu æternas, cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Nec prorſus vlli malo præſcientiam Dei impoſuiſſe neceſſitatem, vt aliud eſſe non poſſet, ſed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille ſicuti Deus, qui nouit omnia antequam fiant, præſciit ex ſua omni potenti & incommutabili maieſtate. Nec ex præiudicio eius aliquem, ſed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipſos malos ideo perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt, ſuóque vitio in maſſa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanſerunt.

Pſal. 61. 12. Rom. 2. 7. 2. Theſſ. 1. 7.

III. *De prædeſtinatione Dei, electorum ad vitam, & impiorum ad mortem.*

Sed & de prædeſtinatione Dei placuit, & fideliter placuit, iuxta auctoritatem Apoſtolicam, quæ dicit, *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* vbi & ſtatim ſubiungit, *Quòd ſi volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata ſiue præparata in interitum, vt oſtenderet diuitias gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam.* fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem: in electione tamen ſaluandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere iuſtum Dei iudicium. Prædeſtinatione autem Deum ea tantùm ſtatuiſſe, quæ ipſe vel gratuita miſericordia, vel iuſto iudicio facturus erat, ſecundum ſcripturam dicentem: *Qui fecit quæ futura ſunt.* In malis verò ipſorum malitiam præſciſſe, quia ex ipſis eſt, non prædeſtinaſſe, quia ex illo non

Rom. 9. 21.

eſt. Pœnam ſanè malum meritum eorum ſequentem, vti Deum, qui omnia proſpicit, præſciuiſſe, & prædeſtinaſſe, quia iuſtus eſt. apud quem eſt, vt ſanctus Auguſtinus ait, de omnibus omnino rebus tam fixa ſententia, quàm certa præſcientia. Ad hoc ſiquidem

Prou. 19. 29. facit ſapientis dictum, *Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* De hac immobilitate præſcientiæ & prædeſtinationis Dei, per quam apud eum futura iam facta ſunt,

Eccleſ. 3. 14. etiam apud Eccleſiaſtem benè intelligitur dictum: *Cognoui quòd omnia opera quæ fecit Deus perſeuerent in perpetuum.* Non poſſumus his addere, nec auferre, quæ fecit Deus vt timeatur. Verùm aliquos ad malum prædeſtinatos eſſe diuina poteſtate, videlicet vt quaſi aliud eſſe non poſſint, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantùm mali credere velint, cum omni deteſtatione, ſicut Arauſica Synodus, illis anathema dicimus.

Cap. 25.

IV. *De redemptione ſanguinis Chriſti. & de quatuor, & nouemdecim Capitulis.*

Item de redemptione ſanguinis Chriſti, propter nimium errorem qui de hac cauſa exortus eſt, ita vt quidam, ſicut eorum ſcripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio vſque ad paſſionem Domini in ſua impietate mortui æterna damnatione puniti

Oſee 13 14. ſunt, effuſum eum definiant, contra illud propheticum, *Ero mors tua ô mors, ero morſus tuus inferne:* illud nobis ſimpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, iuxta Euangelicam & Apoſtolicam veritatem, quòd pro illis hoc datum pretium teneamus, de

Ioan 3. 14. quibus ipſe Dominus noſter dicit: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſo non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in*

Hebr 9 28. *eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* & Apoſtolus: *Chriſtus,* inquit, *ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Porrò Capitula quatuor, quæ à Concilio fratrũ noſtrorum minùs proſpectè ſuſcepta ſunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati: ſed & alia xix. ſyllogiſmis ineptiſſimè concluſa, & licet iactetur, nulla ſæculari literatura nitentia, in quibus commentum diaboli potiùs, quàm argumentum aliquod fidei deprehenditur, à pio auditu fidelium penitus explodimus, & vt talia & ſimilia caueantur, per omnia auctoritate ſpiritus Sancti interdicimus. nouarum etiam rerum introductores, ne diſtrictiùs feriantur, caſtigandos eſſe cenſemus.

V. *Quòd omnes regenerati à peccatis abluti ſint: non tamen omnes ſalui fiant.*

Item firmiſſimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo

fidelium ex aqua & Spiritu ſancto regenerata, ac per hoc veraciter Eccleſiæ incorporata, & iuxta doctrinam Apoſtolicam in morte Rom. 6. 5.
Chriſti baptizata, in eius ſanguine ſit à peccatis ſuis abluta: quia nec in eis potuit eſſe vera regeneratio, niſi fieret & vera redemptio: cùm in Eccleſiæ ſacramentis nihil ſit caſſum, nihil ludificatorium, ſed prorſus totum verum, & ipſa ſui veritate ac ſynceritate ſubnixum. Ex ipſa tamen multitudine fidelium & redemptorum, alios ſaluari æterna ſalute, quia per gratiam Dei in redemptione ſua fideliter permanent, ipſius Domini ſui vocem in corde ferentes, *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*: alios, quia noluerunt permanere in ſalute fidei, quam initio acceperunt, redemptioniſque gratiam potius irritam facere praua doctrina, vel vita, quàm ſeruare, elegerunt, ad plenitudinem ſalutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullomodo peruenire. In vtroque ſiquidem doctrinam pij doctoris habemus, *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto* Rom. 6. 3.
IESV, *in morte ipſius baptizati ſumus.* &, *omnes qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, & iterum: *Accedamus cum vero corde* Hebr. 10. 22.
in plenitudine fidei aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem. & Ibid. 26.
iterum, *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia*, & iterum, *Irritam quis* Ibid. 28.
faciens legem Moyſis, ſine vlla miſeratione duobus aut tribus teſtibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?

Matth. 10. 22 & 24. 13.

VI. *De gratia & libero arbitrio.*

Item de gratia, per quam ſaluantur credentes, & ſine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit, & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, ſed per gratiam Domini IESV fidelibus eius redintegrato & ſanato, idipſum conſtantiſſimè & fide plena fatemur, quod ſanctiſſimi Patres auctoritate ſacrarum ſcripturarum nobis tenendum reliquerunt; quod Africana, quod Arauſica Synodus profeſſa eſt, quod beatiſſimi Pontifices Apoſtolicæ ſedis catholica fide tenuerunt: ſed & de natura & gratia, in aliam partem nullo modo declinare præſumentes. Ineptas autem quæſtiunculas, & aniles pene fabulas, Scotorúmque pultes, puritati fidei nauſeam inferentes, quæ periculoſiſſimis & grauiſſimis temporibus, ad cumulum laborum noſtrorum, vſque ad ſciſſionem caritatis miſerabiliter & lacrymabiliter ſuccreuerunt, ne mentes Chriſtianæ indè corrumpantur, & excidant à ſimplicitate & caſtitate fidei, quæ eſt in Chriſto IESV, penitus reſpuimus, & vt fraterna ca-

ritas cauendo à talibus auditum caſtiget, domini Chriſti amore monemus. Recordetur fraternitas malis mundi grauiſſimis ſe vrgeri, meſſe nimia iniquorum, & paleis leuium hominum ſe duriſſimè ſuffocari. Hæc vincere ferueat, hæc corrigere laboret, & ſuperfluis cœtum piè dolentium & gementium non oneret: ſed potiùs certa & vera fide, quod à Sanctis Patribus de his & ſimilibus ſufficienter proſecutum eſt, amplectatur.

VII. *Vt Epiſcopi per ciuitates minus idonei non ordinentur.*

Et quia indiſcuſſi & inexaminati, ſcientiæque literarum penè ignari, minúſque Apoſtolicæ præceptioni appropinquantes, peccatis noſtris agentibus, per ciuitates Epiſcopi ordinantur; qua occaſione maximè vigor Eccleſiaſticus deperit: placuit, vt ſi quando alicuius ciuitatis Epiſcopus à vocatione Domini deceſſerit, à glorioſiſſimo Principe ſupplicando poſtuletur, vt canonicam electionem clero & populo ipſius ciuitatis permittere dignetur. Atque ita aut in clero, aut in dioceſi certè ipſa, vel ſi opus ſit, in vicinia ipſius probata & officio digna perſona quæratur, quæ inuenta conſenſu totius cleri & populi ad honorem Dei ciuitati ipſi præficiatur. Sed etſi à ſeruitio pij Principis noſtri aliquis clericorum venerit, vt alicui ciuitati præponatur Epiſcopus, timore caſto ſollicitè examinetur, primùm cuius vitæ ſit, deinde cuius ſcientiæ: & vigore Eccleſiaſtico ſub oculis omnipotentis Dei agat Metropolitanus in hac parte, Epiſcopis ſicut Dei miniſtris adiutorium ferentibus, ne maculatæ vitæ, & pompis ſæculi turbidus, & Simoniaca hæreſi pollutus, humilibus & mundis mēbris Chriſti, Eccleſiæque ipſius ſuperponatur Epiſcopus: nec præſumat illiteratum, & cupiditare nimia cæcatum, redditurus facti ſui rationem, populo Dei præficere. Si neceſſarium idem Metropolitanus viderit, ne tantum malum cogatur agere, vt indebito honorem bonis tantùm debitum tradat, inſtruat populum, informet clerum, potiùs adire clementiam Imperialem, & ipſe cum Coepiſcopis quibus valuerit modis adeat, vt Eccleſiam Dei glorioſus Imperator digno honoret miniſtro. Si autem turpiter cupiditate quacumque Metropolitanus victus, aut aliquo munere deceptus, tantum opus negligenter & ægrè fuerit executus, iudicium omnia cernentis Dei ſe incurrere non dubitet, ſed & ſententia fratrum ſe nouerit eſſe culpandum.

VIII. *Vt excommunicentur qui poſſeßiones Eccleſiarum inuadunt, etiamſi à Principe indultas dicant.*

Placuit ne prædia & poſſeſſiones Eccleſiarum, voto fidelium collatæ, cupidis ad inuadendum paterent, & ne tali fraude rebus

ſuis vacuarentur & ſpoliarentur Eccleſiæ, ne & glorioſorum Principum animi ſubreptione quorumdam talium deceptiuis callidiſque mendaciis læderentur: vt ſi quis non metuens iudicium Dei, & damnationem æternam, poſſeſſiones Eccleſiarum, ſiue exſpoliare quæ pertinent ad ius earum præſumpſerit, excommunicationis ſententiam, quouſque præſumptionis factum recorrigat, ſecundum Eccleſiaſticam cenſuram ferat. Quòd etſi prætenderit huiuſmodi ſibi indulta & conceſſa ab auguſtiſſimis Dominis noſtris, nec ſic à ſententia Epiſcopi ſit liber, (multi enim probantur in ſimilibus mentiri) donec rector ipſarum Eccleſiaſticarum rerum ad clementes aures Principis cauſam tam malè facti cum precibus Eccleſię deferat, vt eius iudicio & moderatione res vnde agitur deliberetur, & is qui caritate fuerit priuatus Eccleſiæ, tunc ſi dignus eſt abſoluatur.

IX. *De presbyteris parochialibus, dotibúſque baſilicarum: & de iis qui baſilicas in præſidiis ſuis condere volunt.*

Item quia parochiales Preſbyteri grauiſſimè & indignè à ſæcularibus premuntur, nulláque reuerentia ſacerdotali gradui ab aliquibus ſeruatur: & quia poſſeſſiunculæ, vel dotes baſilicis collatæ, irreuerenter auferuntur, duriſſimóque ſeruitio extenuantur, quod clamor ſacerdotum, & ruinæ etiam baſilicarum produnt: placuit vt ipſi Preſbyteri ſub Epiſcopis, quibus adiutores ſunt, maneant, & ſub matre Eccleſia liberi & quieti officium Eccleſiaſticum exequantur: dotes vero à fidelibus deſignatæ baſilicis, ad hoc quod ſtatutum eſt ab eis vendicetur; nulláque redhibitio cenſus inde à quolibet ſæculari exigatur, ſed quod canonicè tantùm ordinatum eſt ſuppleatur. Si quis autem ſæcularium noſtram hanc ordinationem confundere præſumpſerit, ab Eccleſia nouerit ſe canonicè feriendum, cuius inſtitutionem temerè contempſit. Sed & ipſi ſæculares & fideles laici, ſi condere voluerint baſilicas in prædiis ſuis, ſicut edictum piiſſimorum Auguſtorum continet, vnam colonicam veſtitam cum tribus mancipiis donationis gratia eis conferant, moxque Epiſcoporum iuri, & ſanctæ matri Eccleſiæ eandem baſilicam ſubmittant. Aliter verò nos earum conſecrationem ſciant non impleturos. Illi autem qui dotes Eccleſiarum auferre, durè ſeruitium ab eis exigere, inſuper non metuunt periculum ſacerdotibus intentare, ſi actiones non meliorauerint, eorum excommunicationi nos addere nouerint deſtructionem penitus talium baſilicarum, locúmque alium ſub pace meliori ſitum quæſituros, ibíque pacificam baſilicam conſecraturos.

X. *Vt nonæ & decimæ de rebus Eccleſiæ ſubtractis perſoluantur: & decimæ de omnibus quæ poſſidentur.*

Sed & de fiſcis & villis, quas conſtat dominio Eccleſię à fidelibus olim fuiſſe contraditas, & nunc poteſtati ſęculariũ ſubditas voluntate eorum ordinari, placuit, vt ſicut edictis Principum iuſſum eſt, nonę & decimę ipſis Eccleſiis, vnde ſubtractę ſunt, fideliter perſoluantur. hi qui eas retinuerint, vt ſacrilegos nouerinț ſe ab Eccleſiæ liminibus pellendos. Sed & decimas ſuas omnes fideles promptiſſimè Deo offerant de omnibus quæ poſſident, nec vllis oppoſitionibus quod ſtatutum eſt permutare audeant, ne fortè cogamur eos diſtrictione Eccleſiaſtica ferire. Vſurarum etiam turpia lucra iterum canonica ſeueritate inhibemus.

XI. *Vt in iudicio forenſi iuramentum iuramento legitimè facto non opponatur.*

Quia impia, & Deo inimica, & Chriſtianæ religioni nimis contraria, ex iniquiſſima ac deteſtabili conſtitutione quarumdam ſæcularium legum conſuetudo inualuit, vt in forenſi iudicio litigantes ex vtraque parte contendentium æqualiter iuramentum dare cogantur, vbi ſine dubio duobus contra ſe iurantibus vnus periurus efficitur: tanti ſceleris immanitatem, & animarum perditionem dolentes, ſtatuimus vt quicumque vno iuramento legitimè dato, quod ſecundum legem diuinam omnis humanæ controuerſiæ finis eſſe debet, alterum è contrario iuramentum opponere præſumpſerit, ab ipſis liminibus Eccleſiæ, quæ ſua impietate profanauit, exclusus, omnium Chriſtianorum conſortio atque conuiuio reddatur extraneus, niſi ſe continuò admonitus ad agendam pœnitentiam tanti reatus humili ſatisfactione inclinauerit.

XII. *De iis qui ſingulari certamine alios occidunt, vel occiduntur.*

Et quia ex huiuſmodi iuramentorum, immo periuriorum, contentione etiam vſque ad armorum certamina ſolet prorumpi, & crudeliſſimo ſpectaculo effunditur cruor belli in pace, ſtatuimus iuxta antiquum Eccleſiaſticæ obſeruationis morem, vt quicumque tam iniqua & Chriſtianæ paci inimica pugna alterum occiderit, ſeu vulneribus debilem reddiderit, velut homicida nequiſſimus, & latro cruentus, ab Eccleſiæ & omnium fidelium cœtu ſeparatus, ad agendam legitimam pœnitentiam modis omnibus compellatur. Ille verò qui occiſus fuerit, tanquam ſui homicida, & proprię mortis ſpontaneus appetitor, à Dominicæ oblationis commemoratione habeatur alienus, nec cadauer, iuxta ſanctorum canonum decre-

tum, cum pſalmis vel orationibus ad ſepulturam deducatur. Super quibus duobus titulis, propter tam funeſta & hortenda animarum vel etiam corporum exitia, Chriſtianiſſimi Imperatoris pietas ſacerdotali omnium noſtrûm ſupplicatione imploranda eſt, vt tantum malum à populo fidelium ſuis publicis ſanctionibus amoueat, & noſtrum ſuper hoc tam neceſſarium Eccleſiaſticum decretum propria auctoritate confirmet.

SEQVENTE DIE HÆC ITERVM A reuerentiſſimis Epiſcopis ſunt executa.

XIII. *Vt Epiſcopi mutuò ſe adiuuent contra rebelles & auctoritatis ſuæ contemptores.*

VT tanta inter nos largiente Domino caritas & vnitas teneatur, vt quoties aliqui in populis, quibus regendis præeſſe dinoſcimur, aduerſus Eccleſiam & ſacerdotalem auctoritatem contemptores & rebelles exiſtunt, tanta inſtantia inuicem & litteris & verbis iuuare ſtudeamus, vt pondere Eccleſiaſtici vigoris retuſi & preſſi, vel ad humilitatem pœnitentiæ compellantur, aut ſi ab vna Eccleſia fuerint excommunicati, in nulla alia falsò & furtiuè communicandi inueniant facultatem. Placet firmatum.

XIV. *Vt Epiſcopi gregem ſuum nulla oppreſſione lædant.*

Vt vnuſquiſque noſtrûm in clero & populo, & ſacerdotibus ac monaſteriis ſibi commiſſis, ſollicita & paterna pietate prouideat, ne propter aliquas oppreſſiones peſtiferis murmurationibus & querimoniis ac detractionibus aduerſus eoſdem paſtores ſuos inſeruiant: quia per hæc caritatis vinculum, quod præcipuè inter paſtorem & gregem Deus requirit, & quod nos ſingulariter Deo iungit, nimis dolenter ſoluitur. & recedente Deo, qui in ſciſſura mentium habitare non poteſt, grauiſſima quotidie damna & mortes animarum fiunt: ita vt ſi hæc negligantur, non iam paſtores, ſed interfectores, quod abſit, Chriſti ouium inueniamur. Placet firmatum.

XV. *Vt Epiſcopi formam diſciplinæ in omni vita & conuerſatione ſua ſe intuentibus exhibeant.*

Vt de vita & religione ſua vnuſquiſque tam in conuerſatione ſua, quàm etiam in habitus & vultus ac ſermonis grauitate, talem ſe domi foriſque & ſuis & extraneis exhibere ſtudeat, vt maturitate morum, & repudiatione omnium leuitatum ac vanitatum, omnibus ſibi adhærentibus, ſéque intuentibus, formam diſciplinæ & verecundiæ ac modeſtiæ infundat. Placet firmatum.

XVI. *Vt verbum prædicationis per ſe vel per alios fidelibus adminiſtrent.*

Vt vnuſquiſque noſtrûm ſiue per ſe, ſiue per aliquem vel aliquos ex miniſtris Eccleſiæ fideliter doctos, ita verbum prædicationis, tam in vrbe, quàm foris, in plebibus exhibeat, vt omnino eis admonitio & exhortatio ſalutaris deeſſe non poſſit: quia vbi verbum Dei fidelibus non miniſtratur, quid aliud quàm vita animæ ſubtrahitur? Placet firmatum.

XVII. *Vt viſitationes parochiarum moderatè & aptè peragant.*

Vt ipſa viſitatio plebium & parochialium ſacerdotum, tam moderatè, & in quantum fieri poteſt, iuxta canonicam inſtitutionem fiat, vt manifeſtum ſit, ſiue per nos, ſiue per noſtros, ſola ibi animarum lucra perquiri, nec aliquem importunitate & nimietate grauari & contriſtari, ne verbum Domini & doctrina blaſphemetur. Placet firmatum.

XVIII. *De ſcholis inſtaurandis.*

Vt de ſcholis tam diuinæ quàm humanæ litteraturæ, necnon & Eccleſiaſticæ cantilenæ, iuxta exemplum prædeceſſorum noſtrorum, aliquid inter nos tractetur, & ſi poteſt fieri, ſtatuatur atque ordinetur. quia ex huius ſtudij longa intermiſſione, pleraque Eccleſiarum Dei loca & ignorantia fidei & totius ſcientiæ inopia inuaſit. Placet firmatum.

XIX. *Vt Metropolitani de vita & opinione Epiſcoporum præcipuam curam gerant.*

Vt ſingulis Metropolitanis cum ſuffraganeis ſuis cura præcipua ſit de vita & opinione non ſolùm totius cleri, ſed etiam ipſorum Epiſcoporum, ne ſe per culpam vel negligentiam ſuam tales exhibeant, qui meritò apud laicos viles atque infames, ac per hoc in ipſo ſacro miniſterio contemptibiles habeantur. Placet firmatum.

XX. *Vt theſaurus omnis Eccleſiæ fideliter cuſtodiatur.*

Vt theſaurus, ſiue miniſterium vel ornamentum Eccleſiarum, fideliter deuotioni eorum, qui hæc vel ad honorem domus Dei, vel ad ſuſtentationem familiæ Eccleſiaſticæ, ſi neceſſitas egerit, obtulerunt, cuſtodiatur, nec quicquam ex eis niſi iuxta inſtitutionem canonicam fieri permittatur. Placet firmatum.

XXI. *De commutationibus rerum Eccleſiaſticarum nullatenus aut diligentiſſima cura faciendis.*

Vt de commutationibus rerum Eccleſiaſticarum diligentiſſima adhibeatur

Digitized by Google

adhibeatur cura, vt vel iuxta interdictum & obteſtationem ſacrorum canonum nullatenus fiant, vel certè fraudulentia & nequitia quorundam in hac re ita coerceatur & amputetur, vt Eccleſia Dei ſuis prædiis & facultatibus tam impudenter & dolenter minimè ſpolietur. Quia cùm ipſæ res Eccleſiarum à piis & fidelibus Deo oblatæ, iuxta antiquorum patrum ſententiam, nihil ſint aliud niſi vota fidelium, patrimonium pauperum, redemptio peccatorum; ſi eas fideliter & integrè Eccleſiaſticis vſibus non defendimus, & in eos qui obtulerunt, & in Deum, cui oblatæ ſunt, grauiſſimo nos reatu implicamus. Placet firmatum.

XXII. *De ſeruitio presbyterorum erga Epiſcopos ſuos.*

Vt de ſeruitio presbyterorum erga Epiſcopos ſuos conſuetudo, vt nobis videtur, valde reprehenſibilis amputetur: vt ſcilicet quoties Epiſcopus ſtatuto tempore viſitationem & prædicationem per eoſdem ſacerdotes & populos non exercet, nequaquam ab eis pro ſolito ſeruitio pecunias exigat. Hoc enim & B. Iob per ſimilitudinem terræ fructiferæ, & agricolarum eius, id eſt Eccleſiæ & ſacerdotum, nimis cauendum ſignificat, dicens: *Si fructus eius comedi* Iob 31. 19. *abſque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi*: docens nequaquam abſque pecunia, id eſt prædicationis verbo vel pretio, Eccleſiaſtica ſtipendia vſurpanda; nec improbitate aliqua agricolarum, id eſt conſacerdotum & conlaborantium animas affligendas. Quod apertè declarant etiam verba Apoſtoli dicentis, *Non alligabis os bo-* 1. Cor 9. 9. 1. Tim. 5 18. *ui trituranti*, vt videlicet triturans comedat. & alibi, *Laborantem* 2 Tim 2. 6. Matth. 10. 10. *agricolam oportet primùm de fructibus accipere*. & Dominus: *Dignus*, inquit, *eſt operarius cibo ſuo*. Placet firmatum.

XXIII. *Synodi ſententia pro Archidiacono Eccleſiæ Viennenſis, qui de ſtatus ſui conditione ab æmulis impetebatur.*

Peruenit etiam ad nos nimis dolenda & lugubris querela Eccleſiæ Viennenſis per venerabilem fratrem & Coepiſcopum noſtrum Agilmarum, qui nobis lacrymabiliter conqueſtus eſt, quòd præfata Eccleſia ipſius regimini commiſſa, propter Archidiaconum & præpoſitum ſuum, virum honeſtum & idoneum, per quorundam ſæcularium violentiam, qui eum neſcimus quibus machinationibus in ſeruitium inclinare nituntur, grauiſſimam & inſedabilem toto iam biennio vel ampliùs ſuſtineat perſecutionem: & neque legum vel ſacrorum canonum tricennali præſcriptione, neque pij principis noſtri auctoritate, neque legatorum eius, tam venerabilium Epiſcoporum, quàm illuſtrium Comitum, cæterorúmque laicorum legitimo & celeberrimo iudicio, neque maximo & idoneo

teſtimonio pagenſium, qui iam LXX & IV. præfati Diaconi integram libertatem iuramento legitimo probauerunt, neque totius populi terræ conſona atteſtatione, neque vllo diuini timoris reſpectu, ab eorum infeſtationibus atque iniuriis quieſcere ſinitur: dum poſt iudicia & iuramenta legitimè & Imperiali auctoritate peracta, vnus homuncio, contra omnem legem Dei, ſuo iniquiſſimo iuramento ea infringere potuiſſe creditur. Et præfati Diaconi conſanguinei ac propinqui, poſt mortem illius decrepitæ mulierculæ, cuius notiſſima ingenuitas ſemper ideo iuramento firmata eſt, diuerſis oppreſſionibus & calamitatibus, inſuper & exiliis violentiſſimè ac nequiſſimè exagitantur. Vnde omnes graui dolore permori, & memores diuinæ legis dicentis: *Iudicate manè iudicium, & eruite vi oppreſſum de manu calumniatoris.* & iterum: *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes:* & quia propriè Epiſcopale miniſterium eſt, vt omnium iniquè laborantium & oppreſſorum cauſas pia propugnatione ſubleuent, & maximè pro Eccleſiaſticis neceſſitatibus paterna ſollicitudine deſudent; ne tantum malum ad perturbationem Eccleſiarum Dei conualeſcat, & tam apertè diſciplinam religionis euertat, ipſa miniſterij noſtri neceſſitate compulſi, & Eccleſiæ laborantis compaſſione prouocati, ſtatuimus vt quicumque ex præfatis viris, poſt tot iuramenta legitimè decreta & probata, & regalis auctoritatis iudicio celebrata, quibus etiam de republicæ ſtatu, quanto magis de paucorum hominum capite, omnis debuit querela finiri, præfatum Archidiaconum ampliùs, vel in ſua, vel in propinquorum ſuorum perſona, in quolibet ex noſtris Epiſcopatu, ſiue Comitatu, inquietare, vel quæcumque eorũ ſunt inuadere ſeu diripere præſumpſerit, mox ab omni Eccleſiæ cœtu, & omnium noſtrûm conſortio, tanquam verè impugnator iuſtitiæ & totius religionis, vſque ad ſatisfactionem pœnitentiæ excommunicatus habeatur. Illum etiam, qui tot iuramenta legitima ſuo impio iuramento velut euacuare auſus eſt, ſimili ex die cõmonitionis excommunicationẽ damnamus, niſi ſe feſtina humilitate pœnitentiæ ſubmittat: quatenus & vigor legum, & pax Eccleſiarum, ſub tutela pij principis noſtri integro iure ſalua conſiſtere valeat. Quod iudicium noſtrum tam neceſſarium & publicæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ defenſioni, omnino ſuppliciter poſtulamus eiuſdem pij Principis auctoritate muniri.

EXEMPLVM LEGIS DE CONFIRMANDO iudicio Epiſcoporum.

IMP. Conſtantinus Auguſtus Ablauio Præfecto prætorio. RELIGIONIS eſt, clementiam noſtram ſciſcitari voluiſſe, quid de ſententiis Epiſcoporum vel antè moderatio noſtra cenſuerit, vel nunc ſeruari cupimus. San-

ximus namque, ſicut edicti noſtri forma declarat, ſententias Epiſcoporum, quolibet genere latas, ſine aliqua ætatis diſcretione, inuiolatas ſemper incorruptaſque ſeruari: ſcilicet vt pro ſanctis ſemper & venerabilibus habeatur, quicquid Epiſcoporum fuerit ſententia terminatum. Siue itaque inter minores, ſiue inter maiores a b Epiſcopis fuerit iudicatum, apud vos qui iudiciorum ſummam tenetis, & apud ceteros omnes Iudices, ad executionem volumus pertinere. Multa enim, quæ in iudicio captioſæ præſcriptionis vincula promi non patiuntur, inueſtigat & promit ſacroſanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque cauſæ, quæ vel prætorio iure, vel ciuili tractantur, Epiſcoporum ſententiis terminatæ, perpetuo ſtabilitatis iure firmentur: nec liceat vlterius retractari negotium, quod Epiſcoporum ſententia deciderit.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Remigivs indignus Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus hanc Synodalem definitionem ſubſcripſi.

Agilmarvs Eccleſiæ Viennenſis Epiſcopus hanc Synodalem definitionem ſubſcripſi.

Rodlandvs Eccleſiæ Arelatenſis Epiſcopus hanc Synodalem definitionem ſubſcripſi.

Ebbo Gratianopolitanus Epiſcopus hanc Synodalem defin. ſubſcr.

Ragenvtvs indignus Epiſcopus Eccleſiæ Auenionenſis hanc Synodalem definitionem ſubſcripſi.

Elias vilis Epiſcopus hanc Synodalem definitionem ſubſcripſi.

Baldemarvs humilis Epiſcopus hanc Synodalem definitionem ſ.

Richardvs Epiſcopus hanc Synodalem definitionem ſubſcripſit.

Avdinvs Chorepiſcopus ſubſcripſi.

Reliquæ ſubſcriptiones in MS. exciſæ.

BENEDICTI III. PAPÆ
EPISTOLA I.

Ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem.

Confirmatio Synodi Sueſſionenſis II. cum priuilegiis Eccleſiæ & Archiepiſcopi Remenſis.

BENEDICTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro Archiepiſcopo ſanctæ Remenſis Eccleſiæ.

Probabilivm ſacrorúmque definitiones geſtorum audientium mentes exhilarant, faciúntque alacres, & in tantum mortalium lætitia corda replent, vt in conditoris omnium exuberent laudes, facilique intuitu illarum confirment proficuas intentiones & actus, validóque & inconuulſo propagare fundamine certa-

mine ingenti procurent. Noſtri, quemadmodum pontificij cor dulciſonis tuæ benignitatis apicibus lætius effectum eſt & hilarius: ſtrenua quos perlegentes inquiſitione, noſtræ te eſſe coniunctum dilectioni internis nouimus oculis, diuiníſque proſperitatibus efficacem. Synodíque textum imminenti ventilantes intuitu, eiúſque actus, quam apud Sueſſionis ciuitatem tua beatitudo ſtuduit celebrare, cum Epiſcopis tuæ diœceſeos, venerabilibúſque Archiepiſcopis, VVenilone ſcilicet Senonẽſi, Amalrico Turonenſi, aliíſque Epiſcõpis, vt ſcriptis in ea contuliſti, ſubtilíque demonſtratione pandere procuraſti: quæ ad profectum ſanctæ noſcuntur Eccleſiæ, piis auctoritatibus ſtatuta, ſancitáque reperimus. præcipuè in quibus æquiparare te viros illos proſpeximus, qui non terrenis actibus, caducíſque delectati ſunt obſeruationibus, infinitóque Dei zelo accenſi, Eccleſiaſtica promulgarunt ſtatuta & ordines. Hæc cementes, ad ea quæ cupis nullatenus nos inclinare ambigimus, tuæ venerationis adimplere cupientes affectum. Et quia vt deuotus fideliſque in omnibus filius, pro inſtructione, ſeu confirmatione geſtorum ac regularum Eccleſiaſticarum, ſemper ad hanc te ſedem recurrere contemplamur; definitiones fraternitatis tuæ, & cæterorum Epiſcoporũ, quas in præfata Synodo Apoſtolicis canonicíſque auctoritatibus propriis digitis roboraſti, ſi ita eſt, noſtro vt ſcriptis præſulatui intimaſti, & geſtorum ſerie demonſtraſti, ratas eas quidem definitiones Apoſtolica fore promulgamus auctoritate, ſempérque manere ſtatuimus, vt inde quæſtio nullis aliquando temporibus oriatur, & adſpirantes indebitè anhelitus compreſſi funditus perpetuò maneant: ne ampliùs vllorum contradicentium aduerſitatibus Dei conturbetur Eccleſia; ſed omnibus eruta ſcæuæ pertractationis erroribus vnita ſemper in Chriſto permaneat. Inter hæc quidem & hoc ſancimus, ne quilibet tuæ diœceſeos regulis ſubiectus Eccleſiæ, te contempto, impune audeat ſeu valeat aliena expetere aut expectare iudicia, vt almorum traditionibus patrum, canonúmque promulgationibus eſt conſtitutum: ſaluo in omnibus iure Apoſtolicæ noſtræ ſedis, vt ab ipſo veluti Chriſto & ſacris eſt cautum canonibus. Sed cuncti, ſiue in prælatione, ſiue in ſubiectione debita, ordinem ab Eccleſiaſticis regulis traditum obſeruantes obediant, & ſtudioſiùs obtemperare procurent. Et hoc promulgamus, atque ſtatuimus, vt te, qui eius prouinciæ primas dinoſceris, nullius vnquam infeſtatione, contra canonica Apoſtolicáque decreta, ſiue iudicia Eccleſiaſtica tibi commiſſa, aut virtute aut facultate nudari, aut ante audientiam Romani Pontificis à quocumque damnari ſtatuimus: ſed ſi compellatus appellare ad hanc ſanctam ſedem volueris, Apoſtolici Papæ iudicio reſeruari, noſtra, immo B. Petri, auctoritate præcipimus. nec alicui cuiuſcumque iuri vel iudicio teſubiici, excepta poteſtate ſedis Romanæ pontificum. Et hoc volumus, ne quilibet ex prouincia & diœceſi Metropoli tuæ tibíque ſubiecta, ius ſecundum Eccleſiaſticas conſtitutiones primatui Eccleſiæ tuæ & tibi debitum quoquomodo per contemptum conuellere, aut tibi vel Eccleſiæ tuæ quamcumque violentiam contra eadem canonica conſtituta, & decreta Romanorum Pontificum, pertinaciter inferre præſumat, cum anathematis interpoſitione noſtra Apoſtolica, & B. Petri Apoſtolorum principis auctoritate prohibemus. Optamus fraternitatem tuam in Chriſto nunc & ſemper bene valere.

Iuo Parte 4. cap. 156.

Iuo ibid.

Hincmarus epiſt. 6. c. 21.

Ibid. cap. 24.

Ibid. cap. 26.

BENEDICTI III. PAPÆ EPISTOLA II.

Ad Epiſcopos in regno Caroli conſtitutos.

Aduerſus Hubertum clericum. vt infra dies XXX. *Romam veniat de criminibus, quorum inſimulabatur, reſponſurus.*

BENEDICTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei reuerentiſſimis & ſanctiſſimis Archiepiſcopis cunctiſque Epiſcopis in Caroli glorioſi regis regno morantibus.

BONORVM ſemper innouamur auditu, & actibus hilareſcimus Deum diligentium, animo ſuperna poſſentium, quos beatitudo ſublimat, diuinóque connectit conſortio, & poli perducit ad climata: atrocitatibus autem, actibúſque malorum lamentamur, quorum ſceleribus conuerſatio circumdatur, & plena malis eorum operatio manet: quorum in cunctis curſus eſt deteſtabilis, perſeuerantia ſæua, infelíxque opinio. Quibus Hubertum clericum, quondam Boſonis filium, relatione ſimilem eſſe cognouimus. qui tantis ſqualoribus irretitus, mentem ad ſuperna non ſubleuans, æui perennis particeps eſſe nolit. Multorum verò ingemiſcentium clamoribus hominum, horrificiſque aſſertionibus, plura infelicis ſuæ audaciæ mala, diráſque perpetrationes noſtri præſulatus didicerunt legati. Qualiter olim ſacrorum fuit coniunctus numero clericorum, adeo vt in diuinis celebrandis myſteriis more ſubdiaconorum ſacras lectiones conſcendens ambonem populo nuntiaret. Nunc autem, quod lacrymantes referimus, iniquorum ſceleratiſſimorúmque hominum conuerſationibus ſociatus, infauſtæque vitæ vnitus, & multis piaculis criminibúſque plenus, ad periclitationem ſuæ, quod non debuerat, animæ iniquo certamine tendit, & cruenta tyrannide perſeuerat. Et hoc multis narrantibus audierunt, quòd cum ſcenicis mulieribus quotidie degere non dubitet, quæ animas perdunt, & corpora ſauciant, ad imáque deducunt. Et quia aggregatione multorum hominum ſibi noxiorum coniuncta, multa in plebem Domini, pretioſa quam paſſione è faucibus nequiſſimi eripuit leonis, atque redemit, homicidia & innumera adulteria, turpéſque fornicationes ac deprædationes illicitas & inſuſtentabiles perpetrare non ceſſet. Non ſolùm hæc, ſed & plurimis etiam affirmantibus didicerunt, quòd monaſterium ſancti glorioſique Mauritij martyris, Apoſtolicis priuilegiis munitum, tanta ferocitate peruaſit, vt nullus iam priſcæ religionis in eo ordo ſeruetur. Nam illa quæ Deo ibidem famulantibus ex ope ipſius miniſtrabantur, nunc meretricibus, canibus, atque auibus, nequiſſimis necnon hominibus ſua largiuntur præceptione. Idque monaſterium ab Eccleſia findens, Aimoinus cui præſidere videbatur Antiſtes, ſacrorum canonum patrúmque violans ſanctiones, indecenter poſſidere non dubitet. Et quia Monaſterium in commemoratione B. Petri Apoſtoli Luxouio conſtitutum, cuius clauſtris aditus mulieribus numquam patuit, hoſtili modo ingreſſus, cum illicitis mulieribus per aliquot dies com-

morari nõn trepidarit. Quandam etiam mulierem, quæ cauſa pudicitiæ à proprio ſe viro diſſociauit, Deóque ſe vouit, atque dicare promiſit, & poſtmodum diaboli iaculo terebrata atque percuſſa, à Monaſterio fugiens, cuidam adultero iuncta ſuæ ſe defenſioni ſubmiſit; poſtremò verò Archiepiſcoporum, Epiſcoporumque quæſita cœtui minime eſt præſentata, qui vnà cum defenſoribus ſuis eam ab Eccleſiaſtica communione expulerunt, hactenus vſque, diuinum non timens iudicium, ſua defenſione retinere non ceſſet. Pacemque, quam inter Hludouuicum muniuimus Cæſarem ſemper Auguſtum, ſuoſque glorioſos germanos, ſua miſerrima cupiditate, ad multorum Chriſtianorum necem atque periculum ſcindere, vt audiuimus, non dubitauit. Hæc & multa horum ſimilia de eo audientes, profuſis lacrymis condolemus, ne ſuæ fragilitatis in his eum finis contingat, erebique voragini addicatur. Propterea volumus, & Apoſtolica ſuæ præcipimus auctoritate induſtriæ, vt omni poſtpoſita excuſatione, ablatóque ingenio, poſt xxx. dierum curricula, quàm hæc illi fuerit præſentata epiſtola, iter inchoare non pigeat, Romamque celeri ſtudio properare feſtinet: vt præſentaliter videre valeamus, atque cognoſcere, ſi taliter circa eum hæc quæ dicuntur exiſtant, vt ſpiritali abluere cenſura curemus, ſauciatáque membra cæleſtis reformare medicinæ collyrio valeamus. Cupimus enim illum tantis erutum eſſe delictis, & ſupernæ patriæ ſacris monitis perficere ciuem. Si autem venire neglexerit, noſtramque Apoſtolicam ſecundum præceptionem pergere noluerit, ſcire vos volumus, quia mox illum ab Eccleſiaſtica communione expellimus, ita vt nec vobiſcum, nec cum vllis Chriſtianæ cultoribus fidei conſortium habeat, & à Dominico corpore ſanguinéque eum facimus alienum. Optamus beatitudinem veſtram in Chriſto bene valere.

ANNO CHRISTI 857. CAROLI CALVI REGIS 17.

SYNODVS CARISIACA.

Menſe Februario anni DCCCLVII.

IN hac Synodo, inter cetera Eccleſiaſticæ vtilitatis, reique publicæ negotia, edita eſt communi Epiſcoporum aliorumque procerum conſultu à Carolo rege Conſtitutio de coercendis rapinis & depopulationibus, quæ in regno graſſabantur, ad Epiſcopos & alios Miſſos dominicos. quæ exſtat in Capitularibus Caroli Calui Tit. xx.

ANNO CHRISTI 858. CAROLI CALVI REGIS 18.

NICOLAVS PAPA.

CAPITVLA HERARDI ARCHIEPISCOPI TVRONENSIS.

CAPITVLA EXCERPTA EX CORPORE ſanctorum Canonum pernecessaria ab Herardo ſanctæ Turonicæ ſedis Archiepiſcopo, nutu diuino in ſancta ipſius Synodo tenenda memoriter ab omnibus ipſius parœciæ ſacerdotibus, & clericis, omnibúſque volentibus.

IN nomine Dei ſolius. Ego Herardus immeritò Turonenſium Pontifex, anno Incarn. dominicæ DCCCLVIII. ordinationis quoque noſtræ III. Indictione VI. cernens Eccleſiam mihi commiſſam partim negligentia, torpore, vel deſidia, partim præſidentium incuria ſacerdotum atque ignauia, variis & innumeris cladibus affici, excidiis concuti, & quod dictu actúque grauius fore comperimus, diuerſis animarum laqueis ac quotidianis erroribus deperire, inſtinctu vt credimus miſerationis ſupernæ, perpaucula, eáque admodum neceſſaria ſacrarum admonitionum collecta Capitula, ſacerdotum totius nobis creditæ parœciæ generali in vrbe ſedis noſtræ coadunata XVII. Kalend. Iunij Synodo, publicè recitari, & vt ad omnium præſentium notitiam & intelligentiam peruenire valerent, coram cunctis perlegi fecimus, & reuolui. Et quoniam auctoritas ſacra canonum nulli ſacerdotum canones ignorare permittit, ne quemquam in reliquo nobis commiſſorum huius ordinis expertem nouerimus canonum, decreuimus paritérque iniunximus, excepta per noſtri laboris ſtudium hæc modica ſuccinctáque Capitula vnumquemque habere in poſterum.

CAP. I. Vt in Synodo prius generales cauſæ, quæ ad normam totius Eccleſiæ pertinent, finiantur: poſtea ſpeciales ventilentur.

II. De die Dominica, vt à veſpera vſque ad veſperam celebretur: & vt ſeruilia opera, & verba turpia, atque mercata, cauſarum audientiæ, conuentúſque publici abſque Eccleſiaſticis prohibeantur.

III. De ignotis Angelorum aliorúmque Sanctorum nominibus, vt non recitentur: & de maleficis, incantatoribus, diuinis, ſortilegis, ſomniariis, tempeſtuariis, & breuibus pro frigoribus, & de mulieribus veneficis, & quæ diuerſa fingunt portenta, vt prohibeantur, & publicæ pœnitentiæ multentur.

IV. Vt clerici per tempora conſtituta ad ordinationem gradatim veniant, & non confusè: & vt fides & vita eorum, libertas, & tempora inquirantur.

V. De vſuris omnibus fidelibus prohibendis, clericis ac laicis: & de menſuris & ponderibus, vt iuſtæ & æquales habeãtur.

VI. Vt nec clerici, nec monachi, ad ſæcularia negotia tranſeant.

VII. Vt ſi clerici, aut monachi, inter ſe habent negotia, apud Epiſcopum finiantur, & non apud ſæculares: ſin aliàs, excommunicentur.

VIII. Vt nullus laicorum quemquam clericorum, abſque permiſſu Epiſcopi, compellat ad cauſas ire ad publicum: & qui fecerit, donec corrigat, ab Eccleſiæ ſocietate pellatur.

IX. Vt fides prædicetur omnibus fidelibus à preſbyteris, Incarnatio, paſſio, reſurrectio, & aſcenſio, Spiritus ſancti datio, peccatorúmque remiſſio, quæ fit in eodem Spiritu, & in aqua baptiſmatis in gremio ſanctæ matris Eccleſiæ: & vitia maximè quæ criminalia, vetentur, virtutéſque doceantur.

X. De ieiuniis quatuor temporum, & aliis pro diuerſis neceſſitatibus conſtitutis, vt non ſoluantur, niſi certis infirmitatibus.

XI. De his qui irrationabiliter peccant, aut cum conſanguineis, vt actiùs iudicentur, quatenus huiuſmodi vitia abſcidantur.

XII. De periuriis, ſacrilegiis, & ebrietatibus prohibendis: & vt teſtes ieiuni iurent, ac priùs de periurio moneantur, vt nullus infra annos XIV. teſtis ſuſcipiatur:

& quòd ſemel periurati ad teſtimonium non recipiantur.

XIII. De honore & adiutorio parentibus exhibendo.

XIV. Vt inceſta omnia, iuxta modum culpæ, abſque exceptione perſonæ, à preſbyteris iudicentur: & vt tempore opportuno publica crimina ad notitiam Epiſcopi deducantur: maximéque in die magno cœnæ reconciliandi, vel adhuc ſuſpendendi, per proprium preſbyterum, vel per legatum ipſius, eumdémque preſbyterum, cui cauſa ipſius criminis bene habeatur cognita, ad præſentiam Epiſcopi deferantur. ne anima fratris, negligentia vel otio ſacerdotis, abſque reconciliatione permanens eius periculo pereat.

XV. Vt vaniloquia omniſque tumultus in Eccleſia caueantur: & ante Miſſam completam non exeant, & verbum Dei intentè audiant.

XVI. De oratione Dominica, & ſymbolo, vt memoriter omnes teneant, & Gloria Patri, ac Sanctus, atque credulitas; & Kyrie eleiſon, à cunctis reuerenter canatur. Pſalmi ſimiliter diſtinctè à clericis. Et vt ſecreta preſbyteri non inchoent, antequam Sanctus finiatur, ſed cum populo Sanctus cantent.

XVII. Vt ſcholas preſbyteri pro poſſe habeant, & libros emendatos.

XVIII. Vt hoſpitalitatem ante omnia diligant: & vt viduarum, peregrinorum, orphanorum, atque infirmorum, curam & ſollicitudinem habeant

XIX. Vt conuerſationem feminarum, earúmque acceſſum & adminiſtrationem deteſtentur. Sin aliâs, velut contemptores canonum ab ordine deponantur. & quibus miniſtrare neceſſaria decernunt, longè eis domos prouideant, in quibus non per ſe, ſed per miniſtros ſubſidia porrigãt.

XX. De vaſis & veſtimentis Eccleſiaſticis pro pignoribus abſque licentia Epiſcopi non dandis, & datis recipiendis.

XXI. Vt in infirmitate poſiti abſque dilatione reconcilientur, & viaticum viuentes accipiant, & benedictione ſacrati olei non careant.

XXII. Vt pro chriſmate annis ſingulis de omni miniſterio duo preſbyteri veniant, vt ſi vnus infirmatur, alter ſufficiat. & vt pariter ſacra officia eiuſdem diei perſoluant. & vt chriſma pro ſubuertendis iudiciis nemini detur, & vt ſub ſigillo cuſtodiant.

XXIII. Vt nulla femina veletur ſine licentia Epiſcopi: & vt ante xxx. dies non veletur, & hoc cum conſilio parentum ac vicinorum.

XXIV. De mulieribus, ac laicis, vt ad altaria non accedant: & vt ſacramenta & panes ſanctorum, exceptis quæ offerunt, non tangant.

XXV. Ne leuiter aut paſſim quiſquam excommunicetur. & nullus cogat bibere, vel inebriare.

XXVI. Vt nullus pœnitentem cogat manducare vel bibere, niſi redemptio permiſſa ſit: ita tamen, vt priùs pro eo donet coram ipſo redemptionem.

XXVII. Vt patres & patrini filios vel filiolos erudiant & enutriant: iſti quia ſunt patres, & iſti quia fideiuſſores.

XXVIII. Ne preſbyter ſolus Miſſam canat. Non enim poteſt dicere Dominus vobiſcum, Surſum corda, & cetera.

XXIX. Vt nullus preſbyter alterius paræcianum, niſi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, abſque licentia ſui preſbyteri ad Miſſam recipiat, vel ſollicitare præſumat.

XXX. Vt ſuis terminis contentus vnuſquiſque exiſtat, nec ex alienis quicquam expetat.

XXXI. Vt nullus pretium pro baptiſmo accipiat: & vt certis temporibus Paſchæ & Pentecoſte baptiſmata fiant, & hoc in vicis, excepta cauſa infirmitatis.

XXXII. Vt Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ nec decimis, nec vlla poſſeſſione priuentur, niſi ſumma expoſcat vtilitas.

XXXIII. De Eccleſiis, vel altaribus ambiguis, ſimiliter de infantibus, vt conſecrentur & baptizentur: quia quod non conſtat factum, nulla ratione videtur iteratum.

XXXIV. Vt in domibus ab Epiſcopo non conſecratis nemo Miſſam quacumque neceſſitate celebret: ex vaſis & veſtimentis ſimiliter nemo Miſſam cantet.

XXXV. Vt decimæ & fideliter à populis dentur, & canonicè à preſbyteris diſpenſentur, & annis ſingulis rationem ſuæ diſpenſationis Epiſcopo, vel ſuis miniſtris reddant: ne fortè damna fraudium ſubeant, aut necatores pauperum ſubtrahendo vtilia, quod abſit, exiſtant.

XXXVI. Ne in quinta vel ſexta generatione copuletur coniugio, & vſque ad ſeptimam generationem progenies obſeruetur.

XXXVII. Quòd non liceat mulieri velum, aut ſponte, aut coactè ſemel ſuſceptum, quacumque ratione reiicere, licet in domibus propriis veſtes mutarint.

XXXVIII. Vt

Digitized by Google

XXXVIII. Vt nullus filium vel filiam à fonte ſuſcipiat, nec eam ducat, cuius filium renuit. quod ſi inuēti ſunt, ſeparētur.

XXXIX. Vt doceantur plebes nulla contra Epiſcopos grauiter vel leuiter agere, nec ipſis detrahere: ſed humiliter ac reuerenter in cunctis obedire. & quòd eorum iniuria referatur ad Deum, cuius ſumma legatione funguntur. Et vt reges vel principes, pro quibus orare, quibúſque propter Deum ſubdi præcipimur, nullus maledicere vel detrahere præſumat.

XL. De manſo integro vnicuique Eccleſiæ, abſque cenſu vel temporali ſeruitio, dandò: & quòd omnes dotes Eccleſiarum ad iura pertinent Epiſcopi.

XLI. Quicumque viduam infra xxx. dies viduitatis inuitam vel volentem acceperit, vltra eam non attingat, & adulterij pœnas luet.

XLII. Vt inceſtuoſi, & qui decimas non dant, non conſtringantur per guadios, vel ſacramenta, ſed Eccleſiaſticè corrigantur.

XLIII. Vt preſbyteri per mercata non diſcurrant, nec indiſcretè domos circumeant, & comeſſationibus & ebrietatibus non inſeruiant, ne famam malæ opinionis incurrant.

XLIV. Vt res quas in ſacris ordinibus adquiſierint proprijs Eccleſiis derelinquant: hereditarias verò iuxta arbitrium propriæ voluntatis diſtribuant.

XLV. Vt preſbyteri aquā benedictam cum ſuis populis in circuitu Eccleſiarum deferant: & vt ſcrutinia in locis & temporibus conſtitutis non negligant.

XLVI. De ædificationibus Eccleſiarum, vt nullus anteà fundamētum iaciat, donec Epiſcopus veniat, & in medio crucem figat: & ſic accepta dote conſtruendi licentiam tribuat.

XLVII. Vt Epiſcopus preſbyter de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat: nec quiſquam inferioris ordinis clericus.

XLVIII. Si preſbyter aut diaconus deſerit Eccleſiam ſuam, deponatur, niſi petitione populi, licentiáque Epiſcopi, & vtilitate maiori.

XLIX. Vt preſbyter non amplius quàm vnam Eccleſiam habeat, ſicut & vir vnam vxorem.

L. Vt preſbyteri & diaconi, ſi in bella cum armis proceſſerint, ita deponantur, vt nec laicam communionem habeant.

LI. Si quis à Synodo, vel à proprio fuerit excommunicatus Epiſcopo, & ex miniſterio ſacro quicquam contigerit, nullatenus ſpem reſtitutionis inueniat.

LII. Vt qui aquam conſecratam vult accipere in Sabbato ſancto, vel Pentecoſte, ante infuſionem chriſmatis ſumat. nam illa chriſmatis mixtio ad regenerandos pertinet.

LIII. Vt populus prædicetur, vt oblationes Deo offerant, & vt tertia Dominica vel quarta communicent, abſtinentes ſe à luxuria propriiſque vxoribus, & reliquis illicitis: niſi fortè criminalibus culpis ſint implicitì.

LIV. Vt ſigna pulſentur horis canonicis. & vt nullus ſe per ambitionem alteri præferat: ſed omnes agnoſcant tempus ſuæ ordinationis.

LV. Vt nemo à ſacro fonte aliquem ſuſcipiat, niſi orationem Dominicam & Symbolum iuxta linguam ſuam & intellectum teneat. & omnes intelligant pactum quod cum Deo fecerunt.

LVI. Vt preſbyteri chriſma, oleum, & Euchariſtiam ſemper habeant, vt parati inueniantur.

LVII. Vt omnes primitiæ frugum benedictionis gratia ad Eccleſiam deferātur.

LVIII. Vt exequiæ mortuorum cum luctu ſecreto, & cordis gemitu fiant: & pſalmos ignorantes, Kyrie eleiſon ibi canant: & vt xxx. diebus amici & parentes pro eis agant.

LIX. Vt preſbyteri de occultis iuſſione Epiſcopi pœnitentes reconcilient: & ſicut ſupra præmiſimus, infirmantes abſoluant, & communicent.

LX. Mulier poſt partum ſtatim vt voluerit, niſi fortè ſit adultera, intret Eccleſiam, ac Deo referat gratias.

LXI. De feſtiuitatibus anni, quæ feriari debeant, id eſt Natali Domini, S. Stephani, S. Ioannis, & Innocentium, octauas Domini, Epiphania, Purificatione S. Mariæ, & Aſſumptione, Aſcenſione Domini, & Pentecoſte. Miſſa S. Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, S. Michaëlis, atque omnium Sanctorum, S. Martini, & S. Andreæ, & eorum, quorum corpora ac debitæ venerationes in locis ſingulis peraguntur.

LXII. Vt diebus feſtis ieiuniorum à coniugibus ſe abſtineant. & quia non eſt conceſſa vxor cauſa libidinis; ſed filiorum, & omnia prohibeantur illicita, parcatúrque à licitis.

LXIII. Vt priuilegia Eccleſiis conceſſa maneant incorrupta: & qui corruperit, pœnas luat ſacrilegij.

LXIV. Laicis quamuis religioſis de Eccleſiæ negotiis diſponendis nulla tribuatur facultas, quia ad ipſorum damnationem pertinet.

LXV. Omnia quæ Deo offeruntur conſecrata habētur, in vineis, terris, ſiluis, vtenſilibus, veſtimentis, pecoribus, & reliquis poſſeſſionibus. vt quæ Eccleſiæ ſunt, ſine dubio Chriſti, qui ſponſus eius eſt, ſint.

LXVI. Quòd coniunctio ſpiritalis cōmatris maximè ſit peccatum, & ideo ſeparandum, & capite vel exilio damnandum.

LXVII. Quòd debeant viri vxores ſuas diligere, eiſq; vt vaſi inferiori cuſtodiam & omnia neceſſaria prouidere.

LXVIII. Quòd omnis ordo clericorum Epiſcopo ſuo ſubiectus maneat, & ad eius iudicia concurrat, nihilque ſine eo præſumat. quod qui fecerit, degradetur.

LXIX. Vt excommunicatis nemo communicet, nec perturbatoribus Eccleſiarum ſe miſceat.

LXX. Vt criminoſus locum accuſandi non habeat, & qui vnum crimen non approbat, ad aliud non admittatur.

LXXI. Vt nullus accuſationem ſuſcipiat priuſquam rebus ſuis reſtituatur.

LXXII. Nemo accipiat Eccleſiam ſine datione, & conſenſu proprij Epiſcopi.

LXXIII. Vt diſcendi gratia ad ciuitatem, vel ad loca conſtituta, presbyteri veniant quadrageſimali tempore.

LXXIV. Vt de inceſtis, infirmis, pœnitentibus, & mortuis, omnem ſollicitudinem & curam habeant presbyteri, & concubinas omnino prohibeant.

LXXV. Vt ieiuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur cōfeſſiones dare priùs, vt mundi donum S. Spiritus valeant accipere.

LXXVI. Vt omni anno parochias Epiſcopi girent: & vt presbyteri rationem ſui miniſterij, ac creditorum omnium ipſi reddant.

LXXVII. De venditionibus ſepulcrorum, & de his qui pro ſepulturis munera exigunt, vt ſeueriter puniantur & diſtringantur.

LXXVIII. Ne presbyter benedictionem publicè fundere ſuper populum præſumat.

LXXIX. Qui Eccleſiam tricennarij inte poſſederit, nulli deinceps ſubtrahere liceat.

XXC. Quòd eandem pœnam paſſurus ſit accuſator, ſi conuincere non poteſt, quam reus ſi victus fuerit.

XXCI. Qui res Eccleſiæ inuadunt, vaſtant, vel diripiunt, ſi monenre Epiſcopo non ſe correxerint, excommunicentur.

XXCII. Vt laici infra cancellos non ſtent, & vt oblatio populi foris ſepta recipiatur.

XXCIII. Qui ſabbato Paſchæ vſque ad noctis initium non ieiunant excommunicentur, & à Paſchali communione ſecernantur.

XXCIV. Quòd in omni cauſa capitali, ſeu ſtatus, non per aduocatum, ſed per perſonam ſit agendum.

XXCV. Vt presbyteri ab omnibus vitiis ſe caueant, & ſubiectis ducatum cæleſtis vitæ præbeant.

XXCVI. Vt presbyteri domos religioſas habeant, & nitida veſtimenta.

XXCVII. Vt regulariter pœnitentias dent, & in iudicando æquitatem habeant, & munera inde non exigant.

XXCVIII. Mulier quæ dormiens filium ſuum oppreſſit, ſex annis pœniteat. vir eius ſi in domo fuerit, quatuor; ſi in vno lectulo ſimili modo. duos in pane & aqua, reliquos ad arbitrium ſacerdotis, iuxta qualitatem perſonæ, & fletum pœnitentis.

XXCIX. Vt ſponſus & ſponſa cum precibus & oblationibus à ſacerdote benedicantur, & legibus ſponſetur ac dotetur, & à paranymphis cuſtodiatur, & publicè ſollemnitérque accipiatur. biduo ac triduo abſtineant, & doceatur eis, vt caſtitatem inter ſe cuſtodiant, certiſque temporibus nubant, vt filios non ſpurios, ſed hereditarios Deo & ſæculo generent.

XC. De his qui Miſſas canunt & non communicant, quomodo poſſunt dicere, Sacramenta quæ ſumpſimus, & cetera.

XCI. Vt bis in anno Concilia celebrentur, & nemo plus in vnoquoque, quàm quindecim diebus remoretur.

XCII. De interdictis, quòd qui interdicta canonica ſeruare contempſerit, gradus ſui periculo ſublacebit. Item, ſi quis ſacerdotum vel clericorum contra interdicta canonum fecerit, à ſuo eſt officio ſubmouendus.

XCIII. De Paſcha annotina vt rememoretur.

XCIV. De letania Romana v t t. Kalendas Maij, vt rememoretur.

XCV. De diebus rogationum, vt reuerenter ac ſtudioſè abſque turpibus iocis & verbis celebrentur. vt nullus in eis prandia, comeſſationes, diuerſáſque potiones per diuerſa loca facere præſumat.

XCVI. De lectionibus vigiliæ Paſchæ & Pentecoſte.

XCVII. De octo diebus Paſchæ qualiter feriari debeant, & de Pentecoſte.

XCVIII. De dilatione temporum erga eos qui ad ſacros ordines proueh untur. Qui ſe diuinæ militiæ mācipari deſidētat, ſiue inter lectores, ſiue inter exorciſtas, quinquennio teneatur. exinde acolytus vel ſubdiaconus quatuor annis ſtet: & ſic in benedictione diaconatus ſi meretur accedat. in quo ordine quinque annis, ſi inculpatè ſe geſſerit, hærere debebit, & poſtea probatus ſacerdos efficietur.

XCIX. De confeſſione ſcelerum, manifeſtum eſt eum confiteri crimen, qui indulto & delegato ſibi iudicio purgandi ſe ratione non vtitur. Nihil enim intereſt, vtrum in præſenti examine omnia quæ de eo dicta ſunt comprobentur, quòd ipſa eius abſentia pro confeſſione conſiſtat.

C. Quod pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere cōueniat, & vt iniuſta populi petitio effectu careat.

CI. Accuſatores calumnioſos, vel ſuſpicioſos, nemo ſuſcipiat, nemo audiat.

CII. Accuſatores & accuſationes, quas ſæculi leges non admittūt, canonum quoque decreta remouent.

CIII. Quorum fides, vita, & libertas neſcitur, non poſſint ſacerdotes accuſare, nec viles perſonæ, niſi in propriis cauſis.

CIV. Si quis clericus in criminali vel leuiori cauſa pulſatur, vel in diſcrimen capitis accerſitur, non ſtatim reus æſtimatur qui accuſari potuit, nec ſubiectam innocentiam facimus. ſed quiſquis ille eſt qui crimen intendit, ad iudicium Epiſcopale veniat, nomen rei indicet, vinculúmque inſcriptionis arripiat. cognoſcat ſimilitudine habita prius dignitatis æſtimationē. nec ſibi forte licentiam rei mentiendi. calumniantes ad ſimilem vitam poſſit ſimilitudo ſupplicij.

CV. Vt presbyteri modum proprium recognoſcant. id eſt, quæ alterius ſunt non appetant. nec altaria ſubmoueant, vel cetera prohibita agant & vt Eccleſiæ luminibus, ceteriſque decorentur ornatibus. & vt presbyteri Miſſas cum ſandaliis celebrent.

CVI. Vt ſacerdotes de incognitis ſibi rebus nihil iudicare præſumāt, priuſquam cuncta quæ geſta ſunt veraciter audiant, & neminem lædere, vel detrahere. nec quemquam ante iuſtum iudicium damnent, nec proprio arbitrio iudicent. prius probent, & ſic iudicent. Non enim qui accuſatur, ſed qui conuincitur, reus eſt. & neminem lædere vel detrahere ſine cauſa concedant, exemplo Mariæ, quæ Moyſi propter Æthiopiſſam detraxit, & lepræ immunditia multata eſt. & Dauid in Saul vnctum, licet noſſet à Deo abiectum & reprobatum, manū mittere timuit. Similiter & nos vituperationis manum ab omnibus fidelibus ſubtrahamus.

CVII. Vt presbyteri ſicut ordine ſanctiores, ita verbo, inceſſu, & actu ſint reuerentiores: quia celſitudo graduum grauiorem peccati facit cumulum.

CVIII. Vt presbyteri & clerici ante ſe ioca turpia fieri non permittant: ſed pauperes & indigentes ad menſas ſecum habeant, & legatur eis lectio.

CIX. In Eccleſiis, vel in domibus, earúmque atriis, placita ſæcularia minimè fiant.

CX. Qui rapiunt feminas, furantur, vel ſeducunt, licet ipſis & parentibus conueniat, eas vxores non habeant.

CXI. Ne vllus laicorum pluſquam duas vxores habeat. quod verò extra eſt, ad adulterium pertinet. ſimiliter & mulier.

CXII. Vt in Chriſtianorum non ſaltetur nuptiis. & à quinquageſima vſque octauas Paſchæ non fiant nuptiæ.

CXIII. Vt clerici in quacumque ſeditione arma detulerint, poſt depoſitionem graui pœnitentiæ in carcere retrudantur. aliter ſi armis, ſagis, vel ſabeis vſi fuerint, deponantur.

CXIV. Quando populus ad Eccleſias venerit per dies ſolemnes, aut communiter Kyrie eleiſon cantent, aut ſingulatiter orationem dicant. & in Eccleſia cum ſilentio ſtent, & pro ſe, & pro omni populo Dei orent, corda ſemper ad cælum habentes erecta. & moneantur vt luminaria, incenſum, & buccellas, & fructuum primitias afferant, ſicut ſcriptum eſt, *Honora Dominum de tua ſubſtantia.* Et in eiſdem ſanctis diebus, nec in plateis, nec in domibus cantica turpia vel luxurioſa, ſaltationes, vel luſa faciant diabolica. ſed aliquem ſapientem & bonum hominem conueniant, & ibi bonis lectionibus, quæ ad animæ ſalutem pertinent, intendant. Reuertentes de Eccleſia ſimiliter cantent, & eorum paſtores exeuntes vel redeuntes ad campos, vt vera Chriſtianitas in eis agnoſcatur. 1. Prou. 3. 9.

CXV. Moneantur omnes fideles de caritate & hoſpitalitate, vt nouerint, quia vera eſt caritas, Deum diligere pluſquam ſe, & proximum tamquam ſe, & qui nihil

P ij

vult facere alij, quod ſibi non vult fieri. Qui enim in cibo & potu, dandis & accipiendis rebus caritatem putat, errat dicente Apoſtolo: *Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia & pax.* Sed & ſi ipſa cum ſtudio caritatis fiant, bona ſunt, & inter virtutes computanda: aliter ſæculi actus ſunt.

Rom. 14. 17.

CXVI. De orationibus, & eleemoſynis, & Miſſarum celebrationibus pro fidelibus defunctis agendis, quibus impij carere debent, quoniam nec eorum eleemoſyna à ſacerdotibus vel reliquis fidelibus accipienda eſt, nec ſepultura fidelium tribuenda.

CXVII. Quòd non valeant ſcripturæ contra decreta canonum, vel ſancita pontificum.

CXVIII. Vt lites & contentiones, rixæ & iurgia, ſicut diſcordiæ & odia prohibeantur, & pax & concordia prædicetur.

CXIX. Vt diffinita crimina nullus refricare audeat.

CXX. Quòd pœnitentes à conuiuiis, & ornamentis, atque alba veſte abſtinere debeant: & diſcordes pellantur ab Eccleſia, donec ad pacem redeant.

CXXI. De his quos preſbyter excommunicauerit, vt alius eos non recipiat.

CXXII. Vt Chriſtiani ab otioſo ſermone, & iuramentis ſe caueant.

CXXIII. Qui contra ſtatuta canonica fecerit, laicus communione, clericus priuetur honore.

CXXIV. Vt fideles ſe abſtineant à coitu prægnantium vxorum, & menſtruo tempore.

CXXV. Vt preſbyteri compotum diſcant.

CXXVI. Vt ſuperbi clerici & laici excommunicentur: & vt patientia & humilitas, caſtitas & humanitas ab omnibus prædicetur.

CXXVII. Si quis parentum quemlibet exſpoliauerit, vel oppreſſerit, per prædicationem ſacerdotum reuocari debet.

CXXVIII. Vt vnuſquiſque in eo loco, in quo conſtitutus eſt, ibi maneat, nec ad alia tranſeat.

CXXIX. De reis ad Eccleſias vel ad earum atria confugientibus, vt inde non abſtrahantur.

CXXX. Vt nullus occultè nuptias faciat, nec virginem vel viduam ſacratam ducat.

CXXXI. Clerici tardi ad officium aut flagellentur, aut excommunicentur.

CXXXII. Nullus ſacerdotum decimas cum lite & iurgio ſuſcipiat, ſed prædicatione & admonitione.

CXXXIII. Vt vocati ad Synodum in prætermiſsò occurrant. ſin aliàs, condemnentur.

CXXXIV. De his qui ſibi quacumque negligentia mortem inferunt, aut pro ſuis ſceleribus puniuntur, nulla pro eis fiat oblatio, nec cum pſalmis ad ſepulturas ducantur.

CXXXV. De his qui decimas abſtrahunt Eccleſiæ ad quam pertinent, & propter munera vel aliquam occaſionem, alteri dant, donec reſtituant, ab Eccleſiæ ſocietate pellantur.

CXXXVI. Laicus non debet in Eccleſia publicè lectionem recitare, nec alleluia, ſed pſalmos & reſponſoria.

CXXXVII. Vt ad prædicationem & confirmationem Epiſcopi omnes deuotè conueniant, eique fideliter miniſtrent & obediant.

CXXXVIII. De his qui Eccleſiis vim inferũt, aut clericos iniuriare præſumunt, vt anathematizentur.

CXXXIX. Vt qui alium in culpa ſua defendere vel excuſare nititur, excommunicetur.

CXL. Vt nullus ſacerdotum ignoret, quid ſit in Synodo conſtitutum, ſed omnibus cognitis certatim obtemperent.

Hæc vero breuitatis ſtudio, vt prælibauimus, à nobis collecta omnibus noſtris ſacerdotibus habenda ſtatuimus: quoniam ipſis & ſubiectis ouibus hæc eadem bene habita & intellecta omnimodis profutura cognoſcimus.

Expliciunt Capitula Herardi Archiepiſcopi, nunc primùm in lucem edita ex vet. codice Redonenſi, & aliis.

EPISTOLA EPISCOPORVM

E SYNODO APVD CARISIACVM MISSA

Ad Ludouicum regem Germaniæ.

Cùm is ad occupandum Caroli fratris ſui regnum ſeditioſorum impulſu veniſſet.

HÆC QVÆ SEQVVNTVR CAPITVLA miſerunt Epiſcopi prouinciarum Remenſis & Rotomagenſis à Cariſiaco palatio, quò conuenerant, per VVenilonem Rotomagenſem Archiepiſcopum & Erchanraum Catalaunenſem Epiſcopum, HLVDOVVICO regi in Attiniaco palatio conſiſtenti, anno Incarn. Dominicæ DCCCLVIII. in menſe Nouembrio.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *Excuſant cur ad conuentum Remenſem venire non potuerint.*
2. *Queruntur quòd eorum monitis & conſiliis hactenus non paruerit.*
3. *Quòd ſæpius illum ad ineundam cum fratre concordiam hortati ſint.*
4. *Vt conſideret cur in fratris regnum venerit, & vtrum talia ſuſtinere velit, qualia facit.*
5. *De iis quæ crudeliter & impiè, quà tranſibat fiebant, vt ea prohibeat & compeſcat.*
6. *Vt contra paganos potiùs arma conuertat, & eos qui ab illis fugiunt, vexari à ſuis non ſinat.*
7. *Vt priuilegia & immunitates Eccleſiarum conſeruet, rectoréſque illarum non inquietet, nec poſſeſſiones diripi permittat.*
8. *Vt Monaſteria laicis à Carolo conceſſa religioſis perſonis reſtituat.*
9. *Vt rectores Monaſteriorum ſollicitè prouideant, vt ſerui & ancillæ Dei ſecundum ordinem viuant.*
10. *Vt hoſpitalia peregrinorum ad hoc ad quod deputata ſunt, Epiſcoporum conſilio à rectoribus ſuis adminiſtrentur.*
11. *Quòd regem ita vitam inſtituere conueniat, vt omnibus ſit exemplo.*
12. *Quomodo domeſticos regere, quid Deo, quid ſubditis reddere, & quales palatij ac reipublicæ miniſtros conſtituere debeat.*
13. *Vt eos qui propter has ſeditiones excommunicati ſunt, ad Eccleſiæ pacem reuocare ſtudeat.*
14. *Iudices villarum regiarum quales conſtituendi ſint.*
15. *Vt Synodus Epiſcoporum regni expectetur, in qua quid facto ipſis opus ſit deliberent. Quanta reuerentia regibus debeatur: & quòd Epiſcopi ad ſacramenta adigendi non ſint.*

CAPITVLA.

I. *Excuſant cur ad conuentum Remenſem venire non potuerint.*

DOMINO Hludouuico regi glorioſo Epiſcopi Remorum diœceſeos atque Rotomagenſis, qui adeſſe potuimus. LITTERAS dominationis veſtræ quique noſtrûm habuimus, quibus iuſſiſtis, vt vobis VII. Kalendas Decembris Remis occurreremus; quatenus ibi nobiſcum

& cum ceteris fidelibus veſtris de reſtauratione ſanctæ Eccleſiæ, & de ſtatu ac ſalute populi Chriſtiani tractaretis. Sed nos ad placitum illud occurrere non potuimus, & propter incommoditatem & breuitatem temporis, & propter incõuenientiam loci, & quod eſt lugubrius propter confuſionem tumultus exorti. Sed & diuinis legibus, quas & vos obſeruaturos cum veſtris fratribus nobis denuntiaſtis, cautum eſſe dinoſcitur, quia ſicut nec Archiepiſcopi ſine Coepiſcopis, ita nec Epiſcopi ſine Archiepiſcoporum conſenſu vel iuſſu, niſi quæ ad propriaspertinent parochias debent præſumere: & in tam anguſto tempore Archiepiſcoporum litteras non valuimus de conuentu habere. Quapropter nouerit veſtra ſublimitas, quia mandatum veſtrum noſtra non contempſit humilitas: ſed ſicut longè eſt ante nos dictum, Qui iubet impoſſibilia, facit ſe contemptibilem.

II. *Queruntur quòd eorum monitis & conſiliis hactenus non paruerit.*

Sed & tractatum de reſtauratione ſanctæ Eccleſiæ, & ſtatu ac ſalute populi Chriſtiani, quod nunc vos nobiſcum habere velle dicitis, iuſtius & rationabilius illud haberi potuiſſet, ſi noſtris, quin potiùs diuinis conſiliis, & obſeruationibus atque obteſtationibus ſuperno reſpectu obtemperare voluiſſetis. quia non noſtra ſcripſimus, mandauimus, diximus: ſed quæ dictãte caritate quæ Deus eſt, in litteris ſacris inuenimus, & quæ naturæ inſita recognoſcimus. Ceterùm quæ contra illa quæ ſcripſimus, mandauimus, diximus, acta ſunt vel aguntur, naturalis legis morbus & vitium etiam à minus ſapientibus eſſe dinoſcitur. Quà de re prudens quiſque reſipiſcat & ſapiat quàm granditer Deus offenditur, quando in ſic grandibus & apertis non

Pſal.54.16. ignoranter peccatur. Vnde ſcriptum eſt, *Deſcendant in infernum viuentes*, id eſt labantur in peccatum ſcientes. Quæ diuina permiſſione meritò mundi patientis propter communia peccata noſtra, paſtorum ſcilicet & gregum,

Pſal.77.49. propter delicta regis & regni eueniunt, ſicut ſcriptum eſt, *Immiſſiones per Angelos malos, viam fecit Dominus ſemitæ iræ ſuæ.* Tamen ſicut veritas proteſtatur, non erit ſine vltione vindictæ, nec ipſa virga furoris Domini. Sic legimus, ſic audiuimus, ſic vidimus, & pro certò ſic citò videbimus. quoniam licet peccatores ſimus, ſed pœnitentes, & in diuina clementia fortiter confidentes, miniſterium ſacrum operante Spiritu ſancto ſuſcepimus, ſine quo

Matth.10.20. ſacra non miniſtramus, & nobis dictum à veritate veraciter ſcimus, *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

III. *Quòd ſæpius illum ad ineundam cum fratre concordiam hortati ſint.*

Et licet dominatio veſtra melius nouerit de quibus ſcriptis, mandatis, & dictis dicamus, tamen non ab re eſt, ſi etiam & nos illa ad memoriam veſtram reducamus. Primò quidem per Hildegarium venerabilem Epiſcopum ſcriptis & dictis. Secundò per Æneam honorabilem Epiſcopum litteris & verbis. deinde per Hincmarum Remenſem, & Vvenilonem Rotomagenſem Archiepiſcopos. Iterum per eoſdem cum aliis quos ipſi vocaſtis, ea quæ ſaluti fuerunt congrua ſufficienter audiſtis. Quando ſicut & antè petiuimus, vt frater veſter & omnes fideles illius ante veſtram fideliúmque veſtrorum præſentiam in rationes loco & tempore congruo veniſſemus, & quæ malè geſta forent, veſtro conſilio & auxilio cum Dei ad-

iutorio fierent emendata. Pro quibus omnibus dictis valde non obaudientibus timemus quod dicitur, *Si ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt;* & reliqua, quæ Dominus comminatur. Et ſi illa non ſunt exaudita, putari poteſt & nec iſta, quæ vos dicitis apud nos velle quærere & audite, exaudientur. Videtúrque quibuſdam, vt ſicut Dominus, quando quæſiuit ficus in ficulnea cui maledixit, cùm non eſſet reſte Euangelio tempus ficuum, aliud voluerit ſignificari: ita & in hoc citato & incongruo conuentu, remota dominationis veſtræ ſinceritate, de qua nihil contra puritatem volumus autumare, alia quædam poſſint intelligi. Et quia B. Petrus omnem monet Epiſcopum, vt paratus ſit ad ſatisfactionem omni poſcenti ſe rationem, quæ nunc videmus pro tempore damus fideliter dominationi veſtræ conſilia. Ioan.15.20. Matth.21. 1.Petr.3.

IV. *Vt conſideret cur in fratris regnum venerit, & vtrum talia ſuſtinere velit, qualia facit.*

Primo quidem in ipſa radice cordis aduentum veſtrum in hoc regnum inſpicite, & coram oculis Domini, cui ſecundum Pſalmiſtam cogitatio hominis confitetur, ſtatera æquitatis ponderate. & quicquid hortatores, & conſiliarij ac laudatores veſtri vobis dicant, ad cor redite: & quicquid ad accuſationem & commendationem aduentus veſtri inuenite & dicere potueritis, veſtram conſcientiam interrogate; & ſi talia ſuſtinere vultis qualia facitis iudicate. Et illam horam, quam certi eſtis quia nullomodo poteritis effugere, quando anima veſtra de corpore exiet, ante mentis oculos ponite, quando totum mundum, & omnem poteſtatem, & omnes diuitias, & ipſum corpus derelinquet. & ſine adiutorio vxoris ac filiorum, & ſine ſolatio & comitatu drudorum, atque vaſſorum, nuda & deſolata exibit, & quicquid cogitauit & ordinate diſpoſuit infecta dimittet, ſicut dicit ſcriptura, *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* & videbit omnia peccata ſua, & ſentiet videns diabolos ſe conſtringentes & coarctantes. & quicquid contra caritatem, & fidem debitam cogitauit, parabolauit, & fecit in iſto ſæculo, & per dignos pœnitentiæ fructus non emendauit, ante oculos ſemper habebit, & effugere volet & non valebit. Nam certum eſt, quia ad omnes homines, quando egrediuntur de corpore, veniunt Diaboli, & ad iuſtos, & ad peccatores. ſed & ad ipſum Chriſtum venit, in quo ſuum nihil inuenit, ſicut ſcriptum eſt, *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Et crede nobis veraciter, Rex vtinam ſemper bone & Chriſtiane, nec longè eſt, ſed ſatis & pluſquam ſperetur propè tibi eſt illa hora. Propterea non te ſeducant iſta quæ vides. In tempore quippe patris veſtri vidimus per aliquos incepta & facta, quæ in tempore iſto per iſtos qui iſta conficiunt videmus fieri, & per alios videbuntur compleri. Et quando tibi adueniet hora exitus tui, ſicut rident nunc, quando per te obtinent quæ volunt in hora voluntatis ſuæ, ſic ridebunt & in hora exitus tui, & quærent quomodo per alium teneant quæ per te obtinuerunt. Quod & fieri poteſt vt quidam etiam quærant in tempore tuo: Sed & illi, niſi dignam pœnitentiam egerint, miſerabiliter ad illam horam venient exitus ſui, ſicut venerunt & illi qui defecerunt à patre tuo cum fratre tuo. Nam vt illi ordinantes ſeditiones in paternam reuerentiam, ſic & iſti vos exci- Pſal.75.11. Pſal.145.4. Ioan.14.30.

tantes in fraternam dilectionem, nomen pacis & ſtatum Eccleſiæ, & ſalutem ac vnitatem populi obtendere ſtuduerunt; & latebat ſub melle venenum. Et completum eſt in illis, completurque in iſtis Pſalmiſtæ dictum,
Pſal.27.3. *Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum*, & reliqua quæ ſequuntur. Et receperunt illi in ſæculo iſto quæ nota ſunt: & receperunt in ſæculo altero, quæ in iudicio plenius cognoſcentur. Quorum iſti intuentes exitum, timere debuerāt actionem. Et facient, ſi illos reſpexerit
Prou.19.25. Dominus, qui reſpicit humiles, & cuſtodit paruulos. Et ſic *peſtilente flagellato*, vt ſcriptum eſt, *ſapientior erit paruulus.* & ſapient quia non repellet
Pſal.11.6. Dominus plebem ſuam, nec obliuiſcetur in finem. quoniam *propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Alioqui ſicut
Eſa.42.10. tunc dixit illis, ita & nunc dicit Dominus iſtis, *Tacui, numquid ſemper tacebo? quaſi parturiens clamabo.* Nondum venit hora mea: ſed nunc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis, quia venient dies in te. Roga tibi quæſumus in tali loco, vbi bene poſſis intendere, Homiliam ſancti Gregorij legere in lectione Euangelij, *Videns* IESVS *ciuitatem fleuit ſuper illam.* Precamur vos, Domine, vt & diem ante mentis oculos habeatis, quando cum omnibus hominibus anima veſtra proprium corpus recipiet, & veniaris ante faciem æterni iudicis in conſpectu omnium Angelo-
Hebr.10. rum & hominum. In qua die, ſicut dicit S. Paulus, iudicabit Dominus vnumquemque, non per alienum teſtimonium: ſed occulta vniuſcuiuſque per cogitationes accuſantes, aut etiam defendentes: quando recipiet vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Et non deſpicientur tunc noſtra verba, quæ ſcripſimus, ab eis qui nunc iſta cōtemnunt, quando ſine dubio replicata erunt in teſtimonium in ipſo tremendo iudicio. & nullus illorum re tunc adiuuabit, qui nec ſeipſum adiuuare ſufficiet: quando ibunt qui talia agunt in ignem æternum, & iuſti qui iniuſta patiuntur in vitam æternam.

V. *De ijs quæ crudeliter & impiè, quà tranſibat, fiebant, vt ea prohibeat & compeſcat.*

Quia tanta & talia crudelia & abominanda fieri per parochias quas pertranſitis audiuimus, & quidam ſentimus, quidam ſentire timemus, & illis qui ſenſerunt & ſentiunt dolemus, quæ calamitatem & miſeriam, quàm à paganis patimur, ſuperent: quoniam à Chriſtianis in Chriſtianos, à parentibus in parentes, à rege Chriſtiano in regem Chriſtianum, à fratre in fratrem, contra omnes leges diuinas & humanas aguntur. Contra quos cla-
Pſal.68.27. mat Eccleſia à paganis afflicta, *Et ſuper dolorem vulnerum meorum addide-*
Hier.14.19. *runt.* Et nos omnes, cunctíque patientes, *ſuſtinuimus pacem & non venit: quæſiuimus bona, & ecce turbatio.* Propterea talia prohibete, compeſcite, & ſedate. quoniam palatium veſtrum debet eſſe ſacrum, & non ſacrilegum. Palatium enim regis dicitur, propter rationabiles homines inhabitantes, & non propter parietes inſenſibiles, ſiue macerias. & rex à regendo dicitur, vt ſe ſub Deo, & bonos cum Deo, puritate cordis, veritate oris, firmitate ſtabilitatis regat, & prauos à prauitate corrigat, & in rectitudinem dirigat. Et ſi quæ malè facta ſunt emendare veniſtis, peiora quàm vide-

rimus

rimus à Chriſtianis in Chriſtianos fieri, ingerere non debetis. & ſi pacem facere adueniſtis, pacem pacificè ab auctore pacis obtinere debetis. & ſi diſcordiam effugere, & caritatem redintegrare veniſtis, illam quam Chriſtus per Paulum docuit monſtrare debetis. Ait enim, *Caritas non eſt ambitioſa, non agit perperam, non quærit quæ ſua ſunt, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.* quæ eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. quæ operatur per dilectionem, & non per poteſtatem & indebitam cupiditatem. Sine qua caritate, ſicut ſcriptum eſt, etiamſi quis tradiderit corpus ſuum vt ardeat, nihil illi prodeſt. quam omnibus Dominus in ſignum dedit, vt ſciant, ſi quiſque eſt Chriſtianus, aut ſi intrabit in regnum Dei an non, dicens, *In hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Nam qui in primordio fidei diſcipuli appellabantur, nunc Chriſtiani dicuntur. Et ipſa eſt veſtis nuptialis, quam qui non habuerit, de nuptiis cæleſtis conuiuij in futuro iudicio eiicitur in tenebras exteriores, & in ignem æternum. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

1. Cor. 13. 5. — Ioan. 13. 35.

VI. *Vt contra paganos potius arma conuertat, & eos qui ab illis fugiunt, vexari à ſuis non ſinat.*

Ipſa caritas vos contra paganos accendat. vt quia tunc moti non ſunt ad pietatem, vt nobiſcum irent contra eos, qui de iſto regno amplos habebant & habent honores; quod ſi facerent, & zelo tecto accenſi vnanimiter vellent, expelli aut diſperdi pagani adiuuante Domino poterant: vel nunc quacumque intentione à dominatu illorum per veſtram ordinationem ſancta liberetur Eccleſia; & regnum quod contra eos redimitur, à tributo indebito eripiatur. Sed & qui fugiunt à facie paganorum, cùm in illas partes venerint, in quibus degitis, refugium tranquillum inueniant; & non talem deprædationem, vt nec incolæ viuere, nec fugientibus ſolatium poſſint præbere. Quia nunc peccatis noſtris exigentibus completur quod olim dictum eſt per prophetam, *Qui fugerit à facie furoris, inruet in vrſum: & cùm intrauerit domum, & innixus fuerit ſuper parietem, mordebit eum coluber: & cùm effugerint arma ferrea, inruent in arcum æreum.* In omni enim parte, miſeri, pro dolor, afflictionem inueniunt.

Amos 5. 19. — Iob. 20. 24.

VII. *Vt priuilegia & immunitates Eccleſiarum conſeruet, rectoreſque illarum non inquietet, nec poſſeſſiones diripi permittat.*

Et ſi Eccleſiam Dei, ſicut nobis ſcripſiſtis, quæritis reſtaurare, debita Epiſcopis & ſibi commiſſis Eccleſiis priuilegia intemerata, ſicut diuinitus conſtituta ſunt, cuſtodite. Præcepta & immunitates, & honorem earum, ſicut auus & pater veſter conſeruauerunt, conſeruare curate: & quæ frater veſter, dominus noſter, qui & paterna donatione, & vobiſcum, cum veſtris veſtrorúmque fidelium mutuis firmitatibus regni partem accepit, pro cultu & honore Eccleſiarum egit, ſimiliter conſeruate. & rectores ac paſtores Eccleſiarum, vt patres & Chriſti vicarios colite, ſicut ſancta ſcriptura præcipit dicens, *Sacerdotes Dei ſanctifica, & magnatis humilia caput tuum.* eorúmque ſpiritalia conſilia obaudite, iterum dicente ſcriptura: *Interroga patres tuos, & adnuntiabunt tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* & item: *Interroga ſacerdotes meos legem meam.* Et Dominus per Malachiam prophetam, *Labia*

Eccl. 7. 32. & 4. 7. — Deut. 32. 7. — Aggæi 2. 12. — Malac. 2. 7.

ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Eóſque tempore incongruo & inopportuno nolite inquietare: ſed liceat eis miniſterium ſacrum, ad quod ordinati ſunt, in populi ſalutem peragere. ſibíque domeſtica cura ſubiectos nolite concutere. & non ſinatis dehoneſtare, ſiue opprimere. Vt presbyteris honor congruus, & iura debita, quæ canones & capitula aui & patris veſtri ſtatuerunt, conſeruentur ſatagite. Vt Epiſcopi quietam libertatem ſuas parœcias circumeundi, & prædicandi, ac confirmandi, atque corrigendi habeant ordinate. Vt Miſſus reipublicæ, id eſt miniſter Comitis, cum ipſis ſi iuſſerint eat, qui liberos homines inceſtuoſos, ſi per admonitionem presbyterorum venire ad Epiſcopum noluerint, eos ad Epiſcopi placitum venire faciat commendate. Vt ſi Epiſcopus pro quacumque neceſſitate Eccleſiaſtica ad vos direxerit, ad quem ſuus miſſus veniat, per quem quæ rationabiliter petierit obtineat, in palatio veſtro, ſicut Comes palatij eſt in cauſis reipublicæ, miniſterio congruum conſtitutum habete. Vt temporibus à ſacris regulis conſtitutis comprouinciales Synodos cum Epiſcopis, & ſpeciales cum presbyteris habere quietè poſſint annuite. Res & facultates Eccleſiaſticas, quæ ſunt vota fidelium, pretia peccatorum, ſtipendia ancillarum & Dei ſeruorum, deprædari & ab Eccleſiis diſcindi nolite ſuſtinere: ſed fortiter, vt rex Chriſtianus & Eccleſiæ alumnus reſiſtite atque defendite. De quibus conſecratis Deo rebus, quod habent liberi homines Eccleſiis ſeruientes, per diſpoſitionem rectorum ipſarum Eccleſiarum, ideo conſtituerunt Apoſtolorum ſucceſſores hoc ordinari, vt quia creuerunt fidelium vota, & increuerunt infidelium mala, augeretur per diſpenſationem Eccleſiaſticam regni militia ad reſiſtendam malorum nequitiam: quatenus ipſæ Eccleſiæ defenſionem haberent & pacem, & Chriſtianitas obtineret tranquillitatem. Quapropter ſicut & illæ res ac facultates, de quibus viuunt clerici, ita & illæ ſub conſecratione immunitatis ſunt, de quibus debent militare vaſalli. & pari tuitione à regia poteſtate in Eccleſiarum vſibus debent muniri. Quia verò Carlus princeps, Pippini regis pater, qui primus inter omnes Francorum reges ac principes res Eccleſiarum ab eis ſeparauit atque diuiſit, pro hoc ſolo maximè eſt æternaliter perditus. Nam S. Eucherius Aurelianenſium Epiſcopus, qui in Monaſterio S. Trudonis requieſcit, in oratione poſitus ad alterum eſt ſæculum raptus: & inter cetera quæ Domino ſibi oſtendente conſpexit, vidit illum in inferno inferiore torqueri. Cui interroganti ab Angelo eius ductore reſponſum eſt, quia ſanctorum iudicatione, qui in futuro iudicio cum Domino iudicabunt, quorumque res abſtulit & diuiſit, ante illud iudicium anima & corpore ſempiternis pœnis eſt deputatus: & recepit ſimul cum ſuis peccatis pœnas propter peccata omnium, qui res ſuas & facultates in honore & amore Domini ad ſanctorum loca in luminaribus diuini cultus, & alimoniis ſeruorum Chriſti, ac pauperum, pro animarum ſuarum redemptione tradiderant. Qui in ſe reuerſus, S. Bonifacium, & Fulradum Abbatem Monaſterij S. Dionyſij, & ſummum Capellanum regis Pippini, ad ſe vocauit, eiſque talia dicens in ſignum dedit, vt ad ſepulcrum illius irent, & ſi corpus eius ibidem non repeniſſent, ea quæ dicebat vera eſſe concrederent. Ipſi autem pergentes ad prædictum Monaſterium, vbi corpus ipſius Carli

humatum fuerat, ſepulcrúmque illius aperientes, viſus eſt ſubitò exiſſe draco, & totum illud ſepulcrum interiùs inuentum eſt denigratum, ac ſi fuiſſet exuſtum. Nos autem illos vidimus, qui vſque ad noſtram ætatem durauerunt, qui huic rei interfuerunt; & nobis viua voce veraciter ſunt teſtati quæ audierunt atque viderunt. Quod cognoſcens filius eius Pippinus, Synodum apud Liptinas congregari fecit, cui præfuit cum S. Bonifacio legatus Apoſtolicæ ſedis, Georgius nomine. Nam & Synodum ipſam habemus, & quantumcumque de rebus Eccleſiaſticis, quas pater ſuus abſtulerat, potuit Eccleſiis reddere procurauit. Et quoniam omnes res Eccleſiis, à quibus ablatæ erant, reſtituere propter concertationem, quam cum Vaifario Aquitanorum principe habebat, non præualuit; precarias fieri ab Epiſcopis exinde petiit, & nonas ac decimas ad reſtaurationes tectorum, & de vnaquaque caſata XII. denarios ad Eccleſiam vnde res erant beneficiatæ, ſicut in libro Capitulorum regum habetur, dari conſtituit, vſque dum ipſæ res ad Eccleſiam reuenirent. Vnde & domnus Carolus Imperator, adhuc in regio nomine conſtitutus, edictum fecit, vt neque ipſe, nec filius eius, neque ſucceſſores huiuſmodi rem agere adtemptarent, quod manu propria firmauit: cuius plenitudinem habemus, & de quo Capitulum excerptum in libro Capitulorum eius, quicumque librum illum habet & legere voluerit, inuenire valebit. Hanc etiam relationem, & in ſcripturis habemus, & quidam noſtrûm etiam viua voce domnum Hludouuicum Imperatorem, patrem veſtrum referre audiuimus. Sed & ſacri canones Spiritu ſancto dictati eos qui facultates Eccleſiaſticas diripiunt, & res Eccleſiaſticas indebitè ſibi vſurpant, Iudæ traditori Chriſti ſimiles computant: & ſancti, qui cum Deo in cælo regnant, & in terris miraculis coruſcant, diuino iudicio tamquam necatores pauperum ab Eccleſiæ liminibus, & à cæleſti regno ſecludunt. De quibus ſacrilegis in prophetia Pſalmi prædictum eſt, *Qui dixerunt hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei, Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. & ſicut ignis qui comburit ſiluam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos. imple facies eorum ignominia.*

Lib. v. cap. 5.

Pſal. 82. 13.

VIII. *Vt Monaſteria laicis à Carolo conceſſa religioſis perſonis reſtituat.*

Monaſteria etiam religioſa, atque præcipua canonicorum, & monachorum, atque ſanctimonialium, quæ ab antiquo tempore ſub religioſi habitus rectore vel rectrice fuerunt, & quando parentes veſtri primatum regni tenuerunt, & etiam quando S. Remigius Francos ad fidem operante Domino conuertit, & cum rege ipſorum baptizauit, & frater veſter domnus noſter partim iuuenture, partim fragilitate, partim aliorum callida ſuggeſtione, etiam & minarum neceſſitate, quia dicebant petitores, niſi eis illa loca ſacra donaret, ab eo deſiterent, & ipſe aliquando per vos, ſicut nunc paret, aliquando per fratrem veſtrum regnum deſtitutus ab eis perderet, talibus ſicut ſcitis perſonis commiſit, debito priuilegio reſtituire. Nam idem frater veſter, & diuina inſpiratione, & ſacerdotali redargutione, & etiam ab Apoſtolica ſede commonitus, ex aliqua parte quæ perpere egit correxerat, quæ autem adhuc incorrecta erant, quomodo emendare poſſet gemebundus quærebat. Abſit autem vt vos, qui pro reſtauratione

ſanctæ Eccleſiæ huc veniſtis, aut illa quæ ipſe emendauit deterioretis, & ſicut ille offendit & vos offendatis; aut quæ ipſe necdum emendare potuit, inemendata ſinatis. Qui ſæpè, ſicut & nos teſtes ſumus, fratres veſtros de talibus monuiſtis, & in omni adnuntiatione, quam communiter faciebatis, promptiſſimè inde diſputabatis. ſicut & ſecus Teudonis villam, in loco qui Iudicium dicitur, Capitula quæ habemus, cum veſtris fratribus acceptaſtis, & in chirographo apud Marſnam manu propria confirmaſtis. Contra quod ſi fortè aliquis egit, non propterea vos immunes eritis, ſi illud, quod teſte Domino pepigiſtis & confirmaſtis, obſeruare quod abſit non ſtudueritis. Neminem quippe adiuuat qui aliena mala reprehendit, Rom. 2. 3. niſi & ipſe illa caueat. quod demonſtrat Paulus dicens, *Putas, ô homo quod tu euades iudicium Dei, qui eadem agis quæ iudicas?*

IX. *Vt rectores Monaſteriorum ſollicitè prouideant, vt ſerui & ancillæ Dei ſecundum ordinem viuant.*

Rectores etiam Monaſteriorum, quibus Monaſteria committitis, firmiter & obnixè præcipite, vt ſecundum ordinem, & habitum, & ſexum, quo inhabitantes conſtituti ſunt, ſollicitè & ſollerter prouideant, vt ſecundum debitum ordinem ſerui vel ancillæ Domini viuant, & neceſſaria ſtipendia in victu & veſtitu, & ceteris quibuſque habeant, & domos ac ſeruitores, prout competit, ſicut religioſi & habitus & conuerſationis rectores, eis prouideant. Suſceptionem etiam hoſpitum & pauperum nullo modo negligant. Et quia inconuenientes perſonæ, & res tales quæ religioni non congruunt, Monaſteria non introducantur, non dicimus: quoniam religioſi rectores prouidentiam, & curam debitam inde ſumere debere non ignoramus.

X. *Vt hoſpitalia peregrinorum ad hoc ad quod deputata ſunt, Epiſcoporum conſilio à rectoribus ſuis adminiſtrentur.*

Hoſpitalia peregrinorum, ſicut ſunt Scottorum, & quæ tempore anteceſſorum veſtrorum regum conſtructa & conſtituta fuerunt, vt ad hoc ad quod deputata ſunt teneantur, & à rectoribus Deum timentibus ordinentur, cuſtodiantur, & diſpenſentur, obtinete. Sed & rectoribus Monaſteriorum & Xenodochiorum, id eſt hoſpitalium, præcipite, vt ſicut canonica docet auctoritas, & Capitula aui & patris veſtri præcipiunt, Epiſcopis propriis ſint ſubiecti, & Monaſteria atque hoſpitalia ſibi commiſſa ipſorum regant conſilio. Qui Epiſcopi paternam ſollicitudinem eis ſecundum miniſterium illorum ſtudebunt impendere. Et quia ſæpè vnicuique in omni ordine competentem legem & iuſtitiam, vnà cum fratribus veſtris frequenti adnunriatione perdonaſtis, Eccleſiaſtici & religioſi habitus viri ac feminæ, atque peregrini & pauperes, in quibus ſpecialiter Chriſtus ſuſcipitur, perdonationem veſtram ſibi ſentiant ſemper adeſſe.

XI. *Quòd regem ita vitam inſtituere condecet, vt omnibus ſit exemplo.*

Et quia de ſtatu & ſalute populi Chriſtiani, ſicut nobis ſcripſiſtis, vultis quærere, primo à vobis ipſis incipite, qui alios debetis corrigere, ſicut Luc 4. 23. ſcriptum eſt, *Medice cura temetipſum.* & munda debet manus à ſordibus eſſe,

quæ alienas ſordes curat detergere. & quæ in aliis debetis corrigere, nemo in vobis iuſtè valeat reprehendere. Super quantos enim eſtis in regni culmine, ſuper tantorum moribus debetis ſeruire, & ſicut lucerna ſuper candelabrum in domo poſita bonitatis exempla monſtrare. quia omnium oculi in vos debent intendere. quos ſi malo exemplo deſtruxeritis, qui per vos & à vobis in bonum debuerant ædificari, ſub tantis ſine dubio in futuro ſæculo in pœnis vos neceſſe erit torqueri. Propterea oportet vt qui rex eſtis, & dominus appellamini, in illum ſemper ſuſpenſo corde ſuſpiciatis, à quo videlicet regum rege & domino dominorum nomen regis & domini mutuatis. Et ſicut ille diſponit orbem terræ in æquitate, & ad hoc, ſicut in libro Sapientiæ dicitur, conſtituit hominem, vt ipſe ſimiliter faciat, imitamini illum, ſi vultis regnare cum illo. quia qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare, qui dicit, *Eſtote & vos perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Et ſi dixeritis, quomodo poſſum eſſe perfectus, cùm alia ſcriptura dicat, *Si quis in verbo non offendit, ille perfectus eſt vir.* non cadit à perfectione, qui non peccat malitiæ cupiditate. *Septies enim cadit iuſtus & reſurgit: impij autem corruunt in malum.* &, *Iuſtus cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Qualitercúmque verò quis peccat, cupiditatis voluntate, aut fragilitatis neceſſitate, nemo illi melius præualet indicare, quã conſcientia ſua, quæ non poteſt latere oculos inſpectoris ſui. Propterea ita oportet vos viuere, iudicare, & agere, etiam in occulto, quaſi ſitis ſemper in publico. quia ſæpè talis vos verbo laudabit, qui corde acriter reprehendet: ſæpè etiam illa quæ vobis & in vobis laudauerit, apud alios de vobis reprehẽſibilia iudicabit. Sic autem vt diximus adiuuante Domino viuere, iudicare, & agere præualebitis, ſi vos non ſtimulauerit amor priuatus: ſi non vos inflãmauerit cupiditas gloriæ, diuitiarum, poſſeſſionũ, & potentatus: ſi non plus credideritis alienæ linguæ, quàm propriæ cõſcientiæ. ſi vos non roſerit tinea adulationis: ſi non vos viſerit liuor alienæ felicitatis: ſi vos non vexauerit neglectus animæ & amor carnis: ſi credideritis regem Chriſtum non pro ſe, id eſt non pro ſua neceſſitate mortuũ, ſed pro nobis, vt viueremus qui mortui eramus. & vos, Rex, plus ſtudeatis aliis viuere in ſalutis ſuæ vtilitatibus, quàm vobis ipſis in propriis voluntatibus. ſi ſcieritis vos eſſe morituros, & vos credideritis de factis propriis rationem Domino reddituros, & quæ dignè receperitis, ſine fine & immutatione aliqua habituros.

Sap. 7.

Matth. 5. 48.

Iac. 3. 2.

Prou. 24. 16.

Pſal. 36. 24.

XII. *Quomodo domeſticos regere, quid Deo, quid ſubditis reddere, & quales palatij ac reipublicæ miniſtros conſtituere debeat.*

Domum veſtram domeſticam ſic nutrite, regite, & diſponite, vt quando regni populus ad vos conuenerit, in vobis, & in domeſticis veſtris videant, qualiter ſe atque domum, cum quanta humilitate atque caſtitate, quàm ſobriè, quàm iuſtè, quàm piè nutrire, diſponere debeant, & gubernare. quia ſicut quidam ſapiens dixit, Secundum mores domini erit familia cuſtodita. Et ideo domus regis ſchola dicitur, id eſt diſciplina. quia non tantùm ſcholaſtici, id eſt diſciplinati, & bene correcti ſunt ſicut alij: ſed potiùs ipſa ſchola, quæ interpretatur diſciplina, id eſt correctio, dicitur: quæ alios habitu, inceſſu, verbo, & actu, atque totius bonitatis continentia corrigat.

Et vos, ſicut paxillus non bene infixus, niſi in Domino virtutum innixi fortiter fueritis, & vos cadetis, & qui in vobis pendent labentur. Quapropter ſicut Dominus ſub poteſtate conſtitutos ex tentatorum occaſione docuit reddere quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo: ita & vos qui ſub Deo eſtis, & ſuper homines eſtis, reddite quæ ſunt Dei Deo, & ſicut Cæſar æquus, quæ ſubditorum ſunt ſubditis reddite. Reddite Deo puram & immaculatam fidem, & ſinceriſſimum cultum in ſacerdotibus, in Eccleſiarum priuilegiis, in ſacris locis, in Eccleſiaſticis & religioſis viris ac feminis, in defenſione Eccleſiæ & Chriſtianitatis, in æquitate & iuſtitia populi Chriſtiani, in ſubleuatione & tranquillitate, & conſolatione omnium indigentium, ſicut præmiſimus. reddite illi quotidianum penſum in quotidiana oratione, in iuſtis & aſſiduis eleemoſynis. offerte illi deuotionem veſtram in ſacris oblationibus, & lacrymis ſecundũ magnitudinem ac multitudinem quotidianorum peccatorum profuſis. Reddite ſubditis iudicium cum miſericordia, iuſtitiam cum æquitate. Studete exaltare humiles, & Deum timentes, & debellare atque humiliare ſuperbos. Studete à bonis plus diligi, quàm timeri. Curate vt mali, ſi non propter Deum, vel propter timorem veſtrum, malum agere metuant. Non plus apud vos lingua doloſa, manus plena, obſequium indebitum valeat, quàm veritas, æquitas, & ſinceritas. ſcientes ſcriptum, *Qui excutit manus ſuas ab omni munere, iſte in excelſis habitabit.* Vnde conſequenter intelligi debet, Et non alius. Munus eſt enim à lingua, fauor: munus à manu, dominatio: munus ab obſequio, indebita ſubiectio. Conſtituite miniſtros palatij, qui Deum cognoſcant, ament, & metuant: qui maximam curam gerant, quatenus quicumque neceſſitoſi palatium adierint, & per quos perrexeritis, patrem & conſolatorem mirantes, gaudendo vos videre occurrant; non qualiter dicere nolumus, gemendo & maledicendo refugiant. Conſtituite Comites & miniſtros reipublicæ, qui non diligant munera, qui odiant auaritiam, qui deteſtentur ſuperbiam: qui non opprimant, neque dehoneſtent pagenſes: qui meſſes & vineas, & prata, & ſiluas eorum nequaquam deuaſtent. qui eorum pecora & friſkingas, vel quæque illorum ſunt, non prædentur atque diripiant, & per violentiam ac mala ingenia quæ illorum ſunt nullomodo auferant. Qui Epiſcoporum ſuorum conſilio, quæ Dei ſunt, & Chriſtianitati conueniunt, faciant. Qui placita non pro adquiſitione lucri teneant: ſed vt caſæ Dei, & viduæ, ac pupilli, & populus iuſtitiam habeant: & plus litigantes ad concordiam ſalua iuſtitia reuocare ſtudeant, quàm committere, vt ipſi inde aliquod lucrum poſſint habere. Quos ſi pacificare non potuerint, tunc ſicut rectum eſt, iuſtum iudicium decerni cum magna ſollicitudine faciant: ſcientes ſcriptum eſſe, *Indicabo tibi homo quid ſit bonum, id eſt facere iudicium & iuſtitiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* id eſt, vt quod illi placet, tibi placeat & facias: quod illi diſplicet, tibi diſpliceat & non facias. Quòd ſi per fragilitatem feceris, non contumaciter vel pertinaciter in tuo malo facto perſeueres: ſed ſtatim pedem ſicut à ferro calido reuoca, & in viam voluntatis Domini tui dirige. Et ſicut ſcriptum eſt, *Quia ſunt viæ, quæ videntur hominibus bonæ, & ducunt ad interitum*, fac ſicut ſcriptura tibi præcipit, quicumque es homo, *interroga de via bona & ambula per eam.* quia ſicut dicitur in Euangelio, ampla via eſt

Eſa. 33. 15. — Mich. 6. 8. — Prou. 16. 25. — Hier. 6. 16. — Matth. 7. 13.

quæ ducit ad perditionem, & multi vadunt per eam: & arcta & anguſta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam. Propterea quicumque es homo, audi prophetam, & ora cum propheta, *Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.* &, *deduc me in ſemita mandatorum tuorum, & viam iniquitatis amoue à me, & à lege tua miſerere mei.* quia ſicut Hieremias propheta dicit, *Non eſt hominis via eius, nec viri eſt vt ambulet & dirigat greſſus ſuos: ſed à Domino diriguntur greſſus viri, & viam eius volet.* Ipſi Comites ſimiliter, quantum potuerint, ſimiles ſibi timentes Deum, & iuſtitiam diligentes per ſe miniſtros conſtituant, qui ſicut ſeniores ſuos benignos, & affabiles pagenſibus ſuis viderint, & ipſi pro modulo ſuo illos imitati in omni bonitate & iuſtitia certent. Pſal. 118. 17. Hier. 10. 23.

XIII. *Vt eos qui propter has ſeditiones excommunicati ſunt, ad Eccleſiæ pacem reuocare ſtudeat.*

Homines etiam & potentes ſæculi, qui inter iſtas ſeditiones legis iugum & iuſtitiam æquitatis refugerunt, & talia ac tanta fecerunt, pro quibus Eccleſiaſticam & Epiſcopalem excommunicationem meruerunt, ad leges & iuſtitiæ tramitem reuocate, & vt ad ſuos Epiſcopos humiliter, ſicut eis neceſſe eſt, veniant iubete vel cogite; & vt Eccleſiæ, in quam peccauerunt, aut cum debita neceſſaria humilitate ſatisfaciant, aut humiliter & veraciter ſe excuſent, qualiter abſolui à Domino per miniſterium Epiſcopale valeant, ſuadete, atque regia poteſtate præcipite. Et ſi fortè vos, vel quicumque alij de eorum ſocietatis & coniunctionis communione infecti & condemnati ſunt, pœnitentiam quiſque ſe recognoſcendo faciat: quia teſte ſacra auctoritate, non poterit abſolui à ſuis, qui peccatis damnabiliter grauatur externis: ſicut orans Dominum ſanctus propheta Dauid demonſtrat dicens, *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Pſal. 18. 13.

XIV. *Iudices villarum regiarum quales conſtituendi ſint.*

Iudices denique villarum regiarum conſtituite, qui non ſint cupidi, & non diligant auaritiam, & vſuras nec ipſi faciant, nec pecunias regias, vel ſuas ad vſuras donent; neque à ſuis ſubditis vſuras fieri ſinant. Quæ omnia vos ſuper omnes miniſtros veſtros odite debetis, & fugere. Et ſeruos regios iudices non opprimant, nec vltra quod ſoliti fuerunt reddere tempore patris veſtri ab eis exigant: neque per angarias in tempore incongruo illos affligant, neque per dolos, aut per mala ingenia, ſiue inconuenientes precationes, colonos condemnent. quia ſi per tales, vel alias huiuſmodi factiones, pondus argenti vel auri habueritis in arca, maius & grauius pondus erit peccati, quod habebitis in conſcientia veſtra & anima. Ædificent villas veſtras moderatis caſticiis, & vt honeſtas neceſſaria ſit, & familia non grauetur. Laborent & excolant vineas in tempore cum debita ſollicitudine: ſoluant & diſpenſent laborata cum fideli diſcretione. faciant nutrimenta congrua & neceſſaria. cuſtodiant ſiluas, vnde habeant paſtionem: defendant & excolant prata, vnde habeant pabula. quatinus non ſit vobis neceſſe per quaſcumque occaſiones quorumcumque hortatibus circuire loca Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, & Comitum, & maiores

quàm ratio poſtulat paratas exquirere, & pauperes Eccleſiaſticos, & fidelium veſtrorum manſuarios, in carricaturis & paraueredis contra debitum exigendis grauare,& peccatum de facultatibus indebitè cóſumptis in animam veſtram congerere. Neque à Comitibus vel fidelibus veſtris plus ſtudeatis, quàm lex & conſuetudo fuit tempore patris veſtri, de hoc quod de Francis accipiunt, exquirere. Quin potiùs habeatis vnde ſufficienter, & honeſtè cum domeſtica curte veſtra poſſitis viuere, & legationes palatium veſtrum adeuntes recipere, & ſicut ſcriptum eſt, vnde poſſitis de iuſtis laboribus neceſſitatem patientibus tribuere. quia rex & largus debet eſſe, & non quod largitur de iniuſtitia vel iniquitate debet conquirere. Iudices verò villarum colonos diſtringant, & non Eccleſiaſticos homines, vel Francos pauperiores, aut alienos ſeruos propter priuilegium regium opprimant, aut ſiluas vel quæque aliorum ſunt in ſua vicinitate deuaſtent. Quia rex iuſtus, qui iuſtitiam debet diligere, miniſtros aut colonos impios & iniquos non debet habere, ſed omnibus in ſe, & in ſuis debet imitationem debitam demonſtrare. Quia ſi ipſe Deum dilexerit, omnes boni diligent illum. & ſi ipſe Deum timuerit, omnes mali timebunt illum: Et rex atque ſui miniſtri per amorem Dei bonum faciant, & omnes bona facere doceant, & per timorem Dei mala fugiant, & omnes in illis mala fugere diſcant. Miſſos etiam tales per regnum conſtituite, qui ſciant qualiter Comites, & ceteri miniſtri reipublicæ, iuſtitiam & iudicium populo faciant. qui ſicut Comitibus præponuntur, ita ſcientia & iuſtitia ac veritate eis præmineant.

XV. *Vt Synodus Epiſcoporum regni expectetur, in qua quid facto ipſis opus ſit deliberent. Quanta reuerentia regibus debeatur: & quòd Epiſcopi ad ſacramenta adigendi non ſint.*

Et quia litteris veſtris ſignificaſtis, quòd nobiſcum de reſtauratione ſanctæ Eccleſiæ, & ſtatu ac ſalute populi Chriſtiani tractare velletis, dominationi veſtræ ſcripto reſpondere curauimus, quia & pro inclementia aëris, & pro inconuenientia temporis, & propter imminentem diem Domini noſtri Natalis, venire ad præſentiam veſtram nequiuimus. Operamini vos interim iſta, quæ cum fidelibus veſtris ſine noſtra corporali præſentia operari valetis: & cùm tempus congruum, & ſacris canonibus deſignatum aduenerit, quando & pro paganorum infeſtatione, & pro exotici tumultus, ac deprædationum, atque rapinarum miſerrima nimis confuſione nobis licuerit, cum domnis & fratribus, ac comprouincialibus Archiepiſcopis & Epiſcopis Synodum faciente Domino celebrare, quæ his ſunt reſidua cum eis ſicuti cum magiſtris & patribus tractare, & veſtræ dominationi debitum conſilium dare ſtudebimus. Et ſi Deus ſoliditatem & ſalutem Eccleſiæ atque regni in manu veſtra adunare, & proſperari decreuerit, quæ cum Archiepiſcopis & Epiſcopis noſtris plus congruere diuinis diſpoſitionibus viderimus, agere ſub famulatu recti regiminis veſtri ſtudebimus. Potens eſt enim Deus minus bonum initium in perfectè bonum commutare proceſſum, cui noſcitur eſſe poſſibile, quod impoſſibile ſolent homines iudicare. Si enim ſapientia veſtra dignum iudicat loqui & tractare cum vicino rege, eiuſque fidelibus, ſecedente de iſta parte

regni

regni domno noſtro, fratre videlicet veſtro, multo magis nos oportet expectare tempus canonicum, vt cum fratribus & comprouincialibus Archiepiſcopis & Epiſcopis loquamur, quia generalis cauſa imminet totius Ciſalpinæ Eccleſiæ. Maximè autem nobis neceſſe eſt loqui cum illis Archiepiſcopis & Epiſcopis, qui conſenſu & voluntate populi regni iſtius, domnum noſtrum fratrem veſtrum vnxerunt in regem ſacro chriſmate diuina traditione: quémque ſancta ſedes Apoſtolica mater noſtra litteris Apoſtolicis vt regem honorare ſtuduit, & confirmare. Legite libros regum, & inuenietis quanta reuerentia reprobatum & abiectum à Domino Saül ducere dignum duxit ſanctus Samuel, cuius locum in Eccleſia nos licet indigni tenemus. Et attendite quàm magni pendit ſanctus Dauid, in loco illius electus & vnctus à Domino, mittere manum in Chriſtum Domini: cùm Saül non ſolùm ex alia progenie, verùm ex alia tribu erat, & illum reiectum, & ſe electum à Domino cognoſcebat, & nihil firmitatis Saüli Dauid fecerat, ſed plurimum adiutorium, & deuotam ſeruitutem ei impenderat. Et neque bello auferre, neque ingenij dolo illi regnum ſubripere adtemptauit. Et cùm multos ad hoc ſuaſores & auxiliarios habuiſſet, nulli autem vt hoc molire tur accommodauit: quamuis multas perſecutiones, & morti proximas ab eo ſæpiſſimè ſuſtinuerit. Inſuper & bene ſcitis quid de illo iuſſerit, qui licet mendaciter, pro illius tamen gratia acquirenda ſe manum miſiſſe in Chriſtum, id eſt vnctum Domini, nuntiauit. Nam ſi eſt aliquis qui hæc ignoret, nos ei dicimus, quia gladio eum interficere iuſſit. Sic & qui infideliter & contumaciter in vnctum qualemcumque Domini manum mittit, dominum Chriſtorum Chriſtum contemnit, & in anima proculdubio ſpiritalis gladij animaduerſione perit. Hæc dicimus, non vt exaggerationes contra dominationem veſtram incongruas exquiramus: ſed vt euidentiùs pro qualitate noſtri miniſterij quid excepta debita fide, & beneficentia, nobis in fratre veſtro reuerendum ſit, demonſtremus. Talem vos nempe debemus & volumus credere, vt nec vos regni augmentum cum animæ veſtræ detrimento velitis habere: neque nos cum tali dedecore ad adiutorium Eccleſiaſtici regiminis & gubernationis recipere, vt ſine ſacerdotio ſimus, quo priuati erimus, ſi contra Deum & rationis auctoritatem nos, Eccleſiáſque noſtras, vobis ſtuduerimus committere. Eccleſiæ ſi quidem nobis à Deo commiſſæ non talia ſunt beneficia, & huiuſmodi regis proprietas, vt pro libitū ſuo inconſultè illas poſſit dare vel tollere. Quoniam omnia quæ Eccleſiæ ſunt, Deo cõſecrata ſunt. Vnde qui Eccleſiæ aliquid fraudatur aut tollit, ſacrilegium ſecundum ſanctam ſcripturam facere noſcitur. Et nos Epiſcopi Domino conſecrati, non ſumus huiuſmodi homines ſæculares, vt in vaſſallatico debeamus nos cuilibet commendare, ſeu ad defenſionem & adiutorium gubernationis in Eccleſiaſtico regimine nos, Eccleſiáſque noſtras cõmittere, aut iurationis ſacramentum, quod nos Euangelica & Apoſtolica, atque canonica auctoritas vetat, debeamus quoquomodo facere. Manus enim chriſmate ſacro peruncta, quæ de pane & vino aqua mixto per orationem & crucis ſignum conficit corpus & Chriſti ſanguinis ſacramentum, abominabile eſt, quicquid ante ordinationem fecerit, vt poſt ordinationem Epiſcopatus ſæculare tangat vllomodo ſacramentum. Et lingua

Epiſcopi, quæ facta eſt per Dei gratiam clauis cæli, nefarium eſt, vt ſicur ſæcularis quilibet ſuper ſacra iuret in nomine Domini, & ſanctorum inuocatione. niſi forrè, quod abſit, contra eum ſcandalum acciderir Eccleſiæ ſuæ: & inde ſic temperanrer agat, ſicur Domino docente conſtituerunt rectores Eccleſiæ Synodali Concilio. Et ſi aliquando ſacramenra ab Epiſcopis exacta, aur acta fuerunt, contra Deum, & Eccleſiaſticas regulas, quæ Spiritu ſancto dictaræ, & Chriſti ſunr ſanguine confirmatæ, acta ſanctæ ſcripturæ paginis declarantur; & exigentes atque facientes medicamento exinde ſalutaris pœnirentiæ indigent. Propterea expectate, Domine, patienter, ſicut princeps Chriſtianus, & Eccleſiæ filius, & honorate Eccleſiæ ſanctæ rectores, vt vos honoret qui nobis dixit, *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* &, *honorantes me honorabo, & qui temnunt me, erunt ignobiles.* &, *qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et in Pſalmo, *Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* quoniam *qui malignantur*, id eſt maligna agunr, *exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum ipſi hereditabunt terram*, hoc eſt regnum Dei. Er cùm venerit rempus & locus, ſicut ſuperiùs diximus, loquemur cum noſtris confrarribus, & ſicut Domini iuſtis diſpoſitionibus viderimus, ſine dubio faciemus. Et non eſt rationabilis cauſa, quæ contra hoc quod petimus vos debeat ſtimulare. quia non ſumus huiuſmodi homines, vt cùm cognouerimus voluntarem Domini, velimus aur debeamus quoquomodo reſultare, & rixas, & diſſenſiones, ſeu ſchiſmata, quas vulgus vverras nominat, debeamus commouere, conſerere, vel renere, quos Dominus pacis prædicatores & ſectarores voluit ordinare. & peccata noſtra, arque nobis commiſſorum, & etiam totius populi, conſtiruit plangere & curare: & bellum cum vitiis, & pacem cum fratribus iuſſit habere. Nos & quidem pacem, & quietem, non rixas & bella optamus, & quærimus. quia ſicut dicit Apoſtolus, *Non ſunt nobis carnalia arma, ſed ſpiritalia, & potentia Deo.* quibus ſumus calciati pedes in præparatione Euangelij pacis. indutı lorica iuſtitiæ, & galea ſaluris, accincti lumbos in veritate, habentes ſcurum fidei, & gladium Spiritus ſancti. quia non eſt nobis conluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus rectores renebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Et non miliramus terreno regi, ſed cęleſti, pro ſalute & noſtra, & terreni regis, & rotius populi nobis commiſſi. quorum officium eſt nulli nocere, conrra neminem infideliter agere; omnibus aurem velle prodeſſe. Tandem, domne nobis rex, contra Deum, & contra animam veſtram non audiatis illos qui dixerint, ſi fortè vobis dixerint, Non tibi ſit curæ, rex, quæ tibi referunr illi fellones arque ignobiles: hoc fac quod tibi dicimus, quoniam cum noſtris, & non cum iſtorum parentibus renuerunt parenres tui regnum. Nos aurem obſecramus dominationem veſtram, adtendite potiùs ſi Chriſtianus rex eſtis, ſicut & Deo gratias eſtis, & in illum crediris, & per illum regnare vultis, *per quem*, ſicut ſcriptum eſt, *reges regnant*, & cuius eſt regnum, immo orbis rerræ & plenitudo eius: quia idem Deus in carne veniens, qui ſolus rex fieri poruit & ſacerdos, & in cælum aſcendens, ſuum regnum, id eſt Eccleſiam, inter pontificalem auctoritarem, & regiam poteſtatem gubernandum diſpoſuit. & non elegit ad hoc diui-

Luc 10.16. 1.Reg.2.30. Zach.2.8. Pſal 104.15. Pſal 36.9. 1.Cor.10.4. Prou.8.15.

tes & nobiles, ſed pauperes & piſcatores. & ſicut ſcriptum eſt, *Ignobilia & contemptibilia mundi elegit, vt confundat fortia.* Et fieri poteſt, vt tales vobis iſta dicant, ſi fortè minùs neceſſario Deum timentes vobis dixerint, cum quorum parentibus diabolus, qui ſecundum ſcripturam *eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*, regnum Chriſti quod eſt Eccleſia conturbauerit, & nunc eos in regnò ſuo, id eſt in inferno retineat, & ſecum in ſæcula retinebit. Pro certo autem ſciatis, quia cum noſtris parentibus, id eſt cum Apoſtolis, Chriſtus rex regnum ſuum, id eſt Eccleſiam conquiſiuit, ampliauit, & rexit: & per nos, & nobiſcum, vtinam non ad iudicium noſtrum dicamus, eandem Eccleſiam, id eſt regnum ſuum quotidie adquirit, auget, atque gubernat idem Dominus Iesvs Chriſtus, ſicut dictum eſt à Domino Eccleſiæ per prophetam, *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij*, id eſt pro Apoſtolis creati tibi Epiſcopos, qui te regant & doceant. Cum qua Eccleſia nobis à Deo commiſſa, rex Chriſtiane & domine, ſicut litteris veſtris iuſſiſtis, ieiuniis & orationibus ac litaniis Dominum ſummum gubernatorem in naui ſanctæ Eccleſiæ fluctuante in hoc mare, id eſt ſæculo naufragoſo, peccatis noſtris communibus dormientem pulſare & excitare, & pro vobis deprecari ſtudebimus, vt quantocius pro ſua ineffabili pietate euigilet, & imperet ventis & mari, id eſt tentationibus diabolicis, & inquietudinibus ſæcularium hominum, & redeat quantulacumque tranquillitas, gratia & miſericordia eiuſdem Domini noſtri Iesv Chriſti, cui eſt & ſit poteſtas, & honor, & gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

1. Cor. 1. 27.
Iob. 41. 25.
Pſal. 44. 17.

CONCILIVM METENSE.

De indulgentia Ludouici regis.

HÆC CAPITVLA TRACTATA ET CONFIRMATA ſunt ab Epiſcopis in Synodo habita apud Metris ciuitatem de indulgentia Hludouuici regis, pro ſeditione & exceſſibus in regno fratris ſui Karoli perpetratis.

Commonitorium Epiſcopis ad Ludouicum regem legatis à Synodo Metenſi.

Dilectis in Chriſto fratribus & conſacerdotibus noſtris, legatis videlicet diuinæ pacis, ac noſtræ vnanimitatis, Hincmaro, Gunthario, Vveniloni Archiepiſcopis, & venerabilibus Coepiſcopis noſtris Herluino, Hildegario, Aduentio, Abboni, Hincmaro, Erchanrao, Epiſcopi quorum nomina ſubter habentur adſcripta, qui fauente Domino, & annuentibus glorioſis principibus noſtris Karolo & Hlothario, in Mediomatricum ciuitatem, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIX. Indictione VII. V. Kalendas Iunias Synodali decreto conuenimus.

Cap. I. Nota & pro dolor nimis eſt nota diſcordia atque calamitatis pernicies, quæ factione quorumdam ſeditioſorum hominum, nuper inter fratres reges noſtros Hludouuicum & Karolum accidit. Vnde tanta ac talia in Eccleſia nobis ad tegendum diuina dignatione commiſſa, & in hoc regno perpetre ſunt admiſſa, vt ipſa etiam auditu horribilia cognoſcantur. Et ſi hæc diſcordiæ peſtilentia diutius operante humani generis antiquo hoſte durauerit, quàm exitiabilis & mortifera exiſtat melius ipſi ſcitis. Qua de re memores quid veritas miſſis prædicatoribus iuſſerit, vt

2.Cor.5.20. diuinus Paulus dicit, legatione pro Chriſto fungentes vos, fratres cariſſimi, legatos Deo amatæ pacis, quoniam exinde iam glorioſos principes noſtros Karolum & Hlotharium Epiſcopali auctoritate monuimus, ad domnum Hludouuicum regem glorioſum mediante Domino ordina-

Matth.10.12. mus, ſicut Saluator dicit, *In quamcumque*, inquiens, *domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui, & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illam pax veſtra: ſin autem, ad vos reuertetur.* quia aut erit quiſque prædeſtinatus ad vitam, & cæleſte verbum ſequetur quod audiet: aut ſi nullus audire voluerit, ipſe prædicator ſine fructu non fuerit, quoniam ei à Domino pro labore ſui operis merces recompenſabitur.

II. Poſt prædicatam verò & poſtulatam pacem, legatio veſtræ fraternitatis huiuſmodi erit conditionis, vt iſdem rex nobis, & vtinam Deo, ſemper amabilis admiſſorum indulgentiam conſequatur.

III. Videlicet ſi ſe de omnibus quæ per eum malitioſorum hominum perſuaſione, atque ſeductione, in parœchiis noſtris fratrúmque noſtrorum

Pſal.33.19. Pſal.50.19. Pſal.144.18. perpetrata ſunt, veraciter recognouerit, ſicut ſcriptum eſt, *Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde.* &, *ſacrificium Deo eſt ſpiritus contribulatus,* quoniam cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Et ſicut hi qui fictè Deum quærunt, inuenire numquam merentur, ita propè eſt Dominus omnibus inuocantibus ſe in veritate.

IV. Et ſi poſt veram recognitionem pariter confeſſus fuerit: quia

Prou.28.13. 1.Ioan.1.9. iterum dicit ſcriptura, *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* &, *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

V. Poſt puram autem confeſſionem, ſi promiſerit quæ malè geſta ſunt per dignos pœnitentiæ fructus, præueniente, adiuuante, & ſubſequente

Luc.3.8. diuina gratia, ſe pro viribus emendaturum. quia ſcriptum eſt, *Facite fructus dignos pænitentiæ.* vt tanto maiora quærat bonorum operum quiſque lucra per pœnitentiam, quanto grauiora ſibi intulit damna per culpam. Quoniam & illi beati quorum tecta bonis operibus ſunt peccata. & vt ſcriptum eſt, quia peccauit & populum peccare fecit, tanta ſint bona, quæ tanta operiant mala.

VI. Deinde ſi ſpoponderit, ad pacem & concordiam præſentaliter in corde & ore, & quantocius rationabiliter & poſſibiliter atque conuenienter ex communi ſenſu fieri poterit, etiam præſentia corporis ad pacem & concordiam cum fratre ſuo Karolo ſe rediturum, & in pace & caritate Deo placita, cum præfatis principibus noſtris Karolo atque Hlothario, ſi ipſi eandem pacem & concordiam erga eundem ſerua-

uerint, permanſurum, & in ſe peccantibus debita dimiſerit, ſicut ſibi à Deo debita ſibi cupit dimitti. Quia ibidem ſcriptura dicit, *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* Et cùm mala cuncta bonis ſequentibus diluantur, tantum eſt diſcordiæ malum, quæ niſi extincta funditus fuerit, bonum nullatenus ſequi Euangelio teſte permittat. Et caritas eſt, quæ operit multitudinem peccatorum: ſine qua etiamſi quis corpus ſuum tradat ad ignem, nihil ei niſi damnationis iudicium proderit. Et Dominus dicit, *Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.* Hebr.12.14. Matth.6.15.

VII. Poſthæc ſi promiſerit quòd iam vlteriùs tale vel ſimile ſchiſma in hac ſancta Dei Eccleſia, atque in iſta Chriſtianitate non reiteret. Vnde ſcriptum eſt, *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius?* Baptizatur quippe à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato: ſed poſt baptiſma mortuum tangit, qui culpas poſt lacrymas repetit. Et iterum ſcriptum eſt, *Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti.* quia qui peccatum poſt pœnitentiam repetit, quaſi in lutoſa aqua ſemetipſum voluit: quia dum fletibus ſuis vitæ munditiam ſubtrahit, ipſas etiam lacrymas ante Dei oculos ſordidas facit. Eccl.34.30. 2.Petr.2.22.

VIII. Tunc demum promittat ſe ab illorum perditorum hominum tuitione atque fauore, per quos tam grauiter Deum offendit, diſiungere: & qui quaſi ad eius fidem, ſed potiùs infideliter ad eum venerunt, ad rectam rationem in proximo placito ante fratrem ſuum Karolum, & nepotem ſuum Hlotharium, ſicut Deo teſte iam apud Marſnam propria manu firmauerat, venire ſi potuerit faciat. & quemcumque illorum recta ratio dignificauerit, digno honore ſuo fruatur: & qui per rectam rationem erga ſeniorem ſuum iuſtificari non potuerit, & rationabilem miſericordiam pro eo expetierit, eandem rationabilem miſericordiam illi obtineat. De illo verò, quem recta ratio & iuſtum iudicium condemnauerit, vt rex Chriſtianus cum rege regum Chriſto concordet, & alienæ perditioni ſe non commiſceat. quia vt Paulus dicit, *Non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui malè facientibus conſentiunt, digni ſunt morte.* Vnde S. Innocentius dicit, quia non multum intereſt inter committentis animum, & conſentientis fauorem. Addo amplius, plerumque dediſcit errare, cui nemo conſentit. Et iterum S. Paulus cum talibus hominibus nec cibum ſumere permittit. Et S. Dauid, dum totum ſe ad fœdera pacis internæ conſtringeret, teſtatur quòd cum malis concordiam non teneret, dicens, *Nonne qui oderunt te, Deus, oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi.* Inimicos etiam Dei perfecto odio odiſſe eſt ad quod facti ſunt diligere, & quod faciunt increpare. Hinc Phinees peccantium ciuium gratiâ coeuntes cum Madianitis percuſſit, & iram Dei iratus placauit. Et Ioſaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab regis amicitiis penè periturus increpatur. cui à Domino per prophetam dicitur, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris: ſed bona opera inuenta ſunt in te.* Hinc ſacri canones ſancto promulgati ſpiritu dicunt, vt hi qui poſt excommunicationem vel interdictum cum excommunicatis communicauerint, Rom.1.32. Pſal.138.21. 2.Par.19.2.

condemnati anathema habeantur. Et S. Cyprianus regis miniſterium eſſe dicit impios de terra perdere, homicidas, periuros, adulteros, veneficos, ſacrilegos non ſinere viuere. Et in libro Regum ſcriptum eſt, dicente Domino per prophetam, *Quia dimiſiſti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.* Et quàm noxia ſit indebita erga iniquos miſericordia, monſtratur in opere Saül ac Samuëlis: quoniam cui Saül pepercit offendens Dominum, Samuël propheta in fruſta concîdit. Nam ſicut quiſque in ſe peccantibus debet propter Deum dimittere, ita in Deum peccantes, & Eccleſiam conculcantes, & regni peruaſores, & in Chriſtianitatis depopulatores, & in pacis perturbatores, & in patriæ proditores debet miniſter Domini rex debitam vindictam popter Deum exercere. Quapropter ſciat rex nobis amabilis, quia ſicut infirmus ſanari non poteſt qui à medico coquitur, quandiu ferrum ignitum in illius tenetur corpore: ita & nemo ſanari poteſt à peccato quandiu in peccato manſerit, vel quandiu in peccato manenti ſcienter & libenter communicauerit.

3.Reg.20.42.

IX. Tandem ſi ſe promiſerit adiutorem & cooperatorẽ Dei pro viribus de cetero & rationabiliter futurum, qualiter Eccleſia Dei, quæ in ſuo regno ac regnis noſtrorum principum vna eſt, ſicut & vnũ ſacerdotium, ſecũdum qualitatem periculoſi temporis in vnoquoque ordine reſtituatur; & ſacerdotes Dei debita priuilegia, & Eccleſiaſticum vigorẽ obtineant, & populus iuſtitiam, & pacem habeat: congregatis vobis, & noſtro immo diuino ſpiritu, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem illi peccata, in noſtris parochiis per illum & ab illo commiſſa, Eccleſiaſtica pietate, & canonico more dimittite, eíque indulgentiam poſtulanti donate: atque illum ſacræ communioni, qua ipſe ſe priuauerat excommunicatis communicans, reſtituite.

X. Et licet multorum annorum, ſecundũ præfixos à ſacris canonibus gradus, pœnitentia hæc perpetrata facinora indigerent, tamen confiſi de Dei miſericordia, apud quem non ſic acceptatur menſura temporis vt doloris, nec abſtinentia ciborum, ſicut mortificatio vitiorum, non præiudicantes patrum ſententias, quæ de huiuſmodi decreuerunt, ſed potiùs eorũ ſequentes humaniorem definitionem, hæc ſcribimus. Ait ſancta Synodus Africana: Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora diſcernantur. Et S. Leo Apoſtolicæ ſedis Pontifex. His, inquit, qui in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire; apud quem nullas patitur veniæ moras confeſſio, dicente Dei ſpiritu per prophetam, *Cùm conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris.* & alibi, *Dic iniquitates tuas prior, vt iuſtificeris.* & item, *Quia apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio.* In diſpenſandis itaque donis non debemus eſſe difficiles, nec ſe accuſantium gemitus lacrymáſque neglegere, cùm ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam, dicente Apoſtolo, *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam, vt reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.* Et S. Gregorius in Euangelij homilia dicit, Veniat foras mor-

Eſa.44.26.
Pſal.129.7.
2.Tim.2.26.

tuus, id eſt culpam confiteatur peccator: venientem verò foras ſoluant diſcipuli, vt paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amouere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.

XI. His perpenſis, fratres cariſſimi, ſi vt diximus, iam dictum regem à nobis amabilem ita contemperatum diuinæ voluntati & ſacræ auctoritati inueneritis, ſecundum miniſterium vobis à Deo traditum eum veſtra vnanimitate abſoluite. Sin aliâs, vos vllo modo cum eo, quem abſoluere non poteritis, ligare nolite: quoniam nec coram Deo, nec in Synodo nos inde auctores habebitis, ſi agere aliter quod abſit præſumpſeritis, vóſque & in Synodo, & coram Deo, pro facto irrito dabitis rationes.

XII. Et ſi ipſe, quod Deus longè faciat, ea quæ egit, vnde illum nunc commonere vos mittimus, reiterauerit, omnia & ante diuinos oculos, & ad Eccleſiaſtica iudicia, rediuiuo vulnere curanda vel amputanda nouerit reuenire. Si quid quoque contra ſanctam auctoritatem præſumptum, vel ſubreptum, ſiue extortum fuerit, non ſolùm in diuinis examinationibus, verùm nec in diuinis legibus quippiam præualebit. Et non ſit de cetero immemor idem rex glorioſus, quod dicit ſanctus Gregorius: Sciendum eſt, inquiens, quia quiſquis inlicita nulla commiſit, huic iure conceditur vt licitis vtatur; ſicque pietatis opera faciat, vt tamen ſi nóluerit ea quæ mundi ſunt non relinquat. Quilibet verò tanto à ſe licita debet abſcidere, quanto ſe meminit & inlicita perpetraſſe. Neque enim par fructus eſſe boni operis debet eius qui minus, & eius qui amplius deliquit, aut eius qui in nullis, & eius qui in quibuſlibet facinoribus cecidit: ſed tanto quiſque maiora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora ſibi intulit damna per culpam. Vnde à vobis noſtra, quin potiùs Dei voce commoneatur, vt ſic ſtudeat præteritorum pœnitens, & imminentia atque futura cauens, Deo militare in regno terreno, quatenus mereatur conregnare Chriſto in regno cæleſti.

Hæc quæ ſequuntur Epiſcopi peracta legatione renuntiarunt.

DE indulgentia ſua nobis Hludouuicus rex pridie Nonas Iunias in Vvormatia dixit: Volo vos precari, vt ſi in aliquo veſtros animos offendi, vt hoc mihi perdonetis, vt in antea ſecurus vobiſcum loqui poſſimus. Ad hæc Hincmarus, qui primus in ordine ex ſiniſtra parte illius ſtetit, reſpondit dicens: Iſta cauſa citò ad effectum peruenire poteſt, quia quod nos offerimus, hoc vos petitis. & monente Grimoldo, ac Theoderico Epiſcopo, iterum ipſe Hincmarus dixit: Nihil contra me feciſtis, vnde noxium rancorem in mente contra vos teneam: quia ſi facerem, ad altare vt Domino ſacrificarem accedere non auderem. Iterum monẽtibus eiſdem Grimoldo, & Theoderico ac Salomone, dicente ipſo Theoderico hæc verba, Facite ſicut ſenior noſter precatur, parcite illi: reſpondit ipſe Hincmarus hæc eadem verba. Quod in me, id eſt in mea perſona, offendiſtis, & peperci & parco. De hoc autem quod in Eccleſia mihi commiſſa, & in populo malè eſt factum, voluntariè vobis dono conſilium, & ſecundum Deum præſto auxilium, vt inde ſalui ſitis, ſi vobis placet. Et præfati viri reſponderunt. Certè bene dicit. & ceteri fratres noſtri in hæc verba & ſenſerunt, & proſecuti ſunt. Tanta & talis indulgentia illi largita fuit, & non altera, neque

amplius. De ſcripto autem quod confirmatum nobis eſt traditum, nec ipſe à nobis quiddam quæſiuit, nec nos illi aliquid diximus: quoniam necdum cum illo ex huiuſmodi in ratione eramus. Ipſe autem poſt hæc & alia, dixit nos egiſſe quod non egimus, ex hoc materiam ſumens, quòd Guntharius illi familiariter, vt eum inſtrueret, & ad ſatisfactionem prouocaret, ſcriptum relegit, ita inquiens: Vos mihi tranſmiſiſtis veſtram epiſtolam cum Capitulis: vos veniſtis cum cauſa facta. Nos non ſumus hîc niſi duo vel tres, qui ſine aliis huc exiliuimus. In illas cauſas intrare non poſſum, antequam cum noſtris Epiſcopis inde tractemus, quia Deo gratias nihil ſine illorum conſilio feci: & poſtea inde reſpondeam. Nos autem expectabamus, vt conſilium à nobis de ſua ſalute oblatum ipſe quæreret: & tunc ei ſecundum illud ſcriptum donaremus conſilium. Ipſe autem de ſuo gradu reſpondit, quòd in illud ſcriptum non intraret, antequam cum ſuis Epiſcopis conſideraret. Et ſic quicquid in generali cauſa Eccleſiæ & populi egit, penes illum remanſit.

ANNO CHRISTI 859. CAROLI CALVI REGIS 19.

CONCILIVM LINGONENSE.

IN ANDEMANTVNNO LINGONVM A REMIGIO Lugdunenſi, Agilmaro Viennenſi, Ebbone Gratianopolitano, & aliis Epiſcopis, præſente Carolo eorum rege, circa Kalendas Iunias celebratum, anno Chriſti DCCCLIX.

EX Tullenſi apud Saponarias Synodo, quæ mox ſequitur, conſtat paucis ante illam diebus habitam apud Lingonas fuiſſe Synodum alteram ab Epiſcopis regni Caroli minoris, fratris Lotharij, conditóſque in ea canones ſeu Capitula numero XVI. *quæ poſtmodum in eadem apud Saponarias Synodo relecta, illiúſque actis inſerta ſint. Quamquam ergo Synodi Lingonenſis, eiúſque canonum hic locus erat, ſi ordo ſpectetur, ſatius tamen viſum eſt hos à Synodo Tullenſi, cuius beneficio ad nos peruenerunt, minimè diuelli. Quare inter eius acta proferentur. Nunc ſatis ſit monere, de hiſce Lingonenſibus Capitulis accipienda illa eſſe, quæ Flodoardus ex Hincmari ad Carolum Caluum regem Epiſtola refert libro* III. *Hiſtor. cap.* XVI. Quæ Capitula, *inquit*, in conuentu Epiſcoporum habito in territorio Tullenſi, in villa quæ dicitur Saponarias, ante biduum quàm vobis porrecta fuerint, ſunt recitata, proferente & deponente ea Synodo domno Remigio Lugdunenſium Archiepiſcopo: quæ, ſicut dixit, & in epigrammate eorumdem Capitulorum continetur, in hoc ipſo anno, in Kalendis nihilominus ibidem deſcriptis, & in ſuburbio Lingonicæ vrbis, ad inſtructionem Dominici populi ipſe & comprouinciales Epiſcopi ediderunt.

CONCILIVM

CONCILIVM TVLLENSE APVD SAPONARIAS.

QVOD AB EPISCOPIS DVODECIM PROVINciarum, adſidentibus Carolo Caluo, eiúſque nepotibus Lothario & Carolo regibus, celebratum eſt in ſuburbano Tullenſi, villa Saponarias, menſe Iunio, Indictione VII. hoc eſt anno Chriſti DCCCLIX. Nicolai Papæ anno II. Caroli Calui eiuſdem XIX. nepotum fratrum IV.

INDEX OMNIVM EORVM QVÆ IN hac Synodo continentur.

I. Canones ſeu Capitula XIII. de iis quæ in hac Synodo geſta ſunt.

II. Libellus proclamationis Caroli regis aduerſus Vvenilonem Archiepiſcopum Senonenſem.

III. Epiſtola Synodalis ad Vvenilonem Archiepiſcopum.

IV. Epiſtola Synodi ad Epiſcopos Britonum, qui à Metropolitano ſuo deſciuerant.

V. Epiſtola Synodi ad Britones excommunicatos.

VI. Decreta Synodi Lingonenſis oblata & relecta in Synodo Tullenſi.

I.

CANONES SEV CAPITVLA XIII.

De ijs quæ in hac Synodo geſta ſunt.

TITVLI CANONVM.

1. De concordia inter fratres Ludouicum & Carolum reges reformanda.

2. Vt Epiſcopi mutuo ſe conſilio & auxilio adiuuent, & Synodos frequentent.

3. De ſtabili vnione principum Caroli & Lotharij atque Caroli regum.

4. De Tortoldo diacono, qui Epiſcopalem poteſtatem in Baiocenſium vrbe occuparat.

5. De Anſcario ſubdiacono, qui Lingonum ſedem viuo eius Epiſcopo peruaſerat.

6. De proclamatione Caroli regis aduerſus Vvenilonem Archiepiſcopum Senonenſem, qui ab eo defecerat.

7. De Attone Virdunenſium Epiſcopo, qui contra regulas Eccleſiaſticas prouectus dicebatur.

8. De litteris Synodi ad Epiſcopos Britonum, qui à Metropolitano ſuo deſciuerant, & cum excommunicatis communicabant.

9. De litteris Synodi ad Britones excommunicatos, quibus, niſi ſe corrigant, anathema intentatum.

10. De Capitulis quibuſdam in Synodo relectis, de quibus inter quoſdam Epiſcopos erat controuerſia.

11. De conſeruando priuilegio Monaſterij ſancti Benedicti.

12. De aliis quæ ſpecialius in eadem Synodo ſtatuta ſunt.

13. De precibus, quas inter ſe condixerunt Epiſcopi, qui ad hoc Concilium conuenerant.

HÆC VENTILATA, DEFINITA, ATQVE OBtenta ſunt in Synodo XII. Prouinciarum, quæ habita eſt anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIX. Indictione VII. in territorio Tullenſi, ſub principibus Karolo, Lothario, & item Karolo.

I. *De concordia inter fratres Ludouicum & Carolum reges reformanda.*

VT caritas fraterna & concordia pacis reformetur inter fratres, principes ſcilicet ac glorioſos reges noſtros Hludouuicum & Karolum: qualiter & ſchiſma, quod ortum eſt nuper in Eccleſia, ad vnitatem benignitatis valeat redintegrari, & ſtatus Eccleſiæ pene collapſus reſtitui, & pax ac iuſtitia in populo Chriſtiano valeat procurari, & qui à fidelitate debita defecerant, iudicio & iuſtitia per rectam rationem & rationabilem miſericordiam poſſint ſaluari, & à peruerſo conamine ad ſalubriora conuerti.

II. *Vt Epiſcopi mutuo ſe conſilio & auxilio adiuuent, & Synodos frequentent.*

Epiſcopi namque, ſecundum illorum miniſterium, ac ſacram auctoritatem, vniti ſint, & mutuo conſilio atque auxilio reges regnorúmque primores, atque populum ſibi commiſſum in Domino regant, & corrigant. Et nemo ſe à ſolatio mutuo ſubtrahat, ſed Synodales conuentus ſecundum iuſſionem canonicam frequentare procurent: quatenus ordo Eccleſiaſticus, qui quaſi obliteratus iam fuerat, quoniam Synodi propter diſcordiam regum frequentari non poterant, Epiſcopali collatione ad neceſſarium ac debitum ſtatum reduci præualeat. Vnde etiam conſenſum apud reges expetitum obtinuerunt.

III. *De ſtabili vnione principum Caroli, & Lotharij, atque Karoli regum.*

Reges nihilominus ac principes noſtri, Karolus, & Hlotharius, atque item Karolus, ad Dei voluntatem, atque ſanctæ Eccleſiæ ſtatum, ſuámque ſalutem, & populi ſaluationem, gratias Deo, vniti, & in eadem ſalutari vnitate firmati ſunt.

IV. *De Tortoldo diacono, qui Epiſcopalem poteſtatem in Baiocenſium vrbe occuparat.*

Peruentum eſt ante conuentum Epiſcoporum, quemdam dia-

conum, cui Tortoldus nomen eſt, Epiſcopalem poteſtatem in vrbe Baiocacenſium occupaſſe, & pollicitationibus atque minis ſollicitare multos ac perturbare. Vnde definiuit ſancta Synodus, vt Venilo Senonum Archiepiſcopus, cuius diaconus fuit, adiunctis ſecum tribus aliis, memoratum diaconum euocatum audiant, & ſecundum auctoritatem canonicam de eo definiant. Si autem refugerit eorum cognitionem, annitente principali poteſtate venire ad audientiam compellatur. Quòd ſi hanc quoque declinauerit, anathemate feriatur.

V. *De Anſcario ſubdiacono, qui Lingonum ſedem viuo eius Epiſcopo peruaſerat.*

De quodam etiam ſubdiacono Anſcario, qui viuo & incolumi Epiſcopo ciuitatis Lingonum ſedem peruaſit, ſimili eſt ſententia definitum. Sed interuenientibus legatis eiuſdem ſubdiaconi humanior eſt prolata ſententia: videlicet vt ſacramento confirmet, ſe numquam talia huiuſmodi præſumptione facturum. Cuius ſacramenti tenorem huic Capitulo ſubnectere dignum duximus. Ego ANSCARIVS ſubdiaconus confiteor coram Deo, & ſanctis Angelis " eius, reuerentiæ ſanctæ paternitatis veſtræ, contra Dei voluntatem, " & contra canonica ſtatuta temere me feciſſe in Iſaac venerabilem " pontificem, vſurpando ſedem Eccleſiæ ſanctæ ſibi commiſſæ Lin- " gonicæ, & ſollicitando clericos & vaſſallos eius, omnémque fami- " liam. Atque ideo, pro tantæ præſumptionis exceſſu, per ſacri mini- " ſterij veſtri vobis largitam à Domino poteſtatem, veniam mihi pœ- " nitenti largiri ſuppliciter deprecor. Deinceps verò, nec in eumdem " Antiſtitem, nec in alium quemlibet, nec in illa, nec in alia Eccleſia, " huiuſmodi præſumptionem facere tentabo: & neque illi, aut alicui " ſuorum clericorum, aut laicorum, in aliqua re impedimentum fa- " ciam pro hac cauſa, in qua me grauiter deliquiſſe confiteor, neque " inſidias eis vllius inquietudinis parabo, neque per me, neque per " meorum aliquem propinquorum, nec per quemcumque homi- " nem: ſed potiùs adiutor pro viribus & intelligentia ipſi ſuíſque ero, " prout ſibi placuerit, & qui ſibi pro hoc ipſo inimici ſunt, quos ipſe " voluerit, ſi potuero, eidem conciliari procurabo. Si me Deus adiu- " uet, & iſtæ ſanctæ Sanctorum reliquiæ. "

Statuit etiam ſancta Synodus, vt numquam ad eandem Lingonenſem Eccleſiam, ſiue ad Ianuacenſem, quam iam pridem pari modo afflixerat, debeat adſpirare: & ſi ita vt præmiſimus iuſſis Epiſcopalibus obedire refugerit, ſententiam ſuperiùs diacono datam incurrat.

Digitized by Google

VI. De proclamatione Karoli regis aduerſus Vvenilonem Archiepiſcopum Senonenſem.

Deinde glorioſus rex domnus Karolus ſacræ Synodo libellum appellationis, electorúmque iudicum inter ſe & Vvenilonem Senonum Archiepiſcopum, qui ab eo defecerat, & proclamationis diploma porrexit. Vnde ſecundum ſacram auctoritatem, & induciæ ac dierum dilatio eſt conceſſa, & certa accuſatio per Epiſcopos, & ſynodicas litteras præfato Archiepiſcopo eſt intimata, ſecundum regulas diuinitus promulgatas.

VII. *De Attone Virdunenſium Epiſcopo, qui contra regulas Eccleſiaſticas prouectus dicebatur.*

Mota eſt etiam quæſtio de Attone Viridunenſium Epiſcopo, quòd oblatione regulari, vnde petitio ibidem eſt præſentata, in Monaſterio ſancti Germani Autiſſiodorenſium extiterit, & contra regulas Eccleſiaſticas inde diſcedens, minus prouiſè, quàm ſacra auctoritas doceat, ad ordinem Epiſcopalem peruenerit. Vnde etiam definitum eſt, dari ſibi commeatus veniendi ad aliam Synodum, ſicut ſacra ſancit auctoritas.

VIII. *De litteris Synodi ad Epiſcopos Brittonum, qui à Metropolitano ſuo deſciuerant, & cum excommunicatis communicabant.*

Ad Epiſcopos ſiquidem Brittonum, qui ſe contra auctoritatem à Metropoli ſua moliuntur diſcindere, Synodus litteras ſecundum auctoritatem ſacram direxit, quatenus ad ſuam Metropolim redeant, eíque debito iure ſe ſubdant, nec à canonica & Epiſcopali communione ſe ſegregent. Excommunicatis etiam, ſicut ſacræ decernunt regulæ, nequaquam communicent: & Salomonem commoneant, vt promiſſam fidem glorioſo regi Karolo obſeruet, & ipſe, & Brittones excommunicatis communicantes ipſi ſe ſacra communione non priuent.

IX. *De litteris Synodi ad Brittones excommunicatos, quibus, niſi ſe corrigant, anathema intentatum.*

Ad memoratos quoque excommunicatos ſancta Synodus litteras dirigit, eiſque vſque ad proximam futuram Synodum corrigendi ſpatium tribuit, monens Eccleſiaſtica pietate, vt conuertantur & viuant: quia niſi ſe correxerint, in futura Synodo generali vnanimitate anathemate terribili ferientur.

X. *De Capitulis quibuſdam in Synodo relectis, de quibus inter Epiſcopos erat controuerſia.*

Relecta ſunt denique in eadem Synodo quædam Capitula, ſu-

per quibus quorumdam fratrum ſenſus diſſentire probantur. Vnde conuenit inter Epiſcopos, vt Deo fauente pace ac tranquillitate recuperata ſimul conueniant, & prolatis ſanctarum ſcripturarum atque catholicorum doctorum ſententiis, quæ ſaniora ſunt concordi vnanimitate ſequantur.

XI. *De conſeruando priuilegio Monaſterij S. Benedicti.*

Tandem poſtulauit humiliter generalis Synodus, ſe ad terrã vſque proſternens ante Karolum regem, & Rodulfum Biturigum Archiepiſcopum, obſecrans & adiurans per crucem & Chriſti ſanguinem, vt priuilegium Monaſterij S. Benedicti, quod annuente præfato rege firmauerant, quódque idem Rodulfus ſubſcripſerat, qui præfatam Abbatiam inregulariter retinebat, ratum & inconuulſum ſeruare ſtuderent. Quòd ſi Abbas negligens, & ſacris regulis inconueniens, per directos Miſſos inuentus fuerit, ab eadem paternitate remoueatur, & alius qui dignus repertus fuerit ſubſtituatur, & priuilegij regularis auctoritas in eodem Monaſterio quacumque occaſione non deſtituatur.

XII. *De aliis, quæ ſpecialiùs in eadem Synodo ſtatuta ſunt.*

Hæc de præcipuis in eadem ſacra Synodo fuere ſtatuta. Ceterùm ſpecialia de quibuſque parochiis, provt viſum fuit, ſecundum Eccleſiaſticam auctoritatem definita, & Epiſcopis in propriis parochiis ad exequendum ſunt commiſſa.

XIII. *De precibus, quas inter ſe condixerunt Epiſcopi, qui ad hoc Concilium conuenerant.*

Placuit omnibus, vt creditur inſtinctu diuino, qui ad vniuerſale Concilium in vicinia Tullenſium confluxerunt, quoniam calamitatum tædio laborabant, quo inuenirent aliquid vbi conſolationis gratia reſpirarent. Statuerunt itaque, vt pro ſe inuicem omnes dum aduiuerent preces huiuſmodi frequentarent. Scilicet vt ſinguli pro cunctis, per ſingulas hebdomadas feria IV. Miſſam celebrarent. Poſt vocationem autem cuiuſlibet eorum, ſuperſtites obtineant, vt pro eo qui deceſſerit, in ſedibus ſeptenæ Miſſæ, totidémque Vigiliæ Domino perſoluantur: à presbyteris autem Monaſteriorum, ſiue villarum, tres Miſſæ, totidémque Vigiliæ dependantur. Exitus autem vniuſcuiuſque viciſſim piis currentibus litteris innoteſcat. Præſentes etiam Abbates in tam profutura ſocietate recepti eadem ſe conditione iunxerunt.

II.

LIBELLVS PROCLAMATIONIS DOMNI Caroli regis, aduerſus Vvenilonem Archiepiſcopum Senonum, electis iudicibus Remigio Lugdunenſium, Herardo Turonorum, Vveniloni Rotomagenſium, & Rodulfo Biturigum Archiepiſcopis, in ſancta Synodo XII. *prouinciarum apud Tullenſem parochiam, in ſuburbano eiuſdem vrbis, quod dicitur Saponarias, propria ipſius manu porrectus, anno Incarnationis Domini* DCCCLIX. *Indict.* VII. XVIII. *Kal. Iulias.*

QVIA ſicut dicit S. Gregorius, & ex conſuetudine olitana cognoſcitis, in Francorum regno reges ex genere prodeunt, mihi à domno & genitore meo, piæ memoriæ Ludouico Auguſto, pars regni inter fratres meos reges diuina diſpoſitione eſt tradita. In qua parte regni vacabat tunc paſtore metropolis Senonum, quam iuxta conſuetudinem prædeceſſorum meorum regum, Vveniloni tunc clerico meo, in Capella mea mihi ſeruienti, qui more liberi clerici ſe mihi commendauerat, & fidelitatem ſacramento promiſerat, conſenſu ſacrorum Epiſcoporum ipſius Metropolis, ad gubernandum commiſi, & apud Epiſcopos, quantum ex me fuit, vt eum ibidem Archiepiſcopum ordinarent obtinui.

II. Poſt hæc de diuiſione regni inter me, & fratres meos ratio eſt exorta notiſſima, vnde partem diuiſionis cum mutuis, noſtris ſcilicet, noſtrorúmque fidelium ſacramentis, ſicut etiam primores regni totius inuenerant, tenendam & gubernandam ſuſcepi. Quam diuiſionem inter me & fratres meos de cetero à me ſubſtantialiter tenendam, ſicut & alij, qui ibi adfuerunt Epiſcopi, Vvenilo mihi fratribúſque meis propria manu iurauit: pacem etiam & mutuum adiutorium inter me & præfatum fratrem Ludouicum Vvenilo ſacramento firmauit.

III. Sed & poſt hoc, electione ſua, aliorúmque Epiſcoporum, ac ceterorum fidelium regni noſtri voluntate, conſenſu, & acclamatione, cum aliis Archiepiſcopis & Epiſcopis Vvenilo in diœceſi ſua, apud Aurelianis ciuitatem, in Baſilica S. Crucis, me ſecundum traditionem Eccleſiaſticam regem conſecrauit, & in regni regimine chriſmate ſacro perunxit, & diademate, atque regni ſceptro in regni ſolio ſublimauit. A qua conſecratione, vel regni ſublimitate, ſupplantari vel proiici à nullo debueram, ſaltem ſine audientia & iudicio Epiſcoporum, quorum miniſterio in regem ſum conſecratus, & qui throni Dei ſunt dicti, in quibus Deus ſedet, & per quos ſua decernit iudicia: quorum paternis correptionibus & caſtigatoriis iudiciis me ſubdere fui paratus, & in præſenti ſum ſubditus.

IV. Denique cùm ſeditiones in regno noſtro per homines irreuerentes cœperunt crebreſcere, conſenſu Epiſcoporum, ac ceterorum fidelium noſtrorum, chirographum inuicem conſcripſimus, qualiter ego erga eos cooperante Domino agere vellem, & qualiter mihi conſilio & auxilio iidem fideles noſtri ab inde poſtmodum ſolatium ferre debuiſſent. Cui ſcripto Vvenilo apud Baiemam villam propria manu ſubſcripſit, ſicut in præſenti videre poteſtis.

V. Deinde cùm contta paganos ad Inſulam loci, qui Oſcellus dicitur, cum fidelibus noſtris & terreno itinere, & nauigio ſicut ſciris perrexi, quidā à nobis deficientes fuga lapſi ſunt. Vvenilo autem, ſe pro infirmitate ſua illuc ire non poſſe dicens, ad ſedem ſuam reuerſus eſt. Dum autem in procinctu eo nos infirmi degeremus, frater noſter Ludouicus, ſicut ſciris, cum manu hoſtili, & ſeditioſis hominibus, ex regno ſuo regnum noſtrum irrupir. Ad cuius colloquium, ſine mea voluntate atque licentia, Vvenilo venit, quem ſupplantatorem meum eſſe cognoui, quod nemo Epiſcoporum ex regno noſtro alius fecit.

VI. De cetero, cùm contra prædictum fratrem meum, & inimicos meos ac vaſtatores Eccleſiæ, & depopulatores regni qui cum illo erant, cum fidelibus Dei ac noſtris perrexi, nec per ſeipſum, nec per debitum ſolatium, quod anteceſſores mei reges, & ego ipſe ex Eccleſia illi commiſſa habere ſolitus eram, aliquid adiutorij præbuit. præſertim cùm hoc deuorè ab illo petierim.

VII. Cùm autem ratio & neceſſitas mihi accidit, de villa Breona vt à prædicto fratre meo ſecederem, & ipſe frater meus Ludouicus ad hoc rediit in partem regni mei, vt mihi meum nepotem ſubriperet, & homines meos mihi ſubtraheret, ac fideles meos vaſtanter imprimeret; Vvenilo cum quo potuit ſolatio ad prędictum fratrem meum Ludouicum in meam contrarietatem venit. Cum quo erant excommunicati iſtius regni, & ſeditioſi, de quorum excommunicatione Coepiſcoporum ſuorum litteras acceptt: & Miſſas publicas fratri meo, cum quo ipſi ſeditioſi erant, in palatio meo Attiniaco, & parochia & prouincia alterius Archiepiſcopi fidelis noſtri, ſine ſua licentia, ac Coepiſcoporum conſenſu, Vvenilo excommunicatis vel excommunicatorum participibus celebrauit. Et in eo concilio atque conſilio fuit, quo nepos meus Lotharius per mendacia, quantum ex ſeductoribus ſuis, ſubriperetur, & debitum ac ſacramento promiſſum ſolatium, atque adiutorium ex illo mihi ſubtraherent.

VIII. Prædictis nihilominus fratris mei conſiliariis, & publicis ac ſecretis tractatibus, Vvenilo cum ſpecialibus familiaribus, & inter priores eius familiariter cum Epiſcopali iudicio, vt diximus, excommunicatis, & iudicio regni diiudicatis, interfuit: quatenus partem regni, quam idem frater meus, & Vvenilo mihi iurauerant, & in qua Vvenilo me regem ſacrauerat, ſæpefatus frater meus obtineret, & ego illam perderem.

IX. Vvenilo in eo conſilio & tractatu fuit, vt Epiſcopi, qui mihi fidei promiſſæ debitores erant, & conſilium atque auxilium manu propria confirmatum ferre debuerant, deficerent, & ad fratris mei Ludouici obſequium & ſubditionem ſe verterent.

X. De Abbatia S. Columbæ, & rebus vel honoribus regni mei, apud Ludouicum fratrem meum præceptum obtinuit, & litteras ad Miſſos, quo eandem Abbatiam reuocarent, Echardum & Theodoricum impetrauit. Sed in eiſdem litteris ad præfatos Miſſos, iuſſionem fratris mei Ludouici Vvenilo obtinuit, vt de muro Caſtelli Meloduni, quod ius regiæ eſt poteſtatis, petras haberent licentiam prehendere. Vnde conſtat, quòd in plebe iſtius regni mihi à Deo collati eum ſtudebat colere, & ſatagebat tenere.

XI. Vvenilo in eo conſilio & tractatu cum præfatis excommunicatis fuit, vbi conſideratum eſt, quatenus illi homines, qui mihi fideles erant, & mihi ſacramento fidelitatem promiſerant, ſiue nolentes, ſiue volentes fratri meo Ludouico iurarent, vt ei adiutorium ferrent, qualiter regnum meum contra me obtinere potuiſſet. & non ſolùm conſilio Vvenilo interfuit, ſed & ipſe hoc idem conſilium fratri meo Ludouico contra meam fidelitatem, quam mihi promiſit ſacramento, donauit.

XII. Vvenilo per ſe, & per familiares ſuos, ſupradictos ſcilicet excommunicatos, apud fratrem meum Ludouicum obtinuit, vt vacans Epiſcopatus, Baiocacẽſis ſcilicet ciuitatis, propinquo ſuo, clerico meo, nomine Tortoldo, qui mihi ſe commendauit, & fidelitatem ſacramento promiſit, donaretur. qui eumdem Epiſcopatum in mea infidelitate, & contra fidelitatem mihi promiſſam, conſenſu Ludouici fratris mei accepit.

XIII. Tandem poſtquam mihi Deus vires recuperandi mei, per ſolatium fidelium meorum, contra fratrem meum donauit, perrexi propè de ciuitate Vvenſlonis, qui me contra fratrem meum ad recuperandum regnum meum pergere ſciuit, & nullum adiutorium vel per ſe, promiſſo ac ſubſcripto conſilio, vel per militiam, quæ ex Eccleſia ſibi commiſſa ſolet exire, adiutorium aliquod præſtitit.

III.

EPISTOLA SYNODALIS AD Vvenilonem Archiepiſcopum.

DILECTO & venerabili Vveniloni Senonum Metropolitano, Remigius Lugdunenſium Metropolitanus Epiſcopus, Rodulfus Biturigum Metropolitanus Epiſcopus, Guntarius Agrippinenſium Metropolitanus Epiſcopus, Hincmarus Remorum Metropolitanus Epiſcopus, Arduicus Veſontionum Metropolitanus Epiſcopus, Teutgaudus Treuerorum Metropolitanus Epiſcopus, Vvenilo Rotomagenſium Metropolitanus Epiſcopus, Herardus Turonum Metropolitanus Epiſcopus, Immo Nouiomagorum Epiſcopus, Ionas Æduorum Epiſcopus, Vngerus Traiectenſis Epiſcopus, Ebbo Gratianopolitanus Epiſcopus, Fredebertus Baſilienſis Epiſcopus, Arnulfus Tullenſis Epiſcopus, Rothadus Sueſſionum Epiſcopus, Ermenfridus Bellouacenſis Epiſcopus, Aduentius Metenſis Epiſcopus, Atto Virdunenſis Epiſcopus, Abbo Autiſiodorenſis Epiſcopus, Æneas Pariſij Epiſcopus, Rataldus Argentarienſis Epiſcopus, Erpuinus Siluanectenſium Epiſcopus, Giſlebertus Carnotẽſis Epiſcopus, Guntbertus Ebrocenſis Epiſcopus, Ratbertus Valentinenſis Epiſcopus, Franco Tungrenſis Epiſcopus, Agius Aurelianorum Epiſcopus, Hildegarius Meldenſis Epiſcopus, Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, Erchanraus Catalaunenſis Epiſcopus, Rotbertus Cenomannenſis Epiſcopus, Erloinus Conſtantiæ Epiſcopus, Abbo Maurogenſis Epiſcopus, Hildedrandus Sagenſis Epiſcopus, Airardus Lexouienſis Epiſcopus, Vvaltbertus Abrincatenſis Epiſcopus, Godelſadus Cabilonenſis Epiſcopus, Iſaac Lingonenſis Epiſcopus, Erchambertus Baiocenſis Epiſcopus, Hilmeradus Ambianenſis Epiſcopus, & multi alij Epiſcopi, qui ad vniuerſale Concilium in ſuburbano

bano Tullenſi conuenerunt, in Domino ſalutem. De inſtauratione pacis totiúſque ſtatus Eccleſiaſtici redintegratione conferentibus nobis, glorioſus rex domnus noſter Karolus XVIII. Kal. Iulias ſubmiſsè vnanimitatem noſtram adiit implorans, vt quæ à vobis vehementer indebitè paſſus eſſet cognoſceremus, & maculam noſtri ordinis iuſto iudicio tergeremus. Imputat, quòd cùm iureiurando fidei à vobis accepto Senonum præſularum vobis largitus ſit, & in diuiſione regni iuramentum cum aliis feceritis pacis & alterni adiutorij inter ſe & fratrem Hludouuicum perpetuitate, ſacramento priùs à vobis firmata: cumque veſtra electione, & aliorum Epiſcoporum, ceterorúmque fidelium conſenſu, in regem à vobis ſit diuina gratia conſecratus, ac chirographo, quod veſtræ fidei qualitatem & immobilitatem erga ſe continet, illius verò in vos firmam beneuolentiam, ad omnes ſiniſtras ſuſpiciones vtrimque abolédas compoſito ſubſcripſeritis, quod omnes abſque recuſatione fecerunt dumtaxat fideles. Poſt reperita toties ſacramenta, in procinctu contra paganos veſtro eum veſtrorumque deſtitueritis auxilio, & Hludouuico fratri, impulſu ſeditioſorum regnum inuadenti, ſoli omnium Epiſcoporum ſponte accedentes, eius inſuſſu fueritis conlocuti. Se verò contrà eumdem fratrem, & vaſtatores patriæ proficiſcentem, conſueta Eccleſiæ veſtræ priuaueritis militia, quam ſupplex ipſe à vobis popoſcerat. & poſt diſceſſum à Breona, ad fratrem, cum quo erant excommunicati, in eius damnum acceſſeritis, & in eo concilio fueritis, quo Lotharius rex nepos confictis mendaciis eius auxilio ſubtrahebatur: & familiariter interfueritis Hludouuici fratris conſiliis publicis & priuatis, quibus ei partem regni parabat ſubripere, pro qua obtinenda vterque veſtrûm ei iurauerat. Ei quoque, in quo tractabatur, vt Epiſcopi à ſe deficerent, & ad dominationem Hludouuici tranſirent. Imputat præterea, quòd Monaſterium S. Columbæ à Hludouuico imperraueritis, & de aſſignatione eius litteras ad Miſſos Echardum & Theodoricum. Saxa quoque muri Meledunenſis caſtelli à Hludouuico popoſceritis. vnde ſatis claruerit eum potiùs principem, quàm ſe illo vos tempore adprobaſſe atque duxiſſe. Quòd id etiam conſilium dederitis, vt fideles eius ſacramento conſtringerentur, quo occupatum regnum Hludouuico contra ſe tuerentur: & quòd vacantem ſedem Baiocacenſium Tortoldo propinquo veſtro à Hludouuico obtinueritis. & poſtquam ſe virtus diuina annisu fidelium in regnum reſtituerit, & id aduerſus fratrem ſibi cœperit vindicare, nullum ei per vos, aut militares Eccleſiæ veſtræ, præſtiteritis ſuffragium. Hæc pleniùs in libello comprehenſa glorioſus rex nobis obtulit, quæ ſtrictim vobis fide integra expreſſimus, ne ex improuiſo obiecta ampliùs perturbarent. Elegit autem terminandæ querelæ iudices me Remigium, & Vvenilonem Rotomagenſium, & Heraidum Turonum, & Rodulfum Bituricum Epiſcopos, ceteris noſtrum iudicium ſuo conſenſu adprobaturis. Proinde, frater cariſſime, à tempore quo litteras has acceperis, poſt diem XXX. quocumque euocatus fueris, ita canonicè inſtructus occurre, vt defenſionis tempore ac loco accepto, ſi conſcientiæ, quod plurimum optamus, confidis, ſuffragante veritate probabiliter obiecta diſſoluas: ſin autem in defenſione defeceris, ſententias à maioribus inſtitutas excipias.

Accuſatus Epiſcopus quemadmodum ſit euocandus. ex Concilio Carthaginenſi cap. xix.

Avrelius Epiſcopus dixit: Quiſquis Epiſcoporum accuſatur, ad primatem prouinciæ ipſius cauſam deferat accuſator: nec à communione ſuſpendatur cui crimen intenditur, niſi ad cauſam ſuam dicendam electorum iudicum die ſtatuta litteris euocatus minimè occurrerit, hoc eſt infra ſpatium menſis, ex ea die qua eum litteras accepiſſe conſtiterit. Quòd ſi aliquis veras neceſſitatis cauſas probauerit, quibus eum occurrere non potuiſſe manifeſtum ſit, cauſæ ſuæ dicendæ intra alterum menſem integram habeat facultatem. verùm tamdiu poſt menſem ſecundum non communicet, donec purgetur. Sin autem nec ad Concilium vniuerſale anniuerſarium occurrere voluerit, vt vel ibi cauſa eius terminetur, ipſe in ſe damnationis ſuæ ſententiam dixiſſe iudicetur. Tempore ſanè quo non communicat, nec in ſua Eccleſia vel parochia communicet. Accuſator autem eius, ſi numquam diebus cauſæ dicendæ defuerit, à communione non remoueatur. Si verò aliquando defuerit ſubtrahens ſe, reſtituto in communionem Epiſcopo, ipſe remoueatur à communione accuſator: ita tamen, vt nec ipſi adimatur facultas cauſæ peragendæ, ſi ſe ad diem occurrere voluiſſe, ſed

4. q. 4. Illud verò placuit. non potuiſſe probauerit. Illud verò placuit, vt cùm agere cœperit in Epiſcoporum iudicio, ſi fuerit accuſatoris perſona culpabilis, ad arguendum non admittatur, niſi proprias cauſas, non tamen Eccleſiaſticas, aſſerere voluerit. Obiectio. In tua conſpiratione vita mea periclitata eſt: & niſi mihi Dei pietas ſubueniſſet, etiam viuenti fœda regni accidiſſet amiſſio. Primo ex Concilio Carthaginenſi quærendum eſt in iudicio, cuius ſint conuerſationis & fidei is qui accuſat, & is qui accuſatur. Deinde

Cap. 12. oſtendendum canonicè inſtructam cognitionem. *Ex Concilio eodem.* Felix Epiſcopus dixit: Suggero ſecundum ſtatuta veterum Conciliorum, vt ſi quis Epiſcopus, quod non optamus, reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia neceſſitas non poſſe plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à xii. Epiſcopis, presbyter à vi. Epiſcopis cum proprio ſuo Epiſcopo audiatur, & diaconus à tribus. *Tum niſi efficax ei occurrat defenſio, inferendum iudicium.* Ex Concilio Calchedonenſi cap. xviii. Coniurationis vel conſpirationis crimen & ab exteris legibus eſt omnino prohibitum: multo

11. q. 1. Si qui clerici. magis hoc in Dei Eccleſia ne fiat admonere conuenit. Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint coniurantes, aut conſpirantes, aut inſidias ponentes Epiſcopis aut clericis, gradu proprio penitus abiiciantur.

Obiectio. Celebraſti Miſſas excommunicatis præter conſenſum Epiſcoporum, qui eos propter crimina ab Eccleſia remouerunt. *Item, niſi probabilis reddatur defenſio, ſequitur iudicium.* Ex Concilio Carthaginenſi cap. ix. Auguſtinus Epiſcopus dixit: Hoc ſtatuere dignamini, vt ſi qui fortè merito facinorum ſuorum ab Eccleſia pulſi ſunt, & ſiue ab aliquo Epiſcopo, vel presbytero, fuerint in communionem ſuſcepti, etiam ipſe cum eis pari crimine teneatur obnoxius, refugiens ſui Epiſcopi regulare iudicium. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt, omnibus placet. Obiectio. Sacramenta in cauſis, quæ tibi opponuntur, ſæpiſſimè violaſti. *Niſi pro-*

texerit recipienda defenſio, ſequitur iudicium. Ex decretis Papæ Gelaſij. Comperimus etiam horrendis quibuſdam criminibus implicatos, tota diſcretione ſummota, non ſolùm de factis atrocibus neceſſariam pœnitudinem non habere, ſed nec aliqua correctione penitus ſuccedente ad diuinum miniſterium honorémque conſcendere. Nonnullos autem in ipſis ordinibus conſtitutos, grauibus delinquentes facinoribus non repelli. cùm & Apoſtolus clamet, nemini citò manus imponendas, nec communicandum peccatis alienis; & maiorum veneranda conſtituta pronuntient, huiuſmodi, etiam ſi fortè ſubrepſerint, tam qui antè peccauerunt, detectos oportere depelli, quàm ſacræ profeſſionis oblitos, præuaricatores ſancti propoſiti proculdubio ſummouendos. DE ACCVSATO ET ACCVSATORE. Ex Concilio Catthaginienſi. Item placuit, vt accuſatus vel accuſator in eo loco, vnde eſt ille qui accuſatur, ſi metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum ſibi eligat proximum, quò non ſit difficile teſtes perducere, vbi cauſa finiatur. DE CONTEMPTV IVDICII. Ex epiſtola Papæ Bonifacij. Probat vera eſſe illa quæ aduerſum ſe dicta ſunt, qui ad ea confutanda adeſſe minimè vult: & nullus dubitat, quòd ita iudicium nocens ſubterfugit, quemadmodum vt abſoluatur qui eſt innocens quærit. Sed aſtuta cauillatio eorum, qui verſutis agendum credunt eſſe conſiliis, numquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus, quiſquis ſe ſubterfugere iudicium dilationibus putat. Veniet tamen aliquando ille, qui talis perhibetur, in medium: nec proderit illi toties latuiſſe, toties ſubterfugiſſe, quem ſui actus & commiſſa, quocumque fugerit, ea quæ obijciuntur illi, ſi vera ſunt, crimina proſequuntur. Vt ſi adeſſe voluerit, præſens, ſi confidit, ad obiecta reſpondeat: ſi verò adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur. Nam manifeſtum eſt confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato iudicio, purgandi ſe occaſione non vtitur. Nihil enim intereſt, vtrùm in præſenti examine omnia quæ dicta ſunt comprobentur, cùm ipſa quoque pro confeſſione procurata toties conſtet abſentia. CONCILIVM SARDICENSE. Gaudentius Epiſcopus dixit: Addendum ſi placet huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſti, vt cùm aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit agendum ſibi negotium in vrbe Roma, alter Epiſcopus in eius cathedra poſt appellationem eius, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Epiſcopi Romani determinata. EX CONCILIO TOLETANO. Dignum eſt, vt vita innocens nulla maculetur pernicie accuſatoris. Ideo quiſquis à quolibet criminatur, non antè accuſatus ſupplicio detur, quàm accuſator præſentetur, atque legum & canonum ſententia exquiratur. Quòd ſi indigna ad accuſandum perſona inuenitur, ad eius accuſationem non iudicetur, niſi vbi pro capite regiæ maieſtatis cauſa verſatur.

Cap. 18. — Can. 10. — Epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ. — Cap. 4. — Conc. Tolet. VI. can. XI.

IV.

EPISTOLA SYNODI AD EPISCOPOS BRItonum, qui à Metropolitano ſuo deſciuerant, & cum excommunicatis communicabant.

Vt ſe atque alios ab his exceßibus reuocent, & Salomonem de ſubditis capitibus commoneant.

SYNODVS vniuerſalis collecta ex Gallia & Germania in ſuburbio Tullenſi, villa Saponarias, Remigius Lugdunenſium, Vvenilo Rotomagenſium, Herardus Turonum, Rodulfus Biturigum, Hincmarus Remorum, Guntarius Agrippinenſium, Arduicus Veſontionis Metropolitani Epiſcopi, cum multis aliis Epiſcopis, Faſtcario, V.vernario, Garurbrio, Felici in Domino ſalutem. QVO plura emergunt in populo Dei noxia, & Epiſcopali diligentia recidenda, ad hoc plures & frequentiùs neceſſe eſt conuenire pontifices, ne miniſterij ſacerdotalis nomen fruſtra comprobentur geſtare. Hac intentione confluximus ad memoratum locum, vt fida collocutione, quid nobis in tantis periculis & tribulationibus agendum ſit, ſollicitè quæreremus, & ſancto Spiritu demonſtrante inueniremus. Ad hanc conlocutionem vos, præſertim euocatos, non cucurriſſe moleſtiùs tulimus. Decuerat enim, vt quorum eſt vnum officium, par ſtudium probaretur. Sacris inſtituti canonibus non ignoramus, Metropolitano veſtro, cariſſimo fratri noſtro Herardo, competentem reuerentiam vos debere, ita vt præter eius præſentiam, aut conſenſum, nullus in regione veſtra canonicè poſſit ordinari Epiſcopus, nec vos generale aliquid ſine eius conſenſu poſſe ſancire. De qua reuerentia, ſalubriter à vobis & à gente veſtra Metropolitano impendenda, tempore Nomenoij ducis, & reuerentiſſimi Papæ Leonis, & ſucceſſoris eius Benedicti, ſcripta docuerunt, & refragantibus Apoſtolicæ auctoritati dignam excommunicationis protulerunt ſententiam. Mouet etiam nos, quòd iis, quos veſter Metropolitanus cum aliis Epiſcopis, propter diuerſa crimina excommunicauit, indifferenter vos communicare comperit. In canonibus autem diuinitus inſtitutis ſocij excommunicatorum eorumdem ſententia feriuntur. Proinde monemus ſanctam nobíſque amabilem fraternitatem veſtram, vt ab his exceſſibus vlteriùs temperetis, & veſtra inſtantia, opitulante Dei gratia, gentem veſtram ad olim traditæ diſciplinæ, ac totius Eccleſiaſticæ religionis obſeruantiam inuitetis, & vnanimiter & conſtanter abſque dilatione reducatis. Siquidem etiam illis obſeruandum eſt, ne damnatorum illicita ſocietate certam ſententiam damnationis incurrant. Quæ autem à nobis diligentiore tractatu reperta ſunt atque decreta, venerabilis Coepiſcopi Herardi relatione diſcetis. Verùm ſi quòd non optamus, ab eiuſdem Metropolitani ſollicitudine vlteriùs reſilieritis, & noſtris ex caritate manantibus exhortationibus vos conſtiterit reluctari, miniſterij neceſſitate canonicam in vos cogemur proferre ſententiam. Bene valete, & orate pro nobis.

INDICVLVS QVIBVS DE REBVS *Salomonem commonere debeant.*

Placvit vniuerſali Concilio, vt Salomoni, qui Britannorum tenet regionem, ſuggeratis, vt quæ pro eius ſalute mandamus obedienter audiat, ſi Deum vult habere propitium, & noſtræ vnanimitatis tenere conſortium. Vt permittat totius Britanniæ Epiſcopos debitam reuerentiam Metropolitano inferre. Vt facultates Eccleſiaſticas nec ipſe Deo auferat, nec aliis auferre permittat. Vt conſideret quanto animæ ſuæ periculo Britannorum dominationem inuaſerit, cùm domno noſtro regi Carolo fidelitatem priùs iurauerit. Vt recordetur gentem Britannorum Francis ab initio fuiſſe ſubiectam, & ſtatutum dependiſſe tributum, ac per hoc non dedignetur ad nuper omiſſam reuerti conſuetudinem. Vt proprietates à parentibus relictas, vel quolibet modo rationabiliter adquiſitas, iuſtos poſſeſſores habere permittat. Niſi enim ſe ab hac audacia, & impietate retraxerit, & diuina pœnitudine deleuerit quod deliquit, noſtræ auctoritatis affectu nobis admonentibus, citò ei Deus vſurpatam auferet poteſtatem, & debitam inferet vltionem. Vt pro diuerſis criminibus canonicè excommunicatos ne recipiat, ſuadete; oſtendentes diuino iudicio, ſi id præſumpſerit, pari eum vindicta conſtringi.

V.

EPISTOLA SYNODI AD BRITONES propter varia ſcelera communicatos.

Vt deſiſtant, ne, ſi perſtiterint, anathemati ſubijciantur.

Vniversalis Synodus ex diuerſis partibus in nomine Domini ad vicinum locum Tullenſi vrbi, qui dicitur Saponarias, congregata, vtinam bonis filiis, Rotberto, Odoni, Heriueo, Truando, Ingelboldo, Frotmundo, item Heriueo, Magenardo, Cadoloni, & ceteris in veſtra ſocietate coniunctis, ſalutarem conuerſionem. Propter diſſenſiones, & diuerſas contentiones, quæ in veſtris regionibus exortæ ſunt, longum tempus eſt, quòd voluimus venire in vnum, & dolorem noſtrum oſtendere: quòd propter veſtram omnium peruerſitatem talem vindictam ponit Deus ſuper nos, qualis non eſt audita ante nos, poſtquam Deus ſua gratia poteſtatem dedit regibus & genti Francorum. Ipſe Deus nos in vnum adduxit, vt vel flagellati diuerſis tribulationibus recogitemus peccata noſtra, vt nos primùm cõuertamur ad ipſum, & alios ad eum noſtra prædicatione & exẽplo adducamus. Et oramus omnes cum gemitu, & nimio dolore, & qui poſſumus cum lacrymis, vt reſpiciat nos vltimos ſeruos ſuos ad ſe volentes redire, & dignetur nobis præſtare, vt quod aliis prædicamus, ipſi quoque faciamus. quia ſic dicit ipſe Saluator noſter, *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Matth 7. 21. Hæc eſt noſtra intentio. Vos nolite attendere, quòd reprehenſibiles ſumus: ſed quod miniſtri Dei ſumus. In his quæ bene vobis dicimus, audite Dominum præcipientem,

Matth.23.3. *Quæ dicunt facite.* In his quæ malè facimus, audite iterum ipſum præcipientem, *Quæ faciunt facere nolite.* Doctrina enim Dei à nobis indignis bene vobis adnunciata, ſi obedieritis, vobis proderit, quaſi ex beato Petro principe Apoſtolorum eam audieritis, & erit vobis ſaluatio: nobis autem, ſi non obſeruauerimus quod aliis præcipimus, erit damnatio. In commune deſeruimus cultum Dei. Quidam ex nobis mandata Dei, & minas eius, atque promiſſiones cognoſcimus, ſed non timemus, neque amamus: quidam neque cognoſcere dignamur. & vtrique ſumus magno periculo, niſi conuertamur, antequam moriamur. Mors noſtra incerta eſt vnicuique noſtrûm, & certa eſt vindicta Dei, & in proximo, niſi conuerſio & pœnitentia nobis ſubuenerit. Propterea nos humiliamus, licet omnes tales non ſimus, vt vos nobiſcum ad Dominum adtrahamus. Fratres, audite & in-
Matth.25.13. telligite quid Deus dicat omnibus ſuis fidelibus: *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.* Quod propterea dicit, vt ſuſpectam ſemper habeamus mortem, quam effugere non valemus, & ad eam vincendam ſemper præparemur, quam ſcimus nulli eſſe præcognitam, & omnibus aduenturam.
Matth.6.12. Peccata noſtra quotidiana ſunt. vnde quotidie dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra*: ſed non debent eſſe mortifera, id eſt criminalia, de quibus di-
Ezech.18.20. citur per prophetam, *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* & per Apoſtolum
Gal.5.21. Paulum, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Fratres & filij, audite nos nunc piè monentes, ne in iudicio Dei, quando non erit pœnitentiæ locus, audiatis, quod ipſe Deus auertat, iuſtè & veraciter accuſantes. Primò cognoſcite, quia in diſcordia eſtis, & diſcordia tam grande eſt malum, quòd oblatio, quæ ſolet alia peccata delere, non recipitur à Deo, donec diſcordia deponatur, & ad bonam concordiam redeatur. Hoc vobis notum eſt ex Euangelio. Etiam ſapientes mundi intellexerunt, & bene docuerunt, quia paruæ res per concordiam creſcunt, & maximæ res per diſcordiam corruunt. Quòd verùm eſſe probatur in nobis, qui regnum Francorum, cùm in concordiâ eſſet, magnum vidimus, & nunc, cùm eſt in diſcordia, iam pene nullum videmus. Cariſſimi, videte ne de tanto malo vos ſitis capita, ne pro eo cogamini debita ſuſtinere tormenta. Deus dicit
Matth.18.6. in Euangelio, *Quiſquis ſcandalizat vnum ex puſillis, melius erat ei, vt alligata mola mergeretur in profundum maris.* Vos ſcandalizatis innumerabilem multitudinem. In quanto & in quàm incomparabili eſtis periculo, & iudicio Dei, qui alios inquietatis & opprimitis? In præſenti vita non habetis quietem, nec vllam ſecuritatem: in futuro autem habebitis ineuitabilem damnationem. Quæritis quæ ſit illa damnatio? Ignis eſt æternus, quo omnes
Matth.25.41. impij punientur. Sic enim dicit Deus ſe dicturum impiis, *Ite in ignem.* & non ſtetit vt finiret ſententiam: ſed addidit, *æternum.* vt quem non terret tanti ſupplicij atrocitas, mittat eum in pauorem numquam finienda ſupplicij perpetuitas. Per Eſaiam de impiis Deus dicit, *Vermis eorum non morie-*
Eſa.66.24. Eccl.7.19. *tur, & ignis eorum non extinguetur.* & per aliam ſcripturam, *Vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Anima impiorum, credite nobis auctoritatem diuinam vobis explanantibus, patietur vermem, id eſt morſum infructuoſæ pœnitentiæ; & corpus impiorum ad augmẽtum tormenti patietur vermis corporalis morſum, & ignem ipſum corpus ſemper ſuccendentem, & numquam finientem. Attendite actus veſtros. Nulla lege viuitis: nec illa, quam

homines ad conſeruandam præſentem pacem præfixerunt; nec illa, quam
ad tenendam præſentem iuſtitiam, & ad promerendam cæleſtem gloriam
diuinæ litteræ docuerunt. Omnes abſque reuerentia rapinam facitis; &
Apoſtolus Paulus dicit, *Quia rapaces regnum Dei non poſſidebunt.* & diues 1.Cor 6.10.
purpuratus non propterea arder in inferno, quòd Saluator eum referat
crudeliter aliena rapuiſſe, ſed miſericorditer propria indigenti non tri-
buiſſe. Vnde exiſtimate quanta pœna cruciabitur, qui aliena diripit, ſi in-
ferni igne damnatur, qui petenti propria denegauit. Plurimi veſtrûm,
abiecto timore Dei, templa violant, vaſa Dei & in diuerſis ſpeciebus the-
ſaurum auferunt, & depoſita, id eſt commendata propter paganorum in-
curſionem ab aliis Eccleſiis, in ſuos vſus transferunt, & ſacrilegium iam pu-
blicè ſine timore committunt. Poſſeſſiones Eccleſiæ, id eſt villas, quæ datæ
ſunt Deo ab his qui ante vos Chriſtiani fuerunt propter redemptionem
animarum, & propter templorum Dei inſtaurationem, & eorum victum
& veſtimentum, qui ſine ceſſatione laudes Deo perſoluunt, & propter ſti-
pendium pauperum, & ſi opus eſſet redemptionem captiuorum, vos Deo
aufertis, & quia ſtatim non vindicat, quaſi cum ſecuritate poſſidetis. Do-
mini eſt terra & plenitudo eius, & quicumque Deo aliquid obtulit, nihil
ei dedit, niſi quod ab eo accepit. Vt tamen ſciamus eum noſtram deuotio-
nem non faſtidire, quaſi noſtrum accipit, quod ipſe dedit. Sic enim digna-
tur promittere ſe dicturum pietatem impendentibus proximis: *Hoſpes fui,* Matth.25.35.
*& ſuſcepiſtis me: nudus, & operuiſtis me. eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſi-
tiui, & dediſtis mihi bibere.* quaſi ea ex ſuo largiantur, qui hæc manifeſtè di-
uino munere perceperunt. Tam nefarium ſcelus, quo præſentibus & fu-
turis nocetis, iam vindicaret quia iuſtus eſt, niſi eſſet & patiens. Sed vtinam
omnes talia agentes eius patientia ad pœnitentiam adducat, quia in præ-
ſenti tempore ſecundum Apoſtolum Paulum, patientia Dei ad pœniten- Rom 2.4.
tiam vos inuitat. Sed ſi in his & ſimilibus facinoribus perdurauerimus,
quanto nunc eſt mitior eius patientia, tanto erit durior poſtea inflexibi-
lis vindicta. Dei vox eſt, *Tacui, numquid ſemper tacebo?* id eſt, in hac vita Eſa.42.14. iuxta LXX.
quieſco, in altera vindicabo. Vindictam illaturus quidem dicturus eſt,
Audiſtis me præcepiſſe, *Non concupiſces rem proximi tui.* rem proximi ve- Exod.20.17.
ſtri ſi concupiſtis, quia non auſi eſtis, aliquando non abſtuliſtis. meam
non ſolùm concupiſtis, ſed ad meum contemptum audaciſſimè vobis vin-
dicaſtis; & plus timuiſtis ſeruum, quàm me Dominum. Ergo meus con-
temptus, & veſtra, quæ radix fuit omnium malorum, cupiditas vos merget
in tartarum. Non permittat Deus, vt hæc audiatis in futuro, ſed potiùs
audiatis in præſenti, nobis dicentibus in auribus veſtris, Dominum dicen-
tem in cordibus veſtris, Conuertimini ad me, & ſalui eritis. Plurimi ve-
ſtrûm fornicationes & adulteria ſine timore diuino, & ſine humana ve-
recundia faciunt. Audiant Apoſtolum dicentem, *Fornicatores & adulteros* Hebr.13.4.
vindicabit Deus, id eſt damnabit. Audiant etiam eumdem dicentem, *Hor-* Hebr 10.31.
rendum, id eſt timendum, *eſt incidere in manus Dei viuentis.* Homicidia cru-
deliſſimè exercent, & creaturam diſſipant, quæ facta eſt ad imaginem Dei,
ad eius iniuriam qui creauit. Sancti Dei, qui ante nos Eccleſiam rexerunt,
eos qui voluntarium homicidium fecerint, pœnitentiam quamdiu viue-

rent facere ſtatuerunt, & vt numquam acciperent ſanctam communionem, niſi in finepro viatico, decreuerunt. De vno homicidio hoc ab illis eſt confirmatum: nobis quid faciendum eſt, quibus nuntiatur multos à ſingulis trucidatos? Incendiarij Chriſtianorum villas incendunt, & plurimorum damnis atque mortibus faciunt ſe dignos incendio ſempiterno. Epiſcopos ad matrem Eccleſiam reuocantes non auditis, miniſtros eorum affligitis, monachos & ſanctimoniales penuria opprimitis: agricolas, quorum labore viuitis, fame torquetis. à Deo, & bonis operibus, his & aliis inauditis ſceleribus vos ſeparatis. Sed video cui vos iungitis. Deus

Matth.5.9. dicit, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Si pacifici eſtis, filij Dei eſtis, & eritis: ſi pacifici non eſtis, manifeſtum eſt, quia nec filij Dei eſtis.

Ioan 8.47. Saluator dicit, *Qui eſt ex Deo, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Si verba Dei aure corporis auditis, & aure mentis percipitis, vt opere compleatis, ex Deo eſtis: ex Deo autem non eſtis, ſi iſta negli-

Ibid.44. gitis. Abſit, vt inter eos numeremini, quibus ipſe Dominus dicit, *Vos ex patre diabolo eſtis.* Deus ſibi obedientibus dabit ſeipſum, vt intelligatur, & habeatur, & ſit gaudium ſempiternum in regno cælorum. Diabolus ſibi obedientibus hoc præſtabit, vt cum eo mergantur in ignem æternum. Cariſſimi, dum tempus eſt, fugite ſeductorem, & ſequimini ſaluatorem.

Matth.16.26. Sitis illius qui vos fecit, non illius qui vos decepit. Dominus dicit, *Quid prodeſt homini, ſi lucretur vniuerſum mundum, ſeipſum autem perdat, & detrimentum ſui faciat?* Quod propterea dicit, quia nihil prodeſt homini, ſed multum nocet, ſi adquirat totum mundum, & perdat ſeipſum. Quod ſine offenſione Dei habere non poſſumus, vt Dei amatores habere nolimus. Iſta quæ in hoc ſæculo videntur, ſecundum auctoritatem diuinæ ſcripturæ temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna. Ne peccemus in ſuperflua dilectione temporalium, ne amittamus beatitudinem æternorum.

Eccl.7.40. Vnicuique noſtrûm Deus dicit, *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Si imparati fuerimus, ab his quæ licitè amamus iniquitè abſtrahemur: & quæ ſuauia nobis ſunt, erunt aſperrima. Nihil proderit pompa ſæculi, non adiuuabunt propinqui, nec vlli carnales amici, & magna peccata, quæ non deleuerimus per pœnitentiam, compellent nos ſuſtinere æternam vindictam. Paterna pietate minas Dei, & promiſſiones vobis proponimus, vt ab omnibus vitiis, quæ pacem præſentem & futuram gloriam tollunt, cum feſtinatione recedatis, & ad Dominum ex toto corde conuerſi faciatis bona opera, quibus ſpem ſalutis habere poſſitis. Pro criminibus, quæ ſuperiùs expoſita ſunt, vos excommunicatos à quibuſdam Epiſcopis comperimus. Sed ipſis intercedentibus damus ſpatium, vt ad noſtram piam admonitionem deponatis mortiferam ſocietatem, & peccatorum conſuetudinem: ne fortè, ſi in veſtra contumacia perſtiteritis, cogamur vos anathemare generali contra noſtram voluntatem propter miniſterij neceſſitatem ferire.

DECRETA

VI.

DECRETA SEV CANONES SYNODI Lingonenſis, in Synodo apud Saponarias relecti.

HÆC DECRETA SYNODICA OBTVLERVNT eidem conuentui, & regibus adſidẽtibus, Remigius, Agilmarus, Ebbo, & ceteri Coepiſcopi eorum, qui ante quindecim dies in Andemantunno Lingonum, cum rege ſuo Karolo congregati confirmauerunt.

Nunc primùm in lucem edita ex Codice Bibliothecæ Vaticanæ.

TITVLI CANONVM.

Primi ſex iidem ſunt eum primis Concilij Valentini III.

7. *Vt Concilia Epiſcoporum ſaltem ſemel quotannis fiant: & in palatiis ſaltem ſemel intra biennium generalis Epiſcoporum conuentus agatur.*

8. *De ordinationibus Epiſcoporum & ſacerdotũ.*

9. *Vt Epiſcopi Monaſteria ſtrenuè viſitent & diſponant.*

10. *De ſcholis ſacræ ſcripturæ, & humana litteraturæ, inſtituendis.*

11. *De Eccleſiis inſtaurandis.*

12. *Vt vnicuique congregationi profeßiones ſua liceat habere prælatos.*

13. *De nonis ac decimis per eos ſoluendis, qui Eccleſia poſſeßiones retinent.*

14. *Vt hoſpitalia vſibus ad quos ſunt inſtituta reſtituantur.*

15. *Vt miſeris per idoneos iudices iuſtitia reddatur.*

16. *De raptoribus, adulteris, & rapacibus coërcendis.*

CANONES.

I. *Quod nouitates vocum omni ſtudio vitandæ ſint.*

QVIA doctorem gentium in fide & veritate fideliter commonentem, obedientérque audimus, &c. *vt in Synodo Valentina can. 1.*

II. *De æterna Dei præſcientia bonorum & malorum.*

Deum præſcire & præſciſſe æternaliter, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali ſunt geſturi, &c. *vt in Synodo Valentina can. 2.*

III. *De prædeſtinatione Dei electorum ad vitam, & impiorum ad mortem.*

Sed & de prædeſtinatione Dei placuit, & fideliter placet, iuxta auctoritatem Apoſtolicam quæ dicit, &c. *vt in Synodo Valentina can. 3.*

IV. *De redemptione ſanguinis Chriſti, & de* XIX. *Capitulis cuiuſdam Scoti.*

Item de redemptione ſanguinis Chriſti, propter nimium errorem, qui de hac cauſa exortus eſt, ita vt quidam &c. vſque *ad multorum exhaurienda peccata.* Porrò Capitula numero XIX. ſyllogiſmis ineptiſſimè ac mendaciſſimè à quodam Scoto concluſa, vbi non argumentum fidei, ſed potiùs commentum perfidiæ paret, nulla omnino philoſophiæ arte, vt arrogantèr à quibuſdam iactatur, conſtructum, ſed inani fallacia & deceptione imperitiſſimè confuſum, à pio auditu fidelium penitus explodimus. &c. *vt in Synodo Valentina can. 4.*

V. *Quòd omnes regenerati à peccatis ablati ſint, non tamen omnes ſalui ſiant.*

Item firmiſſimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu ſancto regenerata, &c. *vt in Synodo Valentina can.5.*

VI. *De gratia & libero arbitrio.*

Item de gratia per quam ſaluantur credentes, & ſine qua rationalis creatura numquam beatè vixit, &c. *vt in Synodo Valentina can.6.*

VII. *Vt Concilia Epiſcoporum ſaltem ſemel quotannis fiant, & in palatiis ſaltem ſemel intra biennium generalis Epiſcoporum conuentus agatur.*

Poſcendum à Chriſtianiſſimis & piiſſimis principibus noſtris, vt Concilia Epiſcoporum, iuxta antiquam Eccleſiæ obſeruantiam, & ſtudium catholicorum principum, tam patrum ſuorum, quàm etiam eorum qui ante illos extiterunt, nullatenus omittantur: ſed per ſingulas quaſque prouincias ſaltem ſemel per annos ſingulos, cum eorum fauore & pia exoratione celebrentur. In eorum quoque palatiis ſaltem ſemel intra biennium generalis Epiſcoporum conuentus agatur. Et quod ſecundum voluntatem Dei, iuxta auctoritatem ſcripturarum & ſacrorum canonum, ipſo Deo adiuuante inuenire potuerint, confidenter ſtatuant & adnuntient. Quia maxima omnino pernicies in hoc eſt, dum neque à ſacerdotibus Dei populorum culpæ examinantur, neque eis congrua remedia adhibentur, nec à quoquam Eccleſiaſticum iudicium formidatur.

VIII. *De ordinationibus Epiſcoporum & ſacerdotum.*

Vt hi qui ordinandi ſunt, ſecundum ordinem Eccleſiaſticum, & inſtitutionem ſanctorum patrum ordinentur. Videlicet vt Epiſcopi iudicio Metropolitanorum, & eorum Epiſcoporum qui circumcirca ſunt, prouehantur ad Eccleſiaſticam poteſtatem: hi videlicet qui plurimo tempore probantur, tam verbo fidei, quàm rectæ conuerſationis exemplo. & iuxta Excerpta Martini, vt non liceat populo electionem facere, qui ad ſacerdotium prouocantur, ſed iudicium ſit Epiſcoporum, vt ipſi eum qui ordinandus eſt probent, ſi in ſermone & fide, & in ſpiritali vita edoctus ſit. Mart.Brac. cap.1.

IX. *Vt Epiſcopi Monaſteria ſtrenuè viſitent & diſponant.*

Vt congregationes canonicorum & monachorum, ac ſanctimonialium, ſecundum canonicam inſtitutionem à propriis Epiſcopis ſtrenuè viſitentur, & eorum religio & habitus exquiratur, ſi vita & moribus ſint probi, ac officij & vnanimitatis ſtudio ſolliciti, à leuiſſimis quoque & pernicioſiſſimis actibus cauti. Subſidia etiam illorum pia dominorum prouidentia exquirantur & diſponantur: quatenus clementia veſtra in omnibus fulti, pro veſtra in Chriſto proſperitate, regni quoque veſtri ſublimatione, Domini clementiam eos iugiter exorare delectet.

X. *De ſcholis ſacræ ſcripturæ, & humanæ litteraturæ, inſtituendis.*

Vt ſcholæ ſanctarum ſcripturarum, & humanæ quoque litteraturæ, vnde annis præcedentibus, per religioſorum Imperatorum ſtudium magna illuminatio Eccleſiæ, & eruditionis vtilitas proceſſit, deprecandi ſunt pij prin-

cipes noſtri, & omnes fratres & Coepiſcopi noſtri inſtantiſſimè commonendi, vt vbicumque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id eſt fideliter & veraciter intelligentes donare dignatur, conſtituantur vndique ſcholæ publicæ. ſcilicet vt vtriuſque eruditionis, & diuinæ ſcilicet & humanæ, in Eccleſia Dei fructus valeat accreſcere. quia quod nimis dolendum eſt, & pernicioſum maximè, diuinæ ſcripturæ verax & fidelis intelligentia iam ita dilabitur, vt vix eius extrema veſtigia reperiantur. Et idcirco ingenti cura & ſtudio remedium procurandum eſt.

XI. *De Eccleſiis reſtaurandis.*

Vt Eccleſiæ ſarciantur & reſtaurentur in ædificiis ab his qui earum rebus vtuntur, aut ab vnoquoque tale ex earum familia præbeatur adiutorium, per quod ſi fieri poteſt reædificentur. Indignum eſt enim iuxta hiſtoriam, Domino per prophetam reprobante, nos in domibus laqueatis habitare, & domos Dei eſſe deſertas. Super quo præceptionem nihilominus Deo acceptam prudentiſſimi domini noſtri videbunt. Agg 1. 4.

XII. *Vt vnicuique congregationi profeſſionis ſuæ liceat habere prælatos.*

Vt vnicuique congregationi Deo vacantium in timore & amore eius, à diſcretiſſimis principibus, ſecundum auctoritatem diuinam, ſuæ profeſſionis liceat habere prælatos.

XIII. *De nonis & decimis per eos ſoluendis qui Eccleſiæ poſſeſſiones retinent.*

Vt de rebus Deo ſacratis ſaltem nonæ & decimæ Eccleſiis, quibus iure debentur, fideliter ab iis à quibus retinentur miniſtrentur. Quia ſi de proprio Deo ex voto decimæ offeruntur, multo magis diuino in lege præcepto, poſt redhibitionis oblationem, quinta pars inſuper eius miniſtris iure offertur. Quod præceptum qui contempſerit, maledictionem legis in his ſibi adquirunt. Et vt deinceps nihil ab Eccleſiis abſtrahatur, ſed his modernis temporibus diſtracta Deo reddantur, humiliter in commune ſupplicamus.

XIV. *Vt hoſpitalia vſibus, ad quos ſunt inſtituta, reſtituantur.*

Vt hoſpitalia, peregrinorum videlicet, & aliorum pro remedio animarum receptacula, à piis Imperatoribus, patrum ſcilicet, & veſtrorum in timore & amore Dei præparata, ab omni vſu & libitu humanæ temeritatis abſoluta, in eos vſus, quibus ſunt conſtituta, pietatem prædeceſſorum ſequentes, ſub patrocinio veſtro dignum eſt veſtro tempore, & veſtra ſollicitudine reſtaurentur. Qui enim agapem pauperum, & ſuſtentationem peregrinorum, & eleemoſynam defunctorum defraudant, apud ſanctos patres eorum necatores vocantur.

XV. *Vt miſeris per idoneos iudices iuſtitia reddatur.*

Vt iuſtitiæ miſerorum ad aures pietatis veſtræ clamantium, in omni regno ditioni veſtræ ſubiecto, per miniſtros à clementia veſtra ad hoc inſtitutos, qui Deum timeant, & munera odio habeant, ſtrenuè exquirantur, & abſque perſonarum acceptione perficiantur, vſquequaque expedit dominis noſtris, eorúmque fidelibus, & regno. quia per prophetam dicit

Oſee 12.6. Spiritus ſanctus: *Miſericordiam & iudicium cuſtodi, & ſpera in Deo tuo ſemper.* Etenim ſine hac cuſtodia fruſtra ſperatur in Deo. Qui verò hanc ſollicitus habuerit, cum Pſalmiſta in via immaculata Domino pſallit & intelligit, quia ei in laude miſericordiam & iudicium cantat. Pſal.100.1.

XVI. *De raptoribus adulteris, & rapacibus coercendis.*

Gal.5.21. 1.Cor 5.11. Vt raptores, & adulteri, vel rapaces, qui, ſicut ait Apoſtolus, regnum Dei non conſequentur, cum quibus etiam, ſicut ipſe præcepit, nec cibus ſumendus eſt, cenſura & ſeueritate principum, qui non ſine cauſa gladium portant, inſequantur, quoadusque ſacerdotum iudicio publicè Eccleſiaſticæ ſubdantur diſciplinæ: quia pro talibus & Deum intelligimus in nos eſſe offenſum, & regnum eſſe diuiſum atque diſperſum.

COMMONITORIVM HERARDI TVRONVM Archiepiſcopi ad Vvenilonem Senonum Archiepiſcopum.

Ex Codice Redonenſi. VENERABILI Vvniloni Senonum Archiepiſcopo Herardus gratia diuinæ pietatis Turonenſis Metropolis immeritò licet Epiſcopus, ſalutem in Domino, & perpetuam pacem. CERTVM habeat veſtræ ſagacitatis dilectio, legationem totius Synodi, quæ in vicinia confluxit Tullenſium, noſmet ad veſtram paternitatem communi decreto ſuſcepiſſe. Litteras etiam ex Synodica vocatione vobis perferendas more Eccleſiaſtico ab eadem Synodo nos percepiſſe. Deinceps verò noſtram paruitatem graui ſcitote grauatam incommodo. Et quoniam præfatæ Synodi inſtitutis pro voto parere non poſſe nunc noſtram conſtat inertiam, fratrem & conſacerdotem noſtrum, noſtræ ſedi officij honore adiguum, Rotbertum Cenomannorum Epiſcopum, noſtra vice ſuper iniuncta nobis legatione fraterno more remandauimus pariter & poſtulauimus ad vos pergere: qui omnia nobis à ſancta ſupraſcripta Synodo reuerenter iniuncta intrepidè iuxta diuinitus ſibi collatam induſtriam ad vos exequi procurabit. Et hoc ipſum apud memoratam obtinui Synodum, vt ſi quolibet, vt ſe humana fragilitas habet, languore, ſicut & accidit, detinerer, eumdem noſtra vice, accepta ab eadem Synodo auctoritate omnium & iuſſione, vobis dirigerem. Rogamus ergo, & vt patrem cariſſimum, fratremque familiariſſimum, monete præſumimus, vt diligenti cautaque ſollicitudine, cunctis quæ ad vos deferuntur perſpectis, vobis ipſi conſulere non detrectetis. Sano quoque & ſapienti conſilio procuretis, ne vobis, & omni noſtro ordini, infamiæ notam prætendatis. Et ſi quid in his quæ vobis obiiciuntur, conſcientia teſte reprehenſibile, aut fortè damnabile iudicatur, præuenire modis omnibus, & opportunè detergere ſtudeatis. Et quoniam omnis gradus pontificalis ordinis, totius quam præmiſimus Synodi, ex impacta vobis huiuſmodi calumnia ſcandalizatur, compatitur, triſtatur, & congemiſcit: vos, quem cauſam huiuſce læſionis eſſe comperimus, & quem oportuerat ſecundum Apoſtolum teſtimonium habere bonum ab his etiam qui foris ſunt, hortamur, fidelitérque ſuggetimus, vt aut vni Epiſcopo pro omnibus, aut pluribus

1.Tim.3.7.

pro cunctis, ſatisfacere pro tempore non grauemini veſtris apicibus ſacris: ſimúlque quo regiam dignationem vobis acceptabilem, ſicut vobis & omni veſtro expedit gregi, ſatisfaciendo, humiliterque ipſius hilaritatis clementiam impetrando acquirere procuretis, obnixè flagitamus; & in caritate ſincera compatiendo precamur. Valere veſtram paternitatem votis omnibus poſtulamus, & vt noſtram petitionem efficaciter ſuſcipiatis oramus: vtque noſtram vnanimitatem ex veſtri cauſa ad aliquantulam, quin potiùs ad integram perducere certetis lætitiam, ſupplici poſtulatione monemus, pater beatiſſime.

ANNO CHRISTI 860. CAROLI CALVI REGIS 20.

CONCILIVM AQVISGRANENSE DVPLEX

ANNO DCCCLX. IN CAVSA TEVTBERGÆ vxoris Lotharij regis.

TEVTBERGÆ repudium meditante Lothario, cùm diuortij cauſa quæreretur, ſparſa eſt fama Teutbergam flagitium olim ab Hucberto fratre paſſam fuiſſe: atque hoc illa crimen, vi ac dolo, vt poſtea patuit, fateri, veſtémque ſibi vt mutare liceret petere compulſa eſt; tum aliàs deinceps, tum hoc anno primùm in duplici Epiſcoporum conuentu, quorum alter menſe Ianuario, alter Februario habitus eſt Aquiſgrani. Vtriuſque mentio eſt apud Hincmarum Remenſem De diuortio Lotharij & Tetbergæ, Reſp. 1. *Prioris quidem, ex libello* VII. *capitum quem refellit:* Conuenerunt, *inquit*, principis iuſſu, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLX. & regni eius v. Indictione VIII. v. Idus Ianuarij, Aquis palatio, Gunrarius ſummus Capellanus, & Teotgaudus Archiepiſcopi, Aduenrius & Franco Epiſcopi, Hegil & Odelingus Abbates, quibus iubendo monuit, vt de prædicta fama apud eam omnem rei veritatem perquirerent, ſicuti & fecerunt. Nam ipſa confeſſa eſt eis: ipſique reuerſi nuntiauerunt regi, quòd ad vxorem non liceret illi eam habere. *Poſterioris verò, ex actis ipſius Synodi, quæ circumferebantur, hoc initio:* Anno ab Incarnatione Domini DCCCLX. Indictione VIII. mediante Februario menſe, decernentibus glorioſis regibus Hludouuico, Carolo, atque Hlothario iuniore, in generali conuentu optimatum ex regno almi Hlotharij, actum eſt Concilium Epiſcoporum Aquiſgrani palatio, Gunrarij Agrippinenſis, Teorgaudi Treuerenſis, Vvenilonis Rotomagenſis, Franconis Tungrenſis, Hartonis Viridunenſis, Hildegarij Meldenſis, Halduini Auinienſis. *Et poſt excerpta quædam aliquot capitum de libello confeſſionis à Teutberga oblato, & aliis, ſubijcitur Synodi ſententia his verbis:* His ergo conſideratis, & diligenter perſpectis, lugendam inceſti pollutionem in publicum exhalatam publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandam decreuimus.

EPISCOPORVM REGNI LOTHARII, QVI ſupraſcriptæ Synodo interfuerant, Epiſtola ad Nicolaum Papam.

Exponunt quid in Synodo actum ſit, orántque ne calumniantibus aures præbeat, priuſquam Lotharij legati in vrbem veniant.

DOMINO verè ſanctiſſimo ac beatiſſimo, totiúſque ſanctæ matris Eccleſiæ pij regis Chriſti ſanguine acquiſitæ Pontifici, & vniuerſali Papæ Nicolao, Archiepiſcopi & Coepiſcopi in regno domni ac glorioſiſſimi regis Hlotharij conſiſtentes, in Chriſto paſtorum principe, fidelia orationum vota, ſummæque felicitatis & pacis gaudium. APOSTOLICIS documentis, & pontificalibus decretis multipliciter informamur, vt veſtri ſanctiſſimi Apoſtolatus apicem, principis Apoſtolorum fide & nomine conſecratum, quoties ſancta Eccleſia aliqua nouitate pulſatur, humiliter adeamus: ibique veri conſilij ſaluberrima inſtituta ſinceriter hauriamus, vbi mitis magiſter Chriſtus, & ſummum caput noſtrum, fundamentum Eccleſiæ poſuit. Et quia omnipotens Deus noſtris iam periculoſis temporibus miſericorditer nobis veſtræ auctoritatis iubar, fauſtiſſimis diuinæ ſapientiæ floribus, & ſanctiſſimis virtutum ſtudiis inſignitum præuidit, illum laudamus qui præſtitit, eiúſque clementiam votis imploramus aſſiduis, vt talem ac tantum patrem nobis incolumem cuſtodiat temporibus diuturnis. Quippè ſi temporum opportunitas arrideret, veſtræ ſanctitati multum deſideraremus noſtram vnanimem exhibere præſentiam. ſed hoc ne fiat malefidis Dei fluctuoſa tempeſtas intercipit, ac multiplex rerum varietas impedire non ceſſat. Ille tamen qui duobus mœſtis in via apparuit, amplitudinem veſtræ caritatis illò dilatare dignabitur, vt tandem aliquando de veſtra deſiderabili præſentia conſolemur. Enimuerò nec verbis fari, nec iuſtæ æſtimationis poterit compendio ponderari, quanta diuinæ legis inſtituta, quantáve diu optatæ pacis incrementa, à ſuo paulatim recto tramite exorbitantia, reſtaurari poterant, ſi veſtræ dignationis viſitatione frui mereremur. Reuera totius humani generis inimicus, zizaniorum ſator, tanto ampliùs ouile Chriſti lupina rapacitate circuire non ceſſat, quanto citiùs ſanctorum gloriam appropinquare conſiderat: eóque largiùs venena ſuæ perfidiæ ſpargere ſatagit, quo abundare iniquitatem, & multorum caritatem refrigeſcere ſerpentino aſtu intelligit. Hinc eſt quòd virulenta ac nefaria vitiorum germina, olim diuina animaduerſione ſubuerſa, immo lethæo ac flammiuomo barathro iuſto Dei iudicio deputata, quaſi rediuiuis radicibus, heu, heu, frondeſcunt in frutice. Porò quod nos non ſine graui mœrore deſcribimus, funeſta vulnera, diuinis oraculis, atque Apoſtolico antidoto, in cœca gentilitate ſalubriter procurata, iam malè fœtentia ad veſtras iterum redeunt manus: impletúrque illud propheticum: *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata.* Hier. 51. Sed vnde modò pauca ſcripſimus, per fratres noſtros Theutgaudum Treuirenſis Eccleſiæ venerabilem Archiepiſcopum, atque Attonem Coepiſcopum latiùs exponere procurabimus. Per illos ergo veſtræ Celſitudini pura & viua voce, verbis ac ſcriptis; fideliter ac veraciter ſignificare deſideramus, de quibus veſtram ſanctitatem conſulendam noſtra decreuit vnanimitas. De cetero præuios noſtræ humilitatis apices veſtris ſacris obtutibus perferendos direximus, quia quorumdam relatione comperimus, quòd veritatis æmuli, noſtrique ſenioris domni Hlotharij euidentiſſimi inimici, admodum aduerſa velint in cauſa vxoris ſuæ, & hoc argumento falſitatis non modicas ordiri ſatagunt ſimultates; ſuóſque legatos ad veſtram ſanctam dignoſcentiam mittere non verentur, & noſtram nondum definitam ſententiam ſiniſtra interpretatione peruertere conantur. Præſertim cùm noſtra vnanimitas de vxore noſtri principis (ſi fortè vxor dici debeat, quæ ſe germano inceſtu maculauerat,) nihil aliud hactenus determi-

nauerit, niſi quòd perſpecto ſuæ confeſſionis libello, publicè confitenti remedio pœnitentiæ ſubuenire decreuimus. Inter hæc illa fuga lapſa. Vnde humiliter petimus, vt veſtræ paternitatis, veræque caritatis ancoram ſolido figatis in littore, nullâque mendoſi flatus impulſione veritatis & iuſtitiæ libra vacillet: ſed fidiſſimus almifluentis factus, præſcriptos legatos domni ac ſenioris noſtri Hlotharij glorioſi principis, & dilecti filij veſtri, præſtoletur, vt fucata mendacia nullis ſe gaudeant delituiſſe latibulis. Oramus ſanctiſſimam paternitatem veſtram, ſummo pontificatus apice cœlitus ſublimatam, ad cuſtodiam gregis Dei feliciter vigere, ac proſperato temporum curſu æternam nanciſci remunerationem, multum venerande ſemperque deſiderande pater. Amen.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA I.
Ad Epiſcopos in regno Caroli conſtitutos.

De Ingeltrude Boſonis Comitis vxore fugitiua, vt illam excommunicent, ſi ad virum redire contemnat.

Epiſt. 54. NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorū Dei, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro Archiepiſcopo, & omnibus Archiepiſcopis, ſeu Epiſcopis in regno Caroli conſtitutis. CANONICA auctoritas hoc omni in loco prædicare non ceſſat, vt populus diuino cultui mancipatus inreprehenſibilis exiſtat. Quo enim mediante fieri meliùs poterit, quàm illorum ſollicitudine, qui paſtorum loco curam Dominici gregis ſuſceperunt? Quapropter veſtram commonemus fraternitatem, immo & ſanctitatem, vt veſtram diœceſim non ſinatis pollui fornicariis. Ecce iam pridem diximus vobis de vxore Boſonis Comitis, quæ relicto viro fugit, vt eam reuocari feciſſetis viro ſuo. Sed quia occaſione emergente minimè factum conſpicimus, inde forſan vos negligentes nos iudicare poſſumus. Quapropter præcipimus vobis, auctoritate Apoſtolica fulti, quatenus eā faciatis reuerti ad proprium virum, conceſſa ſibi negligētia, qua in eum deliquit: & ſi vobis inobediens contempſerit repedare, corpore & ſanguine Domini noſtri IESV Chriſti, & ſocietate omnium fidelium citiùs, tam illā, quàm eunctos qui eius facinori fauere videbuntur, excommunicare feſtinetis. vt domus Dei talibus rectoribus dirigatur, quales catholicus ordo delegiſſe cognoſcitur. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere.

EPIST. II. AD CAROLVM CALVVM REGEM.

De eadem Boſonis vxore, vt Lotharium moneat, ne illam in regno ſuo manere permittat; idémque ipſe curet, ſi ad ipſius regnum veniat.

Append. epiſt. 1. NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Carolo glorioſo regi ſpiritali filio noſtro. VESTRAM regiam dignitatem condecet de pietatis fonte iuſtitiæ diſcretionem haurire. Nemo itaque iuſtiùs operari debet, quàm cui commiſſa videtur legum ordinabilitas. Ecce etenim reges regibus fauere ſolent. Sed conueniet, vt in his quæ ratio docet iuſtitiæ, inuicem alternent: quæ autem improbitas, vicaria vice ſe ſubtrahere non ceſſent. Vnde veſtram exhortamur regiam magnitudinem, vti corrigatis Hlotharium regem nepotem veſtrum, ne tantum piaculum permittat manere in regno ſuo: hoc eſt, ne conſentiat fugitiuam vxorem Boſonis Comitis tam diu remanere, vt non reddatur viro ſuo, remiſſa quidem negligentia, quam ei fecit. Ceterùm vos etiam monere volumus, vt ſi in veſtro regno contigerit deuenire, ſimiliter peragatis. Quoniam iuſſimus omnibus Archiepiſcopis, ſeu Epiſcopis regni veſtri, vt eam, indulta ſibi culpa, ſi noluerit reuerti ad ſupradictum virum ſuum, excommunicent à corpore & ſanguine Domini noſtri IESV Chriſti, & ſocietate omnium fidelium. quoniam condecet, vt in regno veſtro tantum malum non oriatur, & ſi ortū fuerit, citiùs extinguatur. Adeo vt omnes conſentientes malo ipſius ſupraſcripta excommunicatione nectamus. Optamus excellētiam veſtrā in Chriſto bene valere.

CONCILIVM TVLLENSE II.

APVD TVSIACVM.

AB EPISCOPIS QVATVORDECIM PROVINciarum in Tullenſis territorij villa Tuſiaco, Caroli Calui & Lotharij regum auctoritate celebratum, ſub die XI. Kalendas Nouembres, Indictione IX. id eſt, anno Chriſti DCCCLX. Nicolai Papæ anno III. Caroli eiuſdem regis XXI.

Nunc primùm in lucem editum ex Codice Ecclesiæ Laudunenſis.

TITVLI CANONVM.

1. *Aduerſus rerum ſacrarum perſuaſores.*
2. *De velatis, Deóque ſacratis virginibus ac viduis incontinenter viuentibus.*
3. *De periuris, & falſis teſtibus.*
4. *De ijs qui rapinas, & alia ſcelera committunt.*
5. *Vt clerici & monachi vagi, ad Epiſcopos & Abbates ſuos reuocentur.*

PRÆFATIO.

CVM in nomine Dei omnipotentis nos Epiſcopi ex prouinciis XII. Veſontionenſi ſcilicet, Lugdunenſi, Treuerenſi, Remenſi, Viennenſi, Senonica, Agrippinenſi, Biturigenſi, Turonenſi, Burdegalenſi, Narbonenſi, Rotomagenſi, & ſi qui alij ex aliis prouinciis, conueniſſemus in territorio Tullenſi, in villa Tuſiaco, anno Incarnationis Domini noſtri IESV Chriſti DCCCLX. Indictione IX. cœpimus auxilio Dei noſtri tractare de ſtatu temporis noſtri, & de periculo pereuntis populi ſub manu noſtra conſtituti: & quomodo peccatis noſtris agentibus omnes leges, tam diuinæ, quàm humanæ contemptæ ſint, omniſque ordo religionis confuſus, ſolúmque maledictum, & mendacium, & adulterium, & homicidium inundauerint, & ſanguis ſanguinem tetigerit, & propterea vorata ſit terra, & infirmatus ſit omnis qui habitat in ea. Cùm igitur de his & ſimilibus tractaremus, iuxta manum Dei noſtri propitiam nobiſcum, vt ſecundum regulam patrum noſtrorum ſtaremus in viis Dei noſtri, decreuimus ſingulis malis emergentibus, zelo canonicæ pietatis, cenſura diſtrictionis obuiare, ac ſacrilegos, & flagitioſos, atque facinoroſos, de domo Dei noſtri flagello diſciplinæ cædendo eliminare. Et quia inueteratum vulnus malitiæ plaga deſperationis fecit, ferrum ſectionis adhibere, ne quod ſanum remanſerat putredine tabeſieret.

CANONES.

CANONES.

I. *Aduerſus rerum ſacrarum peruaſores.*

In primis igitur propter pertinaciam multorum, qui cùm ſint ſacrilegi, templum Dei in ſemetipſis corrumpentes, ſacras res, ex oblatione & voto fidelium ſacris locis contraditas, inuadere non timent, ſtatuimus ſecundum regulam antiquam patrum noſtrorum, vt ſi quis oblationes fructuum, & rerum omnium, quæ miniſtris Eccleſiæ conferuntur, aut collatæ ſunt, extra Eccleſiam accipere vel dare voluerit præter conſcientiam Epiſcopi, vel eius qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſanda officio Eccleſiaſtico diſpoſita; tam is qui dat, quámque is qui accipit, anathema ſit, iudicio omnipotentis Dei, niſi reſipuerit, perpetuò damnatus, & dum viuit, ita à cœtu & ſocietate fidelium remotus, à corpore & ſanguine Domini ſeparatus, vt nec in fine communionem accipiat, neque corpus ipſius more fidelium, cum oblationibus & pſalmis atque hymnis ad ſepulturam deducatur. Si clericus tanta cupiditate ſacrilegij corruptus, aut laicus quicumque hac iniquitate deceptus fuerit, & cognoſcens damnationem ſuam, pœnitentiæ remediis ſecundum ordinem & diſpenſationem ſui Epiſcopi ſe ſubmiſerit, volumus vt peruaſa & præſumpta ſecundum qualitatem perſonæ, aut in ſimplum, aut in duplum, aut in triplum, aut in quadruplum, Eccleſiæ, cui damnum illatum eſt, primùm reſtituat: inde pro ſacrilegio ab Epiſcopo ſuo conſilium ſalutis, & pœnitentiæ modum ſuſcipiat.

II. *De velatis, Deóque ſacratis, virginibus ac viduis incontinenter viuentibus.*

De velatis & ſacratis Deo, tam viduis quàm virginibus, ſi clàm adulterauerint, vel ſi publicè nupſerint, ſiue de viduis incontinentibus, quæ luxuriando turpiſſimè in domibus ſuis viuunt, ita vt etiam quædam filias ſuas laſciuis iuuenibus in concubinas ſubſtituerint, licet à patribus noſtris, quorum loca & vices tenemus, ſufficienter qua diſtrictione feriantur definitum ſit, volumus vt vſque ad finem vitæ in ergaſtulis retruſæ pœnitentiam agant: viri autem, qui vim eis intulerint, & ipſi cenſura Eccleſiaſtica ad pœnitentiam conſtringantur. habeántque principes & iudices hanc in populo Dei diligentiam, vt vbicumque tales in poteſtate eorum ab Epiſcopis requiſiti fuerint, abſque mora eos exhibeant: ne fortè, ſi diſſimulauerint, aut mandatum Epiſcopi contempſerint, ab Eccleſia Dei proiecti, nec ſepulturam cum fidelibus accipiant.

III. *De periuris, & falſis teſtibus.*

De his quoque, qui iurant & periurant in nomine Dei omnipotentis mendaciter, quod genus mali nimis præualuiſſe dolemus, &

de falſis teſtibus, quorum execrabilis malitia vſquequaque præualuit, quod à ſanctis patribus noſtris ex eis definitum eſt ſeruetur, atque duræ & diſtrictæ pœnitentiæ ſubdantur, quamdiu in crimine manent, foras ab Eccleſia proiecti, neque oblatio eorum in ſacris, neque nomen eorum inter fideles recitatum habeatur.

IV. *De iis qui rapinas, & alia ſcelera committunt.*

De his etiam qui rapinas exercent, incendia, ſtupra inaudita committunt, cædes & homicidia perpetrant, res Eccleſiarum ſubtrahunt atque diripiunt, quantum ad iudicium noſtrum attinet, volumus vt ſiue auctores tanti criminis, ſiue fautores eorum qui cum eis collecti participant, à ſacro Miſſarum officio, à foribus Eccleſiarum, ab omni ſocietate Chriſtiana, vſque dum pœnitentiæ ſe humiliter ſubmittant, remoueantur. Inuicem ſibi Epiſcopi pro his ſcripta tranſmittant, quatinus omnes ſciant cum talibus damnatis nullam communionem habere: paríque ſententia teneatur obnoxius, qui poſt interdictum cum eis communicauerit.

V. *Vt clerici & monachi vagi ad Epiſcopos & Abbates ſuos reuocentur.*

Quia peccatis noſtris agentibus plurima loca Deo ſacrata incenſa & vaſtata ſunt à perfidis Chriſtianis, & à crudeli etiam gente Nortmannorum, ſub hac occaſione multi laſciui clerici & monachi relicto religionis habitu retrò abierunt, & abſque vlla canonica licentia & reuerentia vagabundi feruntur, ab ouili gregis Dei errantes. Ideóque patrum auctoritate volumus, vt talibus omnis neceſſitas imponatur, quatinus ad ordinationem & diſpoſitionem Epiſcoporum & Abbatum ſuorum reuertantur, & ſub diſciplina eorum maneant.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Ego Ardvicvs Veſontionenſis Epiſcopus, has conſtitutiones zelo pietatis perfectas relegi, conſenſi, & ſubſcripſi.
Ego Vvanilo Senonicæ vrbis Epiſcopus conſenſi, relegi, & ſubſcripſi.
Hincmarus ſacræ Remorum Eccleſiæ Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Ado humilis Viennenſis Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Teudgaudus Treuirorum Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Guntarius Agrippinenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Rodulfus ſacræ Biturigenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Herardus Turonorum Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Frotarius Burdegalenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Fredoldus Narbonenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Remigius Lugdunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvenilo Rotomagenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Hildegarius Meldenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Aduenrius Mediomatricorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Æneas Pariſiorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Atto Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Erpuinus Siluanectenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Hincmarus Laudunenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Chriſtianus Autiſiodorenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Eurus Carcaſonenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Audeſindus Roſcellenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Godelſadus Cabillonenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Gundbertus Ebrocenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Iſaac Lingonenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Ionas Æduorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Breidincus Matiſcenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Adalulfus Barcinonenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Agius Aurelianorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Erchanraus Catalaunenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Huntfridus Morinenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Rainelmus Nouiomagenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Erchambertus Baiocacenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Hilduinus Auennicorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Vviſadus Orgellitanus Epiſcopus ſubſcripſi.
Stodilo Lemouicenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Stabilis Aruernenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Arduinus Vellaunenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Engenoldus Pictauienſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Dagberrus Agathenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Launus Æcolenenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Arnulfus Tullenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Rataldus Stratburgenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Franco Tungrenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Teutramnus Darantaſiæ Metrop. Epiſcopus ſubſcripſi.
Immo Nouiomagorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Ebbo Gratianopolitanus Epiſcopus ſubſcripſi.
Vngerius Traiectenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Fredebertus Baſileenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Rothadus Sueſſonicus Epiſcopus ſubſcripſi.
Irminfridus Bellouacus Epiſcopus ſubſcripſi.
Abbo Autiſiodorenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Giſlebertus Carnotenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Rarbertus Valentinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Dodo Andegauenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Hilmeradus Ambianenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvaltbertus Abrincatenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Abbo Maurianenſium Epiſcopus ſubſcripſi.

CONCILII EIVSDEM EPISTOLA SYNOdalis ad rerum Eccleſiaſticarum peruaſores, & ad pauperum prædatores. vnde, & quando, ac qualiter acciderit, vt res Eccleſiaſticæ Domino ſint conſecratæ, & quantum ſit periculum pauperes deprædari.

Nunc primùm in lucem edita ex Codice Virdunenſi, & aliis.

ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCLX. Indictione IX. XI. Kalendas Nouembres, ſancta Synodus congregata in villa Tuſiaco, Tullenſis parœciæ, Epiſcoporum XIV. prouinciarum, Lugdunenſium videlicet, Rotomagenſium, Turonenſium, Senonum, Viennenſium, Arelatenſium, Veſontionum, Mogontinenſium, Agrippinenſium, Treuerorum, Remorum, Biturigenſium, Burdegalenſium, Narbonenſium, omnibus Dei fidelibus, & ſanctæ Eccleſiæ filiis, ad quos hæc diuinæ conſtitutionis notitia potuerit peruenire, pacem & ſalutem optat in Domino. DEVS omnipotens, ſummus & verus, vnus ac ſolus, Pater ſcilicet, & Filius, qui eſt conſubſtantiale verbum eius, & vtriuſque Spiritus ſanctus, vtrique coæternus, ac coæqualis, Trinitas inconfuſa atque inſeparabilis, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre poteſt, nec locorum vel finito vel infinito ſpatio continetur, nec temporum vel finito vel infinito volumine variatur; neque enim eſt in eius ſubſtantia, quâ Deus eſt, quod breuius ſit in parte, quàm toto; qui ſine initio eſt, & permanet ſine fine, incommutabili æternitate viuens; creauit omnia ſimul, ex quibus currerent tempora, & implerentur loca, temporalibúſque & localibus rerum motibus ſæcula voluerentur. In quibus rebus quædam ſpiritalia, quædam corporalia, viſibilia ſiquidem & inuiſibilia condidit: formans materiem, quam nec altus, nec nullus, ſed omnino ipſe informem ac formabilem inſtituit, vt formationem ſuam non tempore, ſed origine præueniret: teſtante ſcriptura, *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* &, *In principio fecit Deus cælum & terram.* & omnia opera ſua bona valde, quæ in cælo ſunt & quæ in terra. Duas quoque harum creaturarum ſuarum rationales creaturas, ſcilicet Angelicam & humanam, imaginis & ſimilitudinis ſuæ dote ditatas, cum libero arbitrio condidit: vt ſicut ipſe non neceſſitate, ſed natura eſt bonus & voluntariè, ita & ipſæ rationales creaturæ non conſtrictæ neceſſitate, ſed bonæ eſſent, vt natura, ita & voluntariè. Quia ſi tales eſſent, vt liberæ voluntatis arbitrio malum vitare, & bonum non poſſent agere, lapidibus, & ceteris rebus inſenſibilibus, atque irrationabilibus potiùs quàm Deo ſimiles eſſent; & meritò illius retributione carerent, nec eſſet vnde pro qualitate voluntatis & actionis remunerarentur à Deo. qui ideo bonus eſt, quia vult, non quia cogitur: quique bonum velle non ex accidenti, ſed vt & bonus & omnipotens eſſet eſſentialiter habet. Cui ſecundum quorumdam opinionem ſententiæ non repugnat, quod dicit Apoſtolus, *Seipſum negare non poteſt.* Porrò nec peccare, nec mori poteſt. Et ta-

Eccl. 18. 1.

2. Tim. 2. 13.

men non falsò Angelus & homo, qui potuere peccare, imaginis & ſimilitudinis eius dignitate donati leguntur. Quia aliud eſt ſimilitudo, & aliud ſignaculum ſimilitudinis: & aliud imaginem eſſe, & aliud ad imaginem factum eſſe. Solus quippe conſubſtantialis filius eſſentialiter imago inuiſibilis, & ſplendor, & figura eſt ſubſtantiæ Dei patris. Sic ad omnipotentis hoc vel magis omnipotentiam pertinet: quia aliud non poteſt quàm bonum velle, & aliud quàm bonus & omnipotens eſſe, & ſeipſum negare, peccare quoque, vel mori, mutari, falli, miſer fieri, ſeu vinci non poteſt. Hæcatque huiuſmodi abſit vt poſſit omnipotens. Sed quia non vult, non poteſt, quia & velle non poteſt. Non enim poteſt iuſtitia velle facere quod iniuſtum eſt, aut ſapientia velle quod ſtultum eſt, aut veritas velle quod falſum eſt. Ac per hoc non ſolùm oſtendit veritas omnipotentem eſſe, quòd iſta non poſſit: ſed etiam cogit veritas omnipotentem non eſſe, qui hæc poſſit. Volens enim eſt Deus quicquid eſt. æternus ergo, & incommutabilis, & verax, & beatus, & inſuperabilis volens eſt. Si ergo poteſt eſſe quod non vult, omnipotens non eſt. eſt autem omnipotens. ergo quicquid vult poteſt: & ideo quod non vult, eſſe non poteſt, qui propterea dicitur omnipotens, quoniam quicquid vult poteſt. De quo & pſalmus dicit, *In cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit.* Nihil enim in cælo vel in terra fit, niſi quod ipſe aut propitius facit, aut fieri iuſtè permittit. Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & neminem vult perire. Sed iuſtus Dominus iuſtitiam diligens, & iniquitatem non volens, eis quos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit, nec poſt primi hominis caſum vult tollere violenter ſuæ voluntatis arbitrium liberum; quibus reddere paratus eſt meritum, vt ſcriptura demonſtrat: *Quis eſt*, inquiens, *homo qui vult vitam?* & ac ſi reſpondenti, Ego, Dominus dicit: *Deuerte à malo, & fac bonum.* Et è regione volens ſaluari dicit: *Voluntariè ſacrificabo tibi*, &, *Ex voluntate mea confitebor illi.* De quo ſcriptum eſt: *Quia non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.* Vt autem ambulantes ambulent & perſeuerent in innocentia, ſanat & adiuuat eorum arbitrium gratia; adteſtante Apoſtolo, *Gratia Dei in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui: non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Quibus & aliis claret ſcripturæ ſententiis, quoniam poſt caſum primi hominis ineſt homini ad bene volendum, & ad bonum incipiendum & perficiendum, atque in bono perſeuerandum, liberum arbitrium, gratia liberatum, & gratia de corrupto ſanatum, gratia præuentum, adiutum, & coronandum. A bono autem deficiens, & in malo proficiens homo, poſt caſum primi hominis habet arbitrium liberum, ſcilicet iuſtitiæ liberum, peccati ſeruum: quo qui ſe elongant à Deo volente congregare filios nolentis Hieruſalem, peribunt. Vnde quia gratia Dei eſt, ſaluatur mundus: & quia ineſt liberum arbitrium homini, iudicabitur mundus. Ex his namque rationalibus creaturis, Angelica videlicet & humana, Angelos ad ſe cognoſcendum atque perpetuò conlaudandum in cæleſti gloria collocauit. Vnde pars quædam Angelorum ex ſuperbia debriata per liberum arbitrium cecidit, qui appellantur diaboli. & tales ſuo vitio ſunt effecti, vt iam non velint nec poſſint meriti eſſe boni. ſicut & illi qui per liberum arbitrium in voluntate conditoris permanſerunt, ipſius gratia, & retributione iuſtitiæ, acceperunt in munere, quod creator, cuius

Pſal.134.6.
Pſal.33.13.
Ibid.15.
Pſal.53.8.
Pſal.27.7.
Pſal.83.13.
1.Cor.15.10.

ſignaculum ſimilitudinis ſunt, habet eſſentia, vt non velint, nec valeant eſſe mali. Hominem verò opifex Deus corpore de limo terræ formauit, cui animam de incomprehenſibili nobis ſuæ virtutis opère, in moribus & æternitate ad imaginem & ſimilitudinem ſuam conditam, in qua, interiore videlicet homine, per fidem in nobis habitat, inſufflauit. In quo etſi exterior homo noſter corrumpitur, renouamur, induentes nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate, & veritate. Et factum eumdem primum hominem in animam viuentem, id eſt factam animam rationalem factam carnem viuificantem, atque in duabus, & ex duabus, ſcilicet ſpiritus ac luti, ſubſtantiis in vnitate perſonæ ſubſiſtentem, in paradiſo deliciarum, quem plantauerat ab initio, poſuit, vt operaretur eum, vel in eo, ſicut & quæ ei præcepit, & cuſtodiret ne illa admitteret, quæ & ſicut illi prohibuit. Cui ex latere fabricauit mulierem, dum in ſomno corporis obdormiuit, vnde & dixit, *Erunt duo in carne vna*, itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro: ſecundum præſcientiam ſuam, qua nouit omnia etiam antequam fiant, vero demonſtrans indicio, quoniam ſine transfuſione ſeminis viri, ex femina ipſe venturus eſſet in carnem, ad redimendum hominem, qui in carne condidit hominem. Et qui eum fabricauit ex puluere, quo ſine ſeminis transfuſione hominem fecit ex homine, homines quoque fabricetur ex ſemine. Quique corporis morte in cruce pro omnibus mortis debitoribus, ſolus inter mortuos liber à mortis debito dormiens, prædeſtinatus filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, & prædeſtinatorum omnium caput, ac lumen, atque exemplum factus ex muliere, legiſque lator qui legi nihil deberet, factus ſub obedientia legis, vt eos, qui ſub lege peccati & mortis futuri erant, redimeret, vt adoptionem filiorum, quam in Adam perdituri eramus, reciperemus: de his qui in eum credere voluerint, ſiue aduentum eius in carne præceſſerint, ſiue etiam forent ſecuti, (nam *per gratiam*, inquit, *Domini* Iesv *ſaluari credimus, quemadmodum & illi*,) ædificaturus erat Eccleſiam aperto lancea latere, de quo produxit aquam & ſanguinem, quibus nunc lauacro rigatur & poculo, id eſt inundatur aqua baptiſmatis, & per fidem illi incorporatur potato ſanguine redemptionis, iuſtificata ſpiritu ſanctificationis. Hoc ſacramentum magnum eſt in Chriſto & in Eccleſia. quæ eodem Spiritu ſancto ab immaculato diuini fontis vtero ſuos regenerat natos, quo & de inlibata virgine Chriſtus eſt natus. Iſdem namque primus homo, quia & Eua ipſa eſt Adam, conditus vt dominaretur creaturæ à creatore factæ, & diſponeret orbem terrarum in iuſtitia & æquitate, & in directione cordis iudicium iudicaret, ſi in accepta lege vitæ & diſciplinæ libero arbitrio permanſiſſet; Videlicet ſi in conditoris voluntate perſeueraſſet vt non peccaret; nec ipſe moreretur, nec mortales, neque mortis ac gehennæ filios generaret. Sed merito huius permanſionis, & retributione iuſtitiæ, ſicut & ſancti Angeli acceperunt, accepiſſet in munere, quod creator, ad cuius imaginem & ſimilitudinem conditus eſt, habet eſſentia, vt nec peccare vellet, nec iam cadere poſſet. Ipſi autem diabolo, inuidenti quia illuc erat homo terrenus per debitam obedientiam aſcenſurus, vnde ipſe cecidit per ſuperbiam Angelicus ſpiritus, & mendacia ſuadenti plus credens, quàm voluntati conditoris ſui obediens, abuſus arbitrio libero

Gen. 2. 24.

Act. 15. 11.

deſeruit Deum, & deſertus iuſtè à Deo, peccauit ac cecidit, & per malum velle perdidit bonum poſſe, qui per poſſe bonum vincere potuit velle malum. Qua de re facta eſt maſſa perditionis totius humani generis. De qua ſi nullus ad ſalutem eriperetur, inreprehenſibilis eſſet Dei iuſtitia: quia verò multi ſaluantur, ineffabilis eſt Dei gratia. Qui ab ipſo mundi primordio, incipiens ab Abel iuſto. ſalutis humanæ præcones mundo in ſua infirmitate languenti, & in peccatorum ſuorum tenebris tabeſcenti, donec ipſe lux mundi adueniret, per patriarchas, & legis doctores, atque prophetas, ac iuſtos verbis & prodigiis prædicans, conſolando præmiſit. Tandem ipſe, qui ſemper vnum, & vbique eſt cum Patre & Spiritu ſancto eſſentia maieſtatis, propter nos homines & propter noſtram ſalutem, opere conceptus eiuſdem Spiritus ſancti, natus ex Maria Virgine, id eſt ex virginea maternæ carnis ſubſtantia, in duabus & ex duabus naturis atque ſubſtantiis, diuinitatis ſcilicet & humanitatis, verus per omnia Deus, & verus homo anima rationali & humana carne in vnitate perſonæ ſubſiſtens, ad nos per præſentiam adſumptæ veniens carnis, factis & dictis ad aliud in ſe credentes ſæculum inuitauit, id eſt ad gloriam ſempiternam, quam Angeli ſancti habent in cælo, & ad quam obtinendam conditus fuerat primus homo. Et quoniam ad illam peruenire non poſſumus, niſi ſicut nos docuit, de quo ſcriptum eſt, quia *ſic oportuit pati Chriſtum, & intrare in gloriam ſuam*, dux Luc.24.26. & doctor huius itineris, ſcilicet per labores ac dolores, quos in primo parente meruimus, promeren tes regnum Dei, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: & in iſtius agonis ſcammate certantes, ſine viatico non valemus ſubſiſtere. primitiua Eccleſia, id eſt fideles in exordio naſcentis Eccleſiæ vendebant omnia quæ poſſidebant, & deferebant poſſeſſionum ſuarum pretium ad pedes Apoſtolorum, docentes non debere à rationali homine ſeruiri, ſed dominari diuitiis, & vti eis in tranſitum, non eas amare pro æterna peruentione. De quo pretio diuidebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Cùm autem gratia Dei cœpit multiplicari credentium numerus, ad quorum ſuſtentationem non ſufficiebat pretij reditus, quoniam omnes credentes ad hoc non dabant, neque valebant compelli, vt à coniugio, & in totum à mundanis vacarent actibus, ne ſæculum deperiret, donec omnes qui ſaluandi ſunt, id eſt omnes prædeſtinati, veluti ſcriptum eſt, filij Dei, qui erant diſperſi, id eſt in maſſæ generaliter perditæ ex debito relictione conſperſi, & ex ea, antequam mundus fieret, prædeſtinatione Dei, cui nihil præteritum tranſiit, acciditque futurum, electi, ſcilicet gratia Dei, congregentur in vnum: in plenitudinem videlicet cæleſtis ac ſempiternæ Eccleſiæ, ad quam tanti ex hominibus ſaluatis, & eidem ſociandis ſunt aſcenſuri, vnde diabolus cum ſuis ſequacibus cecidit; quanti illic electi Angeli remanſerunt: vt vnum ouile vnius paſtoris ſcilicet, & indiuiduæ Trinitatis perpetua viſione, & perfecta cognitione, quæ eſt non ſolùm hominum, ſed & Angelorum vita, ſine fine gaudeat, ſocietate glorioſa repletum: conſtituit idem Dominus & magiſter ſalutis per ſanctos ſuos, in quibus & cum quibus loquebatur, & per quos ſuam gubernabat, & vſque hodie meritis & precibus gubernat Eccleſiam; vt credentes non iam ex aſſe poſſeſſiones & prædia venundarent; ſed de ipſis poſſeſſionibus Domino conſecrarent.

vnde qui quaſi ſpecialiter eidem Dominorum Domino adhærent, & miniſtri ſermonis, & donorum æternæ ſalutis, atque mediatores inter Deum & homines ope fiunt aſſiduæ interceſſionis, viuant; & in omnibus neceſſariis, ſine quibus humana fragilitas non poteſt ſubſiſtere, eis in eleemoſynas eorum, qui eaſdem poſſeſſiones Domino conſecrarunt, miniſtretur. vt dum Chriſti pauperes, atque miniſtri Eccleſiæ, ex his in præſenti ſubſiſtunt ſæculo, largitores poſſeſſionum de ſua fideli eleemoſyna, ſicut & in baptiſmate, à malo funditus conuerſi, & cum fide recta perſeuerantes in bonis operibus, mundentur à peccato, & efficiantur Chriſto, cui eas deuouerant,
Luc.11.41. conſortes in cælo. ſicut ipſe dicit in Euangelio: *Date eleemoſynam, & ecce*
Matth.25.40. *omnia munda ſunt vobis.* & item: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Quapropter ſicut illi, qui ſeipſos ac diuitias & poſſeſſiones ſuas Domino fideli mente conſecrauerunt, heredes Dei & coheredes Chriſti per prophetas & Apoſtolos, & ab ipſo Domino appellantur, & fiunt: ita & tales poſſeſſiones atque facultates, Domino in ſuis Eccleſiis, & in ſpecialibus ſeruorum ipſius vſibus conſecratæ, propter fideles Chriſti, qui eis & exinde aluntur, Dei hereditas, cùm orbis terrarum & plenitudo eius ipſius ſit, quaſi ſpecialiter appellantur. Sicut enim, quando omnis domus Iſraël Domini hereditas vocabatur, tribus tamen Leui, quaſi decimatio adhuc etiam in lumbis Abrahæ à Deo electa, cum decimis & primitiis, vrbibus & ſuburbiis, villabus atque poſſeſſionibus & facultatibus cunctis, ſpecialis Domini hereditas, pars, vel adſumptio dicebatur: ita & iſti, qui cleros, id eſt ſors vel pars Domini appellantur, cum omnibus Eccleſiis, id eſt diuinis ouilibus ad ſe pertinentibus, ſpecialis Chriſti hereditas dicitur & exiſtit: cùm omnes credentes ac credituri, tam ex circumciſione, quàm qui ex præ-
Pſal.78.1. putio, Chriſti hereditas appellentur. dicente propheta: *Deus venerunt gen-*
Pſal.2.7. *tes in hereditatem tuam.* &, *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* De quibus quicumque indebitè quodam abutitur, ſine vlla dubitatione illa maledictione multatur, & ipſa tenetur obnoxius, quam & cæleſtis & omnis terrena continuè Domino decantat
Pſal.82.13. & ſeqq. Eccleſia: *Qui dixerunt*, inquiens, *hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei, Deus meus, pone, illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Sicut ignis, qui comburit ſiluam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, vt quærant nomen tuum Domine. Erubeſcant, & conturbentur in ſæculum ſæculi, & confundantur & pereant, & cognoſcant quia nomen tibi Dominus, tu ſolus altiſsimus in omni terra.* Sanctus quoque ANACLETVS Papa, ab ipſo beato Petro Apoſtolo presbyter ordinatus, poſtea in ſede Romana ſucceſſor illius factus Epiſcopus, cum totius mundi ſacerdotibus iudicauit, Qui abſtulerit, inquiens, aliquid patri vel matri, homicidæ particeps eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creauit: mater verò noſtra Eccleſia, quæ in baptiſmo ſpiritaliter regenerauit. Ergo qui Chriſti pecunias & Eccleſiæ rapit, aufert, vel fraudatur, homicida eſt, atque vt homicida ante conſpectum iuſti iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi ſui iniquitatem operatur. Qui autem res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & vt ſacrilegus iudicandus eſt. Item, ſanctus VRBANVS Papa & Martyr: Res & facultates Eccle-

Eccleſiaſticæ, oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus eſt damnationis Ananiæ & Saphiræ, & oportet huiuſmodi tradere ſatanæ, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Item, ſanctus LVCIVS Papa: Rerum Eccleſiaſticarum & facultatum raptores, à liminibus ſanctæ Eccleſiæ anathematizatos Apoſtolica auctoritate pellimus & damnamus, atque ſacrilegos eſſe iudicamus. & non ſolùm eos, ſed & omnes conſentientes eis: quia non ſolùm qui faciunt rei iudicantur, ſed etiam qui facientibus conſentiunt. Par enim pœna & agentes & conſentientes comprehendit. A qua pœna conſenſus liberi eſſe non poſſunt illi, quorum miniſterium eſt, & qui talia poſſunt prohibere, comprimere, & emendare, & ea non ſtudent corrigere. Et ſanctus GREGORIVS in epiſtola ad Sabinum ſubdiaconum. Sacrilegum, inquit, & contra leges eſt, ſi quis quod venerabilibus locis relinquitur, prauæ voluntatis ſtudiis ſuis temprauerit compendiis retinere. Et ſanctus AVGVSTINVS in ſermone Euangelij ſancti Ioannis dicit: Fur ſacrilegus loculorum ſacrorum & dominicorum eſt Iudas: & qui aliquid de Eccleſia furatur & rapit, Iudæ perdito comparatur. Et item in ſacris canonibus ſancto Spiritu dictatis, & Chriſti ſanctione confirmatis, ſcriptum eſt: Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperum, aut religioſum expoliauerit, & mandauerit ad ipſum Epiſcopus, vt eum audiat; ſi contempſerit, inuicem mox ſcripta percurrant per omnes prouinciæ Epiſcopos, & quoſcumque adire potuerit, vt excommunicatus habeatur, donec audiat, & reddat aliena. & item ſcriptum eſt: Clerici etiam, vel ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamento relictas, retinere præſumpſerint, aut id quod ipſi donauerunt Eccleſiis vel monaſteriis crediderint auferendum, ſicut Synodus ſancta conſtituit, velut necatores pauperum, quouſque reddant, ab Eccleſiis excludantur. Vnde ſummopere caueant potentiores quique, vnuſquiſque in ordine & dignitate ſua, ne præſumant in damnationem ſuam res ſibi Eccleſiaſticas, neque fatigent, vel affligant inconſuetis conſuetudinibus Dei Eccleſias, & loca ſanctorum: ſcientes quia, vt præmiſimus, res Eccleſiaſticæ vota ſunt fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum; & in tuitione atque defenſione Chriſti conſiſtunt, qui eas terræ principibus atque primoribus ad defendendum & conſeruandum, non ad affligendum vel vſurpandum, ſiue præſumendum, commiſit. Nam, quæcumque prætendatur à quocumque vtilitatis, ſiue neceſſitatis occaſio, ille corda omnium conſpicit, qui nouit cogitationes hominum, & remunerat actiones, & etiam cogitationes inremuneratas nullatenus derelinquet. Quocirca omnis qui vult ſaluus fieri, & ab æterna morte liberari, & ad æternam vitam peruenire, attentiſſima cordis aure exaudiat quid Spiritus ſanctus per eos locutus eſt, quibus dixit Dominus: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* &, *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* &, *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* &, *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* &, *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Dicunt enim illi, qui in cælo & in terra miraculis coruſcant, qui & vſ-

Conc.Tol.I. can.11.

Conc.Agath. can 4.

Matth.28.20.

Matth.10.20.

Matth.18.18.

Ioan.20.22.

Luc.10.16.

que hodie nobiſcum viuunt, & cum ſucceſſoribus noſtris vſque in perpetuum viuent, quoniam apud Dominum eſt merces eorum: Si quis oblationes Eccleſiæ extra Eccleſiam accipere, vel dare voluerit, præter conſcientiam Epiſcopi, vel eius cui huiuſmodi officia commiſſa ſunt, nec cum eius voluerit agere conſilio, anathema ſit. Anathema autem interpretatur in Romana lingua alienatio: quia omnis talia faciens, quamdiu in illis peccatis manet, licet nos Epiſcopi, qui in Apoſtolis, & cum Apoſtolis, non noſtro merito, ſed gratia diuina, ligandi & ſoluendi poteſtatem accepimus, interdum tardi, interdum diuini ſenſus ignari, interdum quæ committantur neſcientes, aliquando etiam commiſſa, vt expedit, corrigere non valentes, quæ ſtatuta ſunt exequi diſſimulemus, vel etiam negligamus, vt talem hominem ab Eccleſia, & fidelium ſocietate excommunicantes non ſegregemus: iam tamen à ſacris canonibus excommunicatus & prædamnatus eſt, donec peccatum illud deſerat, & per ſatisfactionem Eccleſiaſticam, & ſacerdotalem reconciliationem, Domini gratiam, & fidelium ſocietatem recipiat. Et quicumque in peccatis ſuis, & talibus ſceleribus implicatus, ante ſatisfactionem neceſſariam, vitam iſtam finierit, communionem & ſocietatem cum electis in regno Dei habere nullatenus poterit; nec de inferni pœnis, & dæmonum ſocietate vmquam liberari valebit. Sed ſunt forte tales, qui priuilegia de locis & rebus Deo dicatis, ſanctorum manibus confirmata, parui pendentes ſibi, quia volunt, non quia poſſunt, excommunicationes vſurpatoribus rerum & facultatum Eccleſiaſticarum à ſanctis Domini intentatas alleuiant, dicentes ſe pro hoc inlata damnatione, id eſt anathematis vinculo, non teneri. De quibus S. GREGORIVS in epiſtola ad Theoctiſtam patriciam dicit: Ipſi, inquiens, ſibi teſtes ſunt, quia Chriſtiani non ſunt, qui ligamenta ſanctæ Eccleſiæ vanis ſe æſtimant conatibus ſoluere; ac per hoc nec abſolutionem ſanctæ Eccleſiæ, quam præſtat fidelibus, veram putant, ſi ligaturas eius valere non æſtimant. Contra quos diutius diſputandum non eſt, quia per omnia deſpiciendi & anathematizandi ſunt: & vnde ſe fallere veritatem credunt, inde in peccatis ſuis veraciter ligantur. Si qui ſunt igitur, qui ſub nomine Chriſtiano hæc aut prædicare audent, aut taciti apud ſemetipſos tenere, eos & ego, & omnes catholici Epiſcopi, atque vniuerſa Eccleſia, anathematizamus, quia veritati contraria ſentiunt, & contraria loquuntur. Rapinæ quoque, & deprædationes, quæ in iſtis regnis iam ex conſuetudine ſic ab omnibus pene tenentur, quaſi peccata non ſint, aut quaſi leuia peccata ſint, ſanctus Paulus Apoſtolus, per quem locutus eſt Chriſtus, & qui antequam mortis debitum ſolueret, ad tertium cælum & paradiſum fuit raptus, vbi ſtuduit ſecreta Domini verba, inter mortalia crimina ea poſuit dicens: *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare. Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt.* & iterum dicit: *Si quis fornicator eſt, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibum ſumere.* id eſt cum tali non homine, ſed cum tali diabolo, non licet Chriſti diſcipulo, id eſt Chriſtiano homini, ante ſatisfactionem, id eſt correctionem atque emendationem, & dignam pœnitentiam, cibum ſumere. Sanctus quoque

Concil. Gangr. can. 7. — Ioã P. III. cap. 181. — 1. Cor. 6. 9. — 1. Cor. 5. 11.

Ioannes Apoſtolus electus & dilectus Chriſti, qui in cœna ſuper pectus eius recubuit, talem hominem etiam ſalutare vetat: *Nec aue ei*, inquiens, *dixeris: neque in domum eum receperis. Qui enim dicit ei Aue, communicat operibus eius malignis.* Et item ſanctus Paulus dicit vnicuique Chriſtiano: *Nec communicaueris peccatis alienis.* Et Dominus, quando venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & in aduentum eius omnes homines reſurgent cum corporibus ſuis, & reddent de factis propriis rationem, ſe in iudicio dicturum promittit in Euangelio, his qui peccata ſua eleemoſynis redimere cùm poſſent noluerunt: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Vnde cogitandum eſt raptoribus, quò ibunt illi qui aliena rapiunt, ſi in infernum ibunt qui eleemoſynas non fecerunt. Et item Dominus per Eſaiam prophetam dicit raptoribus: *Rapina pauperis in domo veſtra.* &, *Lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt: & exclamatio eius ſuper deducentem eas, à maxilla in cælum coram Deo aſcendunt, & Dominus non delectabitur in illis*, ſcilicet viduæ lacrymis, qui pater orphanorum, & defenſor viduarum, queritur contra iudices dicens: *Cauſa viduæ non ingreditur ad eos.* Quapropter ſciant raptores, in cuius domo, ſiue corporis, ſiue manſionis, rapina eſt pauperis, quia non habitat in illa domo Spiritus ſanctus, ſed ſpiritus malignus. Et ſi accedit ad communionem corporis & ſanguinis Chriſti ante dignam ſatisfactionem, non mundatur per illam communionem à peccato, ſed pleniùs poſſidetur à diabolo: ſicut Iudas, quando in cœnam Dominicam plenus rapina, & iniquitate, & auaritia atque cupiditate, communicare præſumpſit de manu Domini ſaluatoris. Et fortè tales erunt, cùm hæc audierint, qui dicant, Non communicabimus. Sed ſciant; quia ſicut Dominus dixit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum*, ita dixit: *Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* & ſicut dixit, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit*: ita etiam dixit, *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die, & non morietur in æternum.* Propterea nullum aliud reſtat ſalutis refugium, niſi vt declinet quiſquis vult ſaluus fieri ab iſtis malis, & ab aliis mortalibus criminibus, & per pœnitentiam reconcilietur Deo, & communicet viuificis myſteriis, vt viuere valeat in æternum. Nihil enim prodeſt vlli homini ſi Chriſtianus vocatur, ſi opera Chriſti, quæ præcepit ipſe Chriſtus, non fecerit. immo etiam magis ad ſuum iudicium Chriſtianus vocatur, qui ſub nomine Chriſti idola colit diaboli. Ipſa enim veritas, quæ Deus eſt, proteſtatur, quia qui ſeruit mammonæ (ſic enim dæmon diuitiarum præpoſitus appellatur) diabolo ſeruit, vel idola colit diaboli: qui ſeruit luxuriæ, voluntati carnis pro Deo ſeruit. vnde ſcriptum eſt: *Gloria eorum in confuſione eſt*, id eſt in genitalibus membris, quæ vulgo verecunda appellantur. Deum quippe ſcriptura gloriam appellauit, quæ dicit de Iudæis, *Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Sed & de eis, qui gloriantur, quando ſua libidine caſtitatem expugnant, & aliorum toros maculant, hæc quæ ſupra idem dicit Apoſtolus, *Gloria in pudendis eorum qui terrena ſapiunt.* & alibi ſcriptura: *Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Contra quod præcipit vt *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Qui ſeruit auaritiæ, idola colit, ſicut Paulus dicit, & *auaritiam quæ*

[Margin: 2.Ioan.10. — 1.Tim.5.22. — Matth.25.41. — Eſa.3.14. — Eccl.35.18. — Eſa.1.23. — Ioan.3.5. — Ioan.6.53. — Marc.16.16. — Ioan.6.55. — Philip.3.19. — Pſal.105.20. — Philip.3.19. — Prou.2.14. — 1.Cor.1.31. — Coloſſ.3.5.]

eſt idolorum ſeruitus. Qui ſeruit gulæ & ebrietati, ventrem pro Deo colit:
Philip.3.19. vnde item dicit: *Quorum Deus venter eſt.* Quæ ita non vtique ad dignitatem dominantium, ſed ab infelicitate famulantium, ſic appellat Apoſtolus. Qui fratrem ſuum, id eſt Chriſtianum hominem, iniuſtè per potentiam opprimit; aut pro acceptione munerum iuſtitiam facit, diabolum imitatur, & iuſtitiam vendit, quæ Chriſtus eſt, ſicque ſimilis Iudæ eſt. Qui veritatem peruertit pro inuidia, aut veritatem reticet, aut dicit pro muneribus, diabolum imitatur, & Iudæ ſimilis eſt. Et ſic de ceteris vitiis intelligendum eſt. & cui vitio quiſque ſeruit, illi diabolo ſubiectus eſt, qui eidem vitio præpoſitus eſt, & cum eo ſine fine torquebitur, niſi dignè antea pœnituerit. Et ne principes terræ, vel quilibet Chriſtiani, dicant, Epiſcopis presbyteris & monachis iſta ſtrictiora præcepta dedit Deus, nos qui homines laici, & ſæculares ſumus, hæc omnia adtendere non valemus: audiant quid
Ioan.8.47. Dominus in Euangelio dicat: *Qui eſt ex Deo verba Dei audit. propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Et qui non eſt ex Deo, certum eſt, quia ex diaboli parte eſt. Et quid lucrabitur, ſi etiam totum mundum habuerit, & animæ ſuæ detrimentum patietur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Idcirco quicumque eſt homo, audiat dicentem ſibi Domi-
Mich 6.8. num per prophetam: *Indicabo tibi homo quid ſit bonum: facere iudicium & iuſtitiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Hæc fratres & filij, in quocumque ordine, & dignitate ſit quiſque Chriſtianus, ad vos ex Domino mandata
Ezech.33.7. dirigimus, qui de omnibus hominibus dicit omni Epiſcopo: *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me.* Ex me, inquit, & non ex te. Propterea hæc ſicut Domini mandata ſuſcipite: cuius potentiæ non poteſtis, & cuius voluntati atque mandato non debetis reſiſtere, ſi non vultis vt veſtri proprij inimici ſaluti veſtræ obſiſtere. Nos autem talia vobis tacere nec poſſumus, nec audemus, quibus Dominus per prophetam dicit, quòd ſi non adnuntiauerimus vobis, ſanguinem veſtrum de manu noſtra requiret. Et ab illis patribus, & prædeceſſoribus noſtris, quorum vices tenemus in terris, coram Domino, degradamur in cælis, ſi non exequimur, quæ illi ſtatuerunt regulis diuinitus inſpiratis. Quapropter ſi vos ab his vnde commonemini quantocius nó correxeritis, ſicut illi in cælo, & nos in terra, vnà cum Apoſtolicæ ſedis Præſule, & omni ſacerdotũ vnanimitate, vos à Chriſti & fidelium eius conſortio ſegregabimus. Quod ne nos agere compellatis, vos pro Chriſto & veſtra ſalute obnixiùs deprecamur. Vos autem ſi mandatis Domini cis obedire ſtudueritis, & veſtram ſalutem, præſentem ſcilicet & futuram agetis; & gloria atque corona noſtra coram Deo eritis, qui de vobis reddemus illi in die iudicij rationem: ſicut & vos de vobis ipſis, & de omnibus vobis commiſſis rationem eſtis ſine dubio reddituri. Et ideo multo ſtudio ſatagite, vt in illa tremenda die ab iniquorum conſortio ſegregati ſitis. quod tunc erit ſi modò à diabolicis & malis operibus, atque à peruerſis hominibus vos ſeparaueritis: vindicantes contra diabolum, & vitia atque peccata, honorem veſtrum, qui homines ad Dei imaginem facti eſtis. Ad hoc enim, ſicut ſcriptum eſt, vt Deum timeat, & mandata eius cuſtodiat, factus eſt omnis homo, propter quem factus eſt Deus homo. Qui cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS

Epiſtola, Synodi eiuſdem iuſſu & auctoritate ſcripta ad Rodulfum Bituricenſem, & Frotarium Burdigalenſem, Metropolitanos Aquitaniæ, de nuptiis Stephani, & filiæ Regimundi Comitis.

Nunc primùm in lucem edita ex Codice Floriacenſi, & aliis.

HINCMARVS nomine, non merito, Remorum Epiſcopus, ac plebis Dei famulus, reuerentiſſimo Bituricenſium Archiepiſcopo & cariſſimo fratri Rodulfo, & Frotario fratri & honorabili Burdegalenſium Archiepiſcopo, cum omnibus prouinciarum veſtrarum Epiſcopis venerabilibus, plurimam optat in ſaluatore ſalutem. NVPER Synodo Epiſcoporum XIV. prouinciarum, Lugdunenſium videlicet, Rotomagenſium, Turonenſium, Senonum, Viennenſium, Arelatenſium, Veſontionenſium, Moguntinenſium, Agrippinenſium, Treuirorum, Remorum, Bituricenſium, Burdegalenſium, Narbonenſium, apud Tuſiacum villam Tullenſis parochiæ, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLX. Indictione IX. menſe Nouembrio habita, delatæ ſunt litteræ querelam Regimundi Comitis aduerſus Stephanum depromentes. quia videlicet iſdem Regimundus filiam ſuam præfato Stephano legaliter ad coniugij copulam dederit: ſed ipſe non illa vtatur vt coniuge, eo quòd, vt fatetur, cum aliqua eiuſdem puellæ propinqua quondam carnali commercio ſe miſcuerit: ſed cum qua, vel quàm proxima affinitate coniuncta, indicare non velit. Hic litterarum ſenſus, ſi ritè remetior, quarum verba non teneo, conſtitit in Synodo recitatus. Vnde licet talis accuſatio non mereretur ſynodaliter obtinere reſponſum, quia nemo quemquam per ſcriptutam abſens poteſt regulariter accuſare. & ſi legaliter filiam ſuam alteri nuptum tradidit, eam à ſua poteſtate dimiſit: pro qua ex hoc negotio, quod fortè vtrum ita an non ſit latere poterat, aut aliter quàm ſit dictum interpretari, illum cui eam tradidit canonicè accuſare non poterat. Qua de re accuſationem, ſiue interpellationem aduerſus maritum ſuum, ſi neceſſitas poſtulat, vxor debet conſerere conſilium autem pater debet: pro illa exinde quærere, vel correctionem viri eius, ſuadendo, vel ſuggerendo modis quibus potuerit, & ipſe agere ſatis. Sed quoniam hæc ratio per tres circiter annos à plurimis ventilatur: & ambo viri nobiles & illuſtres, & iuxta ſæculi dignitatem potentes, ſi inter ſe hinc diutiùs diſſident, maximum ſcandalum in Eccleſia, & detrimentum in regno ob hoc accidere poterit; & quia iſdem Stephanus ibidem in domni regis erat obſequio: viſum eſt Synodo, vt eum accerſeret, & quid de his diceret, per ipſum reſciret. Vocato autem vt hæc relata fuere, poſt quædam ſuæ reſponſionis obloquia, petiit vt tantummodo cum Epiſcopis ſibi loqui liceret. Et recedentibus aliis, quæ ſibi viſa fuerunt Epiſcopis intimauit. Cui inter cetera dixerunt Epiſcopi, quia de talibus, ex quibus Regimundi locutæ ſunt litteræ, & quæ per omnium pene ora in regnis plurimis ventilentur, ei non ſecretum dare conſilium, neque priuatum decernere poſſent iudicium. Quapropter & ipſe, quod hinc apud ſe erat, in omnium dixit velle venire notitiam, & neceſſarium obtinere conſilium, & ſalubre ſibi decerni iudicium. Vellet tamen priùs, vt Synodus patienter eius audiret ſententiam, & tunc demum ſibi donaret conſilium, & promulgaret iudicium. Et vt perſonam illius inducamus loquentem. Vt adſolet, inquiens Stephanus, in fragili iuuentutis ætate cum quadam femina iuuene mihi conuenit. Sed & quando tempus mihi aduenit, vt more prædeceſſorum meorum legitimum coniugium peterem, vnà cum conſenſu parentum & amicorum meorum, ipſius Regimundi, vt nobilis viri, filiam meis natalibus competentem apud eum in coniugem legaliter petij, & obtentam legaliter deſponſaui. In me autem reuerſus, & ſciens quid fecerim, ad cõfeſſorem meum perrexi, & conſilium eius quæſiui: vt quoniam iuuenis femina, cum qua carnali commercio mixtus fueram, propinqua iſtius puellæ extitit, & audieram quòd à

quarto genu, & in reliquum pertinentes ſibi copulari non valerent, vtrum cum hac deſponſata mihi puella ſub pœnitentia occultè manens, ſine mea & ipſius æterna damnatione, in connubio illam mihi potuiſſem coniungere. Qui oſtendit mihi librum, quem vt ſpero Canones appellauit, & legit coram me, quoniam quamdiu poteſt affinitatis propinquitas computari, mihi, nec cuiquam Chriſtiano, cum cognata ſua, vel quam cognatus habuit, vel cum duabus cognatis ſalubriter liceret coniungi. & quamdiu in tali inceſtu maneremus, nec ego, nec illa, fructuoſam pœnitentiam agere poſſemus: neque talis inceſtus, niſi ſeparatione noſtra ab inuicem ſanari valeret. Interea accidit diſcordia inter domnum regem ſeniorem meum, & meam iuuentutem, in tantùm vt in illo regno ſolidè non poſſem ſubſiſtere. Propterea ex vtraque parte conſtrictus, nec frangere deſponſalia potui, nec eandem ſponſam meam in coniugem ducere auſus fui: ne cum diſcordia ſenioris mei, etiam ipſius Regimundi, & nobilium parentum eius, accumularetur diſcordia; & ſic aut de regno funditus pellerer, aut ſi in regno manere vellem, occumberem. Et ideirco per duo placita ſubterfugi, ne ſponſam meam in coniugem ducerem. Tandem autem neceſſitate compulſus, quia cauſa mihi de vita inſtabat, dotaui eam, & publicis nuptiis honoratam accepi. Sed ne illam, quæ adhuc ſana erat, mecum perderem, & mihi cumulatiùs perditionem adquirerem, intactam hactenus conſeruare diſpoſui. Et quoniam ita ſe rationis veritas per omnia habeat, & non dolo, neque odio, ſiue deſpectu alicuius, aut amore feminæ alterius, niſi ſicut vobis modò Deo teſte narraui, hoc egerim: qualicumque modo vobis placet, per meipſum, & per parentes, atque amicos, ſeu fideles meos, hoc vobis verum eſſe ſacramento, vel alio quolibet conueniente modo demonſtrabo: &, ſi vultis ac quæritis, quantoſcumque ſeruos meos decernitis inde in iudicium mitto. & quale conſilium mihi inde ſecundum Deum ad meam ſalutem, & ſecundum ſæculum ad competentem honorem, & ad pacificationem Regimundi, & ad ſaluamentum & honorem ipſius puellæ dederitis, paratus ſum in omnibus, quibus valuero, obedire. Auditum autem eum Synodus iuſſit ſecedere. & dicentibus ſingulis, prout cuique viſum fuit, decretum eſt, vt vos comprouinciales Archiepiſcopi, cum Coepiſcopis veſtris, in regni illius conuenienti loco & tempore Synodum condicatis, & placitum fiat, vbi princeps cum primoribus terræ interſit: ne quod abſit ex vtraque parte, cum parentum & amicorum auxilio, illuſtres iſti viri conuenientes, operante diabolo, ſeditioſus valeat exoriti tumultus. Et hanc cauſam rex, cum viris nobilibus, inter vires nobiles pacificare procuret. Vos autem Epiſcopali auctoritate, & canonica diffinitione eam dirimere, & ad debitum atque ſalubrem terminum ſtudeatis perducere. Reuocato autem Stephano, conditio iſta illi propoſita, & ab eo eſt gratiſſimè accepta. Huius autem rei modum, & ordinem diffinitionis, quoniam puſillitas intelligentiunculæ meæ, quid exinde ſentiret, iuſſa Synodo ſuggerere ſtuduit, communi conſenſu ſanctæ vnanimitati complacuit, vt ea litteris commendaret, & ſapientiæ veſtræ, ſicut tunc fuerunt in Concilio acceptata, tranſmitteret. Et ideirco non quaſi neſcientibus hæc quæ ſequuntur vobis neceſſaria, nec vt arrogans mihi auctoritatem ſpecialis ſcientiæ, vel iactãs diffinitionis audaciam, ſed vt Eccleſiæ ac veſtet omnium videlicet ſeruorum Domini ſeruus, & plebis dominicæ famulus, quamquam non vt debui, tamen vt potui, deuotionis obedientia colligere, & collecta vobis tranſmittere procuraui. In quibus nihil de ciuili iudicio, cuius cognitores non debemus eſſe Epiſcopi, ponere, ſed quæ Eccleſiaſticæ definitioni noſcuntur competere, quantum occurrit memoriæ, breuiter ſtudui adnotare. Ordinem iudicij de nondum ſponte confeſſis, vel apertè conuictis, quoniam aliter nemo, vt Leo Papa decernit, poteſt regulariter iudicari, ſanctus Gregorius in commonitorio ad Ioannem defenſorem demonſtrat dicens: Primùm vt iudicium ordinabiliter fiat, quatenus ſint alij accuſatores, & alij teſtes: deinde vt cauſarum qualitas, ſi digna exilio, vel condemnatione ſit, exploretur: & præſente eo qui accuſatur, ſub iureiurando contra eum teſtimonium proferatur, & ſcriptis actuum inferatur: & accuſatus licentiam reſpondendi & defendendi ſe habeat. Sed & de perſonis accuſantium & teſtificantium ſubtiliter eſt quærendum, cuius conditionis, cuiuſve opinionis, aut ne inopes ſint, aut ne fortè aliquas contra accuſatum inimicitias habeant: & vtrum teſtimonium ex auditu dixerint, aut certè ſpecialiter ſe ſcire teſtati ſint: & vt ſcriptis iudi-

» cata partibus præſentibus ſententia reci-
» tetur, & ſic omnia ſolemniter roborentur.
De manifeſta autem, & nota plurimis cauſa, vel quæ ita confitetur vt iſta, ſi tamen ita & puella dixerit, vt Stephanus profitetur, quia ſæpè inter maſculos audimus & feminas, quia quod alter dicit, alter ſæpenumero denegat: non ſunt quærendi teſtes, vt ſanctus Ambroſius in epiſtola ad Corinthios dicit, de fornicatore exponēs
» ſententiam Apoſtoli: Iudicis, inquit, non
» eſt, ſine accuſatore damnare: quia & Do-
» minus Iudam, cùm fur eſſet, quia non eſt
» accuſatus, minimè abiecit, cognito opere
» iſto pellendum illum fuiſſe de cœtu fra-
» ternitatis. omnes enim crimen eius ſcie-
» bant, & non arguebant. Publicè enim no-
» uercam ſuam loco vxoris habebat. in qua
» re neque teſtibus opus erat, neque tergi-
» uerſatione aliqua poterat tegi crimen. ET PAVLO POST. Abſens facie præſens autem auctoritate ſpiritus, qui nuſquam abeſt, iam iudicaui vt præſens eum qui hoc admiſit. Quapropter neceſſe eſt, vt Stephanus puellam adducat ad Synodum, & pater ipſius puellæ veniat, & interrogetur puella, ſi verum eſt quod Stephanus dicit, ſe illam hactenus ſeruaſſe intactam. Et quoniam de altera femina audiuimus, quia volens liberari à coniuge, perſuaſa ſuper ſe aliqua quæ non erant, vt fertur, iam dixerit: debita et libertas tribuatur, & periculum indicetur, ne perſuaſa pro veritate mendacium fateatur. Et ſi dixerit ita vt Stephanus, tunc ſi neceſſe fuerit, credulitas rationi & auctoritati conueniens ſacramento exinde ſuſcipiatur, vel per conuenientem perſonam ſatisfactio, ſi ita neceſſitas exigit, iudicio expetatur, quia non pro dolo, neque pro alia qualibet cauſa, Stephanus ſe à carnali copula puellæ huius ſubtraxerit, niſi pro ea quam ipſe Synodo indicauit: videlicet quia cum puellæ ſibi deſponſatæ conſanguinea, & carnis cognatione propinqua, carnaliter concubuerit. Hoc enim S. Leo Papa, & beatus Gregorius in re dubia à presbytero, vel à quolibet tam viro quàm femina, nobili vel ignobili, per ſacramentum fieri manifeſtè decernunt, ſicut qui legere voluerit inuenire valebit. Inter cetera dicente beato iuniore Gregorio in epiſtola per Denualdum presbyterum directa ad Bonifacium Moguntinum Epiſcopum.
» In cauſa, inquiens, in qua certi non fue-
» rint teſtes, qui criminis inlati approbent
» veritatem, iuſiurandum erit in medio, &
» illum teſtem proferat accuſatus de inno-
centiæ ſuæ puritate, cui nuda & aperta «
ſunt omnia, habeátque conſcientiæ ſuæ «
teſtem, quem habebit & iudicem. Quæ «
ſacramenti purgatio, & in Eccleſiaſticis, & in exteris legibus vſitatiſſima, & de fidei veritate etiam à primis ſæculis eſſe conſtat exorta. Iudicium autem, non niſi pro pacis caritatiſque cōcordia, inter coæquales fieri ſolet: fit autem à ſubiectis ad ſatiſfactionem maiorum. quod in hac cauſa niſi ex placito fiat, non poteſt ex auctoritate requiri. Hinc autem cognita veritate, quoniam dictum eſt nobis, requiri à Stephano, vt feminam deſignet ex nomine, & certam propinquitatis adfinitatem demonſtret, pro cuius concubitu huic puellæ ſe non valet ſalubriter carnali copula commiſcere: quia contra rationem & auctoritatem Eccleſiaſticam, & Chriſtianæ deuotionis morem, ab eo queritur, ſi fortè ab eo quæritur, quæ ex hoc Apoſtolica decreuit auctoritas, & catholica tenet Eccleſia, hîc ponere dignum duximus. Leo vniuerſis Epiſcopis per Cam- «
paniam, Samnium, & Picenum, atque «
vniuerſas prouincias ſalutem. Magna in- «
dignatione commoueor, & dolore multo «
contriſtor, quòd quoſdam ex vobis com- «
peri, Apoſtolicę traditionis oblitos, & ſtu- «
dio ſui erroris intentos. Et poſt aliquanta. «
De pœnitentia ſcilicet, quæ à fidelibus «
poſtulatur, ne de ſingulorum peccatorum «
genere libello ſcripta profeſſio publice- «
tur, cùm reatus conſcientiarum ſufficiat «
ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſe- «
creta. Quamuis enim plenitudo fidei vi- «
deatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei «
timorem apud homines erubeſcere non «
veretur: tamen quia non omnium huiuſ- «
modi ſunt peccata, vt ea qui pœnitentiam «
poſcunt non timeant publicare, remouea- «
tur improbabilis conſuetudo, ne multi à «
pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut «
erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua «
facta reſerari, quibus poſſint legum con- «
ſtitutione percelli. Sufficit enim illa con- «
feſſio, quæ primùm Deo offertur, tunc «
etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœniten- «
tium precator accedit. Tunc enim plures «
ad pœnitentiam poterunt prouocari, ſi «
populi auribus non publicetur conſcien- «
tia pœnitentis. Et quoniam qualiter de- «
beat iniri coniugium, & vetus & noua lex edocet, Domino per Moyſem præcipiente, & Euangelio demonſtrante: *Cum eſſet,* inquit, *deſponſata mater* IESV *Maria Ioſeph, antequam conuenirent,* id eſt antequam nuptiali celebratione conuenirent, ſicut Matth 1.18

in nuptiis celebratis idem oſtendit, quas
ſua præſentia ſanctificare,& miraculo ibi-
deni patrato inluſtrare dignatus eſt. Sed
&S. Euariſtus, quarrus à B. Petro Romanæ
ſedis Epiſcopus, & S. Siricius, & B. Leo,
atque ceteri quique doctores oſtendunt.
quæ omnia hîc ponere propter pluralita-
tem & longitudinem deuitamus. Tantùm
dicere neceſſarium duximus, quia inter
ingenuos, & inrer æquales legitima ſunt
coniugia, cùm à parentibus, quorum in-
tereſt, petita, & legaliter deſponſata, & do-
tata, & publicis nuptiis honorata, femina
coniugij copulæ ſociatur, & ex duobus
vnum corpus vnáque caro efficitur, ſicut
Gen.2.24. ſcriptum eſt, *Erunt duo in carne vna.* iam
Matth 19.6. non duo, ſed vna ſunt caro. &, *quod Deus
iunxit, homo non ſeparet.* De qua coniun-
ctione magnus Leo Papa ad Narbonen-
» ſem ſcribit Epiſcopum: Non omnis, in-
» quiens, mulier viro iuncta vxor eſt viri,
» quia nec omnis filius hæres eſt patris.
» Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos
» ſunt legitima, & inter æquales. ET PAVLO
» POST. Vnde cùm ſocietas nuptiarum ita
» ab initio conſtituta ſit, vt prærer ſexuum
» coniunctionem, haberet in ſe Chriſti &
» Eccleſiæ ſacramentum: dubium non eſt
» eam mulierem non pertinere ad matri-
» monium, in qua docetur nuptiale non
» fuiſſe myſterium. Er nos è regione hinc
etiam oſtendere poſſumus, quia non om-
nes nuptiæ coniugalem copulam faciunt,
quas non ſequitur commixtio ſexuum:
ſicut nec ſemper illius eſt filius omnis &
hæres, cuius eſſe noſcitur hæres. Nec ha-
bent nuptiæ in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſa-
cramentum, ſicut B. Auguſtinus dicit, ſi
ſe nuptialirer non vtuntur, id eſt ſi eas non
ſubſequitur commixtio ſexuum. Nec per-
tinere poterit illa mulier ad matrimo-
nium, cum qua docetur non fuiſſe com-
mixtio ſexuum: ſicut dubium non eſt
eam mulierem non pertinere ad matri-
monium, in qua docerur nuptiale non
fuiſſe myſterium. Quod ita eſſe præfatus
» Leo demonſtrat dicens: Vnde cùm ſo-
» cietas nuptiarum ita ab initio conſtituta
» ſit, vt præter ſexuum coniunctionem ha-
» beret in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramen-
» tum. ET ITEM IDEM: Igitur, inquiens,
» qui filiam ſuam viro habenti concubinam
» in matrimonium dederit, non ita acci-
» piendum eſt, quaſi eam coniugato dede-
» rit: niſi fortè illa mulier & ingenua facta,
» & legitimè dotata, & publicis nuptiis ho-
» neſtata videatur. Paterno arbitrio viris
» iunctæ carent culpa, ſi mulieres, quæ à vi-
tis habebantur, in matrimonio non fue- «
runt. Quibus ſententiis euidenter oſten-
dit, quia tunc eſt vera legitimi coniugij
copula, quando inter ingenuos, & inter
æquales ſit, & paterno arbitrio viro mu-
lier iuncta, legitimè dotata, & publicis
nuptiis honeſtata, ſexuum commixtione
coniungitur. Et tunc habent nuptiæ in ſe
Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum, & tunc
pertinere noſcitur mulier illa ad matri-
monium, in qua & ſexuum commixtio,
& nuptiale docetur fuiſſe myſterium. De
quo myſterio Paulus Apoſtolus ad Ephe-
ſiós dicit, *Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum* Ephes.5.
diligit. Nemo enim vmquam carnem ſuam 28.&c.
*odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut &
Chriſtus Eccleſiam. quia membra ſumus cor-
poris eius, de carne eius, & de oſſibus eius.
Propter hoc relinquet homo patrem & matrem
ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in
carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt. ego
autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Hinc
S. AMBROSIVS myſterij ſacramentum
grande in vnitate viri ac feminæ eſſe ſi-
gnificat. nec hoc tantùm prodit, ſed aliam
cauſam, quæ non diſcordet à memorato
myſterio, flagitat, quam ſcit ad profectum
humani generis pertinere, hoc eſt Eccle-
ſiæ & ſaluatoris. vt ſicut relictis parenti-
bus homo vxori ſuæ adhæret, ita & relicto
omni errore Eccleſia adhæreat, & ſubii-
ciatur capiti ſuo, quod eſt Chriſtus. Quo-
niam vna natura in viro & femina eſt: id-
circo vir quaſi ſeipſum & mulierem dili-
gere commonetur. Naturali ratione mu-
lier portio corporis viri eſt: ac per hoc vir
in muliere ſeipſum diligit. quomodo ſi
fornicetur, in ſeipſum peccat: quia duo in
carne vna ſunt. Non ergo perſonæ ſub-
ſtantiam diuidunt, vt per perſonas nume-
rus fiat naturæ; ſed ſunt in vnitate natu-
tæ. Et S. AVGVSTINVS in libro de nuptiis
& concupiſcentia dicit: Sanè non tan- «
tùm fœcũditas, cuius fructus in prole eſt, «
nec tantùm pudicitia, cuius vinculum fi- «
des eſt, verùm etiam quoddam ſacramen- «
tum nuptiarum commendatur fidelibus «
coniugatis. vnde dicit Apoſtolus: *Viri* « Ephes.5.25.
diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus di- «
lexit Eccleſiam. Huius proculdubio ſacra- «
menti res eſt, vt mas & femina connubio «
copulati, quamdiu viuant, inſeparabiliter «
coniuncti perſeuerent: nec liceat, excepta «
cauſa fornicationis, à coniuge coniugem «
dirimi. Hoc enim cuſtoditur in Chriſto «
& in Eccleſia, vt viuens cum viuente in «
æternum nullo diuortio ſeparetur in ciui- «
tate Domini noſtri, in monte ſancto eius. «

hoc

»hoc eſt in Eccleſia catholica. Et ſanctus
GREGORIVS in epiſtola ad Theoctiſtam
»patriciam dicit: Per ſe enim veritas dicit,
Matt.19.4. »*Quod Dominus iunxit, homo non ſeparet.* quæ
»etiam ait: *Non licet dimittere vxorem ex-*
»*cepta cauſa fornicationis.* Scimus enim quia
Gen.2.24. »ſcriptum eſt: *Erunt duo in carne vna.* Si
»igitur vir & vxor vna caro ſunt, & religio-
»nis cauſa vir dimittit vxorem, vel mulier
»virum in hoc mundo remanentem, vel
»fortaſſe ad inlicita migrantem, quæ eſt
»iſta conuerſio, in qua vna eadémque caro
»ex parte tranſit ad continentiam, & ex
»parte manet in pollutione? Si verò vtriſ-
»que conueniat continentem vitam duce-
»re, hoc quis audeat accuſare? quando cer-
»tum eſt, quia omnipotens Dominus, qui
»minora conceſſit, maiora non prohibuit.
»ET POST ALIQVANTA. Si verò conti-
»nentiam, quam vir appetit, vxor non ſe-
»quitur; aut quam vxor appetit, vir recu-
»ſat, diuidi coniugium non licet: quia ſcri-
1.Cor.6.7. »ptum eſt, *Mulier ſui corporis poteſtatem non*
»*habet, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſta-*
tem corporis ſui, ſed mulier. Et in epiſtola ad
Hadrianum Panormitanum: Nam, in-
»quit, excepta fornicationis cauſa, virum
»vxorem relinquere, diuina lex nulla ra-
»tione concedit: quia poſtquam copula-
»tione coniugij viri atque mulieris vnum
»corpus efficitur, non poteſt ex parte con-
»uerti, & ex parte in ſæculo remanere. Et
S. AVGVSTINVS in libro de bono coniu-
»gij: Ad hoc enim nuptiæ ſunt, vt illa con-
»cupiſcentia, redacta ad legitimum vincu-
»lum, non deformis & diſſoluta fluitaret,
»habens de ſeipſa irreſtænabilem carnis
»infirmitatem, de nuptiis autem indiſſolu-
»bilem fidei ſocietatem: de ſeipſa progreſ-
»ſum immoderatè coeundi, de nuptiis mo-
»dum caſtè procreandi. Debent ergo ſibi
»coniugati non ſolùm ipſius ſexus ſui com-
»miſcendi fidem, liberorum procreando-
»rum cauſa, quæ prima eſt humani generis
»in iſta mortalitate ſocietas: verumetiam
»infirmitatis inuicem excipiendæ, ad inli-
»citos concubitus euitãdos, mutuam quo-
»dammodo ſeruitutem: vt etſi alteri eo-
»rum perpetua continentia placeat, niſi ex
»alterius conſenſu, continere non poſſit.
»Ad hoc enim vxor non habet poteſtatem
»corporis ſui, ſed mulier: vt & quod non
»filiorum procreandorum, ſed infirmitatis
»& incontinentiæ cauſa expetit, vel ille de
»matrimonio, vel illa de marito, non ſibi
»alterutrum negent; ne per hoc incidant
»in damnabiles corruptelas, tentante Sa-
»tana, propter incontinentiam vel ambo-

rum, vel cuiuſquam eorum. ET ITEM IN
EODEM LIBRO. Generationis itaque cau-«
ſa fieri nuptias Apoſtolus ita teſtis eſt: «
Volo, inquit, *iuniores nubere*: & quaſi ei di-« 1.Tim.5.14.
ceretur, Vt quid? continuò ſubiecit, *filios*«
procreare, matres familias eſſe, ad fidem ca-«
ſtitatis illud pertinere, *Vxor autem non ha-*« 1.Cor.6.7.
bet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter«
& vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed«
mulier, ad ſacramenti ſanctitatem & illud, «
vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſe-« 1.Cor.7.10.
rit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, «
&, *vir vxorem ne dimittat.* Hæc omnia bo-«
na ſunt, propter quæ nuptiæ bonæ ſunt, «
proles, fides, ſacramentum. ET IN LIBRO
De nuptiis & de concupiſcentia: In nu-
ptiis tamen bona nuptibilia diligantur, «
proles, fides, ſacramentum: ſed proles, «
non vt naſcantur tantùm, verùm etiam vt«
renaſcantur. Naſcitur namque ad pœ-«
nam, niſi renaſcatur ad vitam. fides au-«
tem, non qualem habent inter ſe etiam«
infideles zelantes carnem: quis enim vir, «
quamlibet impius, vult adulteram vxo-«
rem? aut quæ mulier, quamlibet impia, «
vult adulterum virum? Hoc enim in con-«
nubio bonum naturale eſt quidem, car-«
nale tamen. ſed membrum Chriſtiani«
coniugis adultero coniugi debet timere, «
non ſibi, & à Chriſto ſperare fides præ-«
mium quod libet coniugi. Sacramentum«
verò, quod nec ſeparati & adulterati amit-«
tunt coniuges, concorditer caſtéque cu-«
ſtodiant. Solum eſt enim, quod etiam ſte-«
rile coniugium tenet iura pietatis, iam ſpe«
fœcunditatis amiſſa, propter quam fuerat«
copulatum. Hæc bona nuptialia laudet«
in nuptiis, qui laudare vult nuptias. ET
IN GENESI ad litteram. Quod bonum«
habent nuptiæ, & quod bonæ ſunt nu-«
ptiæ, peccatum eſſe numquam poteſt. «
Hoc autem tripertitum eſt, fides, proles, «
ſacramentum. In fide attenditur, ne præ-«
ter vinculum coniugale cum altera, vel«
altero concumbatur: in prole, vt amanter«
ſuſcipiatur, benignè nutriatur, religiosè«
educetur: in ſacramento, vt coniugium«
non ſeparetur, & dimiſſus, aut dimiſſa, nec«
cauſa prolis alteri coniungatur. Hæc eſt«
tamquam regula nuptiarum, qua vel na-«
turæ decoratur fœcunditas, vel inconti-«
nentiæ regitur prauitas. Nunc cum his
quæ ſancti doctores dicunt de nuptiis,
conferamus Stephani nuptias, non haben-
tes amorem prolis, ſed neceſſitatem vi-
tandi exilij, ſiue mortis: non habentes
ſeruandæ coniugalis caſtitatis fidem, ſed
incurrendi inceſtus mortiferi non parui

» epiſtolæ Pauli ad Epheſios: Quomodo ita-
» que Chriſto ſubiecta eſt Eccleſia, ſic ſub-
» iecta ſit vxor viro ſuo. Quem enim haber
» principatum & ſubiectionem Chriſtus &
» Eccleſia, huic eidē ordini maritus & vxor
» adſtringitur. Sed videndum, vt quomodo
» in Chriſto & in Eccleſia ſancta coniun-
» ctio eſt, ita & in viro & in muliere ſancta
» ſit copula. Sicut autem non omnis con-
» gregatio hæreticorum Chriſti Eccleſia di-
» ci poteſt, nec caput eorum Chriſtus eſt;
» ſic non omne matrimoniū, quod non viro
» ſuo ſecundum Chriſti præcepta coniun-
» gitur, ritè coniugium appellari poteſt, ſed
» magis adulterium. De quibus ita ſacri definiunt canones: Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebūt ineundi melioris coniugij libertatem. Et in Synodo apud Liptinas habita, cui ſub Karlomanno principe Georgius Epiſcopus, & Ioannes ſacellarius, ac S. Bonifacius, ex præcepto Zachariæ Papæ præſederunt, legitur, vt ſi vir mulieri deſponſatæ, dotatæ, ac publicis nuptiis ductę, ſecundum Apoſtolum debitum coniugale non potuerit reddere, & hoc aut amborum confeſſione, aut certa qualibet adprobatione fuerit manifeſtum, vt ſeparentur, & mulier, ſi ſe continere nequiuerit, alteri viro legaliter nubat. Videlicet, quia ſecundum diffinitionem S. Leonis Papæ, & traditionem doctorum ſuperiùs demonſtratam, dubium non eſt, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua coniunctione ſexuum non docetur Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum, hoc eſt nuptiale fuiſſe myſterium. Multo magis autem huiuſmodi, de quo agitur, ſeparato coniugio, aliam legaliter adire licebit copulam, cui concubitum non contradixit impotentia carnis, ſed reuerentia mentis. In copula verò coniugali, in qua deſponſatione, dotatione, & nuptiarum ſacramento, corporis ſcilicet vnitate, Chriſti & Eccleſiæ docetur fuiſſe myſterium, niſi morte corporis intercedente, coniugij non poterit ſolutio fieri, ſicut Euangelica & Apoſtolica teſtatur auctoritas, & omnium catholicorum doctorum chorus. Et B. Avgvstinvs in libro de adulterinis coniugiis dicit: Quoniam ſi vel pro intolerabili ac diuturna infirmitate concubitum vir exercere, aut femina ſuſtinere nequiuerit, nec etiā pro ſterilitate, ſeu religionis continentia, aut pro alia qualibet excepta fornicationis cauſa, vir & vxor, legaliter & carnali commixtione coniuncti, ſeparari valebūt. Quapropter hanc legem à Domino audientes diſcipuli dixerunt: *Si hæc cauſa ita cum vxore habetur, non expedit nubere.* Non tamen pro hoc Dominus ſuam mutauit ſententiam. Vnde & Leo ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum ſcripſit, vt ſi per bellicam cladem, & grauiſſimos hoſtilitatis incurſus, ita quædam fuerint diuiſa coniugia, vt abductis in captiuitatem viris, feminæ eorum remanſerint deſtitutæ, quæ viros proprios, aut interemptos putauerint, aut numquam à dominatione hoſtium crediderint liberandos, in aliorum coniugum amplexus ſolitudine cogente trāſierint, quia à Domino ſcriptum eſt, *Iungitur mulier viro, &, quod Deus iunxit, homo non ſeparet,* ſi reuerſi, vel raptæ reuerſæ fuerint coniuges, legitima fœdera nuptiarum redintegranda perdocuit. Nec tamen tamquam peruaſorem quemquam iudicari, qui perſonam eius mariti vel vxoris, qui vel quæ iam non æſtimabatur, adſumpſit: ſed inculpabile iudicandum quod neceſſitas intulit, & reſtituendum quod fides popoſcit. Mulieres autem, vel viros, poſteriorum virorum vel vxorum delectatione captos, & ad priorum coniugum amorem redire nolentes, communione priuari decreuit. Et quia Eccleſiaſticæ regulæ de his etiam definitionis ſententiam proferunt, qui ſponſalitiorum fidem infringunt, videtur nobis, non ſecundum auctoritatem promendo, ſed conſilium, ſi fortè vobis ita viſum fuerit, dando, vt quia Stephanus, ſi ſponſalitiorum fidem fregiſſet, ſecundum legem ciuilem multam eorumdem ſponſalitiorum iudicaretur componere: & ipſa puella post deſponſalitia dotem acceptam, quam de ſeipſa, ſi carnaliter iungeretur, mercari debuerat, vt eandem dotem habere non debeat, non ipſa, ſed Stephanus, vt videtur, commiſit; habeat loco multæ ſponſalitiorum dotem à Stephano ſibi datam, & cum eadem dote patri reſtituatur, & nubat parentum conſilio cui vult, tantùm in Domino, ſitque pax inter parentes eius & Stephanum. Et ne quis argutè his quæ poſuimus volens reſiſtere dicat, Si dos manebit, & deſponſalitia, atque celebratæ nuptiæ non negantur, quomodo eſſe poterit, vt & Stephanus maritus, & illa vxor non maneant? aut quomodo ille alteri feminæ, & illa alteri viro ſe ſine adulterio coniungere poterunt? præſertim cùm idem ſanctus Avgvstinvs in præfato libro de bono coniugij dicat: Si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequa-

Matth. 19. 10.

Matth. 19. 6.

tur, manet tamen in illis ordinatis ſacramentum ordinationis: & ſi aliqua culpa quiſquam ab officio ſuo remoueatur, ſacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamuis ad iudicium permanente: ſic & in iſtis deſponſatione, dotatione, & nuptiis permanentibus, coniugale vinculum permanebit, & alteri nemo eorum, niſi cuiuſlibet ex eis morte intercedente, ſine adulterio ſe poterit iungere. Audiat, ſi quis hæc fuerit conatus opponere, quia de dotalitio puellæ habendo, non niſi propter pacificationem parentum eius & Stephani, loco multæ fractorum ſponſalitiorum diximus, quam multam ſi diſſoluto dotalitio puellæ parentes exigere maluerint, aut vtraque indulgere, vel vtraque repoſcere, ipſi viderint, & legibus ciuilibus eorumdemque pacificationi exinde conueniat. Nos autem, quod ad nos pertinet, aſſurè fortè quærenti reſpondemus, quoniam hanc comparationem de ordinandis poſitam beatus Auguſtinus, non de imaginaria viri & vxoris coniunctione, ſed de incorporata per ſexuum commixtionem copulatione poſuit, ſicut in proximè præcedentibus inſit: Sequentur, inquiens,
» agnum pueri cantantes canticum
» nouum, ſicut in Apocalypſi ſcriptum eſt,
» qui cum mulieribus ſe non contaminauerunt.
» nec ob aliud, niſi quia virgines permanſerunt.
» Nec ideo ſe arbitrentur meliores
» eſſe primis patribus ſanctis, qui nuptiis,
» vt ita dicam nuptialiter vſi ſunt. Eatum
» quippe vſus ſe ita habet, vt ſi quid in
» eis per carnis commixtionem fiat, quod
» excedit generandi neceſſitatem, quamuis
» venialiter factum, contaminatio ſit. ET
» POST PAVLVLVM. Bonum igitur nuptiarum,
» per omnes gentes atque homines in
» cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis.
» quod autem ad populum Dei pertinet,
» etiam in ſanctitate ſacramenti, per quam
» nefas eſt etiam repudio diſcedentem alteri
» nubere, dum coniunx eius viuit, nec
» ſaltem ipſa cauſa pariendi, quæ cùm ſola
» ſit qua nuptiæ fiunt, nec ea re non ſubſequente,
» propter quam fiunt, ſoluitur vinculum
» nuptiale, niſi coniugis morte. Et
ſtatim de ordinatione cleri ad plebem ſuppoſuit. Sub quo ſenſu in libro de nuptiis & concupiſcentia dicit: Ita manet
» etiam inter viuentes quiddam coniugale,
» quod nec ſeparatione, nec cum altero copulatione
» poſſit auferre. Manet autem ad
» noxam criminis, non ad vinculum fœderis.
» ſicut apoſtatæ anima, quæ de coniugio
» Chriſti recedens, etiam fide perdita ſacramentum
fidei non amiſit, quod lauacro regenerationis «
acceperat. Redderetur enim «
proculdubio redeunti, ſi amiſiſſet abſcedens. «
Et in præcedentibus ipſius libri dicit de ſacramento nuptiarum: Propterea, «
inquiens, ſacramentum nuptiarum tem- «
poris noſtri, ſic ad vnum virum & vnam «
vxorem redactum eſt, vt Eccleſiæ diſpen- «
ſatorem non liceat ordinari, niſi vnius «
vxoris virum. Quod acutiùs intellexe- «
runt, qui nec eum, qui catechumenus vel «
paganus habuerit alteram, ordinandum «
eſſe cenſuerunt. De ſacramento enim agi- «
tur, non de peccato. Nam in baptiſmo «
peccata omnia dimittuntur. Sed qui di- «
xit, ſi acceperis vxorem non peccaſti, & ſi nupſerit virgo non peccat, & quod vult faciat, non peccat ſi nubat, ſatis declarauit nuptias nullum eſſe peccatum. Propter ſacramenti autem ſanctitatem, ſicut femina, etiamſi catechumena fuerit vitiata, poſt baptiſmum in Dei virginem conſecrari, ita non abſurdè viſum eſt, eum qui exceſſit vxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quandam amiſiſſe ſactam, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam. Et hinc dicat, ſi quis ad hæc quæ prædiximus opponere attentauerit, ſi nunc Stephanus morte præuentus fuerit, & illa intacta, ſicut hactenus manet, permanſerit, & nubere non voluerit, quia catechumena vitiata, poſt baptiſmum in Dei virginem conſecrari non poterit, vtrum hæc in ſacram virginem ab Epiſcopo conſecrari valebit, qui non niſi virginem in virginitatis profeſſione, vel in legitima coniugij copula, ſacrare debet: ſicut nec Epiſcopus fieri, qui præter virginem & vnam duxit vxorem. Dicat etiam, ſi poſt mortem Stephani virgo permaneat, & ſe continere non poterit, & nubere magis quàm continere elegerit, vtrum fratri eiuſdem Stephani copulari valebit. Quibus cùm contradicere non valebit, aut in quæſtione ſua deficiat, aut ei noſtra ſolutio ſatiſfaciat. Et hæc in vita Stephani, de conſecratione ſi delegerit, vel de maritatione ſi maluerit puella, fieri poſſe ratione & auctoritate monſtrante cognoſcat. ſciat que vt traditione maiorum docuimus propter talem deſponſationem, dotationem, atque pro talibus nuptiis, ſicut iſtæ fuerunt, non eſſe coniugium, quibus defuit coniunctio ſexuum, ac cum prolis ſpe fidei ſacramentum. quæ vt plurimum in omni ſalutari actione, tum etiam in hoc

negotio, in quo per nuptiale myſterium vir & vxor vna caro efficiuntur, ſed in baptiſmate operoſiùs operatur, quo per fidei ſacramentum, non ſolùm generaliter omnis Eccleſia corpus Chriſti, vt dicit Apoſtolus, & plenitudo fit eius, verùm ſingillatim ſingulus quiſque fidelis Chriſto incorporatus membrum eius efficitur. Vnde S. BEDA in homilia Euangelij dicit: Nam videtur, inquiens, qui »baptizatur in fontem deſcendere, videtur »aquis intingui, videtur de aquis aſcende»re: ſola autem fidelium pietas nouit, quia »peccator in fontem deſcendit, ſed purificatus aſcendit. Ceterùm oculis inſipientium videtur talis exire de fonte, qualis intrauit, totúmque ludus eſſe quod agitur. Et in hac deſponſatione, doratione, atque in his nuptiis, totum ſimulatio fuit, non veritas. Propterea ſicut S. Leo, de his qui formam tantùm baptiſmi ſine ſanctificationis virtute ſuſceperunt, decernit vt Epiſcopali confirmatione firmentur: ita hæc non coniugij fides, ſed copulationis imago, Eccleſiaſtica functione ſoluatur, & in eo qui indiget Eccleſiaſtica medicina ſanetur. Ceterùm ſi hæc quæ poſuimus ſtudioſis vel curioſis nequaquam ſufficiunt, apponere adhuc etiam alia properamus. Ait enim beatus AVGVSTINVS in libro de nuptiis & concupiſcentia: Re»linquet homo, inquiens, patrem & ma»trem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt »duo in carne vna. Quòd magnum ſacra»mentum dicit Apoſtolus in Chriſto & in »Eccleſia. Quod ergo eſt in Chriſto & in »Eccleſia magnum, hoc in ſingulis quibuſ»que viris atque vxoribus minimum, ſed »tamen coniunctionis inſeparabilis ſacramentum. Quapropter legaliter & nuptialiter copulati, excepta cauſa fornicationis, ſeparari non poſſunt: & cauſa fornicationis ſeparati, aut permanere innupti, aut mutuo debent recõciliari, ſicut Euangelica & Apoſtolica docet auctoritas & Africana Synodus definiuit: Placuit, in»quiens, vt ſecũdum Euangelicam & Apo»ſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab »vxore, neque dimiſſa à marito, alteri con»iungatur; ſed ita maneant, aut ſibimet re»concilientur. Quòd ſi contempſerint, ad »pœnitentiam redigantur. Et quia vxor à marito, vel maritus ab vxore, niſi cauſa fornicationis, non valet neque debet diſcedere, ex hac Euangelica & Apoſtolica doctrina beatus AVGVSTINVS in libro primo de adulterinis coniugiis ad Pollen»tium dicit: Quis eſt qui dicat, ſi diſceſſerit mulier à viro non fornicante, vt innupta permaneat, cùm ei niſi à viro fornicante diſcedere omnino non liceat? Et item hanc ſolam cauſam fornicationis Dominus magiſter excepit, cùm de dimittenda loqueretur vxore: deditque intelligi talem formam etiam à viro eſſe ſeruandam, quoniam non ſolùm mulier, non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir, ſed ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier. & propterea, niſi ex communi conſenſu, non valent etiam propter cõtinentiam ſeparari. adeo vt ſi vir contra voluntatem mulieris conuerſus tondeatur, aut mulier ſine voluntate viri conuerſa veletur, mulieri vir, vel viro mulier, à S. Gregorio in epiſtola ad Secũdum Tauromintanum Epiſcopum, & in epiſtola ad Hadrianum Panormitanum, iubeatur reſtitui. Si autem ex communi conſenſu ſe mutare permiſerint, & quilibet eorum ſe inde retraxerit, ad conuerſionem ſuum ſequi parem præcipitur. Cauſa autem fornicationis vir aut mulier ab inuicem diſcedentes, propter ſacramentum nuptialis coniunctionis, aut innupti quouſque alter eorum moriatur manebunt, aut ſibi recõciliari ſtudebunt. Reconciliatio autem, poſt pœnitentiam & recõciliationem ſacerdotalem eius qui peccauit, fieri debet, vt priùs reſtituatur Eccleſiæ ſacramento, & poſtea nuptiali myſterio. Et hinc S. AVGVSTINVS in ſecundo libro de adulterinis coniugiis dicit: Licitè itaque dimittitur coniunx ob cauſam fornicationis, ſed manet vinculum pudoris, propter quod fit reus adulterij qui dimiſſam duxerit etiam ob hanc cauſam fornicationis. Sicut enim in ſe manente ſacramento regenerationis excommunicatus cuiuſquam criminis reus, nec illo ſacramento caret, etiamſi numquam reconcilietur Domino: ita ſi manente in ſe vinculo fœderis coniugalis, vxor dimittitur ob cauſam fornicationis, nec carebit illa vinculo, etiamſi numquam reconcilietur viro: carebit autem, ſi mortuus fuerit vir eius. reus verò excommunicatus ideo numquam carebit regenerationis ſacramento, etiam non reconciliatus, quoniam numquam moritur Deus. Remanet itaque vt, ſi ſapere ſecundum Apoſtolum volumus, non dicamus virum adulterum pro mortuo deputandum, & ideo licere vxorẽ eius alteri nubere. Quamuis enim ſit mors adulterium, nõ corporis, ſed quod peius eſt, animæ; non tamen de ipſa morte loquebatur Apoſtolus, cùm diceba: *Quòd* 1. Cor. 7.39.

» *ſi mortuus fuerit vir eius, cui vult nubat:* ſed de » illa ſola qua de corpore exitur. Et item » in eadem: Hæc namque alligatio quan» doquidem non ſoluitur, etiamſi per repu» dium coniux à caſta coniuge ſeparetur, » multo minùs ſoluitur, ſi non ſeparata mœ» chetur. Ac per hoc non eam ſoluit niſi » mors coniugis, non in adulterium cor» ruentis, ſed de corpore exeuntis. Qua» propter ſi receſſerit mulier ab adultero » viro, & ei reconciliari non vult, maneat » innupta. & ſi dimiſerit vir adulteram mu» lierem, & eam non vult recipere, nec poſt » pœnitentiam, cuſtodiat cõtinentiam, etſi » non voluntate eligendi potioris boni, cer» tè ex neceſſitate vitandi pernicioſi mali.

Et hinc latiùs in præfatis libris doctor facundiſſimus diſputat, ſicut qui intelligenter legerit, neſcire non poterit. Sed et in primo libro de nuptiis & concupiſcentia dicit, quia lauacro regenerationis, & verbo ſanctificationis, omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundantur, atque ſanantur, non ſolùm peccata, quæ omnia tunc remittuntur in baptiſmo, ſed etiam quæ poſteriùs humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur: non vt baptiſma, quoties peccatur, toties repetatur; ſed quia ipſo, quod ſemel datur, fit vt non ſolùm antea, verùm etiam poſtea, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodeſt vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur; vel poſtea, niſi præcederet? Et in epiſtola ad Bonifacium ſcribit: Non aliquid remanet in baptiſmo, quod non dimittatur, præteritorum omnium peccatorum, ſi tamen ipſe baptiſmus non fruſtra foris habeatur, ſed aut intus detur, aut ſi foris datur, non foris cum illo remaneatur. Et quicquid ab eis, qui poſt acceptum baptiſmum hic viuunt, humana infirmitate contrahitur quarumcumque culparum, propter ipſum lauacrum dimittitur. Hinc liquidò demonſtratur, quia ſicut ſemel acceptum baptiſmi ſacramentum, quo quiſque fidelis in vnitate catholicæ Eccleſiæ Chriſto incorporatur, poſtea nulla interueniente cauſa amittitur: ſic & vinculum coniugale, legaliter & nuptialiter celebratum, indiſſolubiliter manet connexum, licet fornicationis cauſa, vel quacumque de cauſa videatur ſeparatum. Cauſa verò fornicationis ſeparatum, ſi poſt pœnitentiam fuerit reunitum, non tamen ideo erit reiteratum, quia permanet vnum. Sed ſi in continentia pœnitentiali, quod, magis pœnitentibus conuenit, manere coniuges non valebunt, reconciliatione medicinali ex conſenſu mutuo, poſt Eccleſiaſticam reconciliationem, indulgentia computabitur eſſe ſanatum: ſicut nec baptiſmum, quoties peccatur, toties reiteratur, ſed pœnitentiæ medicamento per reconciliationem Eccleſiaſticam, non iteratum creditur, ſed diuina gratia reparatur. Reparari autem de non amiſſo eo modo dicitur, ſicut mens & corpus Euchariſtiæ perceptione reparari, & ſatisfactione congrua renouari mentis noſtræ ſpiritus legitur. Et ſicut quæ ante baptiſmum, vel poſt baptiſmum humana ignorantia vel infirmitate peccantur, baptiſmatis munere eſt vt dignis pœnitentiæ fructibus remittantur: ita nuptiarum bono defenditur, ne crimina habeantur, quæ ab Apoſtolo ſecundum indulgentiam conceduntur: illa videlicet, quæ concupiſcentia impellente non niſi coniugibus conceduntur. tantùm vt cum legaliter nuptis naturaliter concumbatur. Naturaliter autem dicimus, quia de Gen 38.10. Ona legitur, quòd cum vxore naturaliter non concumbens interiit percuſſus à Domino. Vnde beatus Avgvstinvs in libro de bono coniugij, & de nuptiis & concupiſcentia, & in aliis ſuis libris, ſuffi cientiſſimè diſputat. Sed & ibidem inter alia dicit: Quod ergo præcipiunt Apoſtoli coniugibus, hoc eſt nuptiarum: ſcilicet, vxori vir debitum reddat, & vxor viro, & filios procreate, matres familias eſſe. Quod autem venialiter concedũt, aut quod impedit ad orandum, non cogunt nuptiæ, ſed ferunt. Et ſicut opera bona ad ſalutem æternam non proſunt ſine baptiſmatis ſacramento: & non eſt baptiſmum verum, quia non eſt ſecundum ſcripturam vnum, id eſt in vnitate catholicæ fidei vnicum, ſi catholicè non fuerit celebratum: ſic & legitimum & verum non poteſt eſſe coniugium, in quo docetur nuptiale non eſſe myſterium, vel quod non docetur nuptialiter copulatum. Vnde & Dominus de nuptiis Ioannem volentem nubere, vt tradunt hiſtoriæ, non poſt celebratas nuptias, ſed de nuptiis, & ante carnis copulationem, vocando retraxit, qui legem non ſoluere, ſed adimplere venit. De cuius ſcilicet Ioannis futura vxore, niſi eum Dominus, non ſolùm ante carnis vnionem, verùm & ante nuptiarum percelebrationem, reuocaret, ſicut de beati Petri vxore, quæ continentiſſimè perſeuerauit, non legitur vtrum in continentia manſerit, an ſecundum legem

veterem, vt ſemen in Iſraël relinqueret, alij fortè nubere delegerit: in cuius arbitrio hoc non maneret, ſi poſt legales nuptias fuiſſent nuptialiter copulati. nec Ioanni eſſet licitum, ſecundum Euangelij documentum, ſi deſponſatam, dotatam, & publicis nuptiis honoratam duxiſſet, etiam ante vnionem carnis relinquere, ſi non delegiſſet ex conſenſu in continentia permanere, ſed aliam ducere. Sicut non licet Stephano iſtam, quam deſponſauit, dotauit, & publicis nuptiis honorauit, licet ei non ſit mixtus, relinquere, & aliam cum pœnitentia, vel ſine pœnitentia ducere, niſi in iſtius concubitu inceſtale malum potuiſſet interuenire: ſed aut ex conſenſu cum ipſa in continentia Stephanus permaneret, aut ſi ſe continere non poſſet, cum ea nuptialiter copulatus maneret. Si autem ſine inceſtu, cum hoc debito ordine commixti forent, niſi ex mutuo conſenſu propter continentiam ſeparari non poſſent, aut propter fornicationem ſeparati, vel innupti permanere, vel ſibimet reconciliati deberent. & ſi cum inceſtu fuiſſent coniuncti, ſeparatione eorum ac pœnitentia adulterium ſecundum auctoritatem canonicam ſanari deberet. Et hæc ſibimet ita concinere ſacra demonſtrat auctoritas, dicens de Maria & Ioſeph: *Antequam*, inquit, *conuenirent*, id eſt antequam nuptiarum ſolemnia ritè celebrarent. Verbo enim conueniendi, non ipſum concubitum, ſed nuptias quæ præcedere ſolent concumbendi tempus inſinuat, quando ea quæ priùs deſponſata fuerat, eſſe coniux incepit. ET PAVLO POST. *Voluit occultè dimittere eam.* Videns Ioſeph ſponſam concepiſſe ſuam, quam bene nouerat à nullo viro fuiſſe adtactam, cùm eſſet iuſtus, & iuſtè omnia vellet agere, optimum duxit, vt neque hoc aliis proderet, neque eam ipſe acciperet vxorem, ſed mutato occultè nuptiarum propoſito, in conditione eam ſponſę manere pareretur vt erat. Sed ſi eam occultè dimitteret, neque acciperet coniugem, & illa ſponſa pareret, nimirum perpauci eſſent, qui eam virginem, & non potiùs autumarent eſſe meretricem, & quaſi adultera lapidaretur à Iudæis. Vnde & ſacri canones in Capitulo, in quo de parentibus, qui fidem ſponſalitiorum frangunt, decernentes prouidentiſſimè ſtatuerunt adiungere: Si tamen, inquiunt, ſponſus vel ſponſa in graui „ crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt „ parentes. quia quod parentes fidei fractæ

Matth. 1. 18.

Matth. 1. 19.

Conc. Elib. cap. 54.

debuiſſent iudicium punitionis ſuſtinere, ad eos iam qui meruerant pertinebit. Et vt ad ſuperioris exempli ordinem redeamus, propterea conſilium Ioſeph repentè conſilio meliore mutatur, vt videlicet ad conſeruandam Mariæ famam, ipſe eam celebrato nuptiarum coniugio coniugem acciperet, ſed caſtus caſtam perpetuò cuſtodiret, vt ſequitur: *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in ſomnis apparuit ei dicens, Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* De cuius coniugij genere Siricius ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum ſcripſit, dicens: De coniugij violatione requiſiſti, ſi deſpon- « ſatam alij puellam alter in matrimonium « poſſit accipere. Hoc ne fiat modis omni- « bus inhibemus: quia illa benedictio, quam « nupturæ ſacerdos imponit, apud fideles « cuiuſdam ſacrilegij inſtar eſt, ſi vlla tranſ- « greſſione violetur. Et in Concilio Ancy- « rano: Deſponſatas puellas, & pòſt ab aliis « raptas, placuit eruì, & eis reddi, quibus « antè fuerant deſponſatæ, etiamſi eis à ra- « ptoribus vis inlata conſtiterit. Quæ ſupra- « taxato ordine non modò ſponſæ, verùm etiam quaſi coniuges factæ, etiam violenter corruptæ, ita ſponſis reddendæ ſunt, ſicut etiam ſeparati, ſiue fornicationis cauſa, & abſque mutuo conſenſu diſiuncti coniuges reiungendi ſunt: fornicationis autem cauſa ſeparati, aut innupti manebunt, aut ex conſenſu ſibimet mutuo reconciliabunt. De nuptiatis autem, ſed innuptis, id eſt de nuptiarum celebratione, in quibus arræ ſponſaliorum, & benedictio ſacerdotalis, & dotationis confirmatio, & Chriſti atque Eccleſiæ myſterium ad completionis perfectionem dirigitur, ſed non carnis vnione completur, ſed conſilium bonum, vt de Ioſeph diximus, conſilio meliore mutatur, vt in continentia perpetuò maneatur, ibidem iterum ſcriptum eſt: *Exſurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut ei præceperat Angelus Domini, & accepit coniugem ſuam, & non cognoſcebat eam.* Accepit autem ad nomen coniugis, ob cauſas neceſſarias quæ tunc imminebant: & non cognoſcebat eam ad opus coniugale, ſed vterque in continentia permanebant. Quod & Paulus licenter fieri poſſe in epiſtola prima ad Corinthios, & Auguſtinus in libro primo de nuptiis & concupiſcentia demonſtrat dicens: Quibus verò placuerit ex conſenſu ab vſu carnalis concupiſcentiæ in perpe- « tuum continere, abſit vt vinculum inter « illos coniugale rumpatur: immo firmius «

Matth. 1. 20.

Cap. 4.

Conc. Ancyr. can. 10.

Matth. 1. 24.

» erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, » quæ carius concordiuſque ſeruanda ſunt, » non voluntariis corporum nexibus, ſed » voluntariis affectibus animorum. Neque » enim fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Matth.1.20. Ioſeph: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, & reliqua, quæ latiùs ibidem proſequitur. Qua de re his edocti teſtimoniis ſacræ auctoritatis, quicumque deſponſatas, dotatas, publicis nuptiis honoratas vxores ingenuas, vel ob hoc factas ingenuas duxerint, aut in perpetua continentia maneant, aut niſi hoc crimen inceſtuale, vel aliud quodlibet prohibuerit, quod in ſe vel ſecum non recipit Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum, nuptialiter nubant, ſi ſe ex conſenſu continere non poterunt, & non niſi fornicationis cauſa diſiungantur: qui diſiuncti, aut innupti permaneant, aut ſi continere non poſſunt, ſibi poſt pœnitentiam reconcilientur. Vbi autem, vt in Stephani nuptiis, periculum cum periculo vitandum emerſerit, minus periculum ad maius deuitandum periculum, vt ſanctus Gregorius in libris docet Moralium eligatur: ſed & ipſum quod eligitur periculum non negligatur, verùm dignis pœnitentiæ fructibus, videlicet piis operibus, & profuſis lacrymis, ne æternaliter periculum maneat, ſed ſalutari remedio temperetur, aut penitus euadatur, apud omnipotentis Domini miſericordiam optineri modis omnibus ſatagatur. Nos autem hæc his idcirco interponere neceſſarium duximus, quia quoſdam, etiam qui ſe doctores eſſe dicebant, audiuimus pertinaci contentione intendere, quaſi ex verbis beati Ambroſij, & ſancti Auguſtini, quæ parum diligenter intenderant, virum non fornicantem, & à fornicatore muliere diſcedentem, aliam illa viuente ducere poſſe, & quæ cauſa fornicationis à viro receſſerit, non poſſe reconciliari, illam autem quæ non cauſa fornicationis, ſed alia qualibet receſſerit, aut reconciliari, aut innuptam debere remanere. Non aduertentes, quia ſic adulterino ſenſu interpretabantur verba Apoſtoli, ſicut & illi, contra quos olim beatus Auguſtinus iſtos libros deſcripſerat, & Africana Synodus, quæ præmiſimus, definiuit, quando & Cæleſtianos euiſcerauit, & ipſas etiam Pelagianorum medullas excuſſit. Nec mirum. ſic enim prauo erant infecti dogmate, ſicut & moderni Prædeſtinatiani, qui veterum prædeſtinatianorum hæreſim, quaſi de ſancti Auguſtini verbis compilatam inſtaurare laborant. Quorum capita confregit, & verticem capillorum perambulantium in delictis ſuis conquaſſauit, atque contriuit beatus Cæleſtinus Papa in epiſtola decretali ad Venerium, & ceteros Gallicanos Epiſcopos: & iſdem beatus Auguſtinus in libro de correptione & gratia, & de prædeſtinatione ſanctorum, ac bono perſeuerantiæ. Sed & S. Proſper, ex delegatione ſedis Apoſtolicæ, in abſolutionibus obiectionum Gallorum, Vincentianorum, atque Maſſilienſium, in libris etiam de vocatione gentium, catholico ſenſu, & perfecta euidentiſſimæ rationis facundàque doctrina eorum argumenta diſſoluit. Verba autem eorumdem auctorum, vnde imperiti magiſtri talia inſulſa captarunt, hîc poneremus, ſi non pro ſolutione nodum componere vitaremus. Addendum etiam neceſſarium duximus, vt his ſanctorum ſententiis cognoſcamus, nuptias, quas concubitus pro quibuſdam cauſis non ſequitur, ſolui poſſe, & propter incontinentiam feminas ad alias conuolare valere. Sed ſubtilis inueſtigatio, & rationabilis diſcretio in his priùs eſt adhibenda, vtrum quaſi naturaliter in viris ſit huiuſmodi commixtionis impoſſibilitas, (quia & ſunt eunuchi, ſicut ſcriptum eſt, qui de matris vtero ſic nati ſunt,) an hoc impedimentum operatione diaboli, ſicut fieri adſoler, illis accidit. Quòd ſi per ſortiarias, atque maleficas, occulto, ſed numquam vel nuſquam iniuſto, Domini iudicio permittente, & diabolo operante accidit, 33.q.1 Si per ſortiarias. hortandi ſunt quibus iſta eueniunt, vt corde contrito, & ſpiritu humiliato, Deo & ſacerdoti de omnibus peccatis ſuis puram confeſſionem faciant, & profuſis lacrymis, ac largioribus eleemoſynis, & orationibus, atque ieiuniis, Domino ſatisfaciant, cuius iudicio, pro ſuo merito, & ab illa benedictione priuari inuiti meruerūt, quam Dominus primis parentibus ante peccatum in paradiſo donauit, qua etiam poſt peccatum genus humanum in totum priuari non voluit: & per exorciſmos, atque cetera medicinæ Eccleſiaſticæ munia, miniſtri Eccleſiæ tales, quantum annuerit Dominus, qui Abimelech ac domum eius Abrahæ orationibus ſanauit, Gen.20. ſanare procurent. Qui fortè ſi ſanari non poterunt, ſeparari valebunt. Sed poſtquam alias nuptias expetierint, illis in carne viuentibus, quibus iunctæ fuerint, prioribus quos reliquerant, etiamſi poſſibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt. Inceſtuoſas autem

tem nuptias, propter inceſtus crimẽ, quod habere non poteſt, vt priùs diximus, & iterum dicimus, Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum, non debere manere, ſed crimen ſeparatione & pœnitentia debere ſanari noſcamus. Stephani verò nuptias, de quibus agitur, ne inceſtus admittatur, debere diſſolui modis omnibus cognoſcamus: & nuptias quæ nuptiale habent myſterium, non quacumque alia, niſi ſola fornicationis cauſa, poſſe diſſolui, docente veritatis auctoritate teneamus. Quoniam etſi cõmuni conſenſu continentiam vouerint coniuges, tanto obnixiùs, quanto ſpiritaliùs in Domino iuncti manebunt: quorum coniunctioni, ac indiuiſæ ſeparationi, nulla ſimulatio in oculis eius interuenire valebit, qui cordium ac renium ſcrutator eſſe dinoſcitur. Vnde Stephanus pro fornicatione, de qua, niſi coactus neceſſitate eam publicaret, ſecreta confeſſione pœnitentiam agere poterat, & quia ſacro nuptiarum myſterio, licet neceſſitate cõpulſus, ſimulationis culpam ſuperinduxit, ſicut ille qui zizaniam tritico ſuperſeminare non metuit: & quoniam poſt tale connubium, antequam legaliter diſſolueretur, quod quaſi legaliter viſum fuit initum, alios prauo exẽplo deſtruens, concubina vſus fuiſſe dicitur, iuxta modum culpæ, cum pietatis modeſtia, quia reuerentiam Deo exhibuit, ne inceſtum fornicationi adiungeret, à proprio Epiſcopo ſecundum eius arbitrium, quia canones ſic decernunt, pœnitentiam regularem ſuſcipiat, & cum dignis pœnitentiæ fructibus peragat, vt qui ſuo neglectu Eccleſiam, & multos Eccleſiæ filios ſcandalizare præſumpſit, Eccleſiæ & eius rectoribus atque filiis ſatisfaciat, & poſt ſatiſfactionem, ſi ſe continere non poterit,

Decret. cap. 15. Conc. Tolet. VI. can. 8.

iuxta ſententiam magni Leonis Papæ ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, & ſecundum decreta ſancti Toletani Concilij, copulam vxoris legitimæ expetat, ne iterum fornicationis crimen incurrat. In quo tamen, cum eodem patre loquentes ſanctiſſimo, non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus. Nam ſecundum veram cognitionem nihil magis ei congruit qui pœnitentiam agit, quàm caſtitas perſeuerans, & mentis, & corporis. Cui ne laqueum iniiciamus, remedij manum porrigimus, non impetium actionis imponimus. Quia etiam ſanctus Siricius de benedictione ſponſarum in decretis ſuis quædam ponere ſtuduit. De quibus, quod notum eſt, ſacri canones decernunt, & nos exinde aliqua diximus, & plura alia diceremus, ſi his nuptiis, de quibus loquimur, benedictionem ſacerdotalem datam fuiſſe ex more Eccleſiaſtico audiremus. Sed quibus debita fides defuit, locum benedictio ſacerdotalis non habuit. præſertim cùm ſcriptum ſit, *In quamcumque domum intraueritis, primum dicite pax huic domui. ſi fuerit ibi filius pacis, requieſcet ſuper illam pax veſtra: ſin autem, pax veſtra ad vos reuertetur.* Matth. 10.11.
& Petrus de Domino & fidelibus dicit: *Fide purificans corda eorum.* & item ſcriptum eſt: Act. 15.9.
Omnia opera eius ex fide. & item: *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Rom. 14.23.
Et vbi peccatum manet, ante congruam ſatiſfactionem benedictio locum non habet. Nihil enim, vt beatus dicit Gregorius, prodeſt oratio, vbi iniqua eſt actio. Poſt hæc omnia, ſi Regimundus filiam ſuam recipere non voluerit, aut illa in ſua libertate manere decreuerit, indicandum eſt eis, quoniam ſi ipſa ſtuprum quodcumque conſenſerit, ad illum, vel ad illam, non autem ad Stephanum, quod perpetratum fuerit pertinebit. Debetis etiam vos, ſancti antiſtites, & Regimundo & Stephano, atque illorum parentibus & amicis, ex diuino mandato ſuggerere, intimare, atque præcipere, vt pacem inter ſe, quam Dominus præcepit, & ſine qua eum niſi ad iudicium videre non poterunt, habeant: & terræ principes cum primoribus debent ſatagere, ne pro hac cauſa in Eccleſia, & in regno, ſcandala & ſeditiones fiãt. Quod qui eorum obedire contempſerit, iuxta Euangelicum præceptum, ſicut ethnicus & publicanus efficiatur: & ſecundum Apoſtolum, qui non obedit verbo notetur, vt nemo ei commiſceatur. & qui hanc pacis doctrinam non receperit, nullus ei aue dicat, vt non communicet peccatis eius, & ſicut canones decernunt, oblatio eius nec in ſacrario recipiatur. & qui ad pacem redire noluerit, tam diu excommunicatus maneat, quamdiu ad pacem redire contempſerit, & ad caritatem, quæ operit multitudinem peccatorum, quantocius redire feſtinet. Et item in canonibus ſcriptum eſt, vt de Concilio bini vel terni iudices ad quæque diffinienda delegantur atque mittantur, quæ Eccleſiaſtico debent examinari ac definiri iudicio, & alibi rationabiliùs atque conuenientiùs, quàm in eodem Concilio, poterunt definiri. & quiſquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare iudi-

cibus, eùm hoc primæ ſedis Epiſcopo fuerit probatum, det litteras vt nullus ei communicet donec obtemperet. Qua de re ſancta Synodus vos, qui primatum ſedium regni Aquitaniei eſtis, ad hanc cauſam diffiniendam, cum Coepiſcopis veſtris, & principibus, ac terræ illius primoribus, eligere ſtuduit, quorum diffinitioni ſine ſuo periculo, & excommunicationis inuectione, quiſquis vobis obtemperare diſtulerit, euadere non valebit. Hæc de Euangelica veritate, & Apoſtolica atque canonica auctoritate, ſeu catholicorum doctrina & traditione, ſicut Synodus ſancta iuſſit, pro mediocritate ingenioli mei colligere ſtudui. De quibus, ſicut audiui quoniam quidam faciunt, nemo contra me debet iraſci: quia non meo ſenſu mea verba compoſui, neque quod meum non eſt mihi arrogare præſumpſi, neque ſtatuendo vel imperando in hac cauſa, quod non eſt meum, quiddam ſcribere proeuraui, nullius præiudicans ſanæ ſententiæ, nec dehonorans auctoritatem, aut ad obſequendi quemquam cogere volens neceſſitatem. Sed cum B. Leone ſcribente ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, dilectiſſimam atque reuerentiſſimam fraternitatem veſtram commoneo, quia ſicut quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione conuelli, ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum oporteat temperari: illa ſemper conditione ſeruata, vt in his quæ vel dubia fuerint, aut obſcura, id nouerimus ſequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum inueniatur aduerſum.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA III.
Ad Adonem Archiepiſcopum Viennenſem.

De diuortio inter Lotharium regem, & vxorem eius Teutbergam, ſatisfaciens conſultis Adonis.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Adoni Archiepiſcopo.

Epiſt. 59. QVIA ſanctitatis veſtræ pro ſtatu ſanctæ Dei Eccleſiæ feruentius inuigilare conſtantiam cernimus, & contra delinquêtium, immo præuaricatorum & ſanctarum legum violatorum, mores & actus per zelum rectitudinis vos erectos conſideramus, omnipotenti Deo gratias agimus, & veſtram ſanctitatem, vt in talibus illo adiuuante proficiat, ea auctoritate, quæ nobis per beatum Petrum principem Apoſtolorum conceſſa eſt, modis omnibus commonemus. & quantum illos, ſicut in veſtris nobis innotuiſtis litteris, praué atque incautè agere conſpicitis, tantum illis, freti auxilio diuinæ legis, per ſacerdotalem & pontificalem auctoritatem, nullius perſonæ habendo acceptionem, & prædicationis verbo noua & vetera proponendo, ne ſanguis eorum de manibus veſtris requiratur, hortamur reſiſtatis. Forſitan benigniſſima ac largiflua omnipotentis Dei clementia à proprio libitu eos reuocare dignabitur, & infra gremium Dominici gregis veſtro ſtudio atque labore recepti, de lucratione fraterna mercedis lucrum recipere mereamini: quia ecce inſtat tempus, vt aſcendatis ex aduerſo, & opponatis vos pro domo Iſraël murum, & ſtetis in prælio in die Domini. ET POST ALIA. De Capitulis, quibus nos veſtra beatitudo conſulere ſtuduit, ita reſcribere noſtra Apoſtolica ſollicitudo curauit ſecundum patrum ſanctiones.

CAP. I. Requiritis enim, ſi dimiſſa vxore, quam legitimè ſponſatam quis duxerit, quia nomen malum poſtmodum ei impoſuit, abſque decreto

generalis Synodi, liceat ei aut aliam accipere contra auctoritatem Euangelicam, aut illa ſuperſtite pro vxore concubinam habere. Quibus nos Apoſtolica auctoritate fulti ſecundum Euangelicam ſanctionem omnino reſiſtimus, & nec aliæ vxoris copulam eis qui talia agunt dimiſſa ſuperſtite habere concedimus, neque concubinam habendi licentiam tribuimus.

Cap. II. De eo ſi deſponſata neſciente ſponſo corrumpatur, & poſtmodum dote facta maritali more cum eadem idem ſponſus iacuerit; ſi poſtmodum intercepto tempore liceat ei ipſam, quaſi priùs ab alio corruptam, dimittere, & ſic aliam ducere, quaſi iſta non fuerit vxor, aut concubinam pro ea tenere. Nec hoc conſentimus, vt hi qui legitimo nuptiarum fœdere coniunguntur, & vnum corpus per aliquod temporis ſpatium efficiuntur, diuortium faciant. Sed quod priùs initio coniunctionis corruptæ percipiendo voluntariè tacuerunt, poſtmodum intercepto tempore ſuſtinendo, & ſi non voluntariè, inuiti cuſtodiant, etiam à concubinis omnimodo ſe abſtineant.

Cap. III. Si hi qui ſacras res Eccleſiis datas, & à fidelibus oblatas, quaſi à principibus ſibi indultas inuadunt, vaſtant, diripiunt, retinere præſumunt, auctoritate Epiſcopali excommunicandi & anathematizandi ſunt. De his quidem rebus, quæ ſemel Deo contributæ atque dicatæ ſunt, & poſtea ſub occaſione conceſſionis principum à quibuſdam inuaduntur, ſancimus, vt priùs conſulto principe, ad reſecandam tam præſumptiuam factionem, cognoſcendum vtrum illius ſit conceſſio, an inuaſoris præſumptio. Quòd ſi principis inordinata fuerit largitio, ipſe ſit princeps pro emendatione redarguendus: ſi autem inuaſoris declaratur præſumptio, vſque ad emendationem excommunicationis ſit vindicta coërcendus. Et post alia. Ioannem Archiepiſcopum Rauennatem ſciaris paternè ab Apoſtolica ſede receptum, & de errore quo accuſabatur ſacramento purgatum, ac vt Romanæ ſedi dignam reuerentiam exhibeat, tam ipſe, quàm ſucceſſores eius, ſuper corpora ſanctorum nobis iuratum fore. Libellos quos mandaſtis nobis dirigendos, quando ad nos iterum miſeritis, veſtræ ſanctitati dirigemus. Et post alia. Vt mala, quæ in regno Galliæ fiunt, zelo pietatis corrigantur & per vos, & per alios confratres noſtros, inſtantiſſimè elaboretis exhortamur, vt fortiſſimè in tot malis præparati reſiſtatis.

12. q. 2. De rebus quæ ſemel.

Nicolai Papæ Epistola IV.
Ad Vvenilonem Archiepiſcopum Senonenſem, & Coepiſcopos eius.

De Herimanni Epiſcopi Niuernenſis infirmitate.

Nicolavs Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, reuerentiſſimis ac ſanctiſſimis confratribus noſtris, Vvenilоni Archiepiſcopo Senonenſi, & Coepiſcopis eius. Epistolam ſanctitatis veſtræ, qua Apoſtolatus noſtri ſuper cauſa Herimãni Epiſcopi non immeritò expetere ſtuduiſtis reſponſum, vel qua more vniuerſalis Eccleſiæ, auctoritatis noſtræ efflagitare inſtructionem curaſtis, accepimus. Sed antequam ad conſulta veſtra mentis oculum inclinemus, parumper in laudibus veſtris ſtilum operæpretium duximus immorandum: qui quò vobis eundum, quóve in rebus dubiis, atque in magnis Eccleſiaſticis negotiis eſſet accelerandum, ſerenitatis viſibus præuidiſtis, humilibúſque deuo-

tienis veſtræ paſſibus cucurriſtis. Contra illos nimirum, qui beatiſſimi Apoſtolorum ptincipis Petri, eiúſque ſucceſſorum luculentiſſimam doctrinam ſedémque ſpernentes, quem Dei filius in ſancta Eccleſia ſua, tamquam luminare maius in cælo conſtituit, veluti quidam ſcorpiones palantes incedunt in meridie, & cùm adhuc dies eſt, oecidit eis ſol. Reuera ij & per ſcientiam Dei more Balaam apertos habent oculos: cadunt tamen, quia obcæcati inſtar ipſius auaritia, quò greſſum tẽdere poſſint iuſtitiæ, non aſpiciunt: ſed pet abrupta & auia incedentes, dum caput ſequi refugiunt, in vaſta ptæcipitia demerguntur. Vos autem, fratres cariſſimi, qui ſancto vtique ſpiritu reuelante, Apoſtolicæ ſedis auctoritatem ſenſu capere, & ad ſplendorem luminis eius iam incedere laudabilitet inchoaſtis, cum illa vſque in finem ſapere, cum illa ſemper ambulare ſtudete, ab illa deuiare nefas iudicate, ab eius diſctepare ſenſu ne ad modicum quidem momentum conſentiatis. Quos illa recipit, & vos quoque recipite, & quos illa teſpuit, abigere ipſi ſicut ipſa mementote. Non enim illa reſpuit, niſi membra quæ ſibi non hærent, nec à ſe recîdit, niſi quos in ſcandalum multis poſitos comprehendit. Non inquam recîdit vel eruit à ſe, niſi membrum quod ſanis membris in offenſionem & perniciem noſcitur extitiſſe. Verùm ad propoſitum tedeamus. Suggerit ſanctitas veſtra, Herimannum Epiſcopum motbum incurriſſe, quo diu impeditus eſt Epiſcopale rectè implere officium. Senſus enim, vt veſtra ipſa verba ponamus, aliquoties integritate ptiuatus, quædam inſano ſimillima admittebat. Atque ſubinfertis, quòd ad prouinciales Synodos euocatus venire diſtulerit. Vbi attentè conſiderandum eſt, quoniam hoc ipſum quo venitur ad Synodum, ſacerdotale officiùm eſt: & cùm dixeritis illum ſacerdotale non potuiſſe implete tectè officium, ſenſúſque integritatem amiſiſſe, miramur teuerentiam veſtram eum venite ad Synodum coëgiſſe: ptæſertim cùm ipſi reſtemini inſano hunc ſimilem, & in eadem adhuc infirmitate manere: quem, ſi ita grauatur, magis conuenerat ſanctimonium veſtrum ſubleuate, quàm pondus eius ponderi ſupetaddere, caritatémque in eo confirmare potiùs, quàm ei pietatis viſcera obſerare. Indicatis autem, illum ſuper quibuſdam exceſſibus fuiſſe frequentet accuſatum. 5.q.9. Indicas autem. Pro quibus, quia ex parte ipſius perſona deeſt, nos vni parti ad alterius diſctimen credete proculdubio non poſſumus. quamuis nec vſque adhuc qui fuerint illi exceſſus dixeritis, nec vtrum ſana erat mente idem Antiſtes, nécne, cùm ipſos exceſſus perpetrabat, euidẽter oſtenderitis: ſatiúſque arbittamur, quamlibet intetim infirmitatem ad pœnam peccati, quàm ad ipſum pertinere peccatum, cui magis conſulendum ſit, & compatiendum, quàm puniendum, vel aliquo modo feriendum. Admonitio præterea, vel conuentio beatitudinis veſtræ, quam ei feciſſe vos perhibetis, valde placet: ſi tamen ex catitate non ficta, ſed ex ſimplici mentis oculo prodiit id, quod ſuaue & dulce in auribus noſtris ſonuit: vel ſi coram ſummi arbitri oculis ita placuit, quemadmodum ante hominum viſus, quod placere ſit ſaris abundéque conſpicitur. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA V.

Ad Riuoladrum Epiſcopum.

De pœnitentia impoſita VVimaro, qui tres filios ſuos peremerat.

NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, teuerentiſſimo & ſanctiſſimo Riuoladro Epiſcopo. Append. epiſt. 28. DOMINICI gregis curam cæleſti dogmate plenam ita conuenit Epiſcopis obſeruare, quatenus pto ſuſcepti ouilis neglectu aliquod peticulum non incurrant. Vndique etenim venientes admodum plurimi ſuorum facinorum proditores, quantum dolorem inferant pectori noſtro, plus ſingultu reminiſcimur, quàm calamo ſcribi queat. Inter quos videlicet iſtum VVimatum ad Apoſtolorum limina feſtinaſſe cognoſcite, Iuo Part. x. cap. 33. & pœnirentiæ modum pro perpetrato trium filiorum ſuotum homicidio ſibi impoſitam manifeſtaſſe. Quorum quædam temperauimus, eo quòd ſuffragia Apoſtolorum principis nutritoris noſtri poſtulare deuotè feſtinauit. Nam eun-

dem ad B. Archangeli oraculum ire volentem inſtantia temporis reuocauit: atque conſtitutionis ſibi impoſitæ modum continentem epiſtolam veſtræ ſanctitati deferendam Apoſtolica ſollicitudo tranſmiſit. In ea igitur, hoc eſt in iſta, ita ſtatutum eſt, vt triennio ante fores Eccleſiæ pro peccatis ſuis oraturus conſiſtat, & deinde inter auditores permaneat quadriennio: vt ſeptem annorum curricula abſque communione Dominici corporis & ſanguinis ducat. ita quidem vt omnibus diebus vitæ ſuæ carnem non manducet; & in iſto ſeptennio vinum non ſumat, niſi diebus Dominicis & feſtiuitatum. abinde quinquennio tribus diebus, per ſeptimanam à vino abſtineat: vt duodecim annis quantitas pœnitentiæ extendatur. Liceat itaque illi vxorem propriam non deſerere, ne fortè incidat in adulterium, & pro occaſione vnius delicti præcipitetur fragilitate carnis in peius. Conceſſimus enim ei calceatum ad vos peruenire, ac deinde triennio diſcalceatum ire debere, & veſtimentis ſecundum qualitatem temporis, & aëtis temperiem indui, atque lacte perfrui. Ceterùm verò ita actus ipſius diſcernentes, per omnia conſiderate, atque diſponite, quatenus & Euangelica miſericordia in illo cognoſcatur, & canonica auctoritas conſeruetur. Attamen permittimus eum caſeum ſumere, atque poſſeſſionem ſuam habere, & poſt ſeptimum annum vſque ad diem mortis perſeueret in iam dicta pœnitentia, atque arma, niſi contra paganos, non ferat. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere.

ANNO CHRISTI 862. CAROLI CALVI REGIS 22.

CONCILIVM AQVISGRANENSE III.

In cauſa Teutbergæ vxoris Lotharij regis.

In quo permiſſum eſt Lothario, vt aliud coniugium iniret.

ANNO DCCCLXII. Indictione x. Die III. Kalendarum Maiarum, ex vocatione domni Hlotharij glorioſiſſimi regis, Archiepiſcopi eorúmque Coepiſcopi Aquis conuenerunt: videlicet Guntharius Agrippinenſis Archiepiſcopus, & ſacri palatij Archicapellanus, necnon & Teutgaudus Treuirenſis Archiepiſcopus, Aduentius Mediomatricorum Epiſcopus, Atto Viridunenſis Epiſcopus, Arnulfus Tullenſis Epiſcopus, Franco Tungrenſis Epiſcopus, Hungarius Traiectenſis Epiſcopus, Ratoldus Argenroratenſis Epiſcopus, vt diuina auxiliante clementia, pro vtilitate ac neceſſitate ſanctæ matris Eccleſiæ, apud memoratum ſereniſſimum principem fideliter ac ſalubriter paſtorali prouiſione interuenirent. vnde noſtris iam periculoſis temporibus ſaltem ſerò paſtoralis tuba inſonare prophetica admonitione debuerat, vbi dicitur: *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* Eſa. 58.

I. Ergo multipliciter & fideliter maleſidis Dei diſcrimina, & ſeneſcentis mundi pericula replicantes, non ſine graui gemitu noſtro Chriſtianiſſimo principi ad memoriam reduximus, vt non immemor vocationis ſuæ, quod nomine cenſetur opere compleat, vt rex regum Chriſtus, qui ſui nominis vicem illi contulit in terris, diſpenſationis ſibi creditæ dignam remunerationem reddat in cælis.

II. Ad hæc ille, ſicut verus Dei cultor, noſtræ pariter ac veraciter annuit vnanimitati: per omnia inrefragabiliter promittens, noſtris ſe obe-

dire velle conſiliis, & rationabilibus obtemperare monitis. Et vt ita dixerimus, vltra quàm credi poteſt, ita nobiſcum ſuum benigniſſimum informauit affectum, vt proculdubio pateret, quòd ſuum cor illius amplexatur dextera, in cuius manu corda ſunt regum.

III. Interea de his quæ ad ſtatum ſanctæ Dei Eccleſiæ, & vtilitatem regni, atque ſalutem populi ſibi commiſſi pertinent, ſalubribus reſponſis, & ſpiritalibus conſiliis, noſtram conſolatus eſt vnanimitatem, ſe in omnibus parariſſimum eſſe affirmans, vt verus adiutor, atque indefeſſus auxiliator noſtri ordinis, & totius ſanctæ religionis exiſtat.

IV. Poſthæc humiliter ac deuotè paſtorale conſilium requiſiuit, libellum proclamationis, & ſuæ ſummæ neceſſitatis, in manibus noſtrorum fratrum imponens: vbi ſatis lugubriter diuinum & paſtorale conſilium expetiit, ſuæque imbecillitatis cauſas queruloſis vocibus retractauit, qualiter in quadam femina, Theutperga nomine, factioſis perfidorum hominum argumentis fuerat defraudatus: immo non mediocriter repetebat, quòd iudicio Epiſcoporum diſcidij ſententiam pertuliſſet. Quam, ſi idonea fuiſſet coniugali toro, & peſtifera inceſtus pollutione fœdata non eſſet, & viuæ vocis confeſſione publicè condemnata, ſponte retineret. Porrò ſe incontinentem eſſe profeſſus eſt, & ſine coniugali copula iuuenilis ætatis ardorem ferre non poſſe aſſeruit. Proculdubio replicans, quòd illi Theutpergam inceſtuoſam diximus, & ab omni concubina abſtinere præcepimus. & quod illi perdifficile eſt in iuuenili ætate taliter permanere. Hinc verò teſtis adfuit Theutgaudus Archiepiſcopus, quòd iuxta diuinum atque ſuum conſilium, ſi aliquid in adhibita ſibi concubina deliquit, Eccleſiaſtico medicamine adiutus, ſecretis iugibúſque hoc lacrymis, & vigiliis, ac ſpiritalis continentiæ macerationibus, inſuper eleemoſynarum largitionibus ſalubriter deleuit. Et vt de multis pauca dicamus, ſi læta caro illum traxit ad culpam, afflicta vt credimus reduxit ad veniam.

V. Igitur paſtoralis regiminis cura, ac diuinorum eloquiorum documenta, noſtrorum fratrum animos ſollicitare cœperunt, quid nobis agendum, quidve tractandum eſſet, atque pro huiuſmodi querula proclamatione rationabiliter definiendum. illúdque ante omnia formidantes, ne fortè quod abſit poſt dignam ſatisfactionem, & ſaluberrimam reconciliationem, fragilitatis noxam tantus princeps incurreret, reuerſus ad vomitum, & quaſi ſus in volutabro luti, illicitos aliquoties repeteret amplexus.

VI. Inde actum eſt, quod pia fratrum ſollicitudo retractare decreuit, qualiter Eccleſiaſticæ auctoritatis cenſuram in præſcripta femina Theutperga, ſua publica confeſſione exigente, compleuit.

VII. Allato itaque diuerſorum Conciliorum volumine, ex Concilio Ilerdenſi capitulum IV. recitari fecimus, vbi ita ſcribitur: De his qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit, vt quouſque in ipſo deteſtando, & illicito carnis connubio perſiſtunt, vſque ad Miſſam tantùm catechumenorum in Eccleſia admittantur: cum quibus etiam, nec cibum ſumere vlli Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus iuſſit, oportet.

VIII. Hinc quoque ſancti Ambroſij in expoſitione epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios capite XXXIII. Hos alloquitur, qui matrimonio iuncti ſunt, ore Dominico, *vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſ-*

ſerit, manere innuptam. Hoc Apoſtoli conſilium eſt, vt ſi diſceſſerit propter malamq; conuerſationem viri, iam innupta maneat. quòd ſi continere ſe non poteſt, quia pugnare non vult contra carnem, ſuo viro reconcilietur. Non enim permittitur mulieri, vt nubat, ſi virum ſuum cauſa fornicationis dimiſerit, aut apoſtaſiæ, aut illicita impellente laſciuia vir vſum quærat vxoris inuertere: quia inferior non omnino hac lege vtitur, qua potior. Si tamen apoſtatet vir, aut vſum quærat vxoris inuertere, nec alteri poteſt nubere mulier, nec reuerti ad illum. *Et virum vxorem non dimittere.* Subauditur autem, excepta cauſa fornicationis. Et ideo non ſubiecit, ſicut de muliere dicens, quòd ſi diſceſſerit, manere ſic: quia viro licet ducere vxorem, ſi dimiſerit vxorem peccantem. Non enim ea lege conſtringitur vir, ſicut mulier. Caput enim mulieris vir eſt. *Nam ceteris,* inquit, *ego dico, non Dominus.* Hoc dixit, vt oſtendat quid proprio ore Dominus iuſſit, & quid huius auctoritate conceſſit. quia & per iſtum Dominus loquitur, qui ait: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* 2.Cor.13.3.

IX. Ex Concilio Agathenſi capite LXII. De inceſtis coniunctionibus nihil prorſus veniæ reſeruamus, niſi cùm adulterium ſeparatione ſanauerint. Inceſtos verò nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt. ibique poſt aliqua ita ſcribitur: Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatẽ.

X. De cetero his atque huiuſmodi canonicis ſanctionibus, & ſancti patris Ambroſij oraculis, liquidò perſpectis, credimus non illam fuiſſe idoneam, aut legitimam coniugem, neque à Deo præparatam vxorem, quæ publica, vt dictum eſt, confeſſione inceſtuoſo fornicationis crimine denotata probatur. Quocirca glorioſo principi noſtro, pro ſua in diuino cultu deuotiſſima affectione, atque victorioſiſſima regni tuitione, cui non ſolùm nos, verùm etiam canonica auctoritas, inceſtuoſum coniugium interdicit, legitimum atque idoneum coniugium à Deo illi conceſſum non denegamus, iuxta indulgentiam dicentis Apoſtoli: *Meliùs eſt nubere, quàm vri.* 1.Cor.7.9.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA VI.
Ad Lotharium regem.

Legatos ad Synodum cogendam mittit, ad quam præcipit duos de Caroli regno Epiſcopos accedere, ſicut de Ludouici patrui, & Caroli fratris eius regno binos alios conuenire iuſſerat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM
Dei Lothario regi.

REGALIS excellentia veſtra nuper Apoſtolatui noſtro direxit, Epiſt.19. vt pro perficienda Synodo Miſſos è latere noſtro dirigere dignaremur. Quod nos, & ante litterarum veſtrarum preces, & poſtmodum facere deſiderio ardenti cogitauimus. Sed quia multis ſanctarum Eccleſiarum Dei vtilitatibus hactenus fuimus occupati, tam celeriter vt volebamus eos deſtinare nequiuimus. Nunc autem, Domino noſtro IESV Chriſto fauente, legatos ſanctæ noſtræ, cui Deo auctore

deſeruimus, Eccleſiæ, duos reuerentiſſimos & ſanctiſſimos Epiſcopos, Radoaldum ſanctæ Porruenſis Eccleſiæ, & Ioannem ſanctæ Ficolenſis Eccleſiæ, delicioſos noſtros, quorum aduentu atque præſentia Dei ſacerdotum Synodus congregetur, tranſmitrimus, ſicut noſtris vobis iam ptidem direximus litteris, quibus magnitudini veſtræ intimarum eſt, binos Epiſcopos de regno Ludouici regis parrui veſtri, & Caroli regis frarris veſtri, ad ipſam Synodum conuenire debere. Nunc autem volumus, atque litteris noſtris directis iubemus, ſimiliter duos de regno Caroli glorioſi regis parrui veſtri ibidem ſine aliqua ambiguitate adeſſe. Quas ſanè litteras nobilitati veſtræ dirigentes, petimus vt eas ipſi Carolo regi de præſenti per veſtrum fidelem hominem rranſmirraris: quatenus & duo regni eius Epiſcopi, vt diximus, ad præfatam Synodum, quæ auxiliante Domino congreganda eſt, cum noſtris pariter legatis valeant conuenire. Quos ſanè Apoſtolatus noſtri legatos excellentia veſtra digno honore ſuſcipiat, & familiaritatis eis locum concedat, vt Domino auxiliante, cùm ad nos fuerint reuerſi, digna nobis de parte veſtra nuntiantes, maximas Deo gratias referre, & Apoſtolicæ vos benedictionis munere ditare poſſimus, congaudentes ſanè in veſtræ humilitatis deuotione fideli. Dextera vos ſupernæ maieſtatis illæſos conſeruare per tempora longâ dignetur. Data IX. Kalendas Decembres Indictione XI.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA VII.
Ad Carolum Caluum regem.

Vt duo de eius regno Epiſcopi ad Synodum Metis cogendam proficiſcantur.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei Carolo glorioſo regi.

Epiſt. 18. SEDES hæc ſancta atque præcipua, cui dominici gregis eſt ſollicitudo curáque commiſſa, in omnibus mundi partibus rectitudinis ſuæ diſpoſitione ſalubri cuncta ordinare perficeréque diuino frera procurat auxilio, & quod ſingulari pro auctoritate perficere valet, multorum ſæpè ſacerdotum decernit definire conſenſu, & iuſtitiæ cenſura ea ſcilicet emendanda deliberare, quæ perperam atque enormiter fuerint alicubi commiſſa. Vnde veſtræ regali Deóque amabili excellentiæ notum eſſe volumus, quia ad futuram Synodum, quæ Metis ciuitate Lotharij regis nepotis veſtri, pro Theutberga, ſorore Hucberti clerici, & Vvaldrada congreganda eſt, duos de regno veſtro Epiſcopos, quos prudentes atque veraces vos eſſe cognoſciris, conuenire iubemus. qui vnà cum ſanctæ ſedis noſtræ legatis, quos illuc Domino auxiliante nunc deſtinamus, & aliorum venerabilium Epiſcoporum cœtu, qui ad eandem Synodum conueniendi ſunt, ſubtili cuncta indagatione, rectáque valde inquiſitione, ſecundum Deum, & venerabiles ſanctorum patrum inſtitutiones, examinare ac definire decernent. Nam & Ludouico glorioſo regi, ftarri veſtro, ſimili modo litteras noſtras direximus,

direximus, duos regni ſui Epiſcopos ad ipſam Synodum conuocantes: quatenus in omnibus, quæ ibi ſtatuenda ſunt, rectitudo vigeat, iuſtitia polleat, & falſitate fugata veritas ſplendeat: vt venerabili ſacerdotum Dei certamine Chriſti Eccleſia ab omnibus inconcuſſa conſiſtat aduerſis. Quos ſanè in veniendo Epiſcopos, & ad iam dictam Synodum iuſſione noſtra volentes occurrere, veſtra non retardet nobilitas: ſed pro Dei amore ipſos abſque temporis protelatione ad præfatam Synodum ſinatis occurrere. Data IX. Kalendas Decembres, Indictione XI.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA VIII.
Ad Ludouicum II. Imperatorem.

Commendat legatos pro cauſa Lotharij fratris eius in Franciam miſſos.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, Ludouico Imperatori.

Epiſt. 19. AVGVSTÆ ſerenitatis magnitudini veſtræ, imperiali fulgenti decore, his Apoſtolatus noſtri litteris innoteſcimus, quia multis & quotidianis Eccleſiarum Dei ſollicitudinibus & vtilitatibus, quibus nos vigilanter inſiſtere decet, præpediti, Miſſos noſtros pro perficienda Synodo, quam pro cauſa Lotharij glorioſi regis, fratris veſtri, noſtra Apoſtolica fieri auctoritate decreuimus, tam celeriter vt inter nos ſtatutum eſt, in Franciam deſtinare nequiuimus. Et quoniam Eccleſiaſticæ rectitudinis & vtilitatis zelo, quo nos ſemper feruere oportet, accenſi, legatos nunc ſicut diximus noſtros, duos venerabiles Epiſcopos, Radoaldum videlicet ſanctæ Portuenſis Eccleſiæ, & Ioannem ſanctæ Ficolenſis Eccleſiæ Antiſtites, delicioſos noſtros, illuc pro eiuſdem rei quam ſcitis negotio canonicè diffiniendo direximus. Quos clementia veſtra benignè ſuſcipiat, eiſque fidelem atque prudentem tribuat hominem, qui eos vſque ad locum, quo à talibus ſuſcipiantur hominibus, quorum comitatu ad prædictum regem Lotharium fratrem veſtrũ illæſi valeant peruenire, ſecuros & quietos, omniq; ſuauitate deducat. Quia pro cõmuni Eccleſiæ pace atque conſenſu, duos Epiſcopos de regno Caroli regis, patrui veſtri, ad ipſam Synodum, quæ Domino auxiliante in Metis ciuitate congreganda eſt, ſedis Apoſtolicæ miſſa vocatione conuenire præcepimus: qui vnà cum Miſſorum noſtrorum præſentia, & aliorum ſacerdotum Dei conuentu, quod diffinire oportet, iuſtè canonicéque decernant. Data IX. Kal. Decembres, Indictione XI.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA IX.
Ad Carolum Caluum regem.

Petit vt Balduino parcat, qui filiam eius rapuerat, & in vxorem acceperat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, Carolo glorioſo regi maiori.

Epiſt. 20. BEATO ac pretioſo Chriſti Dei noſtri cruore Eccleſia ſancta redempta, & ſacro ipſius Domini ſuper ſolidam veræ fidei petram fundata eloquio, pietatis ſuæ viſcera omnibus, non ſolùm quos ex aqua regenerauit & ſpiritu delinquentibus, verùm etiam quos ſacri necdum lauit vnda baptiſmatis, patet, atque gremio gratulatur fouere ſalubri. Vnde ab ipſo inſtitutionis eius exordio, ad eam omnes, velut ad pium cariſſimæ genetricis gremium, confugere digna deuotione procurant, qui ſe in aliquo flagitij ſcelere iacere cognoſcunt: vt per ſpiritualem gratiam, quæ ritè ignoſcit pœnitentibus, à peccatorum nexibus abſoluantur. Et quoniam ad hanc ſanctam Romanam, cui Deo auctore deſeruimus, Eccleſiam, quæ ob ſui priuilegij principatum,

quo ceteras Dei Eccleſias orbe vniuerſo diffuſas excellit diuinitus, de diuerſis mundi partibus quotidie multi ſceleris mole oppreſſi confugiunt, remiſſionem ſcilicet, & venialem ſibi gratiam tribui ſupplici & ingenti cordis mœrore poſcentes: à qua verò ob inſigne dilectionis meritum, & debitæ compaſſionis gratiam, recti libraminis auxilium cunctis fida petentibus intentione tribuitur, atque largitur. Idcirco ad beatiſſima ſanctorum Apoſtolorum principum Petri ac Pauli confugere limina, noſtrúmque pontificium BALDVINVS, vaſallus veſter, ardenti animo accedere ſtuduit: qui veſtram ſe habere indignationem, eo quòd Iudith filiam veſtram, illum præ ceteris diligentem, ſine veſtræ voluntatis conſenſu in coniugium elegerit, eámque volentem acceperit, ore proprio retulit. Quamobrem præſulatui noſtro preces multimodas fudit, orans & petens obnixè, vt magnitudinis veſtræ per noſtram interuentionem adipiſci gratiam mereretur. Cuius nos crebris petitionibus, & miſericordiæ largitate commoti, veſtram regalem excellentiam his Apoſtolatus noſtri apicibus, præſentibúſque legatis, Radoaldo videlicet & Ioanne, reuerentiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis, delicioſis noſtris, valde precamur, vt pro IESV Christi Domini noſtri amore, & ſanctorum Apoſtolorum Petri ac Pauli, quorum auxilium ipſe Balduinus, magis quàm regum terræ, fide deuota quæſiuit, noſtráque dilectione, quam vos luculenter habere agnoſcimus, iam dicto Balduino, quia & tale iam olim aliis eueniſſe regibus ſcitur, indulgentiam pariter, & plenariam gratiã largiamini, vt veſtræ amplitudinis fretus benignitate cõſiſtat, maneátque inter ceteros vobis fideles ſecurus. Qui ſanè ideo veſtræ ſublimitatis gratiam vt tribuatis depoſcimus, non ſolùm quia pio amore omnibus, qui aliquo fuerint ſceleris contagio maculati, huius Apoſtolicæ ſedis opem, atque miſericordiam, & præſidium poſtulantibus, humilíque deuotione quærentibus, pro qualitate facti ſubuenire debemus: verùm etiam metuentes, ne propter iram indignationémque veſtram ipſe Balduinus impiis Nortmannis, & inimicis Eccleſiæ ſe ſanctæ coniungat, & in populo Dei, quem prudenti conſilio, mentéque ſollicita, ſaluum & incolumem regere & gubernare debetis, aliquod ingerat periculum, & ſcandali fomitem, qui fidelium cœtus depopuletur, immittat; & ob hoc animæ veſtræ, quod abſit, contingat diſcrimen. Dextera vos ſupernæ protegat maieſtatis, & ab omnibus ſemper aduerſitatibus illæſos cuſtodire dignetur. Data IX. Kalendas Decembres, Indictione XI.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA X.

Ad Hermentrudem reginam.

Intercedit pro Balduino, qui ad opem implorandam in Vrbem venerat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, Hermentrudi reginæ.

Epiſt. 22. FIDELIVM vniuerſitas gentium ex variis mundi partibus, cuiuſcumque ſint ordinis, vel ætatis, ſi qua fortè criminis noxa, vel ſeniorum ſuorum formidine detinentur, ad hanc ſanctam omnium terrarum matrem Romanam Eccleſiam, vt ſalutare percipiant remedium, recurrunt, & ab ea non ſolùm animæ, ſed & corporis ſaluationem, vt omnibus patet, humili prece ſuſcipere precantur. Quibus multis diuinitus fulta auctoritatibus, & ſanctorum patrum roborata documentis, materno amore ſolamina ſubminiſtrat, & ſugenda vbera conſolationis compatiendo inferre minimè recuſat. Et quia hic Balduinus, qui cariſſimam filiam veſtram contra diuinarum legum ſanctiones rapuit, de his ſe eſſe recognouit, liminibus ſanctorum Apoſtolorum lacrymoſis mœſtíſque precibus lugubriter ſe obtulit, & vt pro tanto crimine Apoſtolicam opem acciperet, noſtro Apoſtolatui nihilominus flendo ſe præſentare quæſiuit. Cuius cùm lamentabilem, & tanto ſcelere plenam cognouiſſemus petitionem, ad mentem rediit quod per prophetam Dominus dicit: *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*, miſerti fuimus, & hos veſtræ in Christo dilectæ induſtriæ Apoſtolicæ ſollicitudinis apices fieri ſtatuimus, Miſſóſque etiam Radoal- Oſee 6.

dum & Ioannem reuerentiſſimos & ſanctiſſimos Epiſcopos, delicioſos noſtros, pro eo veſtræ claritati direximus. per quos obnixiùs deprecamur, vt præfatus Balduinus, quam apud veſtram per Apoſtolorum interceſſiones deſiderat magnificentiam obtinere, pro Dei amore gratiam percipere valeat, & de ſui affectione noſtri præſulatus oraculis conſolationem reſumat: quatenus qui ſe per infelicem culpam à norma æquitatis declinare non ambigit, medelam Apoſtolorum agnoſcat, & apud ſeniorem veſtrum venialem, vobis iuuantibus, vigorem obtineat. Dextera vos ſupernæ protegat maieſtatis, & ab omnibus ſemper aduerſitatibus maculiſque cuſtodire dignetur.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XI.

Ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ.

Vt ad Synodum Metenſem cum legatis accedant, ibique audito Lothario, eius diuortij cauſam cognoſcant, & canonicè definiant.

NICOLAVS SERVVS SERVORVM DEI, OMNIBVS Archiepiſcopis per Galliam & Germaniam conſtitutis.

INCOGNITVM vobis eſſe non credimus, qualiter pro duabus Epiſt. 11. feminis Lotharij regis Eccleſiæ Dei facies illiciti connubij næuo aſperſa ſit, vel qualiter vna repulſa idem rex alteram ſibi ſceleratiſſimè copulauerit. Quarum prior, Theutberga nomine, pro ſui repudio acriter dolens, per emiſſam legationem ſuper hoc negotio ſedis noſtræ expetiuit iudicium. Ex qua re vnius partis cauſam ſine altera iudicare, canonicum fore minimè duximus. Statuimus ergo, fraternitatem veſtram Metis collectam, pariter cum legatis noſtris eiuſdem Lotharij cauſam audire, & canonicè communi ſententia diffinire. Itaque iuxta ſtatutum noſtrum, cùm duos illas in partes fratres noſtros deſtinaremus Epiſcopos, accidit ad noſtram notitiam peruenire, quòd Lotharius, legitima & prima repulſa muliere, ſecundam ſibi adſciuit coniugem, neque ſedis noſtræ petitum ac promiſſum iudicium expectans, neque canonico iudicio vſpiam ſuccumbens. Qua ex re quid aliud datur intelligi, niſi quia vbi plurimorum iudicium præuenit, ibi ſuo iudicio præuaricatorem ſe indicauit? Et ideo vniuerſaliter hanc fraternitati veſtræ Apoſtolicæ auctoritatis epiſtolam deſtinauimus, vt Chriſtianæ religionis zelo accenſi, pariter cum Miſſis noſtris Metim proficiſcamini, illúcque Lotharium conuocantes audiatis, & in eum canonicum iudicium proferatis. Quòd ſi venire diſtulerit, & à præſentia ſe Synodali præſentibus legatis noſtris ſubduxerit, & ad pœnitentiam ac ſatisfactionem repedare minimè curauerit, ita vt præſentaliter ad Synodum coram Miſſis noſtris ſatisfacturus, & à ſcelere receſſurus occurrat; illum de cetero excommunicatum reddemus, & quamdiu in hoc permanſerit, à totius Eccleſiæ conſortio faciemus exortem.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XII.
Ad Epiſcopos in Concilio Metenſi reſidentes.

Vt Teutbergæ cauſam examinent ac definiant, Concilijque acta ad ſe mittant.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, omnibus reuerentiſſimis & ſanctiſſimis Archiepiſcopis confratribus noſtris, & Epiſcopis in Concilio reſidentibus, quod Metis celebratur.

Epiſt. 13. REVERENTIÆ ſacerdotali tunc debitus honor impenditur, cùm eos in omnibus, quæ ab illis ſub æquitatis libramine geri debent, trutinam miſericordiæ cum lance rectitudinis tenere conſpicimus, ac tenendo nullius fauore retenti, aut quorumcumque terroribus permoti, vel etiam numeroſis pecuniis, aut honorum amplitudinibus à tramite iuſtitiæ quoquomodo inclinati permutantur. Sed quantum eis erga proximos in diſcutiendo curæ conceditur, tantùm his ſine perſonarum acceptione ad ſui cuſtodiam pauor cum zelo rectitudinis proculdubio adhiberi debet, ne immemores illius Apoſtolicæ ſententiæ videantur dicentis: *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* (1. Cor. 3. 8.) Nam cùm inter multarum Eccleſiaſticarum rerum, quæ ad ſalutem & fidei ſoliditatem populi Dei pertinere videntur, noſter Apoſtolicus animus cauſas extenderetur, de quarumdam feminarum controuerſia, Theutbergæ ſcilicet atque Valdradæ, admodum quorumdam referentium, quia paſtoralis nos cura ad audiendum commouerat, relatio intentos reddidit, & ne aliquo violentiæ morbo per deſidiam grex fatigetur dominicus, ad medelam recuperandæ ſanitatis ardore caritatis feruentius inuitauit. Prædicta quippe Theutberga multis vicibus ſedem Apoſtolicam lacrymoſis litteris ſtuduit appellare: in quibus affatu flebili puram ſe quo accuſatur crimine inquit, atque inſontem. Ad quod negotium & iudicij diſcretionem, ſicut iam veſtram fraternitatem per Apoſtolicos apices commonere decreuimus, Apoſtolico vos hortamine adeſſe volumus. quatenus à pontificij noſtri latere venientibus Miſſis, Synodicam illic celebrationem, Apoſtolica fulti auctoritate, cum fraternitate veſtra præſidentibus adunare debeatis. & vnà cum eis vigilantiùs, ſine doloſitatis macula, vel fomento inuidiæ, aut odij nutrimento, quæ poſſunt homines à via veritatis peruertere, & à calle rectitudinis, prò dolor, declinare, ſemper Deum præ oculis habentes, perſonas principum, & terrores, qui ad tempus inſurgunt, & in tempore finiuntur, contemnentes, quid in his iuſtius, quidve veracius cum ſatis Miſſis noſtris inuenire valueritis, horum conſenſu diffinire & ſtatuere proculdubio ſtudeatis. cauentes hoc quod per prophetam dicitur: (Eſa. 5. 20.) *Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum: qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras: qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce.* Nam & Euangelica inter cetera, quæ nos ad bene viuendum inſtruit, (Ioan. 7. 24.) ſententia admonet dicens: *Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudi-*

tium iudicate. Pſalmiſta quoque ait: *Si verè vtique iuſtitiam loquimini, iuſta iudicate filij hominum.* Pſal.57 Igitur cùm multa ſint, quibus veſtram fraternitatem, non obliuionis aut ignorantiæ cauſa de vobis iudicantes, ſed caritatis ſtudium amplectentes, commonere poſſimus: hæc ideo ſufficere credimus; quia ad plura vos & Euangelicæ, atque Apoſtolicæ, propheticæque lectionis dogmata in talibus memoria tranſcendere non dubitamus. Tantum eſt, vt cum æquitatis iuſtitia in præſenti examinatione, ſine aliquo dolo vel inuidiæ macula, ſicut præfati ſumus, quia Deo præſente adſiſtiris, proximorum cauſas, cum iam dictis Miſſis noſtris, ita iuſtè & irreprehenſibiliter cum Dei timore diffinire ſatagatis, vt illorum in omnibus veſtræque ſanctitatis conſenſus atque iudicium æquitate fulgere videatur. Nam ſi vos vel illos in aliquam partem, pro cuiuſcumque fauore, à canonicis & ſanctorum patrum inſtitutionibus, quod non optamus, declinare perſpexerimus, arguere non dubitamus. Si verò aliarum Eccleſiaſticarum vtilitarum in eodem Concilio res acciderint, digno examine pertractantes eas cum Domini timore diffinire ſatagite. Si autem aliqua in eo fuerit contentio orta, in qua diffinitionis ponere nequiueritis fortaſſe cenſuram, noſtro eam iudicio reſeruare ſancimus. Statuimus autem, vt cuncta quæ in eodem Concilio peracta fuerint ac diffinita, noſtro præſulatui geſtorum ſeriè incunctanter ſignificetis: vt ſi ea iuſtitiæ pulcritudine, probabilique ſanctione diffinita perſpexerimus, Deo omnipotenti gratias referamus: ſi verò iniuſtitiæ, quod nolumus, & contrarietatis fuerint acta intentione, ea renouare ſummopere iubeamus. Miſſos quidem noſtri pontificij, vt in prima epiſtola veſtræ dilectioni ſignificauimus, pro quibuſdam Eccleſiaſticis vtilitatibus, quibus fuimus occupati, deſtinare nequiuimus. En Chriſto iuuante, ſtrenuitatis pollentes ſcientia atque doctrina, reuerentiſſimos nunc dirigere Miſſos decreuimus, Radoaldum ſcilicet atque Ioannem Epiſcopos, delicioſos & conſiliarios noſtros, qui prædictum cum veſtra ſanctitate Concilium ſtudeant celebrare. Omnipotens Deus, qui vos ſacri regiminis culmine perornauit, veſtræ beatitudinis corda rectitudinis & iuſtitiæ claritate repleat atque decoret, vt in omnibus veſtris actibus æquitatis videamini plenitudine rutilare. Data IX. Kalendas Decembris, Indictione XI.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XIII.
Ad Epiſcopos legatos in Franciam miſſos.

Mittit ad eos Commonitorium pro cauſa Teutbergæ.

REVERENTISSIMIS ET SANCTISSIMIS Radoaldo & Ioanni Epiſcopis.

QVEMADMODVM ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fideles eſtis, & Append. epiſt.a. Apoſtolicæ ſedis columnæ exiſtitis; ita cuſtodientes omnia ſecundum priorem præceptionem noſtram peragere feſtinate, & Metis Apoſtolica auctoritate Synodo euocata, noſtra iuſſa perficite. Quòd ſi Synodus Epiſcoporum ſe illuc minimè collegerit, aut Hlo-

tharius venire diſtulerit; tunc vos ad eum pergere ſtudete, & noſtra iuſſa atque inſtituta declarate. Et deinde cùm pro cauſa Balduini ad Carolum perrexeritis, eidem glorioſo regi epiſtolas Synodicas, & has quàs nunc vobis dirigimus, pariter cum Commonitorio præſentibus cunctis oſtendite. & non ſolùm ei, ſed & omnibus Epiſcopis, & vniuerſis fidelibus hoc notum facientes palàm legere & denuntiare ſtudete. Præterea ſcitote à nobis veſtræ ſanctitati duas dirigi epiſtolas vice ablatarum, vnam Carolo regi, ſecundam verò vxori. Epiſcopis autem Galliæ & Germaniæ alteram, cum hac ipſa ad vos deſtinata mandamus.

COMMONITORIVM NICOLAI PAPÆ *legatis ſupradictis datum.*

NICOLAVS RADOALDO PORTVENSI, ET IOANNI Ficolenſi Epiſcopis in Commonitorio.

31 q 2. Lotharius rex. LOTHARIVS rex profiteretur Vvaldradam ſe à patre accepiſſe, & ſororem poſtmodum admiſiſſe Hucberti. Vbi primùm diligenti inueſtigatione inquirite, & ſi eumdem glorioſum regem prædictam Vvaldradam præmiſſis dotibus, coram teſtibus, ſecundum legem & ritum, quo nuptiæ celebrari ſolent, per omnia inueneritis accepiſſe, & publica manifeſtatione eadem Vvaldrada in matrimonium ipſius admiſſa eſt; reſtat vt perſcrutemini, cur illa repudiata ſit, vel filia Boſonis admiſſa. Sed quia idem glorioſus rex metu Theutbergam admiſiſſe ſe dicit; vos illud Euangelicum recolite, quo Dominus: *Nolite*, inquit, *timere eos qui corpus occidunt*, & iterum ait: *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* In quibus Dominicis ſententiis conſiderandum eſt, quòd ſi occiſores corporum timendi non ſunt contra iuſtitiam hominem impellentes, & lucrum totius mundi non proſit homini anima perdita, quanto minus metu vnius hominis tantus rex debuit, contra diuinum præceptum, in immane præcipitium mergi? In hoc certè ſe magis reprehenſibilem oſtendit, in quo amori mundi amorem Dei poſtpoſuit. Vbi nihil vobis aliud præcipimus, manifeſtatione ſua eodem rege conuicto, niſi vt ſecundum canonicam auctoritatem noſtra vice freti, cauſam illius definiatis. Sin verò minimè probatum fuerit, Vvaldradam vxorem fuiſſe legitimam, neque nuptiis ſecundum morem celebratis, per benedictionem ſcilicet ſacerdotis, filio noſtro Hlothario extitiſſe coniunctam: ſuggerite illi, vt non moleſtè ferat legitimam ſibi, ſi ipſa innocens apparuerit, reconciliari vxorem: nec in hoc carnis voci obtemperet, ſed potiùs diuinis præceptis obediens, pudeat eum, immo pertimeſcat, in luxuriæ ſtercore putreſcieri, & voluntatem propriam ſequendo ante tribunal Chriſti ſtrictam ponere rationem. Præterea vos ſcire volo, quia præfata Theutberga Apoſtolicam ſedem bis & ter appellauit, & ſe à præfato rege glorioſo queſta eſt iniuſtè fuiſſe deiectam, & vi coactam falſum contra ſe compoſuiſſe piaculum. Nam eo tempore ad Apoſtolicam ſedem libellum appellationis ſuæ miſit, in quo non quidem adhuc confeſſam, ſed vt contra ſe falſum diceret crimen, cogi ſeſe innotuit. Inſuper ſubiungens, quòd ſi ampliùs compulſa fuero, ſcitote non veritate, ſed timore

Matth. 10. 28.

Matth. 16. 26.

mortis, & euadendi ſtudio, quia aliter non poſſum, quod voluerint dicam. Vos autem memores eſtote mei hæc vobis inſinuantis. Vnde præcipimus vobis, vt cùm eadem Theutberga ad condictam Synodum ſicut ſtatuimus aduenerit, cauſam eius diligenti examinatione tractetis: & ſi ei obiicitur, quòd illa crimen ſe aliquod admiſiſſe confeſſa fuiſſet, & contrà illa violentiam ſe pertuliſſe proclamauerit, vel ſi inimicos ſibi iudiçes fuiſſe teſtata fuerit; tunc illud renouetis iudicium ſecundum æquitatis normam, vt iniuſtitiæ mole non opprimatur.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XIV.

Ad monachos ſancti Karileſi.

Iubet vt Epiſcopo Cenomannico ſubeſſe non detrectent, aut ad cauſam coram Epiſcopis, vel coram ſede Apoſtolica dicendam ſe comparent.

Append. epiſt. 6

NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cunctæ congregationi Monaſterij ſancti Karileſi. FIDELIVM relatione comperimus, quòd modum proprium tranſgredi cupientes, à iure Cenomannicæ vrbis, in cuius diœceſi moramini, vos ſubtrahere conamini: & ſicut noſtri apoſtolatus arbitratu cognoſcimus, ad veſtri interitus perditiunem, in propria voluntate viuendo, animos eleuare videmini. Qua de re ſalutem veſtrarum deſiderantes animarum, Apoſtolica auctoritate à talibus vos reuocare ſtuduimus. Expreſſiuſq; iubemus, vt non vos proprius libitus ducat, quo animus erigi præualeat: ſed ad principalem veſtram Eccleſiam, videlicet Cenomannicam, ſolito more recurrite; eiúſque Epiſcopo obſecundantes, & illam, qua nomine dicimini, vitam implere ſatagite, & veſtri ordinis miniſterium prudenter aſſumite cum ſanctitate. quòd ſi iſta veſtrarũ arcana mentium non penetrauerint, tunc in conſpectu ſanctiſſimorum Epiſcoporum, qui à Rotberto Cenomannico præſule cõuocati fuerint, cauſam edicere procurate, vt quo res ducitur pleniùs digeratur. Nam ſi illic inter prædictum Cenomannicum Epiſcopum, atque vos, regulare iudicium datum non fuerit, tunc iucunctanter præcipimus, vt ex vobis tres eligantur, qui cum ſæpefato Epiſcopo, vel eius legato, in noſtram Apoſtolicam veniant præſentiam: vt omni repulſa occaſione, noſtro examini huius rei gratia appareat, atque canonico calculo finem accipiat. Optamus vos in Chriſto bene valere.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XV.

Ad Epiſcopos in regno Caroli Calui conſtitutos.

Vt cauſam inter Epiſcopum Cenomannicum & monachos ſancti Karileſi diſcutiant.

Append. epiſt. 7.

NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis in regno Karoli glorioſi regis commorantibus. DIGNVM eſt, vt qui ſacerdotali reuerentiæ decorantur, ſecundum ſanctorum patrum cenſuram, æqui moderaminis lance ſic cuncta ſtudeant trutinare, quatenus gregum ſibi à Domino creditorum ſepta munire non deſinant, & debitam curam adhibere nequaquam poſtponant: ne fortè, cùm ſegnitia cœperit oboriri, incentori aditus relinquatur, per quem peſtifero more in ouile dominicum ingrediens, oues Dominicas diſcerpere, ac morſu ferino incipiat lacerare. Quod vtique de vobis, fratres, minimè dici volumus. quin commonemus, vt tantæ ſollicitudinis operam ad cunctorum ſubiectorum profectum aſſumere ſtudeatis; quantum illud audire cupitis, quod Dominus ſe confitentibus miſericorditer repromiſit: *Euge*, inquiens, Matth. 25. 19.

Digitized by Google

ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Idcireo ſanctitati veſtræ compertum eſſe volumus, qualiter à primordio conſtructionis ſuæ Monaſterium S. Karileſi, in Cenomannia ſitum, eiuſdem Cenomannicæ vrbis iuri, eiuſque præſulis, ſubditum fuerit: & iuxta canonica inſtituta, qui eius diœceſeos curæ præerat, ipſius etiam ſub regimine eiuſdem Monaſterij congregatio degebat. Sed nunc, vt noſtris intonuit auribus, monachi ipſius, regulari auctoritate contempta, zelum paternæ traditionis non ducunt, & modum debitum ſeruare non cupiunt, cùm, quod non licet, proprio libitu viuere quærunt, & parochiam, in cuius diœceſi conſiſtunt, ius non tenuiſſe fatentur. Quapropter Apoſtolicæ auctoritatis apicibus omnium veſtrorum reuerentiam commonere decreuimus, vt rectitudinis atque iuſtitiæ interueniente libramine, Dominum præ oculis habentes, hoc extra inſtitutionem ſanctorum pattum fieri non ſinatis: ſed vſquequaque cauſam conſiderantes, quid rectius, quidve vtilius inueneritis, hoc conſeruantes, atque retinentes, Cenomannicam plebem non patiamini præiudicium ſuſtinere, atque quæ eius ſunt, inconuenienti calculo diſcernere, ac pertractare: quatenus & veſtræ fraternitatis ordo non violetur, & ipſius Eccleſiæ præſul ſua amittere nequaquam cogatur. Igitur ſi ab eodem Cenomannico præſule ex vobis, qui huiuſcemodi quæſtionem diſcutiant, iudices electi fuerint, & illa electio in vnum conuenerit, tunc ſi illuc contentionis finis, aliqua emergente difficultate, dirigi non poterit; iubemus vt vtraque pars in noſtram ſpecialem veniat præſentiam, vt liris intentio legali coram noſtro pontificio ſententia ventiletur, declaretur, atque luce clariùs finiatur. Omnipotens Dominus mentes & corda veſtra ad bene agendum ſemper inclinet, vt bonis operibus inhærendo, æquitatis atque iuſtitiæ culmine videamini ſublimari.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XVI.
Ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem.

Taxat illum, quòd monachis ſancti Karileſi *fauens, Caroli regis animum aduerſus Epiſcopum* Cenomannenſem *commouerit.*

Append. epiſt. 8.

NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro Remorum Archiepiſcopo. RELATV quorumdam audiuimus, quòd tua fraternitas contra Rotbertum Cenomannicæ vrbis Epiſcopum, pro eo quòd Monaſterium ſancti Karileſi ad ius Eccleſiæ ſibi commiſſæ vindicare velit, non parum ſit indignata: ita vt animum dilectiſſimi filij noſtri Karoli glorioſi regis aduerſus eum commouerit, & in Synodo, quæ modo dicitur à ſanctitate tua colligi, fertur quòd neſcio quas inſidias, quaſi ex alia ratione, illi nitamini præparare, lædere eum magnopere geſtientes, quod de tanto viro indignum credere iudicauimus. Denique ſi Rotbertus Epiſcopus petit quod petere debet, impetret: ſi verò quod non debet poſtular, nũquam obtineat: verumtamen ob id nihil ſuſtineat omnimodis læſionis. Quod tua, frater cariſſime, ſtudeat ſanctitas ſummopere præcauere; ne quod non credimus iniuſtè, vel obtentu æquitatis, idem Antiſtes à tua lædatur in aliquo reuerentiâ. Sed ſi crimen illi obiicitur, ſic de eo examinatio præueniat, vt iudicium in illum ex noſtræ auctoritatis libramine ſubſequatur. Nam cùm vos ſuſpectos habere videatur, indecorum, immo temerarium eſt, vt à veſtra ſanctitate aliquid patiatur diſcriminis. Sed & deuotiſſimi filij noſtri Karoli pij regis animum veſtra beatitudo circa iam fatum Epiſcopum placabilem ac mitem reddere noſtra vice procuret: quatenus furore depoſito, dum Deo auctore mentem ſuam ad nobis adhuc obediendum, & circa ſæpè deſignatum Epiſcopum benignè regere ſtuduerit, quòd verè rex ſit omnibus palam detur intelligi, & cunctis manifeſtè ipſius pietas innoteſcat. Optamus fraternitatem tuam in Chriſto bene valete.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XVII.
Ad Carolum Caluum regem.

Pro Rotberto Epiſcopo Cenomannenſi, aduerſus monachos S. Karileſi.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI Carolo glorioſo regi.

Epiſt. 60. EXCELLENTIÆ veſtræ innoteſcimus, quia Rotbertus ſanctæ Cenomannenſis Eccleſiæ Antiſtes nobis litteris ſuis cognitum, præcipua cordis deuotione obſecrans, facere ſtuduit, quòd Monaſterium ſancti Karileſi, ſitum in pago Cenomannico, loco videlicet qui antiquitus dicebatur Caſa Gaiani, ſuper fluuium Aniſola, ab eius ditione ac poteſtate ſubtractum ſit; & quod anteceſſorum eius decreto, & voluntate ordinabatur, nunc ſine ipſius ſit conſenſu ſub Abbatis conſtitutum regimine. Vnde veſtram Deo amabilem magnificentiam his Apoſtolicis monemus atque hortamur apicibus, vt iuxta veritatis cenſuram, ſanctæ iam dictæ Cenomannenſi Eccleſiæ, ſuper huius rei negotio iuſtitiam conſeruare, & pium deuotionis veſtræ auxilium impertiri, nulla hominum ſubdola perſuaſione prætermittatis: ipſumque Monaſterium pro Deo, noſtræque paternitatis amore, præfato Rotberto Epiſcopo, ſicut & anteceſſoribus eius iure permanſit, deinceps habere, atque ſalubriter pro ipſius venerabilis loci vtilitatibus ordinare, libenti animo permittatis: nullamque potentiæ veſtræ vim in hoc aliquatenùs patiatur; ſed liceat ei habere ſecuriter, quod iuſtè ſuos ſemper tenuiſſe prædeceſſores, priuilegio etiam nobis oſtenſo fatetur. Si verò quiſpiam monachorum ſupradicti Monaſterij ſancti Karileſi ampliùs reſiſtere nititur, ne ſub Eccleſiæ Cenomannenſis poteſtate iam dicta conſiſtat, & in hac omnes obſtinatione perdurant: ipſe Rotbertus Epiſcopus de vicinis Epiſcopis ſibi quos voluerit iudices eligat, & noſtra auctoritate ſimul conuocatis & ceteris Epiſcopis, qui in diœceſibus ſanctæ Turonenſis Eccleſiæ videntur exiſtere, talis tumultus diſſenſiones, quæ callido ſunt exortæ ingenio, iuſto ſanctorum patrum iudicio reſecentur, omniſque huius litis ambiguitas pacifica veritate pellatur: ita ſanè, vt Monaſterium priſcis fundatum temporibus, cum omnibus ſibi iure debito pertinentibus rebus, Deo auxiliante, illibatum ſub poteſtate Cenomannenſis Eccleſiæ, ſi iuſtum fuerit, maneat. Quamobrem magnitudinem veſtram monemus, vt ſicut ſuperiùs dictum eſt, iuſtitiam & æquitatem in hoc, & in ceteris omnibus conſeruare, ob recompenſationem futuræ retributionis nulla ſæculi felicitate negligatis. Quòd ſi in eodem iudicio prædictus Epiſcopus Cenomannenſis, aliqua neceſſitate compulſus, appellauerit ſe de hoc in noſtra præſentia iudicium agere; volumus & iubemus tam ipſum Epiſcopum, vel legatum eius, quamque etiam tres de monachis prædicti Monaſterij, tempore opportuno ad nos omni prætermiſſa occaſione venire; vt dignè Apoſtolicæ ſedis examine atque iudicio talis vtriuſque partis controuerſia reſecetur, & ad æquitatis debitæ ius pars iuſta ſine protelatione indubitanti fine perueniat. Quòd ſi ipſi monachi, noſtra iuſſione vocati, venire fortè contempſerint, veſtræ poteſtatis properare cogantur imperio. cum quibus & fidelem hominem veſtrum tranſmittere; qui ipſius cauſæ & contentionis initium experiatur & finem, dignemini.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XVIII.

Ad Rotbertum Epiſcopum Cenomannenſem.

Narrat quid ipſius cauſa ſtatuerit de controuerſia Monaſterij S. Karileſi.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Rotberto Cenomannenſis vrbis Epiſcopo.

Epiſt. 61. PLANE quia ſanctitatem veſtram ad Apoſtolicam ſedem conſtat plenas deuotione litteras deſtinaſſe, multas gratias Deo omnipotenti, vobiſque referimus, eo quòd & debitam reuerentiam obſeruantes, nos in veſtris vtilitatibus adiutores quęſiuiſtis, & ſanctam omnium terrarum matrem Romanam Eccleſiam interuentricem ſuppliciter præoptaſtis, quod ita ſe habere luce clariùs patet, veſtris adniſibus conſulere. De illorum monachorum S. Karileſi improuida intentione decreuimus, vt ſi venerint, & talia concedi petierint, veſtro ducti amore, nec illorum impolitis precibus annuemus, nec auctoritatis noſtræ cenſuram illis in talibus largiemur. Qui ſi voce fortè falſidicæ aſſertionis aliquid, quaſi noſtræ inſtitutionis edita decreta protulerint, donec noſtro demum pontificio cognitum fiat, illis credulitatem exhiberi non volumus: quia vt præfati ſumus, illis in talibus minimè aſſenſum præſtabimus, aut talia volentibus facere Apoſtolicam licentiam dabimus: excepto ſi talis ratio non præluceat, pro qua id diffiniri intentio cogat. Glorioſum quoque regem veſtrum Carolum, eiúſque regni Epiſcopos, noſtris exhortationibus admonemus, vt noſtra fulti auctoritate, contra veſtræ Eccleſiæ priuilegia ſententiam minimè inferant, diſcutiant, ac audiri permittant: ſed diuina clementia fauente iuſtè decernant, & Cenomannenſis vrbis viris, eiúſque præſulibus, vt erat, ipſum Monaſterium redderent, ſtatuimus vt veſtri ſub cura tegiminis ſubderetur. Hoc illis ſummopere ſtatuentes, vt ſi à vobis iudices, qui canonicè cauſam determinẽt, ex ipſis electi fuerint, veſtræ pareant voluntati: ita vt & iudices dentur, & huius rei intentio æquè ventiletur. Quòd ſi ob alicuius impedimentum inibi res digeſta non fuerit, præcipimus vt vtraque pars, vos ſcilicet aut veſter legatus, & tres ex ipſis monachis, in noſtram ſpecialem præſentiam veniant, vt nobis præſentibus legitimum finem accipiant. Nam & confratrem noſtrum Herardum Archiepiſcopum, de his per Apoſtolicos apices certũ reddidimus, & vt à nobis inſtitutum eſt intimauimus. Vnde & eoſdẽ monachos dignũ duximus corripere, admonere, vt proprio libitui reſiſtere incipiant, & vltra modum mentem non eleuent, nec illicita quæque apprehendere præſumant: ſed repreſſa tantæ temeritatis audacia, vobis obedire non differant, & veſtræ Eccleſiæ colla ſubmittant.

Anno Christi 863. Caroli Calvi Regis 23.

CONCILIVM SILVANECTENSE.

IN QVO ROTHADVS EPISCOPVS SVESSIONENSIS Hincmari Archiepiſcopi factione damnatus, gradúque ſuo deiectus, & in Monaſterium retruſus eſt, anno Chriſti DCCCLXIII.

SYNODVM *hanc in Conuicino villa publica propter Siluanectum congregatam, in eáque diuerſarum prouinciarum Epiſcopos conueniſſe, docet Nicolai Papæ ad illos reſcriptum. Interfuiſſe præterea Hincmarum Archiepiſcopum, ac Synodo velut omnium dominum præſediſſe, narrat in libello ſuo*

Rothadus. Qui cùm ab Hincmaro, vetere in ipſum odio, id agi videret, vt damnationis in eum ſententia, ob presbyterum immeritò, vt obiectabant, depoſitum proferretur, ſedem Apoſtolicam appellauit: ſed ne Romam iret variis artibus prohibitus eſt. Quin & Synodo iterum in Sueſſonicæ ciuitatis ſuburbio conuocata, cui rex Carolus interfuit, Hincmaro inſtigante damnatus, gradúque ſuo deiectus eſt. Tum & altero in eius cathedra ordinato, per varia loca diſtractus vexatúſque, vix tandem Nicolai Papæ auctoritate, crebriſque epiſtolis, vt Romam ire liceret conſecutus eſt: Romæ autem priſtinæ dignitatis inſignia in Concilio Romano publicè recepit. Synodi porrò Siluanectenſis acta, per Odonem Epiſcopum Bellouacenſem Romam miſſa, non extant. ſed cuiuſmodi ea fuerint, intelligi licet ex Nicolai eiuſdem Papæ Reſponſo, quod poſtmodum ſuo loco proferetur.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XIX.

Ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem.

Vt Rothadum Epiſcopum Sueſſionenſem deiectum ſedi ſuæ intra dies xxx. reſtituat, aut Romam cum eodem ad cauſam dicendam veniat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro. Remorum Archiepiſcopo.

Epiſt. 19. SANCTITATEM veſtram, quam ſemper in virtutum exercitiis conuerſantem comperimus, & in doctrinis Eccleſiaſticis proficientem, fama crebreſcente didicimus, aliter Apoſtolicam reuerentiam præ oculis habere ſperabamus, quàm frequens dictat opinio. Denique fidelium multorum exinde dolentium auditu veraci cognouimus, quòd Rothadus frater & Coepiſcopus noſter Eccleſiæ Sueſſionicæ pro quodam preſbytero, qui pro facti ſui qualitate honoris proprij ante triennium fuerat priuatus officio, à veſtra ſanctitate fuit impetitus, & adhuc, quod nefas eſt, ſedem Apoſtolicam appellans, iuxta quod ſibi à patribus conſtat eſſe permiſſum, Epiſcopatus etiam abſens exſpoliatus honore, & in exilium deportatus, hactenus in Monaſterio retruſus exiſtat. Vnde gemimus, valdéque dolemus. Nam cùm debuerat honoribus pro ſua ſenectute multiplicibus ampliari, & pro tot laboribus ac obſequiis in Eccleſia Dei, pariter & principibus mundi, fideliter ac vtiliter impenſis, maiori dignitate frui, & iam tandem ſine cuiuſquam impulſione quietus exiſtere: nunc è contra dehoneſtatus, & ad iniuriam B. Petri Apoſtolorum principis, cuius ſedem appellauerat, fame & ſiti ac innumeris maceratus miſeriis, ac depoſitus pariter & abiectus exiſtit. Vnde valde miramur, ac vehementiſſimè obſtupeſcimus, quomodo luminum veſtrorum ſerenitatem tam repentina potuerit obtenebrare caligo, adeo vt priuilegia Apoſtolicæ ſedis, quæ intemerata à tota Chriſti ſeruantur Eccleſia, contemplari deſpexeritis, atque ipſos paternos canones neſcimus qua auctoritate diſruperitis. Quod omnino inultum manere non patiemur, vt qui prohibita præſumpſit, minimè quæ ſit cenſura canonica experiatur. ita vt omnibus manifeſtum faciamus, quòd nullum fratres noſtros aliquomodo patiamur ſui ſuſtinere diſpendium, neque ſanctorum patrũ ſtatuta vileſcere permittamus. Verùm interim Dei ſummi, ſanctorúmque Apoſtolorum principum Petri & Pauli, & noſtra per eos auctoritate, fraternitati veſtræ iniungimus, vt ſi noſtræ caritatis & communionis, ſicut hactenus, volueritis videri participes, iam dictum fratrem noſtrum Rothadum Epiſcopio pariter & priſtino honoris ſui officio reſtituatis: ita vt tali per omnia decoretur honore, & omnibus ita reddatur integer officiis, qualem illum eo conſtat fuiſſe tempore, quando expellendus Apoſtolicæ ſedis memoriam fecit. Et ita demum, ſi qui videntur illius eſſe calumniatores, cum preſbytero illo qui deiectionis ipſius cauſa extitit, Romam pariter cũ ſæpè nominato Rothado,

omni remota occaſione, indeſinenter occurrant. Hoc autem expreſſè decernimus, vt poſt xxx. dies, poſtquam hæc noſtra epiſtola ad vos delata fuerit, aut præfatum virum Rothadum omnino reſtituatis priſtinæ dignitati, aut ſi iuſtè vos in eum egiſſe putatis, Romam cum eodem vos, vel veſter legatus veſtram vicem in omnibus ferens, vt vtriuſque partis cauſam ad liquidum ſciamus, adueniat. Quòd ſi præfixos xxx. dies, quæ in hac Apoſtolica auctoritate plena continentur epiſtola, minimè obedire ac perficere ſtudueritis, decernimus, ac promulgamus, vt Miſſarum ſolemnia tamdiu celebrandi non habeatis licẽtiam, quàmdiu quæ definiuimus perducta ad conſummationem non fuerint. Qua ſententia non ſolùm vos, ſed & omnes Epiſcopos obligare decernimus, qui vobis in depoſitione præfati viri Rothadi conſenſiſſe noſcuntur. Id ipſum verò illos per vos ſcire præcipimus.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XX.

Ad Carolum Caluum regem.

Vt Rothadum honori priſtino reſtitui faciat, tum deinde ad Apoſtolicam ſedem, quam appellauit, venire permittat. Indicat etiam quid de ea re Hincmaro ſcripſerit.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio noſtro Carolo glorioſo regi.

Epiſt. 31.

NVnc laudanda eſt frequens conuerſatio, & aſſidua cum Eccleſiaſticis, & cum ſapientibus veſtra ſedulitas, quam circa vtilitatẽ Eccleſiarum Dei, vos habere auditu gratulabũdo concepimus, ſi eiuſdem ſanctæ Eccleſiæ paſtorum, cum quibus hanc humilitatem & ſollicitudinẽ ſalubriter operamini, ſub quadam ſpecie iuſtitiæ nullum omnino ſublimitas veſtra læſerit, ſicut de vno quodam, Rothado nomine, nunc vos egiſſe plurimorum relatu didicimus: maximè cùm deiiciendus Apoſtolicam ſedem, iuxta licentiam canonicè ſibi conceſſam, appellaſſe perhibetur. Pro quo, fili cariſſime, valde gloriam veſtrã expoſcimus, vt præfatum virum in ſuo Epiſcopio, & omni priſtino reddi faciatis honori, & ita demum ad Apoſtolicam ſedem, ad quam illum cõſtat appellaſſe, ſecurum pro noſtro amore aditum properãdi dare dignemini. Hoc ſpecie tenus cognoſcentes, quoniam tunc credimus vos noſtrum Apoſtolatum diligere, ſicut ſæpè profiteri videmini, ſi Deum & Dominum noſtrum timere pariter & amare vos euidenter cognouerimus: necnon & priuilegia ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & ſtatuta patrum illibata ſeruantes, ea vileſcere vel deſtrui à nemine patiamini. Ceterũ ſciat ſublimitas veſtra, nos ad confratrem noſtrum Hincmarum Archiepiſcopum miſiſſe, quatenus aut infra xxx. dies, poſt lectam à nobis ſibi miſſam epiſtolam, eumdem Epiſcopum priſtino gradui reſtitueret, aut cum idoneo ſuo legato, ſi ipſe non poſſet, vnà cum accuſatoribus eiuſdem viri, ſi tamen eſſent, atque cum presbytero, qui cauſa deiectionis eius fuit, Romam veniret. Quòd ſi neutrum ageret, poſt xxx. dies præfixos, nec ipſe, nec quilibet Epiſcoporum, qui in depoſitione præfati Epiſcopi conſenſerunt, licentiam celebrandi Miſſarum ſolemnia penitus haberent, quouſque in iis quæ ſalubriter deceret, nobis ſint obedientes, ac pleniter ad effectum conſummationis perduxerint.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXI.

Ad Epiſcopos Synodi Siluanectenſis.

Reſcindit acta Synodi contra Rothadum, iubet vt ab exilio reuocetur, Romámque ad retractandum iudicium cum Synodi legatis dirigatur. Reſpondet etiam ſub finem de Balduino, & de cauſa Lotharij ac Teutbergæ.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, Metropolitanis, Epiſcopis, & ceteris diuerſarum prouinciarum ac vrbium præſulibus, qui in Conuicinum villam publicam ſecus ciuitatem Siluanectis Concilij conueniſtis.

SCRIPTIS dilectæ fraternitatis veſtræ ſuſceptis, & inſpectis attentiùs in eis omnis ſcientiæ & ſapientiæ ſanctitatis veſtræ fluentis, quæ non aliunde in pectora veſtra vtique, niſi ab ipſo fonte vitæ, poterant emanare, cognita deuotione & ſummi amoris affectu, quem circa hanc ſanctam Romanam Eccleſiam, Apoſtolicámque ſedem vos retinere monſtraſtis; & quoniam ex amore ſecundum conſtitutionem maiorum, vt eadem ipſa verba ponamus, non ſolùm de omnibus quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, vel quamcumque incurrere quæſtionem; verùm de ceteris atque maioribus negotiis Eccleſiaſticis exequendis, ad apicem Epiſcopatus, id eſt ad magni Petri ſedem debere vos referre cognoſcitis: horum auctori ac omnium bonorum largitori Deo, & Domino noſtro gratiarum multimodas retulimus actiones. Qui ideo in ſancta Eccleſia vos rutilantes, tamquam ſplendidas ſtellas verbum vitæ continentes, & morum ac virtutum veſtrarum lumine longè láteque proximos illuſtrantes voluit collocare, vt meritò eamdem ſanctam Eccleſiam, iuxta ipſius magiſterij dictum, cæli nomine, vbi talia nimirum fulgent luminaria, valeamus veráciter appellare. De cetero verò, fratres cariſſimi, diſcentes in prouinciis veſtris paganorum crebris vos laborare infeſtationibus; inſuper & Eccleſias Chriſti in illis partibus conſtitutas ab inteſtinis, id eſt à ſuis, multa incommoda tolerare, plurimùm lamentamur, & vobis oppidò compatimur, & contriſtamur. Quamuis dilectiſſimi, non adeo ſuper his contriſtari ac mœroribus affici debeatis, ſcientes quoniam tribulatio, ſecundum Apoſtolum, patientiam operatur, patientia autem Rom. 5.
probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundetur. Siquidem locus hîc eſt afflictionis, hîc conuallis lacrymarum, donec videamus Deum deorum in Sion. Hîc eſt vbi in lacrymis ſeminamus, vt poſtmodum in gaudio metamus: hîc eſt, inquam, Ægyptus, hîc eſt fornax ferrea, vbi ſpiritalem Iſraëlem diris oportet lateribus fatigari, donec terram promiſſionis ingrediamur, id eſt donec Dominus, cùm ei perfectè placuerimus, in regione viuorum ſe nobis promiſſum oſtendat. Hîc opus eſt, vt quæ ad templi ſancti ſtructuram pertinent, ſummi artificis manu & prouiſione

aptentur: vt cùm tunſiones, ſonitus, preſſuræ, ac perſecutiones ſæculi præſentis tranſierint, ſine aliqua tortitudine vel inæqualitate in cæleſti fabrica, tamquam lapides viui idonei, in omnibus comprobemur. Quapropter hæc ſcientes, dilectiſſimi, ſpei veſtræ ancoram in cæleſti ſtatione figentes, huius mundi procellas deſpicite: quia protector noſter omnipotens iam non dormit, qui imperat, & mare & venti obediunt ei, fitque tranquillitas magna. Propterea de Rothadi damnatione Apoſtolicæ ſedi referre iure ſtudentes, petiſtis vt noſtra etiam auctoritate rata eſſe probarentur, quæ de eo apud vos in Concilio acta fuiſſe perhibuiſtis. Quod agere penitus recuſamus, quoniam nos, vt eadem ad Flauianum ſancti Leonis dicta ponamus, qui ſacerdotum Domini matura volumus eſſe iudicia, nihil poſſumus incognitis rebus cuiuſquam partis præiudicio diffinire, priuſquam vniuerſa quæ geſta ſunt veraciter audiamus. Sed fortaſſe dicetis, vos vniuerſa quæ de eo geſta ſunt nobis per ſcripturæ ſeriem veraciter retuliſſe, & per fratrem & Coepiſcopum noſtrum Odonem, qui pene conſiliis veſtris ſemper affuerit, cuncta pleniter intimaſſe. Quibus ſcitote nos ſatis credere, & ad cuſtodiam diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſenſum præbere potuiſſe, niſi excuſationes & defenſiones illius, ſuggeſtorúmque ſeries innocentiam ipſius, & veſtram nocentiam demonſtrantium, à vicinis veſtris complurimis Apoſtolatui porrectæ apud nos haberentur, & frater & Coepiſcopus noſter Odo nihil accuſationis publicæ voluerit à nobis interrogatus ei obiicere. Quamquam ſi obieciſſet, nihil ad damnationem iam dicti Rothadi proficeret, cùm neminem partis illius, qui obiectis vel annueret, vel renueret, noſtram conſtaret adiiſſe præſentiam, (nam accuſatores quæcumque voluerint dicunt) & ſciamus iuſtum mediatorem non eſſe, qui ſic vnam partem audit, vt alteri parti nihil reſeruet. præſertim cùm Dominus pro abſente, & non audito, per Moyſem præcipiat, iam non maledices, inquiens,
Exod. 19. 14. ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum. Ignorare autem fraternitatem veſtram non patimur, animum noſtrum non mediocriter læſum, eo quòd ſecundum geſtorum tenorem, & veſtrarum ſuggeſtionum, quas ad ſedem Apoſtolicam direxiſtis, cognitionem, appellantem eumdem Rothadum Apoſtolicam ſedem depoſueritis, ac in Monaſterio retruſeritis: quod non niſi in contemptum beati Petri, cuius iudicium expetiuit, & in contumeliam ſacrorum canonum, & Eccleſiaſticarum traditionum præſumptum, ac temere admiſſum minimè dubitatur. Inſuper autem, & ad imminutionem Apoſtolicæ & ſummæ ſedis priuilegiorum, quibus veſtrarum quoque Eccleſiarum priuilegia firmare depoſcitis, Imperatorum leges proponitis, quibus quaſi prohibentibus, adſtruere non habuiſſe appellationis vocem Rothadum nitimini, cùm conſtet conſtitutionibus mun-
De Lege Imperatorũ. danarum legum, & Imperatorum non omnibus Eccleſiaſticis controuerſiis vtendum eſſe, præſertim cùm inueniuntur Eccleſiaſticæ ac canonicæ ſanctioni obuiare. Ad quod oſtendendum duorum heroum, Innocentij ſcilicet & Gregorij, ſatis ſufficiunt teſtimonia. Sanctus Innocentius quidem in decretali epiſtola ſua ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum, » ait: Nam quod ſciſcitaris, inquiens, vtrum diuiſis imperiali iudicio pro- » uinciis, vt duæ metropoles fiant, ſic duo Metropolitani Epiſcopi debeant » nominari. Non ergo viſum eſt, ad mobilitatem neceſſitatum mundana-

rum Dei Eccleſiam commutari, honoréſque ac diuiſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator. Beatus autem Gregorius ſcribens ad Theoctiſtam patriciam, inter cetera: Si enim, inquit, religionis cauſa coniugia debere diſſolui dicunt, ſciendum eſt, quia etſi hoc humana conceſſit lex, tamen diuina prohibeat. Ecce quemadmodum imperiali iudicio non poſſint Eccleſiaſtica iura diſſolui: ecce qualiter quod lex humana conceſſit, lex diuina prohibeat. Non quòd Imperatorum leges, quibus ſæpe Eccleſia circa hæreticos vtitur, ſæpè circa tyrannos, atque circa prauos quoſque defenditur, dicamus penitus renuendas: ſed quòd eas Euangelicis, Apoſtolicis, atque canonicis decretis, quibus poſtponendæ ſunt, nullum poſſe inferre præiudicium aſſeramus. Quamquam ſcripſeritis appellationes eius fruſtratorias, excuſationes ac dilationes fuiſſe tantùm quærentes, quod quibus argumentis firmetis, præſertim cùm annuentibus ſibi canonibus Apoſtolicam ſedem appellaſſe ſolemniter videatur, non facilè patet. Quippe cùm nemo ſciat, ſecundùm veritatis atteſtationem, quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus eius qui in ipſo eſt. Quis autem neſciat conſtituta Sardicenſis Concilij, quæ præcipiunt poſt aliquot capitulo IV. Si quis Epiſcopus iudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putauerit ſe bonam cauſam habere, vt iterum Concilium renouetur, ſi vobis placet, ſancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur ab his qui cauſam examinarunt, Iulio Romano Epiſcopo, & ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det iudices: ſi autem probauerit talem cauſam eſſe vt non refricetur, præſertim quæ acta ſunt ſi decreuerit, confirmata erunt. Item capitulo VIII. Oſius Epiſcopus dixit: Placuit autem, vt ſi quis Epiſcoporum accuſatus fuerit, & iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint, ſi appellauerit qui deiectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri, ſi iuſtum putauerit, vt renouetur examen, ſcribere his Eccleſiis dignetur, quæ in finitima & proxima prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem caritatis diffiniant. Quòd ſi is qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi, quid velit, & quid æſtimet. Et ſi decreuerit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, habentes eius auctoritatem à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si verò crediderit Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo conſilio iudicauerit. Sed ſicut in ſuggeſtionum veſtrarum inuenimus ſcriptis, non habuiſſe Rothadum appellationis vocem affirmare conamini, eo quòd non habuerit bonam cauſam: cùm conſtet ſæpefatum Rothadum vſque hodie bonam ſe habere cauſam putare, & venerandum Concilium, non ſolùm eum qui cauſam habet, ſed & illum qui ſe bonam cauſam habere ſaltem putauerit, ſedem Apoſtolicam appellare permiſerit, & huius ab ea renouandum iudicium decreuerit. Maximè cùm iuxta conſtitutionem ſanctæ huius Synodi, etiamſi numquam reclamaſſet, numquámque ſedis Apoſtolicæ mentionem feciſſet, à vobis, qui cauſam eius examinaſtis, memoria ſancti Petri honorari debuerat, atque ei perſcribi, vt ſi iudicaret renouandum eſſe iudicium, renouaretur, & daret iudices. Verba certè, ſicut ſuperiùs commemorauimus, ex eiuſdem Concilij ſanctione,

Lib. 11. epiſt. 39.
Iuo P. IV. cap 187.
D. x Cap. 1 §. Non quod.
1. Cor. 2. 11.

quòd ſi probata viderentur, ſtatueter. Sed quid mirum ſit, hoc in deſpectu Apoſtolorum principis vos contempſiſſe, cùm ad iniuriam ſacrorum canonum, & venerabilium Romanorum ponrificum decretorum, perpetraſſe adhuc peius inueniamini: ſcilicet, vt poſt appellationem & reclamationem eiuſdem Rothadi, in cathedra ipſius alterum conſecraretis: cùm id manifeſtiſſimè à ſacris regulis conſtet eſſe alienum, vt loco depoſiti omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Epiſcopi Romani determinata. Sed dicitis, poſt appellationem Apoſtolicæ ſedis illum vocem mutaſſe, & Epiſcoporum concilium expetiſſe. Quibus, cum pace veſtra fatemur, quamuis veſtris aſſertionibus fidem adhibeamus, & ita feciſſe illum, quoniam non eſt quod poſſit non credi ſanctimonio, veraciter teneamus: tamen qua hoc intentione egerit, vel quòd ſi interrogetur à nobis, reſpondere penitus non ignoramus, vt ſicut in aliis, & incertæ rei dubium vſque ad vtriuſque partis examinationem proculdubio remeetur. Præterea fraternitatem veſtram non credimus ignorare, antè ad fratrem noſtrum Remorum Epiſcopum Apoſtolatus noſtri nos miſiſſe apices, vt aut ſæpefatum Rothadum venerabilem infra xxx. dies poſt litterarum noſtrarum ſibi miſſam epiſtolam priſtino gradui reſtitueret, aut eum cum idoneo ſuo legato, ſi ipſe venire non poſſet, vnà cum accuſatoribus eiuſdem viri, ſi tamen eſſent, atque cum presbytero, qui cauſa deiectionis eius fuit, miſiſſet. Quòd ſi neutrum agere voluiſſet, poſt xxx. dies præfixos, nec ipſe, nec quilibet Epiſcoporum, qui in depoſitione præfati Epiſcopi conſenſerant, licentiam Miſſarum ſolemnia celebrandi penitus habuiſſent, quouſque quæ ſalubriter decreta à nobis eſſent, obedienter ac pleniter ad effectum conſummationis perducerent. Sed ad ſcripta veſtra tendentes, quæ nunc per fratrem & Coepiſcopum noſtrum Odonem ad ſedem Apoſtolicam deſtinaſtis, inuenimus iam dictum ſanctiſſimum virum iudicio ac conſenſu veſtro, & Epiſcopatu priuatum, & in monaſterio hactenus eſſe retruſum: inſuper & in cathedra ipſius alterum Epiſcopum ordinatum. Quod quàm ſit execrandum, quàmque à nobis nulla penitus patientia tolerandum, dici non præualet, etiamſi cuncti corporis artus verrantur in linguas. Certè dum ſuggeſtiones, relationes, preces, conſulta veſtræ ſanctitatis ſcriptis atque verbis noſtris fuiſſent auribus inculcata, mox mente concepimus, & pene cuncta vt annueremus atque indulgeremus diſpoſuimus. At vbi iniuriam ſancti Petri, ſedis Apoſtolicæ priuilegiorum imminutiones, ſacrorum canonum conculcationem perſpeximus, nihil potuimus vobis propinare dulcedinis, qui toti nimirum repleti ſumus amaritudine. Siquidem è contrario pro tanti contemptus mole digna vos animaduerſione canonica ſeueritate meritò puniremus, niſi Apoſtolica moderatio paululum nos ad magnanimitatem, & veſtra dilectio prouocaſſet. Quòd autem qualiter in vos competenter & regulariter exerceremus, ipſi nos litteris veſtris affatim, & manifeſtiſſimè docuiſtis. quæ ſi opportunitas fuerit, colligi & oſtendi faciliùs poſſunt. Sanè interim Apoſtolica atque canonica auctoritate vobis dumtaxat Epiſcopis, qui in depoſitione & exilio ſupradicti Rothadi vel iudicium dediſtis, vel conſenſum præbuiſtis, præcipimus vt eum mox ab exilio reuocetis. Et quia ſecundum indultam ſibi à ſcriptis regulis licentiam, hactenus appellare ſedem Apoſtolicam dicitur,

citur, Romam illum ad ſuam cauſam in noſtra Apoſtolica præſentia peragendam ac determinandam deſtinare, immo dirigere nullomodo poſtponatis. Dignum quippe eſt, vt qui veſtro omnium iudicio in exilium deputatus eſt, veſtro ſit è contrario communi ſtudio beati Petri memoriæ, & ſedi eius honorificè præſentatus. Ex vobis verò præcipimus, vt duo vel tres, aut certè ſi liber plures mittantur, qui ita cunctis veſtrûm omnium præſentiam præferant, vt quicquid agendum eſt, vel experiendum fuerit, refricata quæ acta ſunt veſtra omnium vice prorſus ſciſcitentur. Quòd ſi vos occurrere nequiueritis, vicarios veſtros mittite: & ita vna cum præfato religioſo fratre veſtro Rothado pariter veniant, in omnibus, ſicut ſuperiùs diximus, ad cuncta exequenda, vel certè experienda quæ ventilata coram nobis extiterint, vicem veſtram & perſonam habentes. Quòd ſi poſtpoſito noſtro iudicio, quod auctoritate Apoſtolica promulgauimus atque decreuimus, occurrere contemnitis, Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum principum, quorum glorioſo agone ſancta hæc Romana Eccleſia, cui diuina diſpoſitione præſumus, eſt Domino conſecrata, atque ſanctorum canonum, quorum vos contemptores ſcriptis propriis oſtendiſtis, necnon & noſtræ mediocritatis auctoritate, à Miſſarum ſolemniis celebrandis eſtote prorſus, quouſque noſtris diffinitionibus obediatis, extorres: ita ſanè, vt ſi poſt lectum huius paginæ tenorem, infra xxx. dierum ſpatium, quæ de Rothado viro venerabili ſanximus agenda fore, minimè ſtudueritis perficere. Scientes profectò, quoniam ſi poſt hæc in ſanctarum regularum & noſtrarum contemptum fueritis diutiùs conuerſari, ipſum quidem Rothadum à nobis, Apoſtolicæ ſedis more, à damnationis vinculo fore ſoluendum, atque conuocato Epiſcoporum cætu, foueam quam ei paraſtis, vobis proculdubio præparandam. Vos autem, dilectiſſimi, nolite noſtra decreta moleſtè ferre: quia ſicut beatus Innocentius Macedonibus ſcribit, graue non oportuit videri piiſſimis mentibus veſtris, cuiuſcumque retractari iudicium: quia veritas exagitata ſæpius, magis ſplendeſcit in luce, & pernicies reuocata in iudicium, grauiùs & ſine pœnitentia condemnatur. Nam fructus diuinus iuſtitiæ recens erit, fratres cariſſimi, præſertim cùm nihil nobis ampliùs ſit cum Rothado, quàm cum omnibus Chriſtianis. Verùm priuilegia ſedis noſtræ vſque ad mortem, diuina annuente gratia, veſtigia patrum noſtrorum ſequentes defendemus. Sed & vos illa quatenus illibata, vtpote totius Eccleſiæ Domini remedia, cuſtodiantur, toto conamine, & omnibus votis operari ac deſudare debeatis. Quoniam priuilegia ſedis Apoſtolicæ tegmina ſunt, vt ita dicamus, totius Eccleſiæ Catholicæ. priuilegia, inquam, huius Eccleſiæ munimina ſunt circa omnes impetus prauitatum. Nam quod Rothado hodie contigit, vnde ſcitis quòd cras cuilibet non eueniat veſtrûm? Sic Apoſtolus admonet dicens: *Qui putat ſe ſtare, videat ne cadat.* Quòd ſi contigerit, vt verbis vtamur propheticis, ad cuius rogo confugietis auxilium? Hæc quidem de Rothado ſatis dixiſſe ſufficiat. Ceterùm de Balduino, de quo multa iam ſcripſiſtis, ſciat beatitudo veſtra, non nos regulas atque ſancta decreta velle corrumpere: ſed quia ad limina Apoſtolorum veniens à nobis ſe petiit adiuuari, quamquam noſſemus, quòd filius noſter Carolus glorioſus rex legaliter poſſet ei, ſi vellet, & filiam ſuam in vxorem dimittere,

Epiſt. 6. (margin, beside "Innocentius")

1. Cor. 10. 12. (margin, beside "Qui putat ſe ſtare")

& miſericordiæ ſuæ gratiam impartiri: tamen non iuſſa miſimus, ſed preces obrulimus. Quod textus epiſtolarum noſtrarum, quas ad iam fatum excellentiſſimum regem, & filiam noſtram reginam, ad id obtinendum direximus, vobis ſatis poterit indicare. Nam pro tam præſumptioſa temeritate ipſius viri, maximè cùm conſideremus dilectiſſimi filij noſtri Caroli ſublimis regis contritionem cordis, & pectoris naturalem affectum, & nos valde doluimus, & ei tota mentis affectione vſque hodie compatimur. Sed veſtra fraternitas præuideat, ſicut ait Apoſtolus, *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*, & iam, ſicut ipſi in veſtra pagina teſtamini, periculoſa tempora inſtant. Ne ergo peius adhuc aliquid oriarur, interuenientes apud eumdem glorioſiſſimum regem, filium noſtrum cariſſimum, quo & ipſius cordis mœrorem pellatis, & eidem Balduino non vſquequaque inflexibilis perſeueret; præcipuè quoniam Apoſtolorum auxilia deprecatus eſt, & diuina præſidia requiſiuit. Nulli etenim regum graue eſſe videri debet cõſeruo ſuo debitum centum denariorum dimittere, qui fortaſſe à ſummo regum, & domino dominorum, decem millia talentorum ſibi dimitti deſiderat. Porrò quid de Lotharij vxoribus cenſuerimus, quando & de hoc noſtro ſcripſiſtis præſulatui, in epiſtolarum noſtrarum, quas per fratres & Coepiſcopos noſtros Radoaldum & Ioannem in Galliam miſimus, poteritis exemplaribus reperire. Quæ videlicet exemplaria, vna cum Commonitorio, quod præfatis fratribus noſtris pro hac eadem cauſa ad Lotharium regem miſſis dedimus, per fratrem & Coepiſcopum noſtrum Odonem veſtræ ſanctitati tranſmiſimus. In quibus patenter animaduertere atque ſcire poteſtis, nobis omnino non opus eſſe, vt ſententiam, quemadmodum nos hortari voluiſtis, in melius commutemus. Quoniam diuina fauente gratia, tantùm cupimus huiuſmodi ſcelus, ſecundum creditum nobis cœlitus miniſterium, ab Eccleſiæ facie radicitus amputare; vt ſi hac vice idem Lotharius monitis ſalubribus, ac diffinitionibus noſtris prælatis, & epiſtolis noſtris regulariter ſibi miſſis noluerit obedire, nec ad pœnitentiam competenti ſatisfactione præmiſſa quantocius repedare, à nobis, atque à totius Eccleſiæ corpore, canonica, atque Apoſtolica ſententia efficiatur, vnà cum omnibus fautoribus & communicatoribus ſuis, penitùs alienus. Præcipuè verò quo ad eum quem perhibetis die Natalis Domini ſuper adulteros benedictionem, quæ maledictio potiùs credenda eſt, protuliſſe. Ne verò ſimplices quique adulteris aliquatenus ceſſiſſe falsò nos opinentur, non incongruè noſtri ſuper hoc animi votum omnibus fratribus & Coepiſcopis noſtris intimantes, & concionando in Eccleſiis veſtris publicè, cunctis id ad liquidum ſubditis exponite. De vocandis autem ex ſingulis prouinciis pro congreganda Synodo Epiſcopis, vnde ſcripſiſtis, ſciat ſanctitas veſtra, miſiſſe nos duos è latere in Galliam fratres & Coepiſcopos noſtros, quorum ſuperiùs memoriam fecimus, qui Synodum pro examinanda cauſa Theutbergæ & Vvaldradæ feminarum conuocarent: vbi & binos ex vobis præſules, ſicut de aliis regnis, adeſſe præcepimus. Qui niſi antea reuerſi fuerint, & quæ egerint nouerimus, nequaquam de Concilio faciendo aliquid deliberare concitè poſſumus. Licet poſtquam à nobis ſunt ſeparati, audiuimus Lotharium à ſede Apoſtolica petitum non expectaſſe conſultum, nimirum quod præuiderat ſuo de-

Epiſt.9 & 10.

Epheſ.5.16.

Epiſt.11.& 12.

teſtando minimè pariturum piaculo. Poſtquam verò præfati fratres noſtri reuerſi fuerint, & nobis quæ geſſerint enarrauerint, legatos idoneos ad Concilium, quod petitis, conuocandum mittère ad locum deſignatum Deo opitulante curabimus. Omnipotens Deus ad profectum & cuſtodiam ſui gregis, ſuper quem vos rectores ponere voluit, & hîc illæſam ſanctitatem veſtram conſeruare dignetur; & pòſt certaminis coronam in cæleſti patria faciat percipere glorioſam.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXII.
Ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem.

De Rothado iterum præcipit, vt Romam mittatur iuxta litteras ad Synodum reſcriptas. & de priuilegiis, quæ Hincmarus Eccleſiæ ſuæ confirmari poſtulabat, differt aſſenſum.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Hincmaro Archiepiſcopo.

Epiſt. 22. BEATITVDINIS tuæ lectis apicibus, quia fraternitatem tuam circa ſanctam Romanam ſedem, cui auctore altithrono præſumus, ergàque noſtrum pontificium, in eadem qua ſolita erat perſiſtere deuotione reperimus, lætitia multa repleti, debita omnipotenti Domino gratiarum officia perſoluimus, ſanctitatémque veſtram ad ſedem Apoſtolicam, de his quæ ſibi viſa ſunt referentem, ac prò Eccleſiæ ſibi commiſſæ neceſſitatibus, atque vtilitatibus, Apoſtolatum noſtrum poſtulantem laudauimus: & nihil eſſe quod fraternitati tuæ denegari oporteret penitus iudicantes, vt annueremus petitis confeſtim corde cœpimus, mentéque deliberauimus. Cùmque lectis monumentis geſtorum, quibus cum ceteris Coepiſcopis tuis, viſa eſt tua quoque venerabilitas ſubſcripſiſſe, inuenimus ſanctiſſimum fratrem Rothadum, Apoſtolicam appellantem ſedem, vobis iudicantibus gradu Epiſcopatus deiectum, valde doluimus, & cordis noſtri gaudium, quod fratris & Coepiſcopi noſtri Odonis aduentus fecerat, cognito à veneratione tua contra ſpem huiuſmodi commiſſo, mœror continuus pepulit. Præſertim cùm tanta fuerit apud ſedis Apoſtolicæ præſules, circa reuerentiam tuam ex longo iam tempore confidentia, vt vbi præſentia tuæ dilectionis exiſteret, numquam appellãtem aliquem Apoſtolicam ſedem, quoduis ſuſtinere detrimentum credere aliquo modo quiuiſſemus, etiamſi de huiuſmodi re in ſactis canonibus, quid obſeruandum eſſet, nihil prorſus inueniretur. Præcipuè cùm tantæ ſapientiæ te virum eſſe non neſciremus, tantæque familiaritatis fiduciam apud dilectum filium noſtrum regem Karolum comperiſſemus tuum habere ſanctimonium, vt ſi qua in illis partibus mala in Eccleſia Domini pullularent, per tuæ ſollicitudinis induſtriam reſecare radicitus meditaremur. Debuerat certè beatitudo tua, cùm Rothadum toties examinauetas, ſcribens ſancti Petri memoriam honorare, eiúſque iudicium, etiamſi numquam appellaſſet idem Rothadus, modis omnibus præſtolari. Et ſi id agere noluiſſes, ſaltem poſt appellationem, cathedræ ipſius, qui videbatur eiectus, alterum non ordinaſſes, priuſquam eius cauſa iuxta ſacros canones in noſtro iudicio fuiſſet terminata. Verùm de Rothado, viro venerabili, ſecundum indultam nobis à ſanctis regulis poteſtatem, quæ præcipiunt id obſeruandum, quod noſtro qualicumque conſilio viſum extiterit, in epiſtola noſtra, quam ad communes fratres & Coepiſcopos noſtros, in regno glorioſi regis Caroli cariſſimi filij noſtri conſtitutos tranſmiſimus, inter quos & tua connumerata ſanctitas cernitur, decretum atque definitum à nobis eſſe dignoſcitur. Ad quam fraternitas tua recurrens, quid de te cenſuerimus facilè cognoſcere poterit. Cui diffinitioni noſtræ bene faciet attendendo: ne ſi diutiùs contra interdicta præſumpſerit, canonicis legibus anguſtetur. Priuilegia præterea ab Apoſtolica ſede veſtræ Eccleſiæ confirmanda depoſcitis, qui tamen noſtra priui-

legia, quantum in vobis eſt, infirmare ſatagitis. Portum ſaluriferum ſanctam Romanam Eccleſiam appellatis, qui tamen in eo ne aliqui ſaluentur, quantum poteſtis ſatagere procuratis. Quomodo rogo priuilegia tua ſtare poterunt, ſi ita priuilegia illa caſſentur, per quæ tua priuilegia initium ſumpſiſſe noſcuntur? aut cuius momenti erunt tua, ſi pro nihilo noſtra pendantur? Si namque ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? Verumtamen ſanctitati ac dilectioni tuæ iniungimus atque præcipimus, vt lecta ſanctionis noſtræ pagina, quam per Odonem communem fratrem & Coepiſcopum beatitudini tuæ, atque ceteris comminiſtris tuis direximus, quæ de ſæpè nominato Rothado decreuimus, vnà cum eis ſtudeas conſummatione perficere: quatinus & caritatis noſtræ, & amicitiæ atque gratiæ particeps ſemper inueniaris, & ad amputanda noxia hoſtium ſanctæ Dei Eccleſiæ germina, atque ad ſalubria ferenda, ſanctitatem tuam conſociam, de cetero familiariter habeamus: ſicque demũ tanto ſtudeamus, etiam non poſtulati, contra omnes maleuolos tuos, tuæque Eccleſiæ aduerſarios, tibi priuilegia promulgando, & artiùs inhærendo, fortiter expugnare, quanto ſenſerimus fraternitatem tuam circa beati Petri Apoſtolorum principis, eiúſque ſedis priuilegia nullo argumento, nulla prorſus adinuentione anhelare: ſed in eorum veneratione, & defenſione, atque excuſatione, totis viribus tota intentione velle perſiſtere. De reliquo, frater cariſſime, hortamur vt dilectiſſimum filium noſtrũ Karolum, excellentiſſimum regem, ad diuina præcepta ſemper erudias, ſemper accendas, & vt in ea qua cœpit deuotione, atque dilectione erga ſanctam Romanam Eccleſiam, Apoſtolicámque ſedem permaneat, ſtudio curioſo decertes, ſolertiáque prudenti ſemper inuigiles. Cetera verò, quæ huius paginæ tenori non ſunt inſerta, communis frater & Coepiſcopus Odo, qui de tuæ ſanctitatis virtutibus noſtrum animum plurimum exhilarauit, viua voce poterit enarrare. Sanè poſtremò ad memoriam tuam reducere volumus, nos ecce iam ſecundò, vt virum venerabilem Rothadum Apoſtolicæ ſedi deſtinaſſes, ſanctitati tuæ miſiſſe. Quod prouidendum eſt, ſi tertiò dilectioni tuæ dirigere pro hoc ipſo coacti fuerimus, ne in contemptores ſacrorum canonum diffinitiuam ac peremptoriam, quod non optamus, ſententiam proferamus. Dextera te ſupernæ maieſtatis protegat ſemper, & ab omnibus aduerſitatibus inlæſum cuſtodire dignetur.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXIIII.

Ad Carolum Caluum regem.

Intercedit pro Balduino, & de Rothado indicat quid ſcripſerit ad Hincmarum, & reliquos Epiſcopos, hortatúrque vt illum Romam dirigat. Tum de acrioribus litteris ſuis ſatisfacit, quibus Carolus fuerat offenſus.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Carolo glorioſo regi.

Epiſt.30. QVAM vera eſt, fili cariſſime, illa ſententia, quam Salomone atteſtante de ſe ſapientia profert, cùm per-
Prou.8.15. hibet dicens: *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Quod niſi verum eſſet, numquam omnino veſtra ſublimitas tantæ humilitatis poterat decore veſtiri. Quod niſi verum eſſet, numquam priuatarum legum Apoſtolicæ ſedis decreta tam facili potuiſſetis capere mentis intuitu. Nam cùm de quodam contra Deum ſe efferente dicatur,
Ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ, & Iob.41.25.
vos è diuerſo ſumma videamus humilitate præditum, quid niſi veſtram regalem excellentiam imitatione filium eſſe illius
poterimus aduertere, qui ait: *Diſcite à me* Matth.11.11
quia mitis ſum & humilis corde? Per ſapientiam ergo reges regnant, quia ſapientia
patris, iuxta Apoſtolum, Chriſtus eſt, qui 1.Cor.1.24.
eſt rex regum, eorum ſcilicet qui omnes motus corporis, omnéſque mentis illicitos appetitus competenti regere moderamine norunt: de quorum numero per diuinam gratiam, vos etiam perſpicimus &

lætamur, & Deo omnipotenti gratias, ex quo regnatis, multiplices exhibemus. Interea nouerit dilectio veſtra, Balduinum, vnde nobis intimaſtis, qui natam veſtram ſibi furto in vxorem contra fas ſociauit, quem ideo venerandi præſules, Eccleſiam Domini in regno veſtro gubernantes, vinculis anathematis obligarunt, ad limina Apoſtolorum acceſſiſſe, & vt à vinculis ſolueretur, atque per nos gratiam inueniret, ſedem adiiſſe Apoſtolicam. Nos autem, non ſolùm eum à vinculis minimè abſoluimus, aut in communione noſtra recepimus; ſed potiùs tam præſumptioſam temeritatem deteſtati ſumus, atque veſtri pectoris naturalem affectum conſiderantes doluimus, veſtræque mœſtitiæ participes effecti, vobis hodiéque compatimur. Verùm quoniam ad diuina ſeſe præſidia contulit, amatorúmque veſtrorum Petri ad Pauli Apoſtolorum principum, ſibimet expetiit affore ſubſidia, non potuimus omittere, quo minus, vt gratiam veſtram perciperet, apud piam excellentiam veſtram interueniremus. Verùm veſtram in omnibus præ oculis habentes dilectionem, quamquam ſciamus & filiam veſtram, ſi libet, poſſe vos ei legaliter in vxorem dimittere, & pietatis veſtræ clementer gratiam impertiri, non tamen iuſſa miſimus, ſed preces obtulimus. Sed quoniam dicit Apoſtolus, *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*, & ab eo prædicta periculoſa nouiſſima ecce iam imminent tempora, prouideat ſolers veſtra ſublimitas, ne ex hoc deterius adhuc fortè aliquid oriatur. Et ita vos cauta prouiſione vndique temperate, vt mœror cordis veſtri procul abigatur, & circa iam dictum Balduinum vſque in finem nequaquam inexorabilis vel inflexibilis perſiſtatis. Non quo vos hæc dicendo terminos, quos poſuere patres noſtri, tranſgredi cupiamus, quos per gratiam Dei immotos perſeuerare ſemper optamus: ſed quo gloriam veſtram vltra quàm dici poſſit diligentes, nullum vélimus locum dare occaſionem quærenti. Præcipuè cùm idem Balduinus diuinum poſtularit auxilium, & ſanctorum Petri ac Pauli, interceſſorum veſtrorum, quemadmodum prætulimus, vt gratiam plenam à veſtra clemētia conſequeretur, legationem atque interuentionem petierit. Non planè immemor, quòd ante aliquot annos quidam, qui in huiuſcemodi noxam incurrerat, memoriam & ſedem adiiſſet cæleſtis clauigeri, ciúſque vicátij interuentúq; apud piæ memoriæ Imperatorem Lotharium, non perdita coniuge, pleniſſimam indulgentiam ſimul & gratiam percepiſſet. Nulli prætereà regū graue eſſe videri debet, (quod tamen cum pace veſtra dixerimus) conſeruo ſuo debitum centum denariorum dimittere, qui fortaſſe à ſummo regum & domino dominorum, decem millia talentorum ſibi laxari deſiderat. Porrò dilectio veſtra nouerit, miſiſſe nos ad Hincmarum confratrem noſtrum, Remorum Epiſcopum, & ad ceteros Metropolitas atque Epiſcopos regni veſtri, vt venerabilem virum Rothadum ab exilio reuocarent, Románque ad ipſius cauſam in noſtra præſentia examinandam dirigerent. Dignum quippe eſt, vt quorum iudicio in exilium eſt deportatus, eorum ſit commum ſtudio beati Petri memoriæ, ſedique ipſius honorificè præſentatus. Ex illis autem præcepimus, vt duo vel tres, aut certè quotquot voluerint, veniant, qui ita in cunctis reliquorum, qui occurrere non potuerint, præſentiam præferant, vt quicquid agendum eſt, vel experiendum, dum fuerint reſticata quæ geſta ſunt, ipſorum omnium vice prorſus vtantur. Quòd ſi poſtpoſito noſtro iudicio, quæ auctoritate Apoſtolica promulgauimus atque decreuimus, perperàm contempſerint, Dei omnipotentis, & beatorum Apoſtolorum principum, quorum glorioſo agone ſancta hæc Romana Eccleſia, cui diuina diſpenſatione præſumus, eſt Domino conſecrata, atque ſanctorum canonum, quorum contemptores propriis ſcriptis eſſe ſe liquidò demonſtrarunt, necnon & noſtræ mediocritatis auctoritate, à Miſſarum ſolemniis celebrandis ſint, quouſque diffinitionibus noſtris obediant, prorſus extorres: ita ſanè, ſi poſt lectum paginæ ſibi à nobis miſſæ tenorem, infra xxx. dierum ſpatium, quæ de Rothado viro venerabili agenda ſanximus, minimè conſummare ſtuduerint. Scientes profectò, quoniam ſi poſt hanc in ſanctarum regularum & noſtro contemptu fuerint diutiùs conuerſati, ipſum quidem Rothadum à nobis, Apoſtolicæ ſedis more, à damnationis vinculis fore ſoluendum: atque conuocato Epiſcoporum cœtu foueam, quam parauere, ſemet penitus incidendos. Quãobrem veſtram nihilominus ſuauiſſimam pietatem monemus, & quantis poſſumus viribus exoramus, vel etiam tamquam deuoto filio præcipiendo fidenter mandamus, vt iam dictum Rothadum veſtro adiutum ſolatio ad nos vſque miſericorditer

Epheſ.5.16.

dirigatis: quatenus iuxta decreta ſanctorum pontificum Romanæ Eccleſiæ, atque ſtatuta ſacrorum canonum, noſtro ſit ipſius cauſa iudicio terminata. Nam mihi credite, ſupra modum in damnatione prælati viri, & noſter eſt animus læſus, & totius Eccleſiæ filiorum, ad quotum notitiam peruenit, vehementer offenſus. Maximè quod antè & poſt damnationem ſuam, ſedis Apoſtolicæ idem venerabilis vt appellauerit iudicium, nec impetrauerit, & per talem præſumptionem ſummæ ſedis videantur priuilegia temere violari. Quæ tamen priuilegia vſque ad mortem, ope freti diuina, prædeceſſorum meorum veſtigia ſequendo, caſſari taliter minimè patiemur. Sed & vos, cariſſime, vt ea quibus poteſtis cultibus veneremini, ſummopete incitamus. Nam quomodo putatis, ſi opportunitas exegerit, vt veſtro regno, veſtris niſibus, veſtri regni Eccleſiis aliquod præſtemus ſolatium, aut contra aduerſarios protectionis clypeum conferamus, ſi quantum in regni veſtri partibus eſt, quoniam illa omnino ſcindi non poſſunt, ea vos aliquatenus minorari ſinatis, quibus vſi patres veſtri, omne ſuarum dignitatum incrementum, omnémque gloriam perceperunt? Priuilegia namque Romanæ Eccleſiæ totius ſunt Chriſti, vt ita dicamus, remedia Eccleſiæ Catholicæ. Priuilegia, inquam, Petri arma ſunt contra omnes impetus prauitatum, & munimenta atque documenta Domini ſacerdotum, & omnium prorſus qui in ſublimitate conſiſtunt, immo cunctorum qui ab eiſdem poteſtatibus diuerſis afficiuntur incōmodis. Turbati autem eſtis, & multo mœrore affecti, ſicut in ſcriptis veſtræ dilectionis reperimus, eo quòd forti vos inuectione conuenerimus, & duris increpationibus veſtram celſitudinem cumulauerimus. Qua de re veſtra profectò non debuit vſquequaque triſtari ſublimitas: quoniam etſi nullá erat culpa, ſicut adſtruere humiliter contenditis, vnde veſtram oportuerit pietatem duriùs caſtigari: tamen diſcretus pater tunc aliquotiens ſtudet dilectum filium diuerſis terroribus, vel etiam flagellis competentibus erudire, quando nihil in eo quod reprehendat penitus intuetur. Sic Dominus

Iob. 2. beatum Iob fruſtra ſe percuſſiſſe perhibet, cùm nihil omnino quod tantis verberibus puniri debuiſſet inuenit. ſed tamen fruſtrà non percutit, quia hæc, quatenus per patientiam augeantur ei merita, vt diſcretus pater exercet. Sic nimirum, ſic & vos, cariſſime fili, veſtram ſublimitatem tacita fortaſſe cogitatione fruſtra læſamà nobis querimini. Scimus tamen nos, ex qua radice contra dilectionem veſtram hæc virga proceſſerit. quæ vtique non vt funditus interimeret, abſit, ſed quæ ad ſempiterni regni gloriam feliciùs erudiret: ſcilicet quam paterna diſciplina, vt apertiùs dicamus, ex interni affectus ramo protulit, non quam malitia ex odij radice produxit. Percuteris ergo, immo pulſaris, fili, etiam vbi te cor tuum non reprehendit, vt cautior & ſollicitior, atque tutior, in quibus delicturus eras, Deo auctore, valeas inueniri. Itaque, cariſſime, cùm veſtræ regiæ poteſtati ab Apoſtolica ſede interdum duriora fuerint miſſa, non moleſtè feratis, nec vos à nobis odio habitos eſſe putetis. quoniam aut manifeſtè iuſta ſunt noſtræ correptionis iacula, aut certè occulta ſunt, & aliquam habentia rationem. Quapropter in vtroque veſtræ ſalutis ſemper inuenire ne diffidatis antidotum. Nos quippe ſemper quidem vos in viſceribus dilectionis noſtræ ſtrictos habuimus, & pro vobis Dei omnipotentis miſericordiam implorauimus. Sed poſtquam frater & Coepiſcopus noſter Odo, pariter & Primus fideliſſimus noſter, quem ad veſtram gloriam miſeramus, de veſtra veſtræque eminentiſſimæ ac dilectiſſimæ coniugis deuotione erga ſedem Apoſtolicam, ac dilectione, quam circa Domini ſacerdotes habetis, nobis tot retulerunt præconia, tanto arctiùs vos diligimus, tāto veſtri pro ſtatu regni, & veſtra veſtrorúmque ſalute, Dominum Iesvm Chriſtum inſtantiùs deprecamur, tantóque de Nortmannorum vobis ſubacta rabie grates auctori exultantes rependimus; quanto hæc non ad tumorem elationis, nec ad humanæ cupiditatis ardorem profutura, ſed ad exaltationem Eccleſiarum Dei, & ad libertatem populi Chriſti, atque ad laudem ipſius credimus incunctanter proficere. Optamus excellentiam veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXIV.
Ad Rothadum Epiſcopum Sueſſionenſem.

Vt Romam veniat, cùm primùm ei data fuerit licentia. quòd ſi negetur, ſedem Apoſtolicam appellare non ceſſet.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo Rothado Epiſcopo.

Epiſt. 33.
Dan. 6.
Luc. 15.

COGNOSCAT experientia tua, frater cariſſime, de tuis tribulationibus multũ apoſtolatum noſtrum doluiſſe, immo dolere. ſed credimus Dei miſericordiam tibi proximè affuturam, quæ te & ſicut Danielem educat de lacu leonum, & ſicut prodigum filium prima induat ſtola. Quæ autem primùm de te Carolo glorioſo regi, atque Hincmaro miſerimus, noſſe te credimus. Nunc autem Metropolitani, & ceteri Epiſcopi, qui circa te ſententiam protulerunt, nobis multa ſub geſtorum ſerie de te, vel contra te intimauerunt, & vt rata eſſent quæ contra te promulgauerant, noſtro flagitauerunt cõſenſu roborari. Sed nos hæc agere diſtulimus, immo vt renouaretur Concilium, & iuxta canonum normam cauſam tuam in noſtro iudicio terminaremus, præcepimus eis, vt te de Monaſterio educerent, & ſancti Petri memoriæ pariter aut ipſi, aut ipſorum vicarij, tecum venientes honorificè præſentarent. Quòd ſi poſt lectam à nobis ſibi miſſam epiſtolam, infra XXX. dierum ſpatium, noſtram non curaſſent conſtitutionem perficere, poſt XXX. dies, à Miſſarum ſolemniis celebrandis, quæ eis fortiter contradiximus, penitus ceſſarent, quouſque noſtris diffinitionibus perfectam obedientiam demonſtrarent. Vnde, frater cariſſime, quoniam cauſam tuam ſine examine dimittere non poſſumus, ne præiudicium diſtrictioni Eccleſiaſticæ facere videamur: rurſuſque quoniam ſine præſentia noſtra, ne fortè, iniuſtè lædaris, in aliorum iudicio cauſam tuam diſcuti ac diffiniri dubitamus, ſtude quantum potes, vt cùm tibi rex & Epiſcopi, quemadmodum ſtatuimus, licentiam dederint Romam properandi, mox vtcumque venire non differas. quòd ſi huc veniendi non tibi tribuerint facultatem, tu tamen idipſum nobis intimare ſtudeto. Verùm quantum audes, quibus potes, & quomodo potes, Apoſtolicam ſedem appellare, & hanc adire velle, manifeſtare ne ceſſes, ſi tamen te iniuſtè læſum noſti, & bonam te cauſam habere per Dei gratiam arbitraris: quoniam nos, diuina clementia ſolatiante, nullatenus te in finem obliuioni tradi vita comite patiemur. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data IV. Kalendas Maias, Indictione XI.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXV.
Ad Hincmarum Archiepiſcopum.

Confirmatio Synodi Sueßionenſis, anni DCCCLIII. *cum priuilegio Hincmari Archiepiſcopi & Eccleſiæ Remenſis.*

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro Remorum Archiepiſcopo.

Append. epiſt. 5.

PASTORALIS ſollicitudinis cura conſtringimur, & loci ſublimitate, qua nos ſuperna prouidentia totius domus ſuæ generalitati præpoſuit, prouocamur; vt Apoſtolatus noſtri apex in ea tamquam lapis poſitus angularis, ad imitationem ipſius, fidelibus quidem & humi-

libus tutiſſimum & firmiſſimum refugium, quo cuncti franganrur tumentes hoſtium fluctus, exhibeat: his autem qui offendunt verbo, nec credunt in quo & poſiti ſunt, ſit lapis offenſionis, & petra ſcandali. Proinde, quia dilectio tua, ſequens inſtituta maiorum, ea quæ poſſunt aliquam recipere quæſtionem, ad nos, quaſi ad caput & apicem Epiſcoparus, referre epiſcopaliter ſtuduit,) quod nos libenter accepimus, quia hinc dilectionem tuam memorem canonum comprobamus) Synodum illam, quæ à te & ceteris venerabilibus Archiepiſcopis, atque Epiſcopis in vrbe Sueſſorum, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIII. Indictione prima, v. Kalendas Maij fuerat celebrata, & à deceſſore noſtro beatæ memoriæ Benedicto Papa eſt confirmata, ſicut idem ſanctæ recordationis pontifex illam confirmauit; ita & nos eam confirmatam, & irrefragabilem, perpetuóque manſuram Apoſtolica auctoritate decernimus, ſaluo tamen Romanæ ſedis in omnibus iuſſu atque iudicio. Præterea quidem & hoc ſancimus, ne quilibet ex Remorum Durocortorum prouincia, regionis Belgicæ, regulariter ſubiectus Eccleſiæ te contempto, vel poſthabita Coepiſcoporum ipſius diœceſeos prouinciali Synodo, impune audeat, ſeu valeat aliena expetere, aut expectare iudicia, aut alienas contra canones ordinationes ſuſcipere, vel ad alias prouincias irregulariter conuolare: ſed ita vt Nicænorum & ceterorum Conciliorum canonicis definitionibus eſt promulgatum, & beatorum Siricij, Innocentij, Zoſimi, Cæleſtini, Bonifacij, Leonis, Hilari, Gelaſij, Gregorij, ac ceterorum Romanæ ſedis pontificum conſtitutionibus eſt decretum, ſaluo in omnibus iure Apoſtolicæ ſedis, velut ab ipſo Chriſto & ſacris eſt cautum canonibus, cuncti ſiue in prælatione, ſiue in ſubditione debita, ordinem ab Eccleſiaſticis regulis traditum obſeruantes, Metropolitanæ tuæ auctoritati, honeſtè tamen & canonicè præcipienti, obediant, & ſtudioſiùs obtemperare procurent. Et hoc promulgamus, atque Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, vt te, quem primatem ipſius prouinciæ ſanctæ memoriæ præſules prædeceſſores noſtri, Leo ſcilicet in largirione vſus pallij, & Benedictus priuilegio ſuæ corroborationis, vt & anteceſſores eorum tuos prædeceſſores, canonica auctoritate & antiqua conſuetudine, pro Metropolis Eccleſiæ genio confirmauerunt, & nos primatu beati Petri Dei voce percepto pariter confirmamus. Nullius vmquam infeſtatio contra canonica Apoſtolicáque decreta ſiue iudicia opprimat, aut ab Eccleſia tibi commiſſa virtute vel facultate nudare, aut ante audientiam Romani pontificis, quia nec regulæ hoc permittunt Eccleſiaſticæ, iudicare te vel condemnare præſumat. Quòd etſi temerarius quiſquam forrè præſumpſerit, nullius excommunicationis, vel obligationis, ſeu condemnationis ſententia ſine decreto Romani pontificis tenearis adſtrictus. Sed ſi à quocumque vel vndecumque fueris compellatus, vt debeas iudicari, Apoſtolici Papæ iudicio te reſeruari, noſtra, immo beati Petri Apoſtoli auctoritate decernimus: nec alterius cuiuſcumque iuri, vel iudicio te ſubiici, excepta poteſtate ſedis Romani pontificis, nec ad alterius primaris prouinciæ Synodum, niſi ex communi placito, poſſe conuocari mandamus. Ita tamen, ſi in nullo negotio Apoſtolicæ Romanæ ſedis iuſſionibus inuentus fueris inobediens. Et hoc conſtituimus, ne quilibet ex prouincia Metropoli tuæ tibíque ſubiecta, ius ſecundum Eccleſiaſticas conſtitutiones

primatui

primatui Eccleſiæ tuæ & tibi debitum, & ſecundum ſacros canones, & decreta Romanorum pontificum, ex antiqua conſuetudine traditum ac conſtitutum, quoquomodo per contemptum conuellere, aut prouinciam diuidere, aut tibi, vel Eccleſiæ tuæ, quamcumque violentiam contra eadem canonica conſtituta, & decreta Romanorum pontificum, pertinaciter inferre præſumat. Quæ omnia ſupraſcripta violaria quoquam, cum anathematis interpoſitione, beati Apoſtolorum principis auctoritate, & noſtra Apoſtolica ſententia prohibemus. Eo dumtaxat tenore & conditione hæc per huius præcepti decretique paginam tibi omnibus vitæ tuæ diebus habenda concedimus, ad tuæque ſecuritatis quietudinem ac decorem valere diſponimus: ſi tam in præſenti, quàm ſemper, dum tamen in hac vita ſuperſtes extiteris, in nullo ab Apoſtolicæ ſedis præceptionibus quoquomodo diſcrepaueris. Quòd ſi à ſanctæ Romanæ Eccleſiæ conſtitutis, vel ab eius præſulum iuſſionibus, quolibet tempore inuentus fueris ſegregatus, eorúmque ſiue per epiſtolam, ſiue per verba, mandatis obedire neglexeris, huius priuilegij atque præcepti tenor nullius momenti penitus iudicetur, & cuncta quæ in eo continentur, irrita in perpetuum, atque inania prorſus exiſtant. Si quis autem temerario auſu, magna paruáve perſona, contra hoc noſtrum Apoſtolicum decretum agere præſumpſerit, ſciat ſe anathematis vinculo eſſe innodatum, & à regno Dei alienum, & cum omnibus impiis æterni incendij ſupplicio condemnatum. At verò qui obſeruator extiterit præcepti huius, gratiam atque miſericordiam, vitámque æternam à miſericordiſſimo domino Deo noſtro conſequi mereatur. Scriptum per manum Zachariæ notarij regionarij, & Scriniarij S.R.E. in menſe Aprili, Indictione XI. Bene vale. Data IV. Kalendas Maij, per manus Tiberij primicerij ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, imperante piiſſimo domino Imp. Auguſto Hludouuico, à Deo coronato, magno, pacifico, Imperij anno XIV. Indictione XI.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXVI.

Ad Traſulfum Abbatem Corbeienſem.

Priuilegium Monaſterij Corbeienſis.

Epiſt. 14. NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Traſulfo religioſo Abbati, & per te venerabili Monaſterio beatorum principũ Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeia, in perpetuum. CONVENIT Apoſtolico moderamini, quod beatus Petrus, Apoſtolorum eximius, per attributam & reuelatam ſibi diuinitus gratiam, licet ſuis longè imparibus meritis, nobis tamen ſingulari prærogatiua, vt in totius Chriſtianæ religionis vniuerſitate principaliter excelleremus, contulit: quatenus ſicut dignitate & auctoritate per ipſius ſingulare priuilegium omnibus præeminemus, ita vniuerſarum Eccleſiarum Dei ſollicitudinem habeamus, & ſingulis quibúſque fidelibus, atque piis locis, in quibus iugi Deo famulantium ſedulitate placatur diuinitas, opportuna ſuffragia conferamus. Vnde quia non multis intercedentibus annis Monaſterium beatorum Apoſtolorum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeia, venerabilis qui tunc fuerat Abbas Odo, & glorioſus dilectus filius noſter rex Francorum Carolus, deceſſorem noſtrum ſanctæ recordationis Benedictum pontificem, directis ad eum tam litteris quàm Miſſis poſtulauerant, vt prædicto Monaſterio, & rerum ſuarum liberam concederet diſpoſitionem, & in eligendo de ſemetipſis Ab-

bate regularem daret canonicámque licentiam. Quorum petitionem ille gratanter accipiens, perita conceſſit, & vt conceſſionis eius perpetuitas ſeruaretur, priuilegium Monaſterio iam dicto fecit. Nunc verò adueniens venerabilis Odo Beluacenſis Epiſcopus, qui priùs Abbas Monaſterij Corbeienſis fuerat, innotuit nobis tam petitionem ipſius benigni principis, quàm poſtulationem tuam, qui præfati Monaſterij Corbeiæ Abbas eſſe dinoſceris, qua poſtulaſti, vt quæ prius Monaſterio illi à deceſſore noſtro beatæ recordationis Papa Benedicto conceſſa fuerant, auctoritatis noſtræ promulgatione firmare non abnueremus. Nos itaque, conſiderantes religioſam eſſe petitionem tuam, & nihil noui nos conſtituturos, ſi prædeceſſorum noſtrorum decreta ſequamur, paſtoralis quoque pariter eſſe officij, ſeruorum Dei iugiter vtilitati commodiſque proſpicere: decernimus vt Monaſterium Corbeiæ, quod ad laudem Dei, in honorem ſanctorum Apoſtolorum Petri ac Pauli conſtructum eſſe dinoſcitur, & à Baltchilde regina Francorum, filióque eius Chlothario, à principio fundatum, & donatiis rebúſque neceſſariis locupletatum, quod eſt in pago Ambianenſi ſuper fluuium Sumnaſitum, rerum ſuarum liberam in omnibus habeat diſponendi regulariter poteſtatem. vt quæcumque eidem Monaſterio in auro vel argento, in agris vel famulis, ſeu quibuſlibet rebus fuerint oblata, ſiue in præſenti die collata eſſe conſtant, in tua tuorúmque ſucceſſorum Abbatum fratrúmque maneant diſpoſitione: vt quicquid ſecundum Dei timorem, ad Eccleſiæ ipſius vtilitatem, regulariter & canonicè diſpoſueritis agere, liberam in omnibus habeatis faciendi poteſtatem. Epiſcopus verò Ambianenſis nullam ex eis vel accipiat, vel expoſcat portionem: neque vel in Abbate, vel in fratribus, vel in ipſo cœnobio poteſtatem obtineat, neque in cellis ipſius Monaſterij dominatione potiatur vlla, neque in clericis, neque in famulis, & in omnibus, quæcumque ad Monaſterium, illud videntur habere poſſeſſionis reſpectum. ſicut iam olim conceſſum illi Monaſterio cognouimus ab Epiſcopo Ambianenſi, & ab aliis Epiſcopis Galliarum, & priuilegio ceſſionis firmatum, tam temporibus dilecti filij noſtri Caroli, præſenti tempore regnantis, quàm antiquis temporibus Baltchilde, Chlotharióque Francis principantibus: niſi quantum canonicus ordo permittit. Nec ad Monaſterium, ſeu cellas eiuſdem, vel ipſe per ſe Epiſcopus, vel Oeconomus eius, vel Archipreſbyter, vel Archidiaconus illius, aut quælibet ex eius agentibus perſona, poteſtatem habeat accedendi, niſi fortè ab Abbate Monaſterij, vel fratribus, neceſſitatis cauſa, vel dilectionis gratia, vocatus aduenerit: ne importunitate ſui, miniſtrorúmque ſuorum inquietudine, fratres vel Abbates ſuſtineant vllam moleſtiam. Neque in Eccleſiis prædicto Monaſterio ſubiectis, vel in preſbyteris eiſdem Eccleſiis ordinatis, aliquam tentet facere perturbationem, vel Abbati, vel fratribus, nouam conſtituendo, & antiquam conſuetudinem violando: ſed ſicut regulariter & canonicè diſpoſita ſunt, & longo iam tempore manentia, ita quoque futuris temporibus maneant inconcuſſa. Nec poteſtate Epiſcopalis faſtus abutens, violenter contra conſtituta maiorum diſponere velit aliquid aduerſus voluntatem Abbatis, & fratrum in ipſo cœnobio Deo quocumque tempore militantium. Ordinationes quæ neceſſariæ fuerint in Monaſterio, ſiue de monachis, ſiue de canonicis, & quas petierint Abbas & fratres, agere non differat. Altaris quoque & baſilicarum benedictiones, ſiue conſecrationes, prout neceſſitas poſtulauerit, vel in ipſo Monaſterio, vel in agris ipſius Monaſterij, libenter concedat: chriſma quoque, oleúmque conſecratum per ſingulos annos præbere non differat: & pro his omnibus nullum munus accipiat, ne Spiritus ſancti gratiam vendere conatus, Simonis damnationem, quod abſit, ſuſtineat. Hoc conſtitutum, non ſolùm Epiſcopum Ambianenſem, verùm etiam omnes per Galliæ, Germaniæque prouincias Epiſcopos, vbicumque præfatum Monaſterium vel Eccleſias, vel agros, vel famulos habere dinoſcitur, obſeruare ſine cunctatione, ſeu contradictione decernimus. vt nullus poteſtatis iure, de rebus præfati Monaſterij, ſine voluntate Abbatis fratrúmque ipſius cœnobij abutatur: ſed maneant omnia quæ collata ſunt, fuerintque, in rectoris ipſius Monaſterij poteſtate, & regulari diſpoſitione. neque ſit aliquis vel regum, vel vllius poteſtatis, ſeu dignitatis fultus gradu, qui de Monaſterij præfati rebus, vel violenter, vel potenter inuadat aliquid, vel diripiat. Abbatem verò fratres ipſius Monaſterij de ſe ipſis eligendi ſemper habeant poteſtatem, & eam perſonam eligant, quæ monachi propoſitum & habi-

tu, & moribus profiteatur, non canonicum, aut laicum, neque alterius Monaſterij monachum: quoniam monachico ordini præficere, vel laicum, vel canonicum, non eſt ſeruare ordinis profeſſionem, ſed euertere: quòd vnuſquiſque præpoſitus cuius eſt ordinis, eius quoque erit & propagator: nec bene diſponet aliquando cuiuſcumque militiæ vitam, cuius non fuerit ipſe qui diſponit æmulator. Sed neque rex, neque poteſtas aliqua, vllam Monaſterio Corbeienſi præponat perſonam, quam non fratres ipſius elegerint Monaſterij. Debent enim mundi principes honorem præſtare Deo, quem ſibi volunt præſtari à Deo. videlicet vt quemadmodum cupiunt à Deo ſibi collatum regni honorem conſeruari: ſic Eccleſiæ Chriſti ſuam non dedignentur ſeruare legem. Non enim decet, neque iuſtum videri poterit, vt ſibi militantibus de Eccleſiæ Chriſti poſſeſſionibus mercedem reſtituant, & quod de republica ſua tertibuere debent, id reddere velint de his quæ collata ſunt Deo. Qua de re præcipimus omnino, vt Monaſterio beatorum Apoſtolorum Petri ac Pauli, quod Corbeiæ dicitur, nullam præſciant perſonam, vel ex ſibi militantibus, vel ex alieno Monaſterio ſumptam, quæ non per electionem ſumatur probabilem, ſiue de laico, ſiue de canonico, ſiue de quocumque fuerit ordine. Quoniam verò multæ quærantur ab importunis hominibus malignitatis occaſiones, & neceſſe eſt ſemper aduerſarij tela clypeo protectionis repellere: decernimus vt Abbas, poſtquam electus fuerit & ordinatus, nulla poteſtate præualente deiiciatur, niſi in criminis cauſa fuerit deprehenſus, cuius merito rectoris non debeat adminiſtrare officium. Infamiæ verò maculis, ſeu criminis alicuius denotatione ſi fuerit appetitus, non præter canonicam & regularem deponatur examinationem. Hoc verò conſtitutum ſi fuerit ab aliquo præuaricatum, per Epiſcopum Ambianenſem, quiſquis ille fuerit, ex noſtra cunueniatur auctoritate, vt eum qui huius ſedis conſtituta conuulſerit, conueniat, & iniquitatis ſuæ culpam commoneat, cuique periculo ſubiiciatur, notum faciat. Quòd ſi vel ipſe neglexerit, vel deſpexerit, vel timuerit perficere, Metropolitanus Epiſcopus, conuentus à fratribus ipſius cœnobij, perſonam huius ſanctionis violatricem adire non differat, & huius noſtri decreti teſtificationem innoteſcat, vtque ab eo quod prauè geſſit recedere non moretur, ex ſua noſtráque auctoritate conteſtetur. At ſi ille contumacirer in ſui facti perpetratione permanere decreuerit, & non quod iniquè geſſit corrigere maluerit, licentiam habeant fratres Monaſterij prædicti Romanam Apoſtolicámque ſedem adire, & neceſſitatis ſuæ cauſas ante Papam, qui tunc fuerit, vrbis Romæ deponere, & præſentis præcepti conſtitutionem manifeſtare: ſicque Romanus pontifex, cognita cauſa, iuſtæ damnationis ſententia reum mulctare non cunctetur. Si quis verò ſacerdotum, vel clericorum, hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentauerit, ordinis ſui dignitate careat: laicus verò, cuiuſcumque ſit poteſtatis, vel dignitatis, ſi huius priuilegij decreta in aliquo violauerit, reum ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & niſi vel ea quæ ab eo ſunt malè ablata reſtituerit, vel digna pœnitentia illicitè acta defleuerit, Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri ac Pauli auctoritate, atque noſtra ſententia anathematis vinculo innodatus, à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Domini noſtri Iesv Chriſti alienus exiſtat, atque in æterno examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem venerabili Monaſterio iuſta ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri Iesv Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis recipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ quietis inueniant. Scriptum per manum Leonis notarij regionarij, & ſcriniarij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Aprili, Indictione xi. Bene valete. Data iv. Kalendas Maias, per manum Tiberij primicerij ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, imperante domino piiſſimo Auguſto Ludouico à Deo coronato, magno, pacifico Imperatore, anno xiv. & poſt eius annum xiv. Indictione xi.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXVII.
Ad Hubertum Abbatem, fratrem Theutbergæ reginæ.

Reſpondet eius litteris, & quòd ipſius cauſam & ſororis in Synodo à legatis examinari iuſſerit.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI Hucberto religioſo Abbati.

Epiſt. 68. APICES defenſionis tuæ, per Odonem fratrem & Coepiſcopum noſtrum ad ſedem Apoſtolicam miſſos, libenter accepimus. Quorum etiam tenorem attentiùs perpendentes, reperimus te conquerentem dura inuectione à nobis fuiſſe conuentum, ac contra ſpem, dum te cum fratre & ſorore tugirer proclamantem conſolationis epiſtolas accipere ſperares, arguentes te ac corrigentes durè inueneris. Quod vtique deuotio tua moleſtè ducere non debuerat: quia patris ſolers diſciplina dilecto filio, etiam minimè peccāti, nonnumquam adhibetur: non quo ſeueritate verberum fruſtra examinetur, ſed quo, ne in ſuſpectis facinoribus deuoluatur, beneuola inuectione terreatur. Ac cùm dira flagella filius moleſtiſſimè ferat, eo quòd ſine culpa percutitur, ſcit tamen parer, quòd blando in pectore modum ſeruauerit diſciplinæ, vt ab imminentibus cuſtodiret. Quod cùm ita eſſe, nec omnino ſciolus dubitet, animaduertendum eſt, & ſumma circumſpectione cauēdum, ne cùm Apoſtolici moderaminis tibi aliquories dura mittuntur, moleſtè in aliquo feras: quia aut aperta & vera ſuut noſtræ correctionis verbera, aut occulta & iuſta ſunt, & aliquam habentia rationem. Porrò quia innocentiam tuam in ſacerdotum examine experendo, & quotidie proclamando, commendare videris, gratum habemus, & vt ita ſe veritas habeat, Deum rogitamus. Tamen quia adhuc in acie ſtare videris, innocentiæ tuæ perſeuerantiam adhibe, vt vnde nunc à nonnullis denotaris, perſpecta veritate poſtmodum collauderis. Ceterùm iuxta diuinitus nobis creditum miniſterium, vt à die qua Apoſtolatui noſtro negotium tuum atque ſororis relatum eſt, ſtrenuè perſtitimus, nullius ſanctæ Dei Eccleſiæ filiorum latere notitiam credimus, & quid de fratre tuo egerimus, ipſe poterit enarrare. Neque enim in hoc deſides negligentéſque poterimus vel ſuſpecti haberi, qui ad diuerſa quoque negotia dirimēda & examinanda, atque ad vltimum iuris ſilētium perducenda, & Synodum colligi iuſſimus, & legatos Apoſtolicæ auctoritatis illuc direximus, quorum cenſura in collegio fratrum, aut pro culpa canonicè puniamini, aut pro innocentia iuſtè à crimine diluamini. Optamus religioſitatem tuam in Chriſto feliciter valere.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXVIII.
Ad Ludouicum & Carolum filios Caroli Calui regis.

Gratulatur quòd in gratiam cum patre redierint. hortatur ne in poſterum ab eo diuellantur, iubétque vt Synodo ſatisfacturi ſe ſiſtant.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Ludouico & Carolo filiis Caroli glorioſi regis.

Epiſt. 69. PERVENIT ad Apoſtolatus noſtri notitiam, quòd malorum hominum callidâ ſuggeſtione decepti, à patris gratia, & participatione digreſſi fueritis. Qua ex re nimio mœrore deuicti, diſpoſitum habuimus Apoſtolici moderaminis vobis competenter correctionem dirigere, quæ vos & ab improbis ſtultiſque libitibus refrænaret, & correctos paternæ gratiæ reſtitueret. Nunc autem, quia ſanctiſſimus frater & Coepiſco-

pus noſter Odo veniens, dilectionem veſtram paternæ gratiæ pleniter reformatam eſſe affatus eſt, grates domino Deo retulimus. Ideóque deuotionem veſtram hortantes, ſancimus, vt caueatis vos de reliquo à tanti patris vnanimitate prorſus diuelli, qui vos tamquam Euangelicus pater, poſt perpetratos exceſſus ad ſe conuertentes, benignus ſuſcepit, ſtola prima induit, anulúmque in manibus, & calceamenta in pedibus tribuit: ita vt ſicut erroneus ille filius tandem regreſſus gratiam promeruit, & paternæ hereditatis ſine margine heres extitit; vos quoque ſtudeatis in eo quòd probè reuerſi eſtis perſiſtere: quatenus & hereditate patria ſemper fruamini, & à benedictione & gratia, atque communione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ vos glorioſiores exoptat, nulla penitus negligentia decidatis. Sanè in Synodo, quæ ſtatuto à nobis loco congreganda eſt, in qua Apoſtolicæ auctoritatis legatos credimus adfuturos, præſentiam veſtram humiliter præſentari iubemus, vt ibi de quibus impetita fuerit, veraci ratione reſpondeat, & pleniſſimè ſatisfactura canonicis regulis ſe ſubmittat. Optamus vos in Chriſto bene valere.

Luc. 15.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXIX.

Ad Epiſcopos in regno Lotharij conſtitutos.

Vt Lothario regi ſuggerant, vt ſummoto Hilduino, cui Cameracenſem Eccleſiam dedit, liberam eligendi Epiſcopi licentiam tribuat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, Archiepiſcopis, & ceteris Epiſcopis in regno Lotharij conſtitutis.

Epiſt. 63.

QVOTIENS de veſtræ dilectionis ſanctitate ea percipimus auribus, quæ Deo placabilia & grata, necnon & accepta eſſe creduntur, gaudemus in Domino, & immenſi tripudij exultatione lætantes grates ei multimodas reddimus. At verò cùm vos torporis deſidia audimus langueſcere, præcepta cæleſtia, tamquam letheis quibuſdam papaueribus perceptis, obliuioni mandare, peccata non premere, ſed fouere, non eradicare vitia, ſed plantare, ea ſacri verbi ligone non recidere, ſed veluti quorumdam, vt ita dicamus, linguæ adulationum, vt creſcant aquas effundere, immo quod eſt ſceleſtius, alienis peruerſitatibus protegendo ac defendendo fauere; contriſtamur, & tanto abundantia mœroris deficimus, quanto eos, cum quibus putabamus quibuſlibet poteſtatibus ex aduerſo aſcẽdendo libera prò domo Domini voce contraire, vel etiam virgam correptionis, ac iuſtitiam rigoris extendere, illos videmus ſe ſequentibus in barathrum, & iniquitatum foueam ducatum præſtare, eóſque, heu pro dolor! cęcis oculis anteire. Verùm de hoc tacendum parumper, quouſque tempus loquendi veniat, ratum ducimus. Ceterùm fidelium certa relatione didicimus, quòd glorioſus rex Lotharius filius noſter Eccleſiam Camaracenſem cuidam Hilduino clerico dederit: quæ quidem in regno ipſius conſiſtere dicitur, eſſe tamen de diœceſi confratris noſtri Hincmari Remorum Archiepiſcopi perhibetur. Quo prædictum clericum in multis à ſacris canonibus reprehenſum iudicante, ei vt alium, qui dignus inueniri poſſit, conſecrandi à rege, vobis auctoribus vtique, qui hunc non corrigitis, facultas adimitur. Vnde eadem Eccleſia Camaracenſis à iam fato Hilduino peruaſa, iam vltra decimum menſem, contra ſacrorum canonum normam, viduata conſiſtit, iugitérque ſuis rebus exſpoliatur, & quæ celebrari debent diuina miniſteria, quia Epiſcopali miniſterio caret, in ea minimè fiunt. Quapropter præcipimus vobis, vt ſuggetatis filio noſtro Lothario glorioſo regi, & ei, vt nullum Eccleſiæ Camaracenſi præiudicium inferat, ſummopere ſuadere curetis: quatenus iam fato Hilduino ſubmoto, ex ſe eligendi iuxta ſacros canones Epiſcopum, clero & plebi ipſius Eccleſiæ licentiam tribuat. Nam ſi hanc noſtram præceptionem Apoſtolicam contempſeritis, ſcitote vos pro inobedientia, & pro conſilij peſtiferi veneno, quo iam fatum regem ſæpè inficitis, à noſtra communione penitus ſubmouendos. Præterea epiſtolam, quam ſæpè dicto

Hilduino clerico mittimus, à vobis ei dari præcipimus. quem niſi ex Dei & B. Petri, & noſtra auctoritate excommunicaueritis, vt nihil de Eccleſia Camaracenſi ſibi vindicet, numquámque ſe in eadem Eccleſia ad Epiſcopatum prouehi tenter, vel poſtulet, à communione Dominici corporis & ſanguinis eſtote, diuina & noſtræ mediocritatis ſententia, cum eodem longiùs ſequeſtrati. Siquidem cuius rei gratia vltra decimum menſem, contra ſanctarum regularum diffinitionem, Camaracenſem Eccleſiam ſine rectote Epiſcopo de proprio clero electo viduatam permanere permiſetitis, noſſe proculdubio volumus, & cuius neglectu omiſſum ſit, ſolerti prorſus examinè teperire, & qua quis ſit dignus vltionis pœna mulctare, Deo auctore, nulla contenti dilatione ſtudebimus. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſempet bene valete.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXX.

Ad Lotharium regem.

Vt Hilduinum Eccleſiæ Cameracenſis peruaſorem reiiciat, & Hincmarum in ea diſponenda priuilegio ſuo vti permittat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, Lothario glorioſo regi.

Epiſt. 64.

INTER innumera, quæ de te ſupra modum ſiniſtra execrabiliáque feruntur, vnde nos non mediocriter te ſaluum anima & corpore cupientes triſtamur, illud etiam tuis exceſſibus te adieciſſe veraci relatione comperimus, quòd ſanctæ Eccleſiæ Remorum, in qua venerabilis confratet noſtet Hincmarus diuina diſpenſatione Archiepiſcopus præeſt, in regni tui finibus facultates ac prædia conſtituta diripias; & adeo illi diœceſim ſuam violenti brachio inhibeas, vt Eccleſiæ Camaracenſi, quæ ſuo ecce per decem menſium ſpati eſt deſtituta paſtore, viduata manens contra venerabilium canonum inſtituta inibi Epiſcopum conſecrandi, aut aliquid iuxta ſuum miniſterium diſponendi, nullam omnino poteſtatem habere permittas. Quam cunctis Chriſtianis legibus deteſtandam præſumptionem, à gloria tua, contra Eccleſiaſticas inſtitutiones, minimè perpetrari optamus, neque aliquo modo patiemur: quoniam ſi regum eſt proprium, rebelles corporis motus rationis imperio refrænare ac regere, debuerat vtique excellentia tua in omnium regni tui Eccleſiarum defenſione adeſſe, & minimè Metropolitani Remorum iute ſoluto in parochiis regni tui, viduatæ Eccleſiæ Hilduinum aliundè conſtituere peruaſorem. Ob hanc rem dilectionem tuam hortamur & monemus, atque Apoſtolica auctoritate inhibendo arcemus, vt nullo pacto in his quæ ad Remorum ſanctam Eccleſiam pertinent, illicitos appetitus extendens, ditioni tuæ ſubmittas, neque Eccleſiæ Camaracenſi peruaſorem diutiùs inhabitare permittas. Quoniam ſi feceris, & omnia Metropolitano Remorum non reſtitueris, vt ipſe iuxta ſuum illic priuilegium diſponere queat: quia iam tanta à te horrenda ac deteſtanda in corpore ſanctæ Dei Eccleſiæ commiſſa diutiùs æquanimiter ferre nequimus, vt ſaltem compulſus reſipiſcere valeas, noueris te citiſſimè mucrone Eccleſiaſtico feriendum: ita vt vlteriùs talia in ſancta Dei Eccleſia perpetrare formides. Peruaſorem verò Camaracenſis Eccleſiæ, Hilduinum nomine, ſcias à corporis & ſanguinis Domini noſtri IESV Chriſti communione penitus ſegregatum, & ab omni Chriſtianorum conſortio ſequeſtratum, ſi poſt hanc noſtri Apoſtolatus interdictionem temorari tentauerit, quouſque in noſtram præſentiam de his canonicè ſatiſfacturus occurrat. Optamus gloriam tuam in Chriſto bene valere.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXXI.
Ad Hilduinum clericum.

Vt ab Eccleſia Cameracenſi, quam peruaſerat, deinceps abſtineat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, Hilduino clerico.

Epiſt. 65. CVM noſtri voti deſiderium de omnibus bona cupiat ſemper cognoſcere, multum nos contriſtauerūt, quę de peruerſitatibus tuis, noſtris auribus à veracibus quibuſdam certa ſunt atteſtatione relata. Diceris enim, quòd contra ſtatura ſanctorum canonum Eccleſiam Camaracenſem inuaſeris, & eius ſanctæ plebis clericos opprimas ac dehoneſtes, bona quæque ipſius diripias, Metropolitano, id eſt confratri noſtro Hincmaro Remorum Archiepiſcopo, nullam debitam ſubiectionem vel obedientiam impendas; ſed abſque libitu eius, ecce per decem iam menſes viduatam eamdem Eccleſiam occupatam detineas; & cetera deteſtanda de tuis temeritatibus noſtræ Apoſtolicæ ſollicitudini nuntiantur, quæ quidem nunc ſilemus: tantùm hoc tibi præcipiendo iniungimus, vt omnia quæ à prædicta Eccleſia ſubtraxiſti, & ea habere dinoſceris, ei reddere ne differas. Et quoniam licet humana quædam poteſtas permittat, diuina tamen canonicaque cenſura te in eadem Eccleſia Epiſcopum conſecrari nequaquam conſentit, immo omnes qui tui ſunt moris atque præſumptionis, à tanta dignitate procul repellit: maximè cùm Metropolitano Remorum prouinciæ, cui ipſa Camaracenſis Eccleſia ſubiecta eſt, nullum debeat prçiudicium irrogari: præcipimus tibi, vt de eadem Eccleſia Camaracenſi nil auferens, quantocius abſcedas, vt talis à clero, & à plebe ipſius Eccleſiæ eligi, & ab Archiepiſcopo Remorum conſecrari poſſit, qui in nullo à ſanctis canonibus reprehendatur. Quòd ſi prælatæ Eccleſiæ quæ tuliſti, præter illa quæ ad victum & potum pertinuerunt, reddere diſtuleris, vel ſi ampliùs aliquid inde abſtuleris, & ab eius poteſtate ac regimine te minimè ſubduxeris, Dei noſtri, & ſanctorum Apoſtolorum, atque ſententia auctoritatis noſtræ, ſis vinculis anathematis obligatus, quàdiu huius noſtræ diffinitionis epiſtolæ pertinaci animo reſultaueris.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXXII.
Ad vniuerſos Epiſcopos & principes Galliæ.

Priuilegium libertatis Monaſterio S. Karileſi confirmatum.

NICOLAVS ROMANÆ SEDIS EPISCOPVS GALLIARVM, Epiſcopis vniuerſis, & principibus, ſempiternam in Deo patre & Domino noſtro IESV Chriſto ſalutem.

Epiſt. 66. REGVM corda diuinitus inſpirata quando pro religioſis locis ſollicitudinem gerunt, diuinitati gratiæ ſunt agendæ, & in omnibus quæ piè religioſeque procurant, eorum voluntati cum omni deuotionis alacritate eſt parendum. Orandi denique eſſent, vt de ſanctorum locis pietatis affectum, & ſollicitudinis curam ſuſciperent. Nunc autem vltro ſe ad hæc peragenda præbentes, & illis eſt congratulandum, & quæ iuſſerint ſine retractatione perficiendum. Glorioſus itaque rex Francorum Carolus, cælitus animum inſpiratus, inter cetera ſuæ deuotionis ſtudia, quæ circa Dei Eccleſiam prompta ſemper impendit deuotione, curam quoque dignatus eſt aſſumere de Monaſterio S. Karileſi Confeſſoris, quod eſt in pago Cenomannico conſtructum ſuper fluuium Aniſola, in quo à prima ſuæ conditionis die, ex quo beatus Confeſſor Chriſti Karileſus in eo corpore quieuit, religioſum monachorum habitauit examen, habuitque libertatis priuilegium, & in rerum ſuarum diſpoſitione, & in Abba-

Digitized by Google

ris de ſemetipſis electione. Verùm quia impugnare Eccleſiam Chriſti numquam hoſtis humani generis omittit, ſecuritatem libertatis, quam ex multis iam annis poſſederat, etſi non penitus abſcidit, concuſſit tamen, & conuellere conatus eſt, & paucis quidem antè iam annis, & præſentibus quoque, id eſt ipſius Caroli regis temporibus. Quia verò diuina clementia deſerit numquam in ſe confidentes, principis animum ad hoc mouit, vt non ſolùm inimici perſuaſio non prævaleret: ſed etiam procurare voluit, vt ſequentibus temporibus libertatis priuilegium olim Monaſterio illi conceſſum, à nullo deinceps nec euerti poſſet, nec violari. Vnde dignatus eſt ad nos pius princeps præfatus, & miſſum dirigere ſuum, id eſt venerabilem Odonem, Bellouacenſem Epiſcopum, & litteras ſuæ dignationis deſtinare, quibus poſtulauit, vt libertatem illi Monaſterio, & ab Epiſcopis, & à regibus Francorum conceſſam, noſtra firmaremus auctoritate, & futuris manſuram temporibus roboraremus. Conſiderantes itaque piam eſſe poſtulationem, & ſeruorum Dei quieti perneceſſariam, & quæ à paſtoribus Eccleſiarum poſtulanda eſſet atque procuranda, ſi minus eam mundi principes procurarent; decernimus Apoſtolatus noſtri auctoritate, vt Monaſterium ſancti Karileſi Confeſſoris, intra Gallias ſitum in pago Cenomanico ſuper fluuium Aniſola, vt rerum ſuarum habeat liberam in omnibus ſecundum Eccleſiæ ipſius vtilitatem, & ſeruorum Dei compendia, diſpenſationem. Vt Epiſcopus Cenomannicæ vrbis, ſiue Rotbertus qui nunc illi ſedi præeſt, ſiue ſucceſſores eius, nullam obtineant in eo Monaſterio poſſeſſionis dominationem, neque præfatum Monaſterium ad ſuæ vrbis inclinare conentur ſubiectionem. ſed Abbas ille qui nunc ibi eſt, Engilharius, & fratres eiuſdem Monaſterij, dominationis ius ſecundum Eccleſiaſtica ſtatuta, & præſentibus, & futuris obtineant ſemper temporibus Videlicet, vt quicquid oblatum eſt, vel fuerit deinceps illi cœnobio, vel in auro, vel in argento, vel in agris & famulis, vel in quacumque rerum ſubſtantia, nec Epiſcopus Cenomannicus, ſiue Robertus qui nunc illi vrbi præeſt, ſiue qui poſt eum Cenomannicam Eccleſiam rexerint, nec vlla alia perſona, ſiue ſæcularis, ſiue Eccleſiaſtica, vllam obtineant vel ſibi vindicent portionem: ſed maneant omnia in ipſius Abbatis, & fratrum ibidem Deo militantium diſpenſatione: vt quicquid ſecundum ipſius Monaſterij vtilitatem regulariter & canonicè voluerint agere, in eorum ſitum ſit poteſtate. Neque Epiſcopus ad præfatum Monaſterium, quaſi propriæ poteſtatis abutens iure, niſi vocatus ab Abbate & fratribus accedat, ne ſui aduentus preſſura fratrum quietem perturbet: neque dolos aut machinationes vllas vel Abbati, vel fratribus, ſiue per ſe, ſiue per ſuos, aliquando facere præſumat: quin potiùs quicquid Dei ſeruis in prædicto Monaſterio commorantibus, conferre ad ordinis ſui conſeruationem vtiliter & modeſtè & benignè potuerit, id pro Dei amore & ſempiternæ remunerationis gratia perficiat. Nec violenter aut callidè mali quicquam, aut perturbationis, moliatur in illos, ſicut audiuimus quoſdam facere voluiſſe, quaſi inſcriptiones quaſdam monſtrantes, quibus Monaſterium ſuæ ciuitati poſſeſſionis iure ſubditum fieri conati ſunt: quas conſtat omnino falſas fuiſſe, quandoquidem priuilegia regum, quæ ex antiquorum regum Francorum temporibus olim Monaſterio illi conceſſa ſunt, hoc deſtruant, ſicut & ipſa teſtantur, quæ in archiuis Monaſterij ob teſtimonium ſibi conceſſæ libertatis hodiéque ſeruantur. Quòd ſi fortaſſis contigiſſet, vt aliquando Monaſterium illud ſub poteſtate Cenomannici fuiſſet Epiſcopi, quod rebus ipſis probatur & teſtimoniis Monaſterio collatis numquam fuiſſe: tamen ſecundum leges ſæculi, poſt tot iam ſæcula & annorum ſpatia repeti nullatenus iure potuiſſet, & quod ſemel acceperat libertatem, iam ſub ditione nequaquam mancipari denuo potuiſſet. In legibus enim habemus, vt omnes quæſtiones infra xxx. annos terminum accipiant. De Eccleſiaſticis autem cauſis, poſt quadrageſimum annum nulla querela moueri poteſt, ſi non intra hoc ſpatium annorum fuerit mota. Et ecce hoc Monaſterium à primo rege Francorum Chriſtiano, id eſt Clodouæo, filióque eius Childeberto, cùm habuerit libertatem, & deinceps ab omnibus regibus, ſemper mãſerit liberum, & in rerum ſuarum diſpoſitionibus, & in Abbatis electione; nunc repetitur quaſi in proprij iuris dominationem; cùm ſi terrena poſſeſſio fuiſſet, & per tot annos poſſeſſoris ſui dominatione caruiſſet, nullomodo ſecundum leges mundi, ſiue Eccleſiaſticas, antiquus poſſeſſor eam ſibi vindicare potuiſſet. At verò, quod eſt dictu nefas, Chriſti poſſeſſionem, & ſeruorum

rum

tum Dei contubernium, quod terrena poteſtas liberum eſſe conceſſit, Epiſcopalis ambitio in ſeruitutis ius euindicare conatur. Apparet itaque, quiſquis hæc perverſè molitur, nō lucrum requirere quod velit animarum, ſed magis dominationis faſtum eo lucra cupiditatis inhiare. Vnde omnibus modis hane perniciosam teprimentes ambitionem, præcipimus vt Rotbertus Epiſcopus Cenomannicus, & quicumque ſucceſſor eius fuerit, nullam in præfato Monaſterio ſibi vindicet ditionis poteſtatem: ſed maneat ſecundum conceſſam ſibi iam multis annis abſolutionem, ab omni Epiſcopali preſſura & dominatione remotum. Nullus in eo quocumquam euindicet ſibi præfatæ ciuitatis Epiſcopus, neque per ſe, neque per miniſtros ſuos, neque ex clericis, neque ex monachis, neque ex canonicis, neque ex laicis, poteſtatis iure, aut Epiſcopali faſtu, ſine voluntate Abbatis ipſius loci, & fratrum ibi degentium, præſumat aliquid vel ad ordinandum, vel ad diſponendum, vel ad dominandum. Ordinationes verò, quas petierit Abbas, vel ipſi fratres, vel Eccleſiarum conſecrationes, vel altaris benedictionem, chriſmatis quoque oleique ſanctificationem, prout petierint Abbas & loci illius habitatores, non moretur præſtare: quia munus officij ſui Epiſcopus non pro lucri gratia, ſed pro creditæ ſibi diſpenſationis miniſterio debet impendere: & prouidentiæ paſtoralis exiſtit, vt creditis ſibi ouibus ex amore potiùs, quàm ex poteſtate, conſulere quærat, licet in ſubiectos vtraque ſecundum tempus ſit neceſſaria: ſed amor debet generare ſolertiam, poteſtas verò temperanda eſt amore, vt potiùs Chriſti caritas ferueat, quàm poteſtatis rigor inſoleſcat. Abbatem verò de ſe eligendi fratres cœnobij ſancti Karileſi ſemper habeant poteſtatem. neque in eius electione, Epiſcopi Cenomannici reſpiciant conſtitutionem aut diſpoſitionem: ſed quemcumque dignum vita, moribus, atque doctrina proſpexerint paſtorali officio, & ſibi vtilem & aptum diſpenſatorem eſſe, ipſum eligant; regiſque in notitiam deferant, vt eius & conceſſione & conſenſu poteſtatem regiminis accipiat. Neque pro eius vel ordinatione, vel conſtitutione, munus aliquod accipiatur, vel detur: quoniam Spiritus ſancti donum non debet pretio, ſed gratia promereri. Et quoniam multi per prauorum inſidias hominum ſeruis ſæpè Dei fabricantur doli, decernimus vt ordinatus deponi non poſſit, niſi criminalis eum cauſa monſtrauerit reum. Quòd ſi fuerit infamiæ calumniis denotatus, ex regali prouidentia Epiſcoporum habeatur non minus quàm ſex conuentus, quorum de numero Cenomannicus conſtituatur Epiſcopus: & eorum in iudicio ſecundum canones illius cauſa diſcuſſa, non aliter depoſi poſſit, niſi reus manifeſtis certiſque patuerit indiciis. Non eſt enim æquum, vt electus & ordinatus Eccleſiæ paſtor, fortuitu & ſine iudicio, abſque vllius manifeſta criminis denotatione pellatur. Nullus enim apud leges ſæculi damnatur, niſi in criminali cauſa deprehenſus veritatis teſtimonio patuerit: & nullus Eccleſiæ qui fuerit ordinibus conſecratus, merito deponendus erit, ſi non certis criminibus apparuerit conuictus. Sic itaque Abbas, & electus à pluribus, & ordinatus ſacerdotali benedictione, nullo modo debet ſui ordinis honore priuari, niſi manifeſtis criminibus fuerit denotatus atque conuictus. Vnde ſub hac auctoritate præcipimus, vt Abbas cœnobij ſancti Karileſi, poſtquam electus regulariter, atque canonicè fuerit ordinatus, à nullo nec Epiſcoporum, nec regum, nec aliâ qualiber perſona deponi poſſit, ſi non criminalis interceſſerit cauſa, pro qua meritò ſecundum regulam ſancti Benedicti, & canonum inſtituta, deponi debeat. Hæc autem conſtituta volumus omnibus omninō modis inuiolabilia præſentibus & futuris temporibus permanere, & à nemine vel regum, vel Epiſcoporum, vel alicuius ordinis violari. Quòd ſi quis conſtitutionis noſtræ parui ducens decretum, cœnobio ſancti Karileſi, vel Abbati, vel fratribus violentiam fecerit, & vel in ipſis, vel in famulis eorum, vel in omni ipſius Monaſterij poſſeſſione inuaſor apparuerit, reum ſe in diuino iudicio non dubitet apparere, & diuinæ cenſuræ puniendum damnatione. Vnde conſtituimus, vt primùm quiſquis hoc molitus fuerit, ſui honoris dignitate priuetur, ſiue ſit ſæcularis, ſiue Eccleſiaſtica perſona: deinde ab Eccleſiaſticæ communionis ſocietate fiat alienus, corporis quoque ſanguiniſque Chriſti participatione non communicet, donec vel quod iniquè geſſit corrigat, vel digna pœnitentia ſatisfactionem emendet. Fratres verò ipſius Monaſterij, ſi quid horum quæ conſtituimus violatum eſſe cognouerint, id eſt, ſi Abbatis electionem quis eis prohibere molitus fuerit, vel ipſius Monaſterij poſſeſſiones, aut quæ ibi

oblata fuerint, ſuo iuri mancipare decreuerit, vel ipſum Monaſterium Epiſcopus Cenomannicus ad ciuitatis ſuæ ſubditionem ſubiugare tentauerit, licentiam habeant Metropolitanum Epiſcopum Turonenſem conuenire, & preſſuram innoteſcere ſuam: & Metropolitanus cauſa cognita, perſonam per quam vexantur conueniat, & cui periculo tradita ſit, ex præſenti auctoritate relecta edicat, vtque emendare velit quæ priùs geſſit moneat. Quòd ſi non libenter audire, & reatum corrigere ſuum maluerit, ſecundum præſentis conſtitutionis decretum, eum à communione Chriſtianorum, & corporis ſanguiniſque Chriſti participatione efficiat alienum, quæcumque fuerit perſona, & cuiuſcumque fuerit dignitatis. Quòd ſi Metropolitanus Epiſcopus eorum precibus & acclamationibus adiutorium præſtare detrectauerit, licentiam habeant ſancti Karileſi Monaſterij fratres Apoſtolicam, id eſt Romanam ſedem adire, & neceſſitudinis ſuæ cauſam ante Epiſcopum, qui tunc fuerit, vrbis Romæ deponere, & præſentis edicti conſtitutionem manifeſtare: vt Romanus pontifex cognita cauſa, iuſtam anathematis condemnationem in reum exerere non moretur: vt Monaſterium præfatum proprium poſſit ſuæ libertatis munitionem habere, & pontificale decretum, tegúmque immunitates, Romanique pontificis conſtitutum, inuiolabilem perpetuis obtineant temporibus firmitatem.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXXIII.

Ad Stephanum Comitem Aruernorum.

Iubet vt Sigonem Aruernenſem Epiſcopum Eccleſiæ ſuæ deiecto peruaſore reſtituat, & Synodo legatorum de obiectis ſatisfacturus ſe ſiſtat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, Stephano Comiti.

Epiſt. 66. QVæ & quanta contra canonicas & Eccleſiaſticas regulas, immo contra naturalia iura pertinaciter egeris, ſedis Apoſtolicæ, quæ vbique ex miniſterio ſibi credito ſpiritaliter præſto eſt, cognitionem omnino non latet. Et licet tanto ſint odio à noſtris mentibus repellenda, vt in te eorum auctorem meritò mittere in virga cogamur: vt tamen adhuc te reſipiſcere à tantis malis ſperantes, has noſtri Apoſtolatus litteras tibi dirigimus, vt ſubmiſſa pertinaciæ tuæ ceruice, ſanctorum ſacerdotum præceptis pareas, de præteritis pœnitudinem geras, & à futuris te, ne perſeuerando in talibus in diaboli laqueos ſempiternos incidas, circumſpectè ac ſolerter cuſtodias. Ceterùm quia, quod his nequius extat, contra omne quod Chriſtianæ religioni conuenit, deiecto ſanctiſſimo SIGONE Aruernenſi Epiſcopo, in locum eius peruaſorem Adonem clericum ſubſtituiſti; præcipimus auctoritate Dei omnipotentis, beatorúmque Apoſtolorum principum Petri ac Pauli, vt nullam paſſus moram, ſanctiſſimum Sigonem Epiſcopum, deiecto peruaſore, Eccleſiæ ſuæ reſtituas, & in omni ſacerdotij dignitate eum manere amodò dimittas. Nam quia nonnulla impudica ac ſceleſtiſſima de te inculcantur, Apoſtolica auctoritate ſancimus, vt de his pleniſſimè ſatisfacturus, in noſtrorum legatorum præſentia, qui conſtitutæ à nobis Synodo præeſſe debebunt, in loco præfixo occurrere ſtudeas. quodque ſi neglexeris, & præſentiam tuam à Synodico examine defraudare tentaueris, ſcias te præſulatus noſtri auctoritate à vini & carnium participatione omnino excommunicatum, quoadusque Romæ in noſtra ſpeciali præſentia diſtrictam poſiturus rationem adſiſtas. Peruaſor verò ſanctæ Aruernenſis Eccleſiæ, ſi poſt hanc noſtram definitionem illic remorari tentauerit, & aliquod impedimentum ſanctiſſimo Sigoni Epiſcopo facere quacumque argumentatione præſumpſerit, ſciat ſe pari modo non tantùm à vini & carnium, verùm & à corporis & ſanguinis Domini noſtri IESV Chriſti participatione penitus eſſe ſeiunctum, quamdiu noſtris iuſſionibus obſtinatè in præſentiam Apoſtolicam venire diſtulerit. Bene vale.

ANNO CHRISTI 863. CAROLI CALVI REGIS 23.

CONCILIVM METENSE,

In Synodo Romana mox damnatum.

DE DIVORTIO LOTHARII ET THEVTBERGÆ, coniugióque Vvaldradæ, quod coram ſedis Apoſtolicæ legatis Radoaldo & Ioanne, ab Epiſcopis regni Lotharij celebratum eſt, menſe Iunio, anno Chriſti DCCCLXIII.

COACTVM *Nicolai Papæ iuſſu fuiſſe hoc Concilium ſuperiores epiſtolæ declarant: cui & præeſſe legatos ſuos voluit, vt de Lotharij diuortio definirent, ſed irrito conſilio. Lotharius enim, tametſi ſedis Apoſtolicæ iudicium expetierat, illúdque expectaturus videbatur, anteuertit tamen, & Vvaldradam reiecta Theutberga ſibi copulauit: factúmque arguentibus in Synodo legatis, conſilio & auctoritate Epiſcoporum ſe feciſſe teſtatus eſt. Annales incerti auctoris anno* DCCCLXIII. In regno, *inquit*, Lotharij, pro eo quòd dimiſſa vxore legitima alteram duxit, Synodus in Mettis congregata eſt omnium Epiſcoporum eius, præter Hungarium Traiectenſem, quem ægritudo detinuit. Aderant & Miſſi Nicolai Romani pontificis, ob eamdem cauſam diligenter inueſtigandam directi. In quo negotio ventilato, rex factum ſuum, propter quod arguebatur, conſilio & auctoritate Epiſcoporum ſe feciſſe teſtatus eſt. Quod illi non infeciantes, quaſdam aſſertiones rationum veriſimilium, quibus geſtæ rei qualitatem munire niſi ſunt, oppoſuerunt, eáſque litteris comprehenſas, vt legati Apoſtolici ſuggeſſerunt, per Guntharium Agrippinæ Coloniæ, & Theotgaudum Treuerenſem Galliæ Belgicæ Archiepiſcopos, Apoſtolicæ ſedis pontifici probandas tranſmiſerunt. Qui conuocato Romanæ ſedis Epiſcoporum Concilio, & Mettenſem anathematizauit Synodum, & ad ſe miſſos Epiſcopos depoſuit, & communione priuauit. *Regino legatos pecunia corruptos fuiſſe ſcribit: Nicolaus ipſe pontifex in præuaricationis barathrum demerſos Lothario regi ſcribens conqueritur. At Regino idem Concilium Metenſe Aquiſgranenſi præponit, ordine vt res docet præpoſtero. In Aquiſgranenſi enim facta eſt poteſtas Lothario alterius coniugij ineundi: nondum ergo inierat. At Vvaldradam iam duxerat, cùm celebratum eſt Metenſe. quod & Synodi ipſius geſta probant, & Nicolai epiſtola ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ, in qua Lotharium ait legitima repulſa coniuge, ſecundam ſibi adſciuiſſe, neque ſedis Apoſtolicæ iudicium expectaſſe.*

CONCILIVM ROMANVM.

IN QVO SYNODVS METENSIS DAMNATA eſt, eiúſque acta reſciſſa, & Guntharius ac Theutgaudus Archiepiſcopi, præcipui Lothariani diuortij aſſertores, depoſiti ſunt, Romæ in Lateranenſi palatio celebratum, anno Chriſti DCCCLXIII. Nicolai Papæ VI.

TITVLI CANONVM.

1. De Synodo in Metenſium vrbe à Theutgaudo & Gunthario Archiepiſcopis congregata penitus abolenda.
2. Depoſitio Theutgandi & Guntharij Archiepiſcoporum.
3. De ceteris Epiſcopis, qui complices fuerunt.
4. De Ingeltrude Boſonis Comitis vxore.
5. De ſententiis antiquis, & interdictis ſedis Apoſtolica.

PRÆFATIO, SIVE EPISTOLA NICOLAI PAPÆ, ad vniuerſos Epiſcopos.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerenriſſimis ac ſanctiſſimis frarribus noſtris, Archiepiſcopis & Epiſcopis, per Galliam, Italiam, & Germaniam conſtituris.

a q.1. Scelus quod. SCELVS quod Lotharius tex, ſi tamen rex veracitet dici poſſit, qui nullo ſalubri regimine corpotis apperitus tefrænauit, ſed lubrica enetuatione magis ipſius illicitis motibus cedit, in duabus feminis, Theutberga ſcilicet & Vvaldrada, commiſir, omnibus manifeſtum eſt. Sed & dudum Epiſcopos, Theogaudum & Guntharium, in rali facto eum habuiſſe turotes & fautores, pene totus orbis vndique ad limina, ſeu ſedem Apoſtolicam confluens referebat, abſentibus quoque id ſcribentibus noſtro Apoſtolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quanto de Epiſcopis tale quid audire nullatenus ſpetabamus: donec ipſi Romam tempore Concilij venientes, coram nobis & ſancta Synodo tales inuenti ſunt, quales fuerant à multis ſæpè prædicati: ita vt ſcriptura, quam ſuis ſtipulauerant manibus, quámque volebant vt noſtto toboraremus chirographo, caperentut: & dum muſcipulam innocentibus apponete ſatagerent, inſidiis ſuis illaqueati ſunt ipſi. Sicque completum eſt, Deo auctore, quod in Prouerbiis legitur: *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Siquidem ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos verò, Prou.1.17.

qui in hoc flagitium falsò cecidiſſe dicebamur, fauente Domino, cum iuſtitiæ propugnatoribus ſurreximus & erecti ſumus. Igitur decernente nobiſcum ſancta Synodo in præſentia depoſiti, & ab officio ſacerdotali excommunicati, atque à regimine Epiſcopatus alienati indubitanter exiſtunt. Vnde noſtra fraternitas canonum normam cuſtodiens, & decretorum ſanctiones obſeruans, cauet ne hos, quos nos abiecimus, recipere in ſacerdotum catalogo quis præſumat. Depoſitionis autem ſententia, quam in prædictos Theutgaudum & Guntharium protulimus, cum ceteris capitulis, quæ ſancto Concilio nobiſcum ſanciente promulgauimus, inferiùs annexa monſtratur.

CAPITVLA, SEV DECRETA ROMANÆ SYNODI.

I. *De Synodo in Metenſium vrbe à Theutgaudo & Gunthario Archiepiſcopis congregata penitus abolenda.*

SYNODVM quæ nuper, id eſt, ſub piiſſimo Imperatore Ludouico, per Indictionem x I. menſe Iunio in Metenſium vrbe ab Epiſcopis, qui noſtrum præuenerūt iudicium, collecta eſt, quíque Apoſtolicæ ſedis inſtituta temere violarunt, ex tunc & nunc, & in æternum iudicamus eſſe caſſatam, & cum Epheſino latrocinio reputatam, Apoſtolica auctoritate in perpetuum eſſe ſancimus damnandam; nec vocari Synodum, ſed tamquam adulteris fauentem, Proſtibulum appellari decernimus.

II. *Depoſitio Theutgaudi & Guntharij Archiepiſcoporum.*

Theutgaudum Treuirenſem primatem Belgicæ prouinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ Epiſcopos, nunc coram nobis, & ſancta Synodo, ſub geſtorum inſinuatione, qualiter cauſam Lotharij regis, & duarum mulierum eius, Theutbergæ ſcilicet & Vvaldradæ, recognouerint & iudicauerint, ſcriptum ſuper hoc propriis roboratum manibus offerentes; nihílque ſe plus vel minus, aut aliter egiſſe ore proprio multis coràm poſitis affirmantes; & ſententiam, quam à ſede Apoſtolica in Ingeltrudem vxorem Boſonis ſanctiſſimus frater noſter Mediolanenſis Archiepiſcopus Tado, & ceteri Coepiſcopi noſtri petierant emittendam, & nos diuino ſuccenſi zelo ſub anathematis obteſtatione canonicè protuleramus, publicè viua voce ſe violaſſe confitentes; in quibus omnibus inuenimus eos Apoſtolicas atque canonicas ſanctiones in pluribus exceſſiſſe, & æquitatis normam nequiter temeraſſe; ab omni iudicamus ſacerdotij officio permanere penitus alienos. Et ideo Spiritus ſancti iudicio, & beati Petri per nos auctoritate, omni Epiſcopali exutos regimine conſiſtere definimus. Quòd ſi iuxta præcedentem conſuetudinem, tamquam Epiſcopi auſi fuerint aliquid de ſacro miniſterio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia [11. q. 3. Theutgaldum.]

Synodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatiſfactionis: ſed communicantes eis omnes abiici ab Eccleſia, & maximè ſi poſteaquam didicerint aduerſus memoratos prolatam fuiſſe ſententiam, eis communicare tentauerint.

III. *De ceteris Epiſcopis, qui complices fuerunt.*

Ceteri autem Epiſcopi, qui complices horum, Theutgaudi ſcilicet & Guntharij, vel ſectatores eſſe feruntur, ſi cum his coniuncti ſeditionem, coniurationes, & conſpirationes fecerint, vel ſi à capite, id eſt à ſede beati Petri, illis hærendo diſſenſerint, pari cum eiſdem ratione teneantur adſtricti. Quòd ſi cum ſede Apoſtolica, vnde eos principium Epiſcopatus ſumpſiſſe manifeſtum eſt, ſapere de cetero per ſemetipſos, vel miſſos ad nos legatos ſuos cum ſcriptis ſuis profeſſi extiterint, nouerint ſibi à nobis veniam non negandam, nec amiſſionem honorum ſuorum pro retroactis præſumptionibus aut ſubſcriptionibus, quas pro inſanis fecerunt geſtis, per nos vllomodo formidandam.

IV. *De Engeltrude Boſonis Comitis vxore.*

Engeltrudem filiam quondam Mattefredi Comitis, quæ à Boſone proprio viro relicto, ecce iam per ſeptem circiter annos hac atque illac vagabunda diſcurrit, nuper cum fautoribus ſuis regulariter anathematizauimus: ſed propter contumaciam iteratò anathematis vinculo duximus innodandam. Sit igitur à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, vno & vero Deo, ab omnibus ſanctis patribus, & ab vniuerſa Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia, & à nobis penitus anathema, cum omnibus complicibus, & communicatoribus, atque auxiliatoribus ſuis. ita vt ſicut iam decreuimus, ſi quis ei canonicè vel fauere in aliquo præſumpſerit, ſi quidem clericus fuerit, eodem vinculo conſtrictus, officium clericatus amittat: monachi verò, & laici, ſi inobedientes decreto præſenti fuerint, ſimiliter anathematizentur. Sanè ſi eadem mulier ad virum ſuum reuerſa fuerit, vel ad Apoſtolicam beati Petri ſedem properans acceſſerit, veniam ei poſt dignam ſatisfactionem proculdubio non negabimus. Verumtamen ſub priori vinculo anathematis, quo illam priùs & nunc obligauimus, interim conſtricta permaneat. Si quis autem eidem Engeltrudi, ad Apoſtolicam beati Petri ſedem Romam properanti vel occurrenti, neſcius communicauerit, aut ſciens opem in veniendo præſtiterit, nullo pro hoc vinculo teneatur innexus.

V. *De ſententiis antiquis, & interdictis ſedis Apoſtolicæ.*

25.q.1. Si quis. Si quis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro

catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum, à ſedis Apoſtolicæ præſide ſalubriter promulgata contempſerit, anathema ſit.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXXIV.

Ad Hirmintrudem reginam.

Gratias agit de muneribus ab ea miſſis.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, Hermintrudi glorioſæ reginæ.

Epiſt.67. DEVOTIONEM tuam & fidem, quam ſublimitatem tuam circa beatorum Apoſtolorum reuerentiam habere perſpicimus, agnoſcentes, dignas Domino IESV Chriſto retulimus gratias. Nam & munerum veſtrorum diuerſis ſpeciebus oblatis, non tam cenſum, quàm pium conſiderantes affectum, reginæ Auſtri induſtriam tuam prætulimus. Siquidem tanto coram nobis gratiùs, quàm præfatæ reginæ, veſtra munera ſuſcepta ſunt, quanto illa mortali, tu verò, filia cariſſima, immortali regi, & Eccleſiæ ipſius principibus, qui cum eo feliciter regnant, & vobis intercesſionibus ſuis ſolatia conferunt, dona non tam corruptibilia, quàm ſemper manſura, & ante Deum iugiter florentia obtuliſti. Et reuera, ſi illius, quæ duo tantùm minuta in gazophylacium miſit, tanto eſt munus coram Deo acceptum, quantum putas veſtra fore grata, quæ plurima contuliſti? immo, quod eſt maius, temetipſam deuotione & fide Domino, eiúſque ſeruis, totis affectibus exhibetis? Omnipotens Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſima filia.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXXV.

Ad Rothadum Epiſcopum Sueſſionenſem.

Commemorat quàm multa pro ipſo hactenus in Galliam ſcripſerit, ſpondétque ſe ipſi, Romam ſi veniat, minimè defuturum.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, ſanctiſſimo & reuerentiſſimo Rothado Sueſſonicæ vrbis Epiſcopo.

Epiſt.34. SCIAT ſanctitas tua, quoniam miſimus increpatoriam epiſtolam pro te, Hincmaro ſanctæ Remorum Eccleſiæ venerabili Archiepiſcopo, eo quòd poſt appellationem ad ſedem Apoſtolicam, in te depoſitionis intulerit ſententiam. quam quidam vir, qui cum Boſone Comite Romam venerat, ad te deferre debuit: ſed hanc reſcripſit nobis ipſe Hincmarus reuerendus Archiepiſcopus, quòd eam minimè viderit. Inſuper tam Hincmarus, quàm ceteri Epiſcopi, qui ad eamdem Synodum conuenerant, vbi ſententiam depoſitionis circa te protulerunt, ſub geſtorum ſerie quæ de te geſſerint nobis latiùs intimauerunt, accuſationes circa te, & pro ſe excuſationes multiplices protendentes, & per Odonem venerabilem Epiſcopum noſtro eas Apoſtolatui verbo tenus indicantes. Per quem tam eiſdem Archiepiſcopis & Epiſcopis generaliter, quã dilecto filio noſtro Carolo glorioſo regi ſpecialiter reſcripſimus, increpantes & admonentes pariter & iubentes, vt te de clauſtris monaſterialibus præſentaliter educerent, & noſtro aſpectui præſentarent. Nunc autem venit Liudo religioſus diaconus, ſecum epiſtolas iam fati regis & Hincmari ferens, quæ te iuſſu ipſius regis de monaſteriali cuſtodia eductum, & cuidam Epiſcopo familiari tuo commenda-

Digitized by Google

tum eſſe fatebantur. Per quem tam Carolo glorioſo regi, quàm præfato Hincmaro Archiepiſcopo Metropolitano tuo, ſicut & priùs, direximus, vt quia vnam partem ſine altera audire non poſſumus, ad renouandum in noſtra præſentia iudicium, & te honorificè, & aliquos eorum qui te iudicauerunt, vel ipſorum vicarios, Romam dirigant. Nunc autem fraternitas tua ſtudeat ſecum ſollicita mente reuoluere, quod tibi quaſi in ipſis tuis auribus loquimur, vt ſi quidem conſcientia tua reprehendit te, aut fortè iudicium Epiſcoporum circa te prolatum admiſeris, nec te fatigare, nec alios velis. Si verò illi, noſtro conſilio freti, Epiſcopalem tibi reddiderint dignitatem, ſicut eis ſcripſimus, bene. Quod ſi noſtrum conſilium paruipendentes hoc agere illi diſtulerint, & tu in cœpto proprio perſeuerans ad nos venire elegeris, intrepidus & de Dei miſericordia fidens occurre: ſciens profectò, quia te Deo auxiliante non deſeremus, quoadusque iuſtitia conuertatur in iudicium, & quæ nunc operta ſunt Dominus reuelare dignetur. Dabitur autem tibi ſine dubitatione ad nos aditus veniendi: quod & nos Apoſtolica auctoritate, & firma cenſura ſtatuimus, & dilectus filius noſter Carolus, Chriſtianiſſimus rex, & nobis deuotiſſimus, pariter & Hincmarus, frater & Coepiſcopus noſter, ſcriptis ſuis præſenti tempore te ad nos miſſuros fore ſe, firmiſſimè ſunt omnibúſque modis polliciti.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXXVI.

Ad Carolum Caluum regem.

Hortatur vt Rothado Romam venturo itineris ſolatia proſpiciat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Carolo glorioſo regi.

Epiſt.35. CVM vos tantæ humilitatis, tantæque deuotionis incuruatione, ſub potenti manu Dei, ad reuerentiam præcipuorum ipſius Apoſtolorum flecti conſpicimus, impletum videmus quod ſanctus Iob de Domino loquitur
Iob.9.13. dicens: *Sub quo curuantur qui portant orbem.* Niſi enim vos, qui in regali ſublimitate poſiti eſtis, tamquam cuiuſdam ingentis fabricæ baſes, veſtro ſudore mũdum quodammodo portaſſetis, nequaquam Græco ſermone βασιλέων vocabula ſortiremini. Rurſúſque niſi tanta coram ſummo Deo vos humiliatione incuruaſſetis, nequaquam nobis, licet indignis ſeruis eius, obedientiæ colla tanta facilitate ſubmitteretis. Operatur autem idem ipſe Deus in vobis hoc, qui & laudandus eſt propter hoc, quique præuidit vos, & ad regni gubernacula deſtinauit, quo auctore vobis felicia arrident, vt cernimus, tempora, & proſperis proſpera, vt audiuimus, ſuccedunt. Quapropter eius miſericordiam glorificamus, & quia ignoramus quo hæc in vobis iudicio diuinitus patrantur, dilectionem veſtram inſtantiſſimè adhortamur, vt memores fragilitatis humanæ nulla vos commoda eleuent, nulla ſecunda diſſoluant: ſed ſemper ad voſmetipſos recurrite, & quià nihil eſt in homine vnde extolli debeat, ſedula conſideratione perpendite. Si qua ergo cælitus tribuuntur ad votum, largitorem ante oculos veſtra reuocare ſolertia non omittat, nec in his quæ temporaliter conceduntur bonis, conſiſtere finem exiſtimet, nec citò defluis delectata felicitatibus, perennis beatitudinis gaudia appetere deſinat. Proſpera verò mundi occaſio vobis ſint cæleſtia præmia requirendi, non fomes ad ima tendendi. Hinc egregius Apoſtolus admonens: *Qui vtuntur*, inquit, *hoc mundo, tamquam non vtantur.* 1.Cor.7.31. Tunc enim vos indubitanter ad æternam gloriam pertingere poſſe confidemus, ſi in huius vitæ gloria poſitos vos humilitatem ſectari veraciter ſenſerimus. Scriptum quippe eſt: *Gloriam præcedit humilitas*: è contrario verò, *Ante ruinam exaltatur cor.* Prou.15.33. Prou.16.18. Sed hæc nos ad ædificationem ſublimitatis veſtræ, quã paterno incunctanter affectu diligimus, curſim tetigiſſe veſtra libenter tranquillitas nouerit, & eo quo à nobis mittuntur mentis intuitu, veſter benignus hæc grataner ſuſcipiat animus. Ceterùm de Rothado venerabili Epiſcopo, de quo Apoſtolatui noſtro omittendum non eſt, iterum iterúmque ſuggerimus, vt omni depoſita amaritudine, quam circa illum celſi-

tudinis

tudinis veſtræ retinet indignatio, pro amore Apoſtolorum principis, ad cuius ſedem, dum anxiaretur, tot eius clamauit, gratiam illi impartiamini; & placabilem erga eum pietas veſtra, gratúmque in omnibus ſe prorſus exhibeat. ita vt cùm Romam profecturus erit, veſtra illi ſufficientia in itinere non deſint ſolaria: ſed potiùs veſtris ſaltem pro nobis ditatus beneficiis, ac fultus ſubſidiis, ad cœptum pertingere queat ſine aliqua difficultate propoſitum. Porrò de his pro quibus Apoſtolarum noſtrum conſulere meritò decreuiſtis, fratri & Coepiſcopo noſtro Hincmaro, quod nobis tolerabile eſſe videtur, cuſtodiendum ac decernendum mandauimus. Prætetea nolumus ignorare veſtram ſagacitatem, quòd licet ſemper dilexerimus vos, plurimum tamen amoris cordi noſtro præſentium latores inſeruerunt, qui ſedulis profecutionibus ſuis tam miranda de vobis noſtris auribus inculcarunt: Vnde & omnipotentem Deum meritò laudamus, & ad dilectionis veſtræ ardorem magis ac magis cor noſtrum conſequenter ſuccendimus. Optamus gloriam veſtram in Chriſto bene valere.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXXVII.
Ad Hermintrudem reginam.

Reſpondet ſe cauſam Rothadi, quod illa in Caroli regis gratiam ſuggerebat, indiſcuſſam relinquere non poſſe.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Hirmintrudæ glorioſæ reginæ.

Epiſt. 36. LITTERAS dilectionis veſtræ, filia cariſſima, vt glorioſum regem Carolum virum veſtrum, noſtrum autem dilectum filium, in cauſa Rothadi Epiſcopi exaudiamus nos hortantes, ecce nunc ſecundò ſuſcepimus. Pro qua re, mihi crede, multum anxiamut, multúmque vndiquè coartamur: quoniam nec nos poſſumus vobis, vt nobiſcum de illo vnum ſentiatis, id ipſúmque velitis, ſuadere: nec rurſum cauſa talis eſt, quòd ſine offenſione Dei nos valeamus vtrumque poſtponere. Verùm filia, vt cum caritate veſtra dicam, ſi oporteat obedire Deo magis quàm hominibus, ipſa potiùs iudica. Nos autem cauſam Rothadi in virtute Dei non patiemur, vita comite, indiſcuſſam relinqui, præterquàm ſi antè idem venerabilis vir priſtino fuerit honori ac dignitati redditus: quàm coram noſtra ſpeciali præſentia, diſcernenda cauſa ipſius extiterit præſentata. Quis rogo in toto orbe regni veſtri læſus, aut lædendus, clamaret vnquam ad ſublimitatem veſtram, cuius vos vocem poſtponeretis, & non magis vltione diſtricta ipſius iniurias vindicaretis? & nos quo modò hortari videmini, vt vocem ſanguinis fratris noſtri non exaudiamus? Aut quomodo obturabimus aures ad clamores illius, cùm vehementer paueamus, ne noſtra ob hoc fiat oratio execrabilis, clamemúſque, ſicut ſcriptum eſt, & non exaudiamur? Certè pro ſollicitudine, quam circa Eccleſiam Dei retinemus vniuerſam, & pro ſpeciali cura, quam circa cunctos fratres noſtros principaliter habemus, etſi numquam vocaſſet, à nobis ſumma diligentia quæri, & competenti debuerat ſtudio adiuuari. Quod autem ſcripſiſtis, quia ſi exaudiamus filium noſtrum, non detrimentum, ſed augmentum Eccleſiæ noſtræ priuilegiis generetur: nos certiſſimè credimus, quia priuilegia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ nullum poſſunt ſuſtinere detrimentum, nec plantatio quam cæleſtis pater noſter plantauit eradicari, nec fundamenta, quæ ſummus poſuit architectus, queant quibuſlibet quanriſlibet fluctuationibus amoueri. Verumtamen, cariſſima filia, magnum manet periculum, tam eos qui ſua deſidia ea minui aliquomodo ſinunt, quàm eos qui ſua præſumptione illa violare contendunt. De exaudiendo verò, vel non exaudiendo filio noſtro Carolo, coniuge veſtro, per Liudonem venerabilem idoneam vobis, vt remur, miſimus rationem. Verùm nos quicquid illi admonendo, vel hortando, vel etiam increpando mittimus, ad eius & dilectorum illius ſalutem, atque ad regni ipſius incolumitatem, perficere non dubitamus, immo Deo auctore omnino confidimus. Incolumem ſerenitatem veſtram diuina conſeruet maieſtas, filia cariſſima.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXXVIII.

Ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem.

Rothadum ab itinere Romano prohibitum fuiſſe indignatur. iubet vt quamprimum dirigatur, & illius interim loco Epiſcopum ordinari vetat. Monet ad extremum, vt Guntarij communionem ipſe atque eius ſuffraganei caueant.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, Hincmaro Archiepiſcopo Remorum.

Epiſt. 37. AD fraternitatem tuam epiſtolam dilecto filio Karolo glorioſo regi, quæ ſuo nomine titulatur, à te mittendam dirigimus. Idcirco Apoſtolatus noſtri ſcripto hortamur, vt illam inſtantius prædicto regi deſtinare procures, & pro noſtro amore ſine mora facias præſentari. Miramur prætera, & æquanimiter ferre non poſſumus, cur Apoſtolica noſtra monita iam totiens pro confratre noſtro Rothado Epiſcopo vilipendens, ſpernere non recuſes: de quo non ſolùm ter, ſed & quater caritati tuæ, vt recuperaretur, direximus, & ad vltimum ſtatuimus, vt aut honori priſtino redderetur, aut Calendis Maij iſtius XII. Indictionis Apoſtolatui noſtro cum legatis tuis præſentaretur. Quod non tantùm fieri renuiſti, ſed etiam cùm ipſe venire vellet, itérque iam cœptum haberet, non eſt permiſſus, ſed potiùs coactus retro reuerſus eſt. In quo datur intelligi, vt tua fraternitas ad huius caſum prōpta exiſtere poſſit, quando & Apoſtolica præceptio, ad iniuriam beati Petri Apoſtoli, illis in partibus non obſeruatur, & à te ſpernitur ac violatur. Si verò erga Apoſtolicam caritatem noſtram beneuolentia tua haberetur, ſaltem cur in veniendo idem Rothadus fuerit impeditus, nobis ſignificaſſes. Recognoſce ergo, atque conſidera, quia bene agere minimè probaris, cùm conſtet nos, Domino annuente, prædicti Rothadi cauſam vſque in finem indiſcuſſam nequaquàm dimittere; ſed pro viribus, eo quòd ad ſedem Apoſtolicam appellauit, ad veri examinis perducere nos velle æquitatem. Tu autem, frater cariſſime, omnem inobedientiam depone, & tam per te, quàm per filium noſtrum Karolum glorioſum regem, eumdem Epiſcopum, quem à nobis exaudiendum venire iubemus, iterùmque præcipimus, ad Apoſtolicam beati Petri ſedem, cuius membra eſſe probamini, cum miſſis tuis quantocius dirigere ſtudeas, ſituam caritatem in integritate firmiſſimæ petræ deſideras collocare, vbi Chriſtus domum ſuam fundauit. Nam & alterum Epiſcopum, qui poſt illum ſuam ſedem in eius deiectione ſuſcepit, ibi non conſecres, donec coram nobis de eo examinatione præmiſſa, luce clariùs cauſam eius vera intentione diſcutiamus. Quoniam vt ſæpè diximus, repetimus, ac tenemus, illum ſine examine non dimittemus. Sed & illud, quod fraternitatem tuam cauere oportet, neceſſariò intimamus, de Guntario ſcilicet vno de damnatis, qui contra ſanctorum patrum ſtatuta, contráque noſtri Apoſtolatus & ſanctæ Synodi ſanctitatem, vt fama iactitat, iuxta præcedentem conſuetudinem, de ſacro miniſterio, quod ei prohibitum fuerat, attrectare præſumit, & id quod circa eum canonicè actum eſt, irreuerenter defendere quærit. Nos autem, eo quod ſic definitum cum ſancta Synodo habemus, nullatenus ſi ita eſt ei communicamus; ſed ab omni communione fidelium illum, cum ſequacibus conſentaneis, fautoribúſque ſuis, alienum eſſe penitus iudicamus. Verumtamen ne illius ſola fæce tu, vel ſuffraganei tui Epiſcopi, ſicut iam vobis mandauimus, coinquinari valeatis, ſummopere exhortamur, monemus, atque præcipimus. Nam & qualis ſit idem Guntarius, quantúmque ſanctorum patrum exceſſerit regulas, viua voce iubemus omnibus publicare, & eius præſumptionem palàm ad canonicam cenſuram cauendam edicere procurare. Diu ſanctitatis veſtræ fraternitatem, ad exaltationem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, Deus omnipotens ſeruet incolumem.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XXXIX.

Ad Rodulfum Archiepiſcopum Bituricenſem.

Reſpondet eius litteris & conſultis.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Rodulfo, ſanctæ Bituricenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo.

SVSCEPTIS beatitudinis tuæ litteris, humilitatis dono referentis, cunctarúmque virtutum floribus redimitis, multiplices gratiarum cultus omnium bonorum auctori rependimus, tuámque à multis retro temporibus erga ſedem Apoſtolicam agnitam deuotionem plurimum conlaudamus, atque vt in hoc ſalubri propoſito perſeueres, fraternitatem tuam obnixiùs adhortamur. Sic enim & ſanctæ conuerſationis pedem quò tendere debeas, perſpicaciùs prænoſcere poteris, & ſuperuenienntia prauorum iacula præuidere & declinare liberiùs reuelante Domino præualebis, ſi in Apoſtolicæ ſedis petra more maiorum præſidium tuum locaueris, eiúſque fidei, doctrinæ, vel decretis, arctiùs inhærere contendetis, quam ille ſua ſacrauit ſeſſione, quem Dominus IESVS Chriſtus Eccleſiæ ſuæ primū & ſpeciale retinere faſtigium, quin & cæleſtis atrij delegit ſummum conſtituere ianitorem. Igitur de quo loquimur, beato videlicet Petro, quamuis ſolito nunc anguſtiùs Eccleſiaſticis ſimus occupati negotiis, & ob id reſpondere tuis ſpatioſiùs nequeamus conſultibus, tamen ſancto tuo ſatisfacere deſiderio cupientes, aliqua ex his inſpirante Deo curſim exponere non omittimus. Ex Cod MS.

CAP. I. A Chorepiſcopis aſſeris multas eſſe in regionibus veſtris ordinationes presbyterorum & diaconorum effectas, quos quidam Epiſcoporum deponunt, quidam verò denuo conſecrant. Nos verò dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec vllas debere fieri reordinationes, vel iteratas conſecrationes. Ad formam enim LXX. Chorepiſcopi facti ſunt, quos quis dubitet Epiſcoporum habuiſſe officia? Sed quia ſacri canones vetant, ne omnes ſibi omnia vindicent, ac per hoc dignitas Epiſcoporum ad Chorepiſcopos ſuos videatur transferri, ſiátque vilior honor Epiſcopi, decernimus nihil in hoc præter regulas vlteriùs fieri.

II. [Conqueſtus eſt Apoſtolatui noſtro frater noſter Sigebodus Archiepiſcopus Narbonenſis, quòd clericos ſuos eo inuito ad iudicium tuum venire compellas, & de rebus ad Eccleſiam ſuam pertinentibus, eo inconſulto, quaſi iure patriarchatus tui diſponas: cùm hoc neque antiquitas, cui ſancti patres ſanxerunt reuerentiam, habeat, & auctoritas ſanctorum canonum penitus interdicat. niſi fortè pro cauſis, quæ apud ſe terminari non poſſunt, ad te quaſi ad Patriarcham ſuum prouocauerint per appellationes, vel ſi Epiſcopus ſuus deceſſerit, res Eccleſiæ ſuæ iudicio tuo diſpenſare voluerint.] Primates enim, vel Patriarchas, nihil priuilegij habere præ ceteris Epiſcopis, niſi quantum ſacri canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus: ita vt ſecundum Nicænas regulas ſua priuilegia ſeruentur Eccleſiis, præterquam ſi Apoſtolica ſedes ali- 9. q. 3 Conqueſtus.

quam Eccleſiam, vel rectorem ipſius, quolibet ſpeciali priuilegio decreuerit honorare.

D. XXIII. Præterea. III. Præterea ſciſcitaris, vtrum ſolis presbyteris, an & diaconibus debeant, cùm ordinantur, manus chriſmatis liquore perungi. Quod in ſancta hac Romana, cui Deo auctore deſeruimus, Eccleſia neutris agitur. Sed & quia ſit à nouæ legis miniſtris actum, nuſquam, niſi nos fallat obliuio, legimus. Ergo ad B. Innocentij Papæ, canonica decreta ſanctitatem tuam tranſmittimus: & quæ tibi ſint in conſecrationibus & ordinationibus obſeruanda, principia paginæ ad Decentium Eugubinum Epiſcopum miſſæ te affatim edocebunt.

IV. De his verò qui pro crimininibus pœnitentiam gerunt, & ad cingulum militiæ reuertuntur, conſtat eos contra ſacras regulas agere. Verùm quia crimina non æqualia ſunt, perhibéſque alios horum propter nimiam hebetudinem in deſperationem adiſſe, alios ob hoc ad paganos fugiſſe, tibi hoc committimus decernendum, nimirùm qui loca & tempus regionis illius, modúmque culpæ, necnon & pœnitentiam, & gemitus hominum ad confeſſionem venientium, præſens poſitus inſpicere vales.

30. q. 1 De his qui. V. De his qui filiaſtros ſuos ad confirmationem coram Epiſcopis tenent, id eſt qui filios vxoris ſuæ de viro priori, dum chriſmantur ab Epiſcopis, ſuper ſe ſuſtinent, ſi inſcitia ſicut aſſeris fit, licet ſit peccatum, tamen non vſque ad ſeparationem coniugij puniendum. Lugeant tamen, & digna pœnitentia hoc diluentes, Domino dicant, Delicta ignorantiæ meæ ne memineris.

33. q. 2 Interfectores. VI. Interfectores ſuarum coniugum, cùm non addis adulterarum, vel aliquid huiuſmodi, quid aliud, niſi homicidæ habendi ſunt, ac per hoc ad pœnitentiam redigendi? quibus coniugium penitus denegatur, exceptis adoleſcentibus, de quibus eſt B. Leonis vigeſimaquinta decretalium regula, immo indulgentia obſeruanda.

De conſecr. D. 1. Porrò. VII. Porrò, Gloria in excelſis Deo, ab Epiſcopis in cœna Domini inter Miſſarum ſolemnia more noſtro dicenda eſt. Pallio verò Apoſtolico eadem die vti illis ſolis eſt licitum, quibus eſt ab Apoſtolica ſede permiſſum.

HÆC quidem inter tanta Eccleſiaſticorum negotia poſiti, vix ſaltim ſummatim fraternitati tuæ mittenda decerpſimus. Quæ niſi incomparabilis dilectio veſtra nos memorata vehementiùs coarctaſſet, nunc reſpondere cóſultibus veſtris, innumeris impediti neceſſitatibus, parumper omitteremus. Verùm à caritate tua vnum hoc neceſſariò poſtulamus: ſcilicet vt cùm aliquem fortè ad Apoſtolicam ſedem miſeris, ſtudeat cum tua fraternitas monere, quatenus in redeundo non vſquequaque feſtinus appareat, eo quòd omnium Dei ouium, ſicut ipſe noſti, cura conſtringimur; & cùm vndique ad ſedem Apoſtolicam multi diuerſa quærentes confluant, efficimur tardi ad ſingulos, dùm volumus benignitatem & dapſilitatem noſtram ſpargere per diuerſos. Sanè quæ in alia noſtri Apoſtolatus epiſtola beatitudini tuæ intimamus, ſolùm tuæ ſollertiæ ſint peruigili cura ſectanda, præcipuóque ſtudio peragenda. Siquidem circa nos, circáque ſedem beati Petri, non eſt aliud ſignum deuotionis quàm quod polliceris, niſi obtemperantia, & conſummatio decretorum, & diffinitionum noſtrarum, qui licet indigni, per abundantiam tamen gratiæ Chriſti ipſius vicatij ſu-

mus. Præterea epiſtolam alteram ſanctitati tuæ delatam, Hincmaro, & ceteris confratribus noſtris Archiepiſcopis, in regno Karoli filij noſtri glorioſi regis Eccleſiam Domini gubernantibus, deſtinare tua ſine mora ſtudeat beatitudo. Optamus ſanctitatem tuam nunc & ſemper bene valere.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XL.

Ad Rodulfum Bituricenſem eiúſque Coepiſcopos.

Scribit iterum de Theutgaudo & Guntario à ſede Apoſtolica damnatis, monétque vt ab eorum communione penitus abſtineant.

Append. epiſt. 14.

NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Rodulfo Bituricenſi Archiepiſcopo, ſeu omnibus venerabilibus fratribus noſtris Epiſcopis diœceſeos tuæ. NVPER, fratres cariſſimi, vobis ſcripta, quibus damnationem Theutgaudi & Gunthar ij dudum Archiepiſcoporum veſtræ, notam fecimus ſanctitati, tranſmiſimus: ſed vtrum ad vos vſque perlata ſint, penitus ignoramus. Quapropter quæ habentur in ſubditis, vobis mittenda decreuimus; vt quæ ſit Apoſtolica cenſura, & quam iuſtè in fautores adulterorum commota noſtra fuerit auctoritas, expetientiam veſtram non lateat: quatenus cum Apoſtolica ſede de his zelo zelati pro domo Domini ſentiatis, quos etiam ante ſententiam noſtram damnatione dignos nullomodo dubitaueratis. Ipſi quippe, more pſeudoprophetarum, de quibus ſcriptum eſt, quòd viderint & prophetauerint falſa, terreno regi, & poſt concupiſcentias ſuas eunti, fauere ſtudẽtes, contempſerunt cæleſtem regem, ante cuius oculos omne verſutiarum patet argumentum, & quaſi aranearum tela omnis callida diſſipatur aſtutia. Inſuper ad maiorem ſuæ cumulum damnationis, Ingeltrudem vxorem Boſonis, quæ relicto viro proprio, cum adultero adultera in eorum diœceſibus commorabatur, non ſolùm ad virum ſuum repedare minimè fecerunt, vel ab omni Chriſtianitatis nomine vinculis illam anathematis innodandam ſequeſtrauerunt, iuxta quod à ſanctæ memoriæ deceſſore noſtro Benedicto Papa, & à nobis per multa fuerant iam tempora monitis & terroribus conuenti: verùm etiam à nobis cùm ſuis complicibus & fautoribus iam anathematizatæ, adeo poſt ſibi intimatam ſententiam in ipſam à nobis prolatam, fauere conſenſerunt, vt in ſuis illam diœceſibus degere, & Eccleſias intrare, & cum fidelibus in locutione, & cibo ac potu communicare permiſerint: immo, vt ipſi coram nobis, & ſancta Synodo ſunt profeſſi, licentiam ei copiámque taliter conuerſandi tribuerint, & contra ipſos Nicænos canones, quam nos abieeimus ipſi receperint. Quæ nimirum omnia conſtat illis fuiſſe prohibita, ſicut ad præfatos noſtra indicat ſuper hac re miſſa præceptio. Itáne fratres debuit tã immane ſine vindicta exilire flagitium? & debuit Apoſtolica ſedes, ſollicitudinem habens omnium Eccleſiarum Dei, tanti auctores piaculi ad ſubuerſionem fidelium immunes deſerere? Et vbi erit quod primus eius ſeſſor tertiò à legiſlatore ſummo audiuit, *Paſce oues meas*, ſi tanta deſidia eaſdem, nullo zelo accenſi, nulla vtentes virga, à tam voracibus lupis permiſerimus diſcerpi? cùm licet indigni pro patribus nati filij, vicem eius agentes, Dei ſumus gratia conſtituti in domo ipſius principes ſuper omnem terram? Igitur quia vnum damnatorum, Guntharium ſcilicet, crebreſcens fama diuulgat Imperatoris & regum auribus contra ſtatuta canonica moleſtiam inferre, & quorumdam fratrum corda fallacibus & ſuaſoriis decipere verbis, & contra id quod aduerſus ſe actum eſt, velle impudenti fronte conſurgere: nos ei, quia ita eſt ab Apoſtolatu noſtro, & à ſancta ſede definitum, nullo modo communicauimus: quin potiùs ab omni eum communione fidelium, cum participibus & fautoribus ſuis, Dei auctoritate iudicauimus penitus eſſe alienum. Oportet ergo fraternitatem veſtram ſummopere præcauere, attentiúſque fore ſollicitam, ne fortè quod abſit, homini hærentes peruerſo, ab illa petra decidatis, ſuper quam verus architectus totius domus ſuæ voluit fundamenta conſtruere, & auctorem prauitatis ſequentes, amittatis commu-

Ioan. 21. 17.

nionem ipſius, à quo & Epiſcoparus & Apoſtolatus ſumpſit initium: per quem etiam vos, per gratiam Dei, non ſolùm Epiſcopi, verùm & Chriſtiani eſtis effecti. Capiti ergo religionis, id eſt ſanctæ Apoſtolicæ ſedi, hærere: caput autem ſerpentis, prauæ videlicet ſuggeſtionis, antequam cor penetret, in prima fronte conterite. Cepimus enim vobis, dilectiſſimi, vulpes, ſicut quidam nos fratrum noſtrorum hortatus eſt, quæ demoliebantur in vineis. videte ne vos dormientes reperiat, & pro depaſta vinea ſua is, qui in ea vos cuſtudes poſuit, deſidiam veſtram iratus percutiat. Quam rogo validitatem veſtra poterunt habere iudicia, ſi noſtra quomodolibet infirmantur; de quibus nec retractari licet? vel quod robur Coocilia veſtra obtinere valebunt, ſi ſuam perdiderit ſedes Apoſtolica firmitatem, ſine cuius conſenſu nulla Concilia vel accepta eſſe leguntur? Aut legite ſacros canones, & ſynodalia geſta reuoluite, & videte, quòd ſedi Apoſtolicæ, non ſolùm quoſlibet Metropolitanos, quorum cauſa eidem eſt ſedi ſemper ſeruanda, verùm etiam Patriarchas motis fuiſſe pro emergentium qualitate damnaſſe, vel etiam abſoluiſſe; iúſque ſemper & fas habuiſſe de omnibus ſacerdotibus iudicare: vt pote cui facultas eſt, in tota Chriſti Eccleſia leges ſpeciali prærogatiua ponere, ac decreta ſtatuere, atque ſententias promulgare. Quod veſtra reuerentia nos non exiſtimet, quia noſtra dicimus, in hoc quicquam præter veritatem dicere, cùm Dei potiùs, quàm noſtra ſint, beati Petri meritis Romanæ ſedi collara: & arbitremur, quod nos hîc aſſerimus, etiam vos nullatenus ignorare, & quæ in præſenti pagina ſcribimus, vos affatim in archiuis veſtris recondita poſſidere. His ita prælibatis, ſtylum noſtræ proſecutionis ad fraternitatem veſtram reflectimus; quam vtique niſi tanto amoris cultu diligeremus, nequaquam tanto affectu ad declinandum à prauis, ad ſectandam æquiratem incitaremus. Vnde ſub diuinæ maieſtatis vos intuitu conuenimus, & coram ſanctis Angelis, & beatis Apoſtolis eius, meritò interdicimus & conteſtamur, vt ſinceritatem communionis veſtræ nulla præfatorum, Theutgaudi ſcilicet & Gunthatij, vel fauentium illis contagione polluatis, nec ſocietate ipſorum, vel eis communicantium, veſtram innocentiam corrumpatis: ſi tamen noſtræ communionis & caritatis participes, ſicut nunc vſque, inueniri per gratiam Dei deſideratis: vel ſi ipſi reſultare, vel minimè acquieſcere his, quæ à nobis contra ſe promulgata ſunt, fortè præſumpſerint. Alioqui ſcitote vos ab Apoſtolicæ ſedis communione, gratia, & pace, perpetua noſtræ auctoritatis ſententia ſequeſtrandos: immo quod illi experti ſunt, ſicut olim decreuimus, vos quoque fore, quod non optamus, penitus incurſuros. Verùm vt vnum vos nobiſcum ſapere, & velle liquidiùs oſtendatis, hortamur quatenus binos de collegio ſacerdotali veſtræ ſanctitatis legatos, omnium veſtrorum vices agentes, circa Kalendas Nouembris ad Apoſtolicam ſedem deſtinare curetis: quo temeratorum, ſemélque damnatorum, & totius mali auctorum, recidiua radicitus amputata præſumptione, ſanctæ Eccleſiæ ex ſe bonitas generetur, & diuinæ Trinitati debita laus, & gratiarum actionum ſempiterna gloria referatur. Amen.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XLI.
Ad Rotlandum Archiepiſcopum Arelatenſem.

Miſſa cum altera epiſtola, qua Nicolaus Rotlando vices ſuas delegabat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Rotlando Archiepiſcopo Arelatenſi.

Append. epiſt. 10. SVſceptis ſanctitatis tuæ litteris totius humilitatis dono refertis, cunctarúmque virtutum floribus redimitis, multiplices gratiarum cultus omnium bonorum auctori rependimus, tuámque à multis retro temporibus erga ſedem Apoſtolicam, agnitam deuotionem plurimùm commendamus, atque vt in hoc ſalubri propoſito perſeueret, fraternitatem tuam obnixiùs adhortamur. Sic enim ſanctæ conuerſationis pedem, quò tendere debeas, perſpicaciùs cognoſcere poteris, & ſuperuenientia prauorum ia-

cula præuidere & declinare, liberiùs teuelante Domino præualebis, ſi in Apoſtolicæ ſedis petra, more maiorum, præſidium tuum locaueris, eiúſque fidei, doctrinis, vel decretis arctiùs inhæſere contenderis: quam ille ſua ſacrauit ſeſſione, quem dominus eius Chriſtus Eccleſiæ ſuæ voluit primum & ſpeciale retinere faſtigium, quin & cæleſtis atrij delegit ſummum conſtituere ianitorem. Quod iam beatitudinem tuam ſtrenuè perſequentem debitis attollimus omnino præconiis, non ſolùm in hoc, verùm etiam in eo quòd Apoſtolatum noſtrum ad perſeuerantiam cohortaris. In quo enim tam manifeſtè noſtrarum ſanctionum, & decretorum oſtendere te poteris eſſe cuſtodem, quàm in eo quòd noſtram quoque ſoliditatem ſupra firmam petram fundatam, vt in his perſeuerer, ſtudioſiùs animare procuras? Quod autem deprecatur tua fraternitas, vt ſcrutemur quales prædeceſſores noſtri circa prædeceſſores tuos antiquitus fuerint, & poſtulas, vt liceat tibi teſcriptu cognoſcere, vtrum fidenter crebrò litteris vel legatis nos audeas frequentare, & quæque congruentia temporibus opportunis ſuggerere: ſciat beatitudo tua, nos bene cognoſcere, quòd prædeceſſores mei inter alia honoris beneficia prædeceſſores tuos adeo dilexerint, vt eis vices ſuas in illis partibus retinere conſenſerint, quemadmodum Quinta refert ſancta & vniuerſalis Synodus. Tu verò ſi promiſſa tuæ dilectionis perfeceris, & nobis conſentiendo, contra prauos quoſque, vel contra moleſtos nobis hætere contenderis, & à decretis noſtris deuiare teſugeris; noueris te deinde Apoſtolatus noſtri clypeo protegendum, & caritatis ac pietatis brachiis modis omnibus complectendum: ſanctam quoque Eccleſiam diuinitus tibi creditam noſtra ſollicitudine & vigilantia, auctore Deo, per amplius & perfectius augmentandam. Mittere autem nobis legatos, vel litteras, tanto liberè debetis, quanto caritas, qua circa ſanctitatem tuam flagramus, quam latum mandatum pſalmographus nuncupat, intra ſinum amplitudinis ſuæ omnes recipit, omnes fouet, & protegit proximos ſuos, quia iuxta Apoſtolum Paulum benigna eſt, & omnia ſuffert. Verùm à caritate tua vnum hoc neceſſariò poſtulamus, ſcilicet, vt cùm aliquem ad Apoſtolicam ſedem miſeris, ſtudeat eum tua monere fraternitas, quatenus in redeundo non vſquequaque feſtinus appareat: eo quòd omnium Eccleſiarum Dei, ſicut ipſe noſti, cura conſtringimur, & cùm vndique ad ſedem Apoſtolicam multi diuerſa quærentes confluant, efficimur tardi ad ſingulos, dum volumus benignitatem & dapſilitatem ſpargere per diuerſos. Illud autem valde placuit, vnde etiam immenſo tripudio exultauimus, ſcilicet quoniam ab Apoſtolatu noſtro ſciſcitari quid tua ſanctitas ſequi debuiſſet prudentiſſimè decreuiſti. Verùm quamuis multa ſint, quæ tibi mittere poſſemus, interim tamen quæ in alia noſtri Apoſtolatus epiſtola beatitudini tuæ intimamus, ſolum tuæ ſolertiæ ſint peruigili curâ ſectanda, præcipuóque ſtudio peragēda. Siquidem circa nos, circáque ſedem B. Petri, non eſt aliud ſignum deuotionis tuæ, quam polliceris, niſi obtemperantia, & conſummatio decretorum, & definitionum noſtrarum, qui licet indigni, per abundantiam tamen gratiæ Chriſti, ipſius vicarij ſumus. Data menſe Maij die XII. Indictione XII.

Synod. V. Collat. 7.

1. Cor. 13. 4.

LOTHARII REGIS EPISTOLA
Ad Nicolaum Papam.

Conqueritur quòd pontifex nimium de ipſo eius æmulis credat. dolere ſe ſignificat de Theutgaudi & Guntharij excommunicatione. ceterùm purgans ſe de omnibus, paratum ſe oſtendit coram pontifice aduerſariorum calumnias refellere.

Domino verè beatiſſimo & ſanctiſſimo, totius ſanctæ Dei Eccleſiæ ſummo pontifici, & vniuerſali Papę Nicolao, Hlotharius diuina præueniente clemētia rex, ſummæ felicitatis, ac præſentis proſperitaris pacem & gloriam. Postquam nobis diuina dignatio ſua gratuita clementia regni gubernacula commiſit, more prædeceſſorum noſtrorum Chriſtianiſſimorum regum, ſemper & in omnibus ſublimandam B. Petri Apoſtolorum principis ſe-

dem, vt dignum eſt, reuerenter diliximus, atque inſtanter, quantum in nobis eſt, illam exaltare parati ſumus, deque veſtro tamquam ſummo ſpiritalis patris regimine, ſemper ſalubria haurire cupientes, veritatis voce vobis dictum recoli-
Ioan.21.17. mus: *Petre amas me, paſce oues meas.* & per
Ezech.34.15. prophetam: *Ego paſcam oues meas, dicit Dominus Deus: quod perierat requiram, & quod abiectum fuerat requiram, & quod contractum erat alligabo, & quod infirmum conſolidabo.* Admodum quippe deſideramus citiùs vobis noſtram exhibere præſentiam, vt illud veriori experientia implere poſſitis, quod idem propheta poſt pauca ſubintulit: *Et iudicabo illas in iudicio & iuſtitia.* Reuera ſereniſſimum ac deuotiſſimum circa piam paternitatem veſtram noſtræ mentis affectum acriter obnubilat, quòd æmulorum noſtrorum falſidicis vocibus nimium creduli, vltra quàm nobis neceſſe eſſet, in noſtra derogatione ſanctiſſimi Apoſtolatus veſtri aurem accommodatis. Præſertim cùm noſtra manſuetudo promptiſſima ſit omni deroganti vera & iuſta ratione reſiſtere. quod & legati veſtri, nuper in his partibus directi, vobis intimare poterant ſi vellent, quia nos data noſtris accuſatoribus firmitate aditum veniendi conceſſimus, & rationabilem ſatisfactionem, tamquam in veſtra præſentia, ex veſtro latere directis explere parati fuimus, nihil noſtræ regiæ dignitati fauentes, ſed quaſi vnus ex vilioribus perſonis, ſacerdotalibus monitis parentes. Hoc totum noſtri æmuli ſiniſtra interpretatione intelligentes, exarſerunt in concupiſcentia regni nobis diuina dignatione iure hereditario conceſſi: non
Dan.4.14. attendentes ſcripturam dicentem: *Domini eſt regnum, & cuicumque voluerit dabit*
Rom.13.1. *illud*: neque Apoſtolûm dicentem: *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Illius ergo victrici dextera pro nobis, vti credimus, pugnante, qui nouit & diripiêtem, & eum qui diripitur, paruipendimus eorum fucatas ſimultates: ſolummodo vt veſtri Pontificatus ancora, in ſolidiſſimo ſanctæ matris Eccleſiæ fundamento fixa, nobis ſimiliter petentibus concedere dignetur quod in
Leuit.19. mandatis digito Dei ſcriptis legitur: *Iuſtè iudica proximatuo.* Porrò nos in vltimis penes regni noſtri finibus commorantes, & erga infeſtationem paganorum laborioſas excubias ſeruãtes, diſcurrẽtium relatione cõperimus, Theutgaudum Treuirenſem, & Guntharium Agrippinenſem, à veſtra auctoritate excommunicatos, atque oris proprij teſtimonio canonicè damnatos.

quod nos non ſine graui mœrore haurientes, decreuimus longanimiter ac patienter ferre nuntiata, & vt olim in pluribus actum eſt, reſtitutionis ſpem habere, & piè refricatis ac retractatis omnibus, locum rationabilis miſericordiæ à veſtra largitate præſtolari. Interea accidit nobis noſſe, quod Guntharius Miſſarum ſolennia antequam ad nos perueniret celebrare non metuit, & iuxta præcedentem conſuetudinem, Epiſcopale chriſma conficere, & Spiritum paracletum tradere præſumpſit. quod nos ſatis ægrè tulimus, & vt hoc non fieret, tamquam mortiferum venenum, modis omnibus abominamur. illo autem ad nos veniente, eius Miſſam audire noluimus, nec in aliquo illi communicare ratum duximus, & iuxta veritatis vocem, quaſi ſcandalizantem oculum, à nobis eruere maculam diſponimus, quouſque ſanctiſſimi Apoſtolatus veſtri finitiuam ſententiam de illo reſcire valeamus. Epiſtolam quoque à veſtra ſanctitate Epiſcopis diœceſeos directam illi tranſmiſimus, vt ibidem canonicas atque Apoſtolicas ſanctiones liquidò cognoſcens, videat quid in poſterum illi agendum ſit. De cetero veraciter ac ſinceriter veſtra paternitas nouerit, quòd Theutgaudus ſimpliciſſimus atque innocentiſſimus vir, veſtram humiliter ferens cenſuram, in nullo de ſacro miniſterio contingere præſumpſit, magis eligens dehonorationem præſentialiter in oculis hominum pati, quàm per inobedientiam ab illius membris ſecerni, qui caput eſt humilium, ſuiſque diſcipulis ait: *Diſcite à me, quia mitis ſum* Matth.11.29.
& humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Ipſe enim, qui ſuperbis reſiſtit, & gratiam præſtat humilibus, poterit illum, ſi innocens eſt, de ſupernis miſericorditer reſpicere. Enimuero legatis noſtris Theutgaudo & Gunthario, nihil tale aliquid in ſua legatione fari præcepimus, vnde damnationis notam incurrerent. Sed nec de Engiltrude vxore Boſonis, aliquod præiudicium ferre debemus aut volumus: quam nos, comperto quòd anathematis vinculo eſſet innodata, Gunthario, quia tunc in ſua parochia erat, commendauimus, monentes, vt de illa ſuum miniſterium faceret, immo illam ex omnibus regni noſtri finibus eliminandam cenſuimus. Legati enim veſtri illam poſtmodum requirentes, atque in medio ſtatuentes, nos ignoramus quem finem cauſæ ipſius impoſuerint. Epiſcopi verò diœceſeos Treuirenſis metropolis, & Agrippinæ

pinæ Coloniæ, nec complices damnatorum, nec fautores vitiorum, nec in aliquo Apoſtolicorum decretorum contemptores, vel canonicorum dogmatum violatores eſſe probabuntur, ſed ſanæ atque catholicæ fidei ac veri Dei cultores. Igitur propter Deum, ſanctam & indiuiduam Trinitatem, humiliter petimus, vt facilè criminoſos ad cauſationem noſtram nullatenus admittatis: neque vt Apoſtolus 1. Ioan. 4.
docet, omni ſpiritui credatis, ſed probate ſi ex Deo ſit: quia parati ſumus, ſi ratio dictauerit, per noſmetipſos polire, quod æmulorum inuidia fingit aliena. Omnipotens Deus ſanctiſſimum præſulatus veſtri apicem æquitatis lance moderatum diu incolumem cuſtodiat. Amen.

ADVENTII EPISCOPI METENSIS EPISTOLA Ad Nicolaum Papam.

Mittit profeſſionem ſuam, qua purgans ſe de cauſa Lotharij, acquieſcere ſe atque obſequi docet ſtatutis à pontifice in Synodo Romana. proinde veniam & pacem implorat.

GLORIOSISSIMO DOMINICI GREGIS PASTORI, domino & beatiſſimo Nicolao, ſummo & vniuerſali Papæ, Aduentius humilis Metenſium ſedis Epiſcopus, nunc & in æternum valere.

CHRISTVS dominus Deus proprij ſanguinis pretio acquiſito gregi ſolita pietate proſpiciens, vobis ſummi ſacerdotij contulit dignitatem: cui inter plurima ſpiritualium virtutum ornamenta, quibus ſanctam matrem Eccleſiam inimitabili ſanctitate condecoratis, ſacra etiam priſcæ auctoritatis dogmata affatim reſplendent: quo Chriſtiana plebs efficaciſſimo tanti patris exéplo feliciter imbuta, vitiorum monſtra deuitare, & auxiliante Deo æterna poterit præmia comprehendere, immo Eccleſiaſtici ordinis diſciplina veſtris temporibus inuiolabilis permanere. Vnde mea paruitas, omnéſque diuina dignatione mihi crediti, multipliciter congaudentes, magnas omnipotenti Deo gratias referimus, deuotis precibus implorantes, vt Deus omnipotens veſtri pontificatus apicem diu incolumem cuſtodire dignetur, ad conſolationem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, omniúmque fidelium animarum. Quippe cùm inter ſæuiſſimas paganorum preſſuras, denſiſſimáſque peruerſorum Chriſtianorum ſimultates occuparemur, & per capita humilitatis noſtræ dominici ouilis ſolicitudinem gerere optaremus, decreta excellentiſſimi Apoſtolatus veſtri nobis directa ſunt. Super quibus reſponſa dignitati maieſtatis veſtræ, feſtinantiſſimè currens, præſentialiter dare viua voce deſiderarem, niſi longæua ſenectus me grauidum redderet, & indeficiens corporis ægritudo frequenter atque inopinatè ſpiritum exhalare cogeret. Magnum enim, & quaſi totius meriti gaudium obtinerem, ſi ad limina Apoſtolorum, veſtrámque deſiderabilem & præeminẽtiſſimam præſentiam, virium imbecillitas me ire ſineret. Sed quia podagrici dolores, & veterani mei artus optata denegant, omnipotenti Deo, & ſancto Petro, atque incomparabili clementiæ veſtræ magnitudinis, meæ paruitatis quantitatem committo, qui vices Dei tenetis, & in reuerentiſſima ſummi principis cathedra verus Apoſtolus reſideris, vt veſtris fouear ſolaminibus. Si enim fallaciter, quaſi fautor vitiorum, in conſpectu veſtræ manſuetudinis diffamatus exiſto, ſi non corpore, mente tamen ad veſtra ſacra veſtigia prouolutus, humiliter peto, vt excuſationis meæ cauſas, nullo mendacij fuco obnubilatas, paternę pietatis affectu recipere non dedignemini, quas capitulatim miſericordiæ veſtræ pandere ſtudui.

CAP. I. In catalogo ſacerdotum nequaquam recipio Theutgaudum, quondam Archiepiſcopum, qui depoſitionis ſuæ ſententiam à vobis prolatam hactenus patienter ferens, iuxta præcedentem conſuetudinem nihil omnino de ſacro miniſterio contingere præſumpſit: ſed quaſi miriſſimus vir, incautè ſe proprio ſermone lapſum, atque alterius pertinaciſſima obſtinatione deceptum fatetur: & per humilitatis, & obedientiæ viam incedens, à veſtra pia largitate locum

ſatisfactionis præſtolatur.

II. Guntharium quondam ſacri palatij Archicapellanum, in Epiſcoporum numero non ſuſcipio, neque ei, vel fautoribus ſuis communicare prę ſumo. quoniam vetito vſus eſt officio, & Apoſtolicam floccipendere excommunicationem non metuit.

III. Cauſam piiſſimi regis Hlotharij, in præſentia veſtrorum legatorum, præfati quondam primates Eccleſiarum, cum aliis Archiepiſcopis, eorúmque Coepiſcopis, de duabus vxoribus in noſtra vrbe ventilantes, & magiſtratus noſtri principatum obtinentes, quid de iam dicti noſtri principis querela decreuerint, veſtram non latet ſanctitatem. Ego igitur, teſte Deo cum Angelis & Archangelis, arbitratus ſum pariter vera manere, quæ plurimorum Conſulum adſtipulatione effabantur. Interea decernentibus tunc temporis præſcriptis Archiepiſcopis, eorúmque Coepiſcopis, ſolus ego, qui eſſem meritis & ordinatione nouiſſimus, quî magiſtrorum auctoritatibus & iudiciis reſiſterem? Et ne fortè in aliquo contra decretum Leonis Papæ offenderem verebar, qui titulo
» XXXII. ita ſcribit: Igitur ſecundum ſancto-
» rum patrum canones, ſpiritu Dei condi-
» tos, & totius mundi reuerentia conſecra-
» tos, Metropolitanos ſingularum prouin-
» ciarum Epiſcopos ius traditæ ſibi antiquæ
» dignitatis intemeratum habere decerni-
mus. Si enim à regulis præſtitutis vlla aut licentia, aut præſumptione diſceſſerant, ego penitus neſciebam. Vnde & in Antiocheno Concilio capite IX. ita ſcribitur:
» Per ſingulas regiones Epiſcopos conue-
» nit noſſe; Metropolitanum Epiſcopum
» ſolicitudinem totius prouinciæ gerere:
» propter quod ad Metropolim omnes vn-
» dique, qui negotia videntur habere, con-
currant, & cetera. Sola quippe plurimorum relatione de iam dicta querela, quæ in primordiis geſta ſint, aure nō oculo percepi: quia Epiſcopus non eram, ſed in excubiis templi beati Stephani protomartyris occupatus, nouiſſimè in regno domini Hlotharij ſenioris mei expetitus à clero, & electus à plebe, paſtoralis officij curam, Deus nouit, non vltro ambiens, ſed canonicè inuitatus accepi. Et multo ampliùs, ſi fieri poteſt, verbis Archicapellani, ac ceterorum patrum, qui interfuerunt, credulus extiti, quàm mihimetipſi. & ſi fortè in aliquo ſimpliciter egi, reſtat vt ad magiſtrum veritatis recurram. Nunc ergo proferat ſingularis ſapientia veſtra normam in hoc facto, & ecce paratus ſum obſecundare edictis veſtræ auctoritatis, veluti Deo, in cuius perſona cuncta profertis. Veſtro enim ſancto ac ſalubri conſilio vſus, iugo me obedientiæ humiliter ſubmitto. Nam quamuis quorumdam leuitate contra me tumultum detractionis ſentiam, niſi de ſimplicitate, nullus me in hac re accuſare poteſt. Fidenter enim dico: ecce in cælo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis.
Vnde vas electionis dicit: *Gloria noſtra hæc* 2.Cor.1.12.
eſt, teſtimonium cōſcientiæ noſtræ. Hinc enim
beatus Gregorius Papa in epiſtola Theo- Lib.IX. ep.39.
ctiſtæ patriciæ directa, ita ſcribit: In om-
ne, inquit, quod agimus, vel quod extra «
de nobis dicitur, recurrere ad arcana men- «
tis debemus. Et ſi omnes vituperent, liber «
eſt, quem conſcientia non accuſat. «

IV. Si decretum veſtræ auctoritatis, iudicio ſancti Spiritus, ab omni paſtoralis officij regimine præfatos Metropolitas exutos definuit, propter exceſſus ſanctionum, & abſolutionem anathematis à ſede Apoſtolica emiſſi ſuper Ingeltrudem Boſonis vxorem; ſciatis veriſſimè, quia in eius abſolutione nequaquam particeps extiti: & poſtquam illam vera relatione infauſto adulterij genere ſauciatam audiui, ſemper quaſi mortiferum venenum abominatus ſum. Communionem verò cum excommunicatis nullatenus habere vniuerſos moneo, ſi ſacris vti auſi fuerint, ſicut Capitulum Concilij Antiocheni quartum oſtendit, quod communicantes eis ab Eccleſia abiici iubet.

V. Sectatorem damnatorum, ac ſeditioſum, vel coniurationis, aut conſpirationis reum, me penitus eſſe denego, fauentibúſque quibuſcumque nequaquam aſſentire fateor: ſed cum capite, id eſt ſancta & venerabili ſede beati Petri, cui claues regni cælorum commiſit, in qua etiam petra Chriſtus rex æternus ſanctam ædificauit Eccleſiam, contra quam portæ inferi non præualebunt, canonicè in omnibus me ſauere profiteor.

VI. Porrò ſanctitas veſtræ paternitatis inuiolabiliter cenſuit, nullo modo pauendam bonorum amiſſionem pro temeritatibus & ſubſcriptionibus: atque indulgentiam non eſſe denegandam, ſi vobiſcum ſapere, noſtrúmque per noſmetipſos, aut per legatos noſtros aſſenſum eum ſcriptis offerre ſtuderemus. Nouerit prę cellentiæ veſtræ ſanctitas munificentiſſima, quòd legatus noſter, qui iam vobis ſatam profeſſionem oſtenderet, & multiplicibus verbis enuclearet, ideo tardauit, quia ce-

teros confratres noſtros huc illúcque de diuerſis partibus aduocans, vobiſcum ſentire vnanimiter & ſapere hortatus ſum. Eorúmque omnium generaliter vnanimitate comperta, quaſi præconem legari noſtri, in ipſo margine præſentis vitæ conſtitutus, veſtræ ſanctæ paternitati præmiſi, præſentem videlicet litterarum portitorem. Nihil in me ambiguum, nihílque damnabile remanere patior, cui viam omnis carnis arripere proprij corporis reſolutio pollicetur. Sed in omnipotentis Dei miſericordiam valde confido, quòd mihi peccatori ſpatium huius calamitoſæ vitæ concedere debeat, quouſque digna ſatiſfactione purgatus, veſtræ paternæ pietatis gratiam petenti redditam intelligam, méque receptum in veſtro Deo digno conſortio congratulet. Credimus enim, quòd fauente Deo, & Apoſtolorum omnium principe, qui in eleemoſynis, & ieiuniis, & furtiuis orationibus ſpiritualiter occupati eſtis, omnibus viribus diuina diſpoſitione præuidere debeatis, ne pro falſidica deceptione viuētia in Chriſti corpore membra moriantur. Igitur ſi meis lacrymoſis precibus veſtra miſericordia in aliquo flectitur, per ſanctam & indiuiduam Trinitatem humiliter deprecor, vt per latorem præſentium litterarum, ſi amplius eſſe non poteſt, ſaltem de veſtra ſancta manu in naufragio vitæ conſtitutus illud recipere merear, quod mitis magiſter veſter Chriſtus, quibuſdam diſcipulis hæſitantibus ianuis clauſis apparens, imprecatus eſt dicens, Pax vobis. Excellentiam ſanctitatis veſtræ aſſiduis votis & precibus diu incolumem vigere humiliter exoramus.

CAROLI CALVI REGIS EPISTOLA Ad Nicolaum Papam.

Intercedit pro Aduentio Epiſcopo, petitque vt in gratiam recipiatur.

SANCTISSIMO AC REVERENTISSIMO PATRI NICOLAO Catholicæ & Apoſtolicæ ſedis ſummo pontifici, & vniuerſali Papæ, Karolus gratia Dei rex, & ſpiritalis filius veſter.

QVIA ſicut deuotio noſtra erga ſanctam ſedem Apoſtolicā & veſtrî honorem in iſtis Tranſalpinis regionibus, longè latéque gratias Deo cognoſcitur, ita & colendæ cum ſummi amoris veneratione paternitatis veſtræ benignitas erga filialem noſtram dilectionem, non ſolùm noſtris beneuolis, ſed & æmulis, auctore Deo, certis indiciis, velut ſanctitatem veſtram ſcilicet religionis culmen decet, innotuit: Aduentius Metenſium venerabilis Epiſcopus, hunc fratrem nomine Bettonem nobis fidelem, vt credimus, in Monaſterio regni noſtri ab infantia regulariter educatum, & noſtra munificentia, ſicut inter nos conuenit, ſibi conceſſum, ad nos miſit, petens à nobis veſtræ amantiſſimæ paternitati pro eo litteras mitti, quas pro futuras, & non modicè ſibi apud auctoritatem veſtram credidit ſuffragari. Mandauit etiam mihi, quòd profeſſionē ſuam, ſubreptionum præteritarum correctionem, & futurarum cautelam continētem, ſicut regulæ ſanctæ præcipiunt, manu ſua ſubſcriptam, veſtro Apoſtolatui per hunc fratrem vellet dirigere, quatenus & exceſſuum veniam, & Apoſtolicę ſedis communionem, & veſtri Apoſtolici vigoris gratiam valeat obtinere. Vnde quoniam venerandus & amantiſſimus patruus noſter Drogo, qui licet in regno fratris noſtri Hlutharij, quondam Imperatoris, poſt obitum domni & patris noſtri degiſſet, eo quòd ſedes in partem regni ipſius deuenerat, nobis tamen vnicè dulciſſima dilectione, & obnixa fidelitate cōiunctiſſimus fuit, eūdem venerabilem Aduentium nutriuit, & domeſtica familiaritate habuit, & ipſe Aduentius nobis fidelis & amicus exiſtit: ac ſi veſtigia ſanctiſſimæ paternitatis veſtræ deoſculantes, cum omni deuotione depoſcimus, vt noſtra petitione, ſicut credit, apud auctoritatem veſtram ſe ſentiat adiuuari, ne ipſe & ſedes eius in illo modo quolibet, quod abſit, dehonoretur: quę poſtulatione aui noſtri diuę memorię Karoli Imperatoris honorari ab Apoſtolica ſede meruit, vt Engilramnus prędeceſſor iſtius, ſummus Capellanus eius, & Apocriſiarius Apoſtolicæ ſedis, in iſtis regionibus aliquamdiu fieret: & poſtea deprecatione ſanctæ recordationis Pij Auguſti, domni & genitoris noſtri, excellenti genio à ſedę Apoſtolica in præfato patruo noſtro Drogone venerādo Epiſcopo fuerat honorata,

vt vnà cum prædicto miniſterio & Imperatoris & Apoſtolicæ ſedis, etiam vſu pallij potiretur. Nam etſi hic vir venerabilis Aduentius, aut principis ſui, aut magiſtrorum ſuperſtitione actus, aut fauore ac conſenſu plurimorum attractus, vel alio quolibet modo ſubreptus, vel interceptus, in aliquo minus quàm debuerat prouidus extitit: quoniam, vt Auguſtinus dicit, » Amat Deus confitentibus parcere, & eos » qui ſemetipſos iudicant, non iudicare; ceſſatque diuina vindicta, ſi conuerſio præcurrat humana: veſtri Apoſtolatus mirifiſſima, & præſtabilis cunctis conuerſis benignitas, in eo ſententiam prædeceſſoris ſui Leonis ſequetur, qua dicit: Sedis, in» quiens, Apoſtolicæ moderatio hanc temperantiam ſeruat, vt & ſeueriùs agat cum « obduratis, & veniam cupiat præſtare cor- « rectis: quatenus venia concedatur, ſi er- « tor aboleatur. Petimus ſiquidem, vt iſtum non modò ſuum, verùm & noſtrum legatum, Bertonem religioſum monachum, & litterarum ſcientia, boniſque ingenij capacitate, Dei gratia, & ſedulo ſtudio imburum, benignè & familiariter recipiatis, quo ea quæ ſibi iniuncta ſunt, manſuetudini veſtri Apoſtolatus domeſtica ſuggeſtione valeat enarrare. Deus omnipotens orantem pro nobis ſanctitatem veſtram, æuo longiore conſeruare in voluntate ſua dignetur, ſanctiſſime & reuerentiſſime pater in Domino.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XLII.
Ad Aduentium Epiſcopum Metenſem.

Approbat profeſſionem Aduentij, eique veniam & pacem indulget, quam optabat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo Aduentio Epiſcopo Metenſi.

Append. epiſt. 4. EXCVSATIONIS tuæ litteras per Theudericum religioſum presbyterum tuum ſuſcipientes, quoniam his te in extremitate vitę poſitum indicaſti, mœror nos continuò ingens obtinuit: Sed profeſſio tua, qua te in nullo à ſede Apoſtolica diſſentire manifeſtas, quámque nobis à te minùs quàm ab aliis ſperabamus offerendam, inter mœſtitiam meritò lætitiam miſcuit. Quoniam licet de exteriori homine, cùm ipſius priuamur fraterno ſolatio, doleamus: de interiori tamen, quem extinctum putabamus, nunc verò per gratiam Dei viuificatum audimus, incomparabiliter exultamus. Quamuis autem probabilem tua videatur habere excuſatio rationem, téque innocentem comprobetur oſtendere: ſufficeret tamen, etiam ſi qua præteritorum noxa teneretis exceſſuum, ſatisfactio, quam in articulo mortis, ſicut ipſe fateris, poſitus, litteris datis Apoſtolatui noſtro, vt decreueramus, oſtendis. Cuius rei teſtis eſt latro, qui in cruce pendens, in ipſo momento mortis iam iámque conſtitutus, confeſſus eſt, & *Hodie mecum eris in paradiſo*, à IESV audire promeruit. (Luc. 23. 43.) & prophetâ, ſubitaneam gementis ſalutem demonſtrans, *Cùm conuerſus*, inquit, *ingemueris, tūc ſaluus eris*. Verumtamen potens eſt Deus miſericorditer operari, vt qui excuſationes tuas, & obedientiæ promiſſa ſuſcipientes, de immortali vita tua per id fiduciam ſumpſimus, percipiamus etiam in hoc temporali curſu, longæuitate diuinitus tibi conceſſa, vnde & verbi Dei fructibus multipliciter perfruamur, ac per hoc in Domino glorietur. Quid autem mirum, ſi Guntharius, dudum Archiepiſcopus, Apoſtolicam flocci pendere ſententiam non metuit, qui diuina præcepta toties paruipendiſſe conuincitur? Claret verò, & cunctis manifeſtè datur intelligi, etiamſi nulla alia prauitatis ſuæ præceſſiſſent indicia, qualis ante pœnam extitit, qui ſe poſt pœnam talem exhibuit: & quàm debitè percuſſionem promeruit, qui etiam pòſt, vnde magis percuti debeat, minimè admittere recuſauit. Eo igitur ſuadente nunc Apoſtolicis inſtitutis inobediens effectus eſt, quo nuper cæleſtibus oraculis ſemper obuiaſſe repertus eſt: antiquo videlicet aduerſario, qui ſicut leo rugiens, iuxta primum Apoſtolum, circuit quærens quem deuoret. 1. Pet. 5. 8. Illud verò quod dicitis, regibus & principibus vos eſſe ſubiectos, eo quòd dicat Apoſtolus, *ſiue regi, tamquam præcellenti*, placet. 1. Pet. 2. 13. Verumtamen videte, vtrum reges iſti, & principes,

quibus vos ſubiectos eſſe dicitis, veraciter reges & principes ſint. Videte ſi primùm ſe bene regunt, deinde ſubditum populum. nam qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit? Videre ſi iure principantur: alioqui potiùs tyranni credendi ſunt, quàm reges habendi; quibus magis reſiſtere, & ex aduerſo aſcendere, quàm ſubdi debemus. Alioquin ſi talibus ſubdiri, & non prælati fuerimus nos, neceſſe eſt eorum vitiis faueamus. Ergo regi, quaſi præcellenti, virtutibus ſcilicet, & non vitiis, ſubditi eſtote, ſed ſicut Apoſtolus air, propter Deum, & non contra Deum. Superfluum autem iudico, quòd in conuentu Epiſcoporum capitula S. Leonis Papæ, ac Antiocheni Concilij quidam, vt aſſeris, legerint. Quoniam ſi ſanctus vir Metropolitanos ſingularum prouinciarum Epiſcopos ius traditæ ſibi antiquitus dignitaris intemeratum habere decreuit, priuilegia tamen huius ſedis non abſtulit, & huic diuinitus iura conceſſa non minuit. Quia ſicut ipſe
Leo epiſt. 88. ſcribit ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem,
» ac per eum ad omnes. Inter beatiſſimos
» Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit
» quædam diſcretio poteſtatis: & cùm om-
» nium par eſſet electio, vni tamen datum
» eſt, vt ceteris præemineret. De qua forma
» Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio.
» & magna ordinatione prouiſum eſt, ne
» omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent
» in ſingulis prouinciis ſinguli, quorum in-
» ter fratres haberetur prima ſententia: &
» rurſus quidam in maioribus vrbibus con-
» ſtituti, ſollicitudinem ſuſciperet amplio-
» rem, per quos ad vnam Petri ſedem vni-
» uerſalis Eccleſiæ cura confluerer, & nihil
» vſquã à ſuo capite diſſideret. Itidem ipſe
alibi, vt de componẽdis atque compoſitis relario ſibi plena mittatur præcipit. Rurſus ſi fatetur Antiochenum Concilium: (Conc. Antioch. cah. 9.) Per ſingulas regiones conuenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius prouinciæ gerere, quid præiudicat ſedi Apoſtolicæ ſollicitudinem habenti, non ſolum vnius prouinciæ, ſed & totius Eccleſiæ? cùm idem Concilium magis Metropolitas coërceat, refrenet, & arctet, dum eos non amplius quàm ſuarum prouinciarum dicat ſollicitudinem gerere. Quorum enim quis ſollicitudinem gerit, & iudicium prætendere neceſſe eſt, vt B. Papa Innocentius ad Alexandrum An-
Innoc. ep. 10. tiochenum ſcribens, Quorum enim, in- «
quit, te maxima expectat cura, præcipuè «
tuum debent mereri iudicium. Ergo quia «
totius nos Eccleſiæ maxima cura præſtolatur, noſtrum præcipuè de Eccleſia tota proculdubio iudicium promereri. Sed tandem ad propoſirum redeamus, & votis tuis, quantum poſſumus, Deo præſtante, miſericorditer annuamus. Itaq; ſi Theutgaudum, dudum Epiſcopum, ſicut profiteris, in caralogo Epiſcoporum non recipis, quouſque de eo humanius tractemus, & ſi Guntharium miniſterium ſibi veritũ vſurpantem, nõn ſolùm inter Epiſcopos non ſuſceperis, ſed nec ipſi, nec fautoribus eius communicaueris, & regi in ſcelere permanenti epiſcopaliter contradixeris, & ſecundum vires in nullo à conſtitũtis & ſententiis ab Apoſtolicæ ſedis præſule prolaris deuiaueris, ſed de cetero pro fide catholica, & correctione fidelium, ac pro conſeruandis pontificis ſedis Apoſtolicæ priuilegiis nobiſcum ſenſeris, nobiſcum pro viribus decertaueris, fratres quoque, & proximos tuos nobiſcum ſapere hortatus fueris, Deus omnipotens, interceſſione Apoſtolorum principum Petri ac Pauli, vincula omnium peccarorum abſoluat. & quicquid humanitus, quod in oculis maieſtaris eius diſplicuit, egiſti, tibi miſeratus indulgeat, & benedictionis ſuæ gratia replens ad beatitudinem viſionis ſuæ perducat.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XLIII.

Ad Franconem Epiſcopum Tungrenſem.

Accepta eius profeßione veniam indulget, quòd particeps fuerat Synodi Metenſis, hortatúrque vt Lotharium regem monitis ſuis curare ſtudeat.

Epiſt. 43. NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo Frantoni Epiſcopo Tungrenſi. EXCVSATIONIS tuæ litteris per Richardum venerabilem diaconum tuum ſuſceptis, profeſſio ſanctitatis tuæ, qua te in nullo à ſede Apoſtolica diſſentire manifeſtas, quámque nobis à te minùs quàm ab vllis aliis ſpetabamus offerendam, nos plurimum

exhilarauit. Sed confeſſio nihilominus in Domino exultare fecit. Eo enim quo veniam petitis, deliquiſſe vos proculdubio demonſtratis. Et reuera qualiter ſine delicto euadere poteratis, qui ſedentes in Concilio vanitatis, & ſi non fauendo, certè tacendo, ſi non ſcribendo, profectò non reſiſtendo profanis geſtis declaramini conſenſiſſe? Ecce enim Dominus per prophetam dicit: *Quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum.* Eſa. 58. 1. Ergo quia non annuntiaſti, peccaſti: & quoniam vidiſti & tacuiſti, proculdubio conſenſiſti. Verumtamen poſtquam, viuificante gratia, te foras, viuificatum per confeſſionem exeuntem aſpicimus, quem introrſus labe mortuum putabamus, incomparabiliter exultamus, & gratias auctori omnium bonorum immenſas exoluimus. Et hoc iam tibi diuinitus non imputari optamus, quod tibi, quomodocumque exceſſeris, remitti à Domino poſtulamus, & quantum in nobis eſt, ex corde tibi ignoſcimus: quòd B. Leonem omnibus qui in Epheſino latrocinio conſentiendo errori deliquerant, amputato totius auctore ſcandali, ſolo videlicet Alexandrino Dioſcoro, peperciſſe non ignoramus. Quid autem mirum, ſi Guntharius, quem dicitis vti vetito ſibi officio, Apoſtolicam floccipendere ſententiam non metuit, qui diuina præcepta totiens paruipendiſſe conuincitur? Claret verò, & cunctis manifeſtè datur intelligi, etiamſi nulla alia prauitatis ſuæ præſtitiſſet indicia, qualis ante pœnam extitit, qui ſe poſt pœnam talem exhibuit: & quàm debitè percuſſionem promeruit, qui etiam pòſt, vnde magis percuti debeat, admittere minimè recuſauit. Eo igitur ſuadente hunc Apoſtolicis inſtitutis inobediens errat, quo nuper cæleſtibus oraculis ſemper obuiaſſe repertus dicitur: antiquo ſcilicet aduerſario, qui ſicut leo rugiens, iuxta primum Apoſtolum, circuit quærens quem deuoret. 1. Pet. 5. Sed tamen ad propoſitum redeamus, & votis tuis, quantum poſſumus, Deo præſtante, miſericorditer annuamus. Itaque ſi Theutgaudum Epiſcopum, ſicut profiteris, in catalogo Epiſcoporum non receperis, quouſque de eo humaniùs tractemus, & ſi Guntharium, miniſterium ſibi vetitum vſurpantem, non ſolùm inter Epiſcopos non receperis, ſed nec ipſi, nec fautoribus eius communicaueris, & ei in ſcelere permanenti epiſcopaliter contradixeris, & ſecundum vires in nullo à conſtitutis & ſententiis ab Apoſtolicæ ſedis præſule prolatis deuiaueris: ſed de cetero pro fide catholica & correctione fidelium, ac pro conſeruandis pontificis ſedis Apoſtolicæ priuilegiis nobis conſenſeris, nobiſcum pro viribus decertaueris, fratres quoque & proximos tuos nobiſcum ſapere hortatus fueris, Deus omnipotens interceſſione Apoſtolorum principum Petri ac Pauli, vincula omnium peccatorum tuorum abſoluat, & quicquid humanitus, quod in oculis maieſtatis eius diſplicuit, egiſti, tibi miſeratus indulgeat, & te benedictionis ſuæ gratia replens ad beatitudinem viſionis ſuæ perducat. Ceterùm admonemus te, vt ſi verè Epiſcopus es, verè te ordines, te ſalues, in te gloriam regis Lotharij exquiras: ita vt veſtra vnanimitas, nobis arctiùs hærens, vulnus ipſius admonendo, blandiendo, ſuadendo, in reliquo autem & breuitatem præſentis temporis exponendo, pœnas inferni & cæleſtia regna ante oculos proponendo, curetis. Quod agere nullatenus poteſtis, niſi carnē ſuam, quam odio habens contra Apoſtolum à ſe proiicit, reciſo membro meretricis, noſtro & Epheſ. 5. 29. veſtro iudicio arctatus, etſi non ſponte, ſaltem inuitus receperit. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data xv. Kalend. Octobris, Indictione xiii.

CONCILIVM ROMANVM.

IN QVO ROTHADVS EPISCOPVS SVESSIOnenſis in priſtinum honorem à Nicolao Papa reſtitutus eſt, die natali S. Agnes, XII. Kalendas Februarias, anno Chriſti DCCCLXV.

SYNODI *huius occaſionem, actorúmque ſummam & ſeriem in Nicolai Papæ vita deſcripſit Anaſtaſius.* Hinemarus, *inquit*, Remorum Archiepiſcopus Rothadum Sueſſonicæ vrbis Epiſcopum, ſedis Apoſtolicæ iudicium appellantem, contra Sardicenſis Concilij regulas depoſuit, cuſtodiáque arcta ſeruari præcepit. Cuius videlicet depoſiti ter beatiſſimus Papa libellos cùm innocētiæ ſuſcepiſſet, ad ipſum Archiepiſcopum ſcripſit, monēs litteris, & præcipiens, vt depoſitū Rothadum Romam dirigeret cum ſuis miſſis audiendum. Sed veniente eo hanc Romanam ſecundum mandatum B. Papæ ad Vrbem, & per nouem circiter menſes hîc commorante, numquam penitus ex accuſantium parte quiſquam adfuit, qui coram ſanctiſſimo præſule cum eodem Rothado contenderet. Tunc in die vigiliarum Natiuitatis Domini noſtri IESV Chriſti, quo ſecundum olitanam conſuetudinem huius Apoſtolicæ ſedis præſul, cum clero & populo, in Baſilica Dei genitricis ad præſepe Miſſarum officia celebrare conſueuerat, conueniens cum omnibus Papa benignus, fecit in ambone publicè de ipſo Rothado ſermonem, ſignificans qualiter ſedem Apoſtolicam appellans depoſitus fuerit, & in conſpectu ſuo nullus per tot menſes accuſatorum occurrerit. Denique conſentiente ſibi Epiſcoporum, preſbyterorū, & diaconorum, omniúmque conuentu, decreuit vt dignus eſſet idem Rothadus indui ſacerdotalibus indumentis, qui à nemine per tot menſes accuſabatur, & ad ſedis Apoſtolicæ iudicium proclamabat, ne honore priuaretur. Vbi veſtitus Epiſcopali Rothadus indumento, omni tempore ſe pollicitus eſt ſuis infeſtatoribus reſponſurum. Rurſus expectatis aliquantis diebus, ſcilicet vſque in diem natalitium ſacræ virginis Agnetis, qui eſt XII. Kalendas Februarias, ſed nec ſic quiſquam adfuit aduerſum Rothadum iam reſtitutum Epiſcopum aliquid altereans. Conueniente ergo beatiſſimo præſule cum omnibus, in Baſilica ipſius virginis, foris muros Vrbis via Numentana, idem Rothadus Epiſcopus exeuſationis & promiſſionis ſuæ, qua pollicitus fuit ſe omni tempore accuſatoribus ſuis reſponſurum, libellum ſummo pontifici tradidit. Qui coram cunctis audientibus iuſſu præſulis eximij eſt recitatus: vbi etiam reſtitutionis eius forma relecta eſt. Et poſt omnium conſenſum in Eccleſia B. Conſtantiæ, iuxta eamdem ſanctæ virginis Baſilicam, decreto beatiſſimi huius præſulis ſæpedictus Rothadus, iam reſtitutus Epiſcopus, Miſſarum ſolemnia ſolemniter celebrauit. Sequenti verò die, congregata in domo, quæ nuncupatur Leoniana, denuo Synodo, excuſatóque ipſo, ſicut in libellis ab eo recognitis, duobúſque quaternionibus inſertis, atque diuerſo tēmpore miſſis & oblatis, archiuóque huius ſedis repoſitis continetur, Rothadus, ne talia ſacerdotes, &

maximè ſedem Apoſtolicam appellantes, vltrà diſcrimina paterentur, ſicut prænotatum eſt, in gradum priſtinum eſt reſtitutus, & ad propriam ſedem cum Apoſtolicis ſanctionibus remiſſus: quatenus veſtitus Epiſcopalibus infulis, ſi prouocatus fuiſſet de cetero, ſuis accuſatoribus coram ſedis Apoſtolicæ præſule reſponderet. Cum quo & ſanctiſſimus, & à Deo conſeruandus præſul, tam pro reſtitutione illius, quàm pro abolenda regis Lotharij copula, & pace etiam & concordia regum Galliarum conſeruanda, Arſenium Epiſcopum, huius almæ ſedis Apocriſiarium & Miſſum, illico deſtinauit. *Hactenus Anaſtaſius. Sequuntur deinceps Synodi eiuſdem monimenta, quæ ſuperſunt: hoc eſt ſingulorum fere, quæ ab Anaſtaſio commemorantur, exemplaria. Libelli nimirum à Rothado Romæ oblati, Sermonis Nicolai Papæ, Formulæ reſtitutionis Rothadi, Apoſtolicarum denique ſanctionum, ſeu Epiſtolarum Nicolai Papæ ad diuerſos, quibus redeuntem in Galliam Rothadum proſecutus eſt.*

LIBELLVS PROCLAMATIONIS ROTHADI Epiſcopi, quem Nicolao Papæ obtulit, cùm Romæ ſextum iam menſem expectaſſet.

DOMINO meo ſanctiſſimo, atque reuerentiſſimo, Nicolao ſummo pontifici & vniuerſali Papæ. EGO Rothadus peccator, Sueſſionenſis Eccleſiæ, ſedem appellans Apoſtolicam, irregulariter Epiſcopatu priuatus, calamitatum mearum ſuggero lugubrem hiſtoriam: non omnia quæ paſſus ſum retexens, quod impoſſibile forſitan erat, & ne nimis faſtidioſa narratio tuis, piiſſime Præſul, auribus importuna videretur. Venerabilis igitur Metropolitanus Hincmarus, ſanctæ Remenſis Eccleſiæ antiſtes, quibuſdam occaſionibus exortis, acri circa me infeſtatione certans, diu multis ac variis laboribus meam vexabat exiguitatem. Ego autem, quantum poteram, illum tolerans, in his ei nequaquam pro ſuo libitu acquieſcere volui, quæ ſacris perpendebam auctoribus eſſe contraria. Dùmque ad Synodum, iuſſu glorioſi regis Caroli, pro vtilitate ſanctæ Dei Eccleſiæ conuocatam, Epiſcopi conueniſſemus, & ipſe quaſi omnium dominus præſidens ac præualens, ſententiam in me damnationis violenter ac præcipitanter iaculari acceleraret, hanc ego Apoſtolicam ſedem, atque Apoſtolicum præſulem, vniuerſalis Eccleſiæ ſummum prouiſorem, appellare maturaui. Cúmque mihi hoc denegare non præſumeret, ſancta Synodo decernente, ægrè tamen eundi præbebat aſſenſum, conſtituens dinumeratos dies, vltra quos omnino non retardarem iter. Inde ego feſtinato curſu ad noſtram ciuitatem reuerſus, de inſtanti itinere moras non patiebar, quàm lætus, ſi ad Apoſtolorum limina contendere meruiſſem, vt ad domini mei tanti pontificis & piiſſimi patris, omnium ad ſe confugientium tutiſſimi defenſoris ac protectoris, ſacram peruenirem præſentiam. Cúmque iam è vicino parati itineris immineret egreſſus, litteras domino meo regi, & meo Archiepiſcopo dirigere curaui, noſtram illis Eccleſiam committens, multúmque poſtulans, vt iuxta ſuum vterque officium eam dirigere procurarent, donec de me excellentiſſimus Romanæ vrbis præſul finem determinaret legitimum. Miſi & litteras ad illum olim presbyterum, pro cuius ego regulari depoſitione, quia in ſtupro fuerat deprehenſus, & abſciſſus, à meo iudicabar Metropolitano, vt & ipſe mecum huc ante tuam, domine Papa, audientiam

tiam examinandus adueniret. Quarum exemplaria præ manibus habeo, & ſi vobis placet, Apoſtolatui veſtro offeram. Aliqua quoque capitula conſcripta cuidam noſtro confratri & Coepiſcopo tranſmiſi, ſub eodem temporis articulo per eaſdem manus deferens, quæ vt præmiſſum eſt memorato regi & Antiſtiti deſtinaueram. In quibus ſanè capitulis mea talis poſtulatio continebatur, aliis Epiſcopis qui in meam damnationem participare nolebant inſinuanda, vt ipſi parati eſſent, ſicut fraternitatis amatores & ſectatores caritatis, iuxta beatiſſimi Apoſtoli ſanctionem, meam defendere ac tueri ſalutem. Sed ille meus vnanimis frater, cui hanc mei curam committebam, tunc defuit. Hincmarus tamen continuò cauſam perſenſit. Adhuc dominus rex, & iſdem meus prælatus, in eodem loco manebant, vbi ſub vna eademque mora meæ paruitatis epiſtolæ, & illa capitula, vt relatum eſt, præſentabantur. Móxque Hincmarus ipſe Archiepiſcopus ſtriptorum portitorem diligenter iuſſit inquiri, cur illis non oſtenderet apices quos ſigillatim detulerat. Qui confiteri compulſus reſpondendo ſubiunxit: quia ille, inquiens, ad quem mihi crediti ſunt perferendi, non hîc modo apparet. Nec ceſſauit ille, donec perſuaſo rege ſubitò quaſi collecta Synodo ex ipſis qui ſupererant Epiſcopis, preſbyterum introduci fecit inuitum, ipſum videlicet litterarum latorem. Cœperunt hinc & inde in medio poſitum mouere, pulſare, & perurgere, ſicuti hoc callidè per inſidias argumentatum erat, vt litteras, quas Rothadus per eum ſuo ad Synodum Metropolitano direxerat, citiùs præſentaret. Neque ad Synodum miſſus ſum, ait, neque à Rothado Epiſcopo, cuius nec ego ſum clericus, litteras accepi Hincmaro reddendas. Cúmque nullomodo preſbyter ipſa vellet capitula prodere, iubente tamen rege coactus reddidit. móxque Hincmarus regem poſtulauit, vt Traſulfum Abbatem ad me dirigeret. qui ad noſtram ciuitatem celerrimè perueniens, me iam paratum, vt noſtrum iter arriperem, inuenit. Tunc ipſe Abbas in atrio Eccleſiæ aſſiſtens, publica voce ex verbo regis, & Hincmari Archiepiſcopi auctoritate, prohibere curauit, vt nullus omnino ab ipſa ciuitate mecum egredeterur, ac ire volentem Romam me proſequeretur. Nequaquam ita faciam, ego ſubintuli: ſed ſicut primùm Romanum appellaui pontificem, iter diſpoſitum, Deo auxiliante, minimè differam. Hinc ego mirabar, & ſtupebam, quid ſibi vellet talis immutatio, aut cur meà meo itinere retardarent. Sed priùs aliquot dies fama vulgabat, quod Hincmarus Archiepiſcopus dicere volebat, quaſi ego per aliqua capitula ſcribens renouari mihi iudicium petiueram. Quod certè falſiſſimum eſt, cùm nec illa capitula ad eum direxi, neque de aliquo tali iudicio ibi mentionem egi, nec electorum iudicum, ſecundum ſacros canones, aut nomina, aut certè numerum expreſſi. Teſtor Deum creatorem omnium, quia nec in cogitatione mihi ſubripuit, vt appellationem huius eminentiſſimæ ſedis ad aliam aliquo modo rationem diuerterem. Proh dolor! ablata eſt migrandi facultas, & circumſeptus cuſtodia in eadem ſum ciuitate retentus. Acceleratur itaque de conuocanda Synodo. qua in ſuburbio noſtræ ciuitatis congregata, rex inclytus à Concilio eſt inuitatus. Tunc tres Hincmarus Archiepiſcopus Epiſcopos ad me miſit, mandans ad Synodum ipſam vt ſine mora venirem. Quibus ego reſpondi, quòd non mihi ita liceret, neque ego hoc vllatenus auderem, vt in præiudicio ſanctæ

1. Pet. 3. 15.

Romanæ Eccleſiæ, omnium Eccleſiarum matris, eiúſque excellentiſſimi rectoris, circa poſito cuicumque præbeam aliquo modo aſſenſum. Ad illam ſummam auctoritatem ſine intermiſſione appello, cui nullus poteſt contradicere, quæ à Domino IESV Chriſto per beatum Petrum Apoſtolum tantum meruit principatum. Iudicium ergo illius ad quam proclamaui expeto, nec alibi niſi Romæ iudicari conſentio, quia præpoſterus ordo eſt inferiorem ſuperiori anteferri. His auditis, qui miſſi fuerant Synodo renuntiauerunt. Iterum ſecundò & tertiò me continuatim inuitantes, in eadem inuenerunt ratione perſiſtere. Nouiſſimè verò induſtrioſè perſuadebant, ſuam offerentes fidem, nihil incommodi perpeſſurum, aut ſaltem domino regi in proximo loco Synodi locuturus occurrerem. Quod etiam mihi noſtri fratres, Eccleſiæ noſtræ filij, iam ſuadere cœperunt, vt pio principi meæ paruitatis exhiberem præſentiam. Annui ego, & ad locum quò me ducebant tranſiui, ſacerdotalibus veſtitus indumentis, ſanctum Euangelium & lignum ſanctæ crucis circa mea pectora gerens. Cúmque me in quoddam diuerſorium pro foribus Synodi à noſtris omnibus ſeparatum introduxiſſent, obnixis precibus poſtulaui per Leudonem diaconum, vt dominus rex locum mihi indulgeret ſecum loquendi. Qui mox pro ſua pietate ad me indignum venire dignatus eſt, méque benignè audiuit, ſed exaudire non eſt permiſſus. Nam cùm illum valde ſuppliciter auxiéque rogarem, vt mihi Romam eundi libertatem, ſicut ipſe conceſſerat, non tolleret, ſanctámque Apoſtolicam ſedem in ſuis priuilegiis honoraret; reſpondit hoc ad meum ſpecialiter Metropolitanum, ſanctúmque pertinere conuentum; ſe tantùm ſacris Epiſcoporum monitis ac diſpoſitionibus humiliter obediturum profitebatur. & illico recedens in Synodum abiit, ibíque reſedit. Ruſus tres conſequenter Epiſcopos ad me miſerunt, qui multum fortiter ad Synodum vt introirem hortabantur, méque impellebant, nunc blandiendo, nunc minando, me ſubuertere volentes. Sed ego toto annisu iuxta votorum meorum primam intentionem perſeuerare contendi. Porrò cùm me perſpicerent ſuis nolle ſtudiis acquieſcere, obſeratis oſtiis in eadem ſum cella incluſus; neque egredi omnino poteram, donec de me peccatore, ſicut quibuſdam tunc placuit, diffinirent. Meus etenim Archiepiſcopus voluntatis ſuæ propoſitum, quantum poterat, implere curauit: factúſque eſt gratis meus ipſe accuſator, ipſe teſtis, ipſéque iudex. & ſicut me abſentem prouoluit culpabat, ſic & temere iudicare, nec timuit, nec retractauit. Sed inter alia quæ mihi mendaciter obiiciebat, hoc vnum ſpecialiter ingeſſit, quòd preſbyterum, cuius ſupra feci mentionem, iniuſtè depoſuiſſem. Quod proculdubio falſum eſt, vt multi idonei teſtes & Epiſcoporum, & ceterorum clericorum, ſiue laicorum, & nouerunt & noſcunt. Quem tamen ipſe iam tribus annis tranſactis, abſque meo conſenſu, ſeu conſultu, in ſuam receperat communionem, eíque ſacerdotali officio, quo cum XXXIII. Epiſcoporum iudicio legaliter priuatus erat, contra canonum ſtatuta fungi præcepit. Illum verò preſbyterum, quem in locum damnati per tres etiam circiter annos ſubſtitutum habebam, per violentiam me ignorante ſibi fecit adduci. Nam cùm in Dominicorum die ipſe preſbyter paratus eſſet in Eccleſia Miſſarum ſolemnia populo celebrare, iuſſu Archiepiſcopi repentè

ibi homines affuerunt, qui preſbyterum extra baſilicam dolo educentes ſubitò rapuerunt, & infatigabili curſu citiùs ad eius præſentiam pertraxerunt. Quem ipſe mox excommunicatum in carcerem retrudi iuſſit, illúmque depoſitum genitalibus truncatum in meæ parœciæ Eccleſia reſtituit. Hinc quoque mihi contumaciæ & obſtinationis imputabat reatum, quoniam ſibi in talibus inobediens exiſterem: hoc à me exigere volens, vt non quaſi confrater & Coepiſcopus, ſed vt proprius clericus, ad ſua vota famularer. Similiter quòd propter indebitam appellationem ad Apoſtolicam ſedem ſuis obtemperare precibus contemnerem; immo, quod ego non opinabar, canonicis inſtitutionibus contrairem. Hæc autem & alia mihi pari modo falſa adſcribebat, quæ diuina fauente gratia, & miſericordia opitulante, quaſi fauilla ad nihilum redigentur, & quaſi fumus euaneſcent, te quidem, domine clementiſſime & coangelice Papa, cum Apoſtolorum meritis cooperante ac ſuffragante. Non enim meipſum à multis meis excuſo peccatis, aut de bonis iuſtifico, cùm ſciam quòd innumera de me dici poſſint non bona. Verumtamen illa, quæ malitioſè ad meam video damnationem eſſe reperta, Deo teſte & iudice, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, non vera eſſe pronuntio. Denique ſæpefatus Archiepiſcopus meus, in eodem Concilio tamquam imperator triumphans, & tamquam ſummus Eccleſiæ pontifex decernens, ſubiugata ſuo potentatui, & oppreſſa fratrum humilitate, iam mihi intrepidè, & vt reor impiè, iudicium depoſitionis emiſit: paruipendeas quòd vlli vlteriùs inde eſſet rationem redditurus, & quaſi hoc nulli deberet, in ſeipſo confidens. & illud ſatis innotuit, quando me, quia ipſum ſolum offenderam, nullius poſſe alterius ſubleuari auxilio demonſtrare conabatur, totúmque mihi noceret, quòd aliud ſperabam petebámque præſidium. Et ecce tres Epiſcopi, quos Hincmarus huiuſmodi ſimplicitatis eſſe nouerat, ſententia excommunicationis, immo conſpirationis, ab ipſo meo damnatore accepta, ad me violenter incluſum properabant, & ſicut illis iniunctum fuerat, lacrymoſis ſuſpiriis mihi propinabant. Mox ego in terra prouolutus orabam, & adiurabam per nomen æterni Dei, vt ab iſto iudicio ceſſarent, mihíque, vt aſſiduè petebam, Romam proficiſcendi licentiam non adimerent. Tunc è veſtigio, tamquam in latronem, more ſatellitum homines in me manus iniecerunt, méque rapaciter ad carceralem duxere cuſtodiam. Quantis poſtea ſim affectus iniuriis, ac per diuerſa loca diſtractus quanto fuerim labore fatigatus, tædet me, pudétque referre. Ad hoc namque coartare ſatagebant, interdum aliquos honores, id eſt vnam Abbatiam repromittentes atque ſpondentes, tantùm vt in meam damnationem ego ſubſcriberem. Interea ordinatur Epiſcopus in cathedra viuentis, quamuis ne vmquam poſt appellationem Romani pontificis hoc fiat, ſacri canones euidenter vetare noſcuntur. Neque enim, ſancte Pater, tua mandata per Apoſtolicas epiſtolas debita reuerentia, moréque ſolemni, ſiue auditu congruo, fuerunt obſeruata. Denique requirere dignetur veſtra ſancta paſtoralis ſollicitudo atque diligentia, quale mihi immerito teſtimonium noſtra perhibuit Eccleſia, quando veſtris venerabilibus legatis, Radoaldo atque Ioanni, obuia fuit turba ciuitatis noſtræ, ac circumiacentis regionis; & quid ab eis expetere magnis clamoribus, multíſque precibus circa ſuum paſtorem

ſatagebant. Licet ab Erchanrao Epiſcopo, meo condiœceſaneo, magnis minis atque percuſſionibus admodum prohiberentur, Regis atque Archiepiſcopi mei interdictione denuntiata, ne omnino aliquid huiuſmodi clamare præſumerent. Et nunc ego omnium Epiſcoporum minimus, qui tamen apud quoſdam non Epiſcopus, ſed iuxta paternitatis veſtræ beatitudinem Epiſcopus vocor, in Domino valde confidens, ad præcellentiam veſtri præſulatus, piiſſime domine, confugere elegi, & de magnificentiſſima bonitate veſtra auxilium ſperans, ad ſanctorum Apoſtolorum ſacratiſſima limina, opem ſuffragaminis impetraturus, decenter acceſſi. Ecce iam per dimidium annum ante ianuam Apoſtolicæ pietatis pulſans aſſiſto, rationem de omnibus, quæ mihi falsò & iniuſtè ſunt obiecta, reddere paratus: nullúſque eſt qui in præſenti aliquam aduerſum me vocem proferat accuſationis. Et quoniam ante veſtram dignationem, neque me falſum exhibere, neque negotij mei cauſas exponere, vel preces meas, vt decuerat, ſcio perorare: reſtat vt ipſi de me, ſecundum ſapientiam cælitus vobis donatam, miſericorditer quod cœpiſtis perficiatis, ne ſe iactitent temeratores, propter meam vilitatem, ſeu indignitatem, Apoſtolica iura & canonica præualuiſſe infirmare ſtatuta.

SERMO NICOLAI PAPÆ, QVEM DE Rothadi cauſa ex ambone in Miſſa fecit, in baſilica S. Mariæ ad Præſepe, die vigiliarum Natiuitatis Domini.

PROPTER eos fratres, qui non ſemper affuerunt nobiſcum, neceſſe eſt ſanctitati veſtræ cauſam Rothadi fratris & Coepiſcopi noſtri, quantum Dominus donauerit poſſe, per ordinem referare. quatenus vna nobiſcum negotium illius ad liquidum noſcens fraternitas & vnanimitas veſtra, nobiſcum etiam, & de priuilegiis Apoſtolicæ ſedis, ſeu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, à quibuſdam nequiter imminutis & euacuatis doleat, & zelo feruentiori accenſa, de his recuperandis ſollicita ſit & intenta, ac de tanto viro, Rothado videlicet conſacerdote noſtro, retractare ac præmeditari ſtudeat; quatenus is, qui ſemper à finibus terræ, vt ita dicam, ad nos & priùs abſens clamauit, & beati Petri Apoſtolorum principis memoriam inter ſæuientium linguas obliuioni non tradidit; ſed de monaſteriali diſtricta cuſtodia, velut Ionas de ventre ceti, & Daniel de lacu leonum, ad Dominum, & ad dilectores vel dilectos Apoſtolos eius vociferatus eſt, & deinde abſtractus, licet deſtitutus vel exſpoliatus, atque omni ex parte attenuatus, tandem Deo duce præſidium ſuum, id eſt ſedem Petri, in qua ſpei ac fiduciæ ſuæ pedes, ac ſi ſupra firmam petram, ſtatuerat, requiſiuit, & plurimis difficultatibus & incommodis, atque impedimentorum retinaculis Dei deſtructis virtute, quod inhianter & anxiè deſiderauit, adeptus eſt; cum conſolatione, & auxilio, ac omnis priſtini ſui ſtatus recuperatione, ad exemplum & fiduciam multorum recedat: & priuilegia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſeu ſedis Apoſtolicæ, ſemper intemerata, minimè vlteriùs hæc violare præſumentes, conſiſtant atque permaneant. Denique, fratres, cùm præſens Rothadus à multis fuiſſet re-

tro temporibus à Metropolitano ſuo, & quibuſdã ſectatoribus ſuis, etiam à ſublimiori ſæculi perſona inceſſanter obſeruatus, vt aliquo modo eorum inſidiis caperetur, & Dei gratia protectus numquam omnino capi potuiſſet: tandem pro quodam presbytero, qui in turpi fuerat flagirio deprehenſus, & membris genitalibus detruncatus, materiam inimici eius aduerſus eum læſionis ſumpſerunt, eo quòd ſceleratum illum presbyterum ab officio remouiſſet, & poſt tres annos, quod canones non admittunt, minimè nullam vocem proclamationis habẽtem reſtituere voluiſſet. Cuius rei gratia facto Concilio generali, quod ſine Apoſtolicæ ſedis præcepto nulli fas eſt vocandi, vocauerunt hunc Epiſcopi, quos, Hincmari Remorum Archiepiſcopi ſuggeſtione, regia fecerat illuſio conuenire, quatenus rationem de illo presbytero coram Synodo redderet. Qui libenter quidem primùm perrexit: ſed poſtea, cùm vidiſſet eorum alios quidem timore regis Caroli qui aderat obſeſſos, alios autem fauore Hincmari hoſtis ſui pellectos, iudicium ipſorum rationabiliter deuitans, vt pote quorum hos quidem iam patiebatur infeſtos, alios autem iam ex præcedentibus iudiciis habebat ſuſpectos, ſedis Apoſtolicæ iudicium poſtulauit, & in vrbe Roma, canonum fultus auctoritate, agendum ſibi negotium proclamauit. Quo audito Hincmarus ad modicum quidem licentiam illi Romam veniendi conceſſit, ſed poſt paululum penitus impediuit. Siquidem rurſus conuocatis quibuſdam Epiſcopis, iuſſit hunc ad Synodum examinandum accedere. Qui hæc audiens reſpondit ſe Apoſtolicam ſedem appellaſſe, ac eius periiſſe iudicium, & idcirco non poſſe ad illud conuenire iudicium: quia non eſſet licitum à maiori ad minorem prouocare prorſus auctoritatem. Quamobrem nimis abſurdum eſt, quod Hincmarus fingit dixiſſe Rorhadum, poſtquam ad iudicium ſedis Apoſtolicæ prouocauit, iterum mutata voce aliorum iudicia poſtulaſſe. Quod etiamſi ita fuiſſet, ſicut veſtra nouit fraternitas, ab illo fuerat emendandum, & ne à maioris auctoritatis examine ad minoris valetudinis prouocaſſet iudicium, corrigendum. Licet nullis pateat indiciis, à noſtro illum ad alterius cucurriſſe iudicium, quem conſtat in ipſo articulo contra ſe proferendæ ſententiæ, ſedem Apoſtolicam appellaſſe. At qui ab illa ſe iudicari popoſcerat, & coram omnibus exclamauerat, iuſtum non foret, ſi ad eorum ſe iudicia conuertiſſet. quamuis & ipſe ſedem Apoſtolicam ſi nullatenus appellaſſet, contra tot tamen & tanta decretalia ſe efferre ſtatuta, & Epiſcopum inconſultè deponere, ſicut vos bene noſtis, non debuerunt. Quomodo verò alios iudices elegit Rothadus, cùm in illo ſcripto, per quod fingunt eum à noſtro ad ſuum iudicium prouocaſſe, nec noſtrum ſpreuiſſe, nec illorum periiſſe iudicium iudicetur? præcipuè cùm ſi iudices præter nos elegiſſet, & certum numerum eligendorum iudicum expreſſiſſet, & non vtique fraternum ſolarium, ſicut per illud ſcriptum poſtulauit, ſolummodo poſtulaſſet. Vtrum tamen ipſum ſcriptum à Rothado miſſum ſit, néc ne, certiſſimè neſcitur: quoniam alterius, & non Rothadi, homo fuiſſe conuincitur, qui ſcriptum portaſſe noſcitur. Quamquam etſi numquam prouocaſſet, numquam omnino præter ſcientiam noſtram deponi debuerit: quia ſacra ſtatuta & veneranda decreta Epiſcoporum cauſas, vt pote maiora negotia, noſtræ diffiniendas cenſuræ mandarunt.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XLIV.

Ad clerum & plebem Eccleſiæ Romanæ.

Abſolutio & reſtitutio Rothadi Epiſcopi.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, ſanctæ Romanæ catholicæ Eccleſiæ omnibus Epiſcopis, preſbyteris, & diaconibus, & cunctæ in Chriſto generalitati Romanæ plebis.

Epiſt. 39. Sap 2. 24. NOTVM ſit dilectioni veſtræ, fratres mei & filij cariſſimi, quòd quidam Galliorum Epiſcopi, zeli & inuidiæ diaboli facibus accenſi, quia mors, ſicut ſcriptum eſt, per inuidiam introiuit in orbem terrarum, huic fratri noſtro Rothado, venerabili viro inſidiantes, & per octo circiter annos, quemadmodum illum proprio priuarent Epiſcopatu, iudicio meditati ſunt. Sed cùm diutiſſimè laborantes, nihil diſcriminis potuiſſent ſuper eum inducere, nouiſſimè mundanis poteſtatibus vſi, depoſitionis ſententiam in eumdem ſedem Apoſtolicam appellantem immaniſſimè protulerunt, & in minutionem & abominationem priuilegiorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, immo beati Petri Apoſtolorum principis, gradu proprio pulſum, carcerali cuſtodiæ mancipârunt. Vnde iſtum clamantem, vt adducerent, & ad noſtrum illum iudicium, ad quod ante depoſitionem, & poſtea, inprætermiſsè prouocauerat, cum ſuis vicariis, qui illum ſi valerent accuſatione digna appeterent, deſtinarent, plurimis epiſtolis eiſdem Epiſcopis iuſſimus, & hortati ſumus. Sed ecce, dilectiſſimi, ſicut ipſi ſcitis, ſex menſibus iam præſente Rothado Romæ apud nos manente, & nobis accuſatores vel vicarios eorum præſtolantibus, nullus qui hunc accuſaret adeſſe videtur. In quo, fratres, quid aliud datur intelligi, niſi quod ſanctus Papa dicit Bonifacius, quia ſicut qui eſt innocens vt abſoluatur quærit, ita iudicium nocens ſubterfugit? Epiſt. ad Patroclum & alios. Verùm nos, Deo auctore, beatorúmque principis Apoſtolorum Petri Apoſtoli fulti ſuffragio, deceſſorum quoque noſtrorum ſecuti veſtigia, priuilegia ſedis Apoſtolicæ, quæ illi malè fregiſſe probantur, recuperare ſtudentes, iam fatum virum, præſentem videlicet Rothadum, priſtino gradui priſtinis officiis, ac priſtino Epiſcopatui reſtituimus, & per omnia talem eum reddimus, qualem illum fuiſſe conſtat ante excommunicationis & depoſitionis ſententiam in eum prolatam, vel quando ſedem Apoſtolicam appellabat, & canonicè prouocabat.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XLV.

Ad Carolum Caluum regem.

Hortatur vt Rothado reſtituto faueat, & res eius Eccleſiæ ablatas reddi iubeat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Carolo glorioſo regi.

Epiſt. 40. QVAMQVAM Rothadum venerabilem Epiſcopum, ſedem Apoſtolicam appellantẽ, Domini ſacerdotes, qui in regno veſtro Eccleſias ſibi commiſſas gubernãt, in contemptum B. Apoſtolorum principis Petri, per quem Apoſtolatus & Epiſcopatus in Chriſto cœpit exordium, cuiúſque licet immeritò agimus Epiſcopatum, priuare numquam debuerant: tamen

quia hoc præſumpſerunt, immo conati ſunt agere, æquanimiter ſatis pro veſtra deprecatione pertulimus, & vt tantam temeritatem corrigerent, eis hortamenta & præcepta potiùs quàm flagella ſæpius adhibuimus. Sed horum, immo huius contumaciæ, nullus auctor, niſi Hincmarus Remorum Epiſcopus extat, qui & prædictum Rothadum, etiamſi numquam ad noſtra prouocaſſet iudicia, nequaquam deponere debuit; ſed contemptis nobis, quantum ex ſe fuit, depoſuit, & multitudinem iuſſionum noſtrarum vt peripſema duxit. Denique cùm noſtris auribus fuiſſet ipſius Rothadi depoſitio intimata, mox epiſtolam apoſtolatus noſtri miſimus, qua iuſſimus iam fatum Rothadum, aut honori Eccleſiæ propriæ reſtitui, aut Romam cum aliquibus de Epiſcopis, vel vicariis eorum qui illum damnaſſe videbantur, in præſentiam noſtram dirigi, aut certè, ſi neutrum fieret, tamdiu poſt xxx. dierum ſpatium depoſitores eius à Miſſarum ſolemniis vacarent, quouſque nobis ſuper his obedire curaſſent. De qua etiam epiſtola veſtræ tunc intimauimus excellentiæ: ſed hanc frater Hincmarus, quid dicam audire, cùm videre illam, more Dioſcori velatus, neglexerit? Ne quem verò moueat, quamobrem Rothadum Epiſcopum Romam venire, vel apud nos audiri ac iudicari iuſſimus, nouerit canonicam ſuper hoc paternam traditionem, ac ſpecialem prærogatiuam Apoſtolicæ ſedis, nos extitiſſe zelatos atque ſecutos. Denique vt pauca de multis commemorem, ſi aduerſus prouinciæ Metropolitanum Epiſcopum vel clericus habeat querelam, iuxta Calchedonenſes regulas, iubetur vt petat primarem diœceſeos, aut ſedem regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſum iudicetur. Quod tamen nulli dubium eſt multo magis apud Romuleam vrbem, quàm apud Conſtantinopolitanam, eſſe penitus obſeruandum. Nam & ipſe Rothadus, ſecũdum Sardicenſe Concilium, agendum ſibi negotium in vrbe Roma clamauit. & B. Innocentius Papa ſine præiudicio Romanæ Eccleſiæ præcipit, cùm cauſæ vel contentiones inter clericos, tã ſuperioris ordinis, quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, nulli licere relictis his ſacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Eccleſiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias. Sed & Papa Iulius Orientalibus ſcribens, vtramque partem, Athanaſij ſcilicet & aduerſariorum, eius accelerare præſentiam, quatenus vtraque parte præſentè audiretur reus, & ab omnibus condemnatus de cetero cohiberetur à ſacerdotio. Oportebat, inquam, primùm hoc fieri, & tunc vacante loco alterum conſtitui. In quibus tamen omnibus multipliciter adhuc contempti, per Odonem poſt hæc venerabilem Epiſcopum, ad eadem rurſus inter multa monita miſimus, videlicet vt Rothadus eductus de monaſteriali cuſtodia, vel prioris Eccleſiæ proprio redderetur honori, vel Romam cum vicariis Epiſcoporum, qui depoſitioni illius conſenſerant, in conſpectu noſtro examinandum deſtinarent, aut poſt xxx. dies, nec ipſe Hincmarus, nec ceteri Epiſcopi, qui eum damnauerant, licentiam faciendi Miſſas haberent. Sed denuo frater noſter Hincmarus, in contumelia noſtra verſatus, non ſolùm non obedire nobis delegit, verùm etiam epiſtolam noſtrã, quam ad eum, & ad Epiſcopos, qui in depoſitione Rothadi ſibi conſenſerant, miſeramus, apud ſe per quatuor menſes retinens, quæ de Rothado decreuimus, etiam inter hæc diuerſis aliis pro hac eadem cauſa noſtris epiſtolis per nonnullos directis crebrò contemptis, agere recuſauit. Præterea Rothadum de monaſteriali cuſtodia eductum, in ciuili commutari præcepit. Tandem aliquando nobis ſcribens, miſiſſe vna cum ceteris Epiſcopis vicarios ſuos, qui cum Rothado in noſtrã præſentiam peruenirent: ſed dictum illis eſſe nullum ſibi aditum Italiam penetrandi præ cuſtodibus fore, qua de re vnde venerant rediſſe. Quo facto quid inanius vel ſtultius æſtimari poteſt, quàm ad ſolum vacuum ſermonem, nulla perſona ſibi reſiſtente, nullóque ſibi aduerſario certo cõtradicente, deſerere tantum opus, & ſine vlla vtilitate retrouerti? Præſertim cùm ſi certiſſimè eos impeditos, quo minus commiſſa ſibi reſponſa vel Eccleſiaſtica negotia conſummarent, comprehendiſſemus, zelo competenti ſucceſi, tanto contra huiuſmodi temeratores feruentiùs inueheremur, quanto hanc impietatem ab ipſis fuiſſe patratam certiùs noſſe vtique videremur. Verùm hæc luſoriè nobis illi vel dicunt, vel operantur: cùm ecce biennium tranſierit, ex quo diuerſis modis pro iam fato viro laborantes, modò hoc, modò illud eis proponentibus, nihil omnino profecimus: ſed adhuc diſſimulamus, adhuc operimur, & vt cum B. Simplicio Papa dicamus, nolumus exaggerare quod geſtum eſt, ne cogamur iudicare

Conc. Calched. can. 9.

Can. 4.

Epiſt. ad Victricium.

Epiſt. 2.

Epi. ad Ioannem Rauen.

quod dignum eſt. Nam docente ſancto æquè Papa Zoſimo, contumeliæ ſtudio fit, quicquid interdictum toties vſurpatur. Sanè his interim omiſſis conſiderare libet, quia priùs Odo venerabilis Epiſcopus præſentialiter poſitus, & inde cæteri noſtri legati, nihil accuſationis aduerſus Rothadum Epiſcopum ſe detuliſſe teſtati ſunt: & illi Epiſcoporum vicarij, qui ab ipſis ſuis præſulibus, vt rationem deiectionis Rothadi exponerent, mitti dicebantur, nobis profeſſi ſunt, ſcribentes ab itinere, quòd non ad accuſandum Rothadum fuerint à ſuis Antiſtitibus deſtinati. Præſertim cùm ſæpedictus Rothadus in Apoſtolica quam petiit ſede, ecce octo circiter menſibus ſit commoratus, & qui hunc accuſaret, nullum nos penitus videre potuimus. Ergo cùm ita ſit, reſtat, vt qui nullum patitur accuſatorem, nullo merito ſuſtineat omnino ſuæ integritatis diſpendium. Denique tunc conſtat accuſatorem examen ſubterfugere, quando ſe iuſtas poſſe querimonias habere deſperat. Sic nimirum Iudæi lapidibus adulteram mulierem obrui debere putabant. vbi ad verum iudicium hanc detulerunt, & quod exiſtimabant videre non vidcrũt, & quod non putabant audire audierunt, confuſi & reuerſi diſceſſerunt. Sic ergo, ſic depoſitores Rothadi, cùm ad examen iudicij, in quo iidem inimici fuerunt, ipſi accuſatores & iudices, venerũt, in faciem ipſius, quem ſupplantare voluerunt, immobiles perſtiterunt. At vbi ad noſtrum prouocatum eſt iudicium, in quo Deo reuelante veritas ſi exaggeraretur, in lucem clareſceret, omnia falſitatis argumenta deſtructa ſunt, & fabricatores mendacij terga ſubitò conuerterunt. At verò Rothadus Epiſcopus, conſcientia purus, conuerſatione innocens, columbarum ſimplicitate ac prudentia ſerpentis inſignis, cùm ad examen Romanæ Eccleſiæ ventum eſſe perſpexit, vbi nullum ſuſpectum habet, nullum inimicum paſſus eſt: vbi, inquam, vt ſanctus ait Papa Cæleſtinus, ſemper catholicis ſubuenitur, iudicium non timuit, examen ſuum renouari petiuit, & quicquid à nobis deliberari cerneret, libenti ſuſcipiendum mente diſpoſuit. quia, vt beatus ait Bonifacius Papa, nullus dubitat quòd ita iudicium nocens ſubterfugit, quemadmodum vt abſoluatur qui eſt innocens quærit. Ergo videant accuſatores, vel damnatores Rothadi, qua intentione cum eo iudicium ſubire refugerint: quia Rothadus, qui eſt auctore Deo innocens, Concilium ſanctorum non ſolùm non ſubterfugit, ſed & magnopere poſtulauit. Itaque ſciat ſublimitas veſtra, Deo opifice à nobis ſæpefatum Epiſcopum priſtinæ dignitati & Eccleſiæ reſtitutum. In quo vtrum veritate fulciatur quod de veſtra dilectione à nonnullis refertur, modò patebit. Si enim millia gemmarum & pretioſarum ſpecierum beato Petro daretis, nec illi tam accepta, nec nobis, quàm ſi nobis ſuper hoc obediatis, profutura exiſterent: nimirum cùm illius ſit hominum ſalutem exquirere, non cumulos theſaurorum coaceruare. Fauete tandem, quæſumus, nobis pro crebrò dicto viro toties adeuntibus, & Eccleſiam ſibi commiſſam recipiendi per vos non impedimentum, ſed præſidium prorſus inueniat. Ne quæſumus dicatur de nobis procedente tempore, quòd nunc de Theodorico ſcripto profertur. Qui ante patrimonij vel Eccleſiarum, quas amiſerat, receptionem, Papam Symmachum, vt pote Arrianus & ſceleratiſſimus rex, cum impugnatoribus ſuis in diſceptationem confligere iuſſit, cùm poteſtati eius omnia, quæ per ſuggeſtiones inimicorum ſuorum amiſerat, reddenda ab honorabilium Italorum Epiſcoporum Concilio iuſſa fuiſſent, & legaliter priùs ſtatui priſtino redditus, tunc veniret ad cauſam, & ſi ita rectè videretur, accuſantium propoſitionibus reſponderet. Cuius rei documento, & aliis nonnullis decretis & exemplis imbuti, idipſum de Rothado Epiſcopo nos quoque decreuimus. Quapropter obteſtamur & obſecramus, vt piis noſtris monitis, non prauorum hominum ſuaſionibus, parcatis: ſcientes quia ſi peſſimo regi, quod abſit, vos æquiparãtes, ſuper hoc nobis negotio concordantes obaudire tentitis, vos procul dubio de caritate & memoria noſtra deletos. Quoniam ita Dei & Apoſtolorum auctoritate decreuimus & ſtatuimus, vt quicũque ſæpe memorato Rothado Epiſcopo ad recipiendam Eccleſiam ſibi olim cõmiſſam, vel ad Epiſcopale miniſterium peragendum, aliquatenus impedimento fuerit, donec acquieſcat, & ad illi reſiſtendum conatus deponat, à ſacroſanctis myſteriis & ab Eccleſiæ ſiteret ingreſſu remotus, atque ab omni communione fidelium ſequeſtratus. Præterea veſtram volumus noſſe experientiam, noſtris auribus fuiſſe multis referentibus intimatum, quòd diuerſæ res, & nõnulla præſidia ſanctæ Sueſſonicæ Eccleſiæ iuri competentia, ab iuuaſore ibidem conſecrato extitiſſent pro libitu

Epiſt. ad Heſychium.

Ioan 8.

Epiſt. 4.

Epiſt. ad Patroclum & alios.

Synod. Rom. IV.

libitu diſpoſita, & in beneficium data: vel etiam, eo iuſto Dei iudicio decedente, ab excellentia veſtra quibuſdam hominibus æquè in beneficio collata. Quamobrem etiam, & in hoc dilectionem veſtram hortamur atque precamur, vt eadem præſidia, & ipſas res, quæcumque & vbicumque ſint, iam fatæ Eccleſiæ reſtitui pia veſtra præcipiat eminentia, & vt cuncta iuri eius reddantur, veſtra ſatagat excellentia: ita vt ſecundum ſacrorum canonum ſanctionem, in poteſtate Epiſcopi res omnes Eccleſiæ conſiſtant, & ille ſecundum timorem Dei, quibus voluerit, & quomodo voluerit, illas diſpenſet. quod tamen veſtræ pietatis, pro amore Dei & Apoſtolorum principum, ac noſtro, fieri ſatagat induſtria. Scientes profectò, quia qui his rebus frui voluerit, & eas præfatæ Eccleſiæ reddere fortè diſtulerit, nos hunc ab Eccleſiæ finibus, anathematis nexibus irretitum, & ſacroſanctis myſteriis ſequeſtratum, veluti profanum eliminamus, & quaſi rapacem & impium, & à contubernio fidelium proculdubio abiicimus.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XLVI.

Ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem.

Rothadum legitimè reſtitutum oſtendit. ſuam illi Eccleſiam, & res ablatas reddi iubet: tum, vbi reſpirarit, cum eo Romæ confligi, ſi libeat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro, Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo.

Epiſt. 41.

SI coram tuæ prudentiæ oculis vllus eſſet paternorum canonum, vel Apoſtolicæ ſedis reſpectus, numquam Rothadum, Sueſſonicæ vrbis Epiſcopum, ſine noſtræ tentaſſes ſcientiæ notione deponere. Præcipuè cùm negotium, quod meritò inter maiora connumeratur, (de perſona ſcilicet iudicare, cuius in Eccleſia ceteris ordo maior eſt) ventilanti & multipliciter timanti tibi adeo de ſe difficiles exitus daret, vt octo circiter annos vt deponeretur elaboraueris, & in tanta perplexitate cauſarum, & in tanta intercapedine temporum, nullam B. Petri memoriam prorſus habueris. Cuius contrà is qui deponebatur mentionem faciens, tua decernente religioſitate proprio gradu caruiſſe dinoſcitur. Et cùm in ſuis opportunitatibus ad ſedem Apoſtolicã beatitudo tua ſcripſerit, & ab illa ſibi manum porrigi contra falſos fratres popoſcerit, & quædã priuilegia concedi ſibi petierit, in cauſa Rothadi ſolùm, quaſi eius ſolatij non indiga, ſedis Apoſtolicæ non memor fuit, nec vtique viſitatrix. Quin immo cõtra appellantem hanc eumdem venerabilem virũ, tanta molimina, tantáque præparare machinamenta minimè formidaſti: vt poſtquam data ſibi Romam veniendi licentia fuerat, priuſquam tibi & regi valefecerat, poſtea hunc à noſtro examine ad tua, vt ita dicam, tribunalia deduxeris, (quia Synodus dici non poteſt, vbi noſter nullus præbetur aſſenſus) & ingredi prætotium nolentẽ depoſitioni tyrannico more ſubiiceres, occaſionem ſumens de quadam epiſtola, tamquam Rothadus, poſtquam ad noſtrum appellauerat iudicium, rurſus ad veſtrum mutata voce prouocaſſet examẽ, quod omnino falſum eſt. Illa nempe epiſtola, per quam hoc conaris frui, ſicut veritate claret, & apud nos ſubtili valde inueſtigatione repertum eſt, fratribus à Rothado mittebatur, quos tecum contra ſe conſpiraſſe non nouerat, ac eos per hoc nec ſuſpectos habebat. In qua videlicet epiſtola, non noſtrum iudicium aſpernatur, non ſedem Apoſtolicã ſpernit, nec aliena iudicia poſtulat, nec electorum iudicum numerum exprimit, quin immo nec nomina memorat; ſed ſolùm fratres & Coepiſcopos de ſua certificat innocentia, & hos reddit intẽtos, quatenus ſi fortè Apoſtolatui noſtro, ſecũdum ſacrorum indulgentiam canonum, ſcribere his examinis renouandi gratia in finitima poſitis placeret; vt ipſe illo in tempore nobis ſuggeſtũ ire meditabatur, & nos quoque acturos putabat, ſuæ conſuleret innocentiæ, ac iuſto libramine cauſam ſuam, ſecũdum diſpoſitionem noſtram, ſine acceptione perſonarum exequeretur. Sed arguta ſapientia tua, vtinam in bono accepta, fomitem iudicij, & materiam diſpoſitionis aduerſus Rothadum aſſumpſit, & ab itinere ſedis

2 q 6 Arguta ſapientia.

Apoſtolicæ reuocauit, & continuatim ſedem Apoſtolicam appellantem dãnauit, & carcerali cuſtodiæ mancipauit: cùm etiamſi nullus à veſtro iudicio prouocaſſet, priuilegia tamen Apoſtolicæ ſedis vos obliuioni tradere nullatenus debuiſſetis, quibus venerandi canones iudicia totius Eccleſiæ ad hanc deferri iubent, & ab illa, ſicut Gelaſius meminit, nuſquam appellari ſanxerunt: ac per hoc ipſa de omnibus iudicare, ab illa verò nulli eſt appellare permiſſum. ſed etiamſi ad veſtrum prouocaſſet à noſtro iudicio, à vobis extabat tanquam erroneus corrigendus. quin immo nec antè ſpecialiter fuerat corrigendus, quia vobis peculiariùs erat penitus amplectendus. At vbi obdurato mentis intuitu, hæc omnia poſtpoſuiſſe contra ſpem doléter audiuimus, miſſis litteris noſtris præcepimus, vt eum de carceris anguſtia educeres, & aut mox priſtino gradui redderes, aut illum cum vicariis tuis, & Epiſcoporũ qui depoſitioni eius conſenſerunt, in noſtram præſentiam deſtinares. quòd ſi neutrum ageres, poſt xxx. dies, poſtquam illa noſtra lecta fuiſſet epiſtola, nec tu, nec vllus eorum qui in hoc tibi conſenſum præbuerant, Miſſarum ſolemnia celebraret, donec quæ ſibi pro Rothado à nobis fuerant imperata perficeret. Quam contemplatus, etiam ſolo tactu tuo indignam iudicans, Dioſcorum in hoc imitatus, ſaltem hanc legere nullomodo conſenſiſti. Vnde Rothado adhuc in cuſtodia demorante, per Odonem venerabilem Epiſcopum eadem tuæ ſanctitati, & ceteris complicibus tuis, per epiſtolas vobis reſcribentes iniunximus: addentes pariter, quòd ſi nobis de cetero inobedientes eſſetis, nos iam fatum virum Rothadum priſtinę dignitati, & Eccleſiæ redintegraturos, & vobis condignã viciſſitudinem reddituros. Quas fraternitas tua ix. Kalendas Iulij, vt fertur, ſuſcipiens, per quatuor circiter menſes neminem has paſſus es intueri. Poſt hæc autem Rothado, tandem de cuſtodia educto, licẽtiam Romam veniendi vix quidem dediſti: ſed vicarij, quibus cum illo mittere debuiſti, vſquequo voluerunt profecti, ſuis nobis de itinere ſignificauere, dictum illis fuiſſe, quòd nullus pręhoſtibus penetrandæ Italię ſibi pateret acceſſus, & pręcipuè quòd eorum, quorũ auxilio fulciri debuerant, fruſtraretur obuentu. Subdentes inſuper, quia ſi peruenire Romam vtcũque valuiſſent, nullam aduerſus Rothadum omnino deferrent calumniam. Et his ita geſtis, quia primùm quidem præſumptiones, pręuaricationéſque veſtras ſumus experti, deinde verò inobedientia & tergiuerſatione tua cõperta, atque deinde Rothado penes nos ſine vllo accuſatore octo circiter menſibus iam retento, & diutius ac ſubtiliùs examinato, vobis & vicariis veſtris clamantibus, nil vos aduerſus eum accuſationis habere, quid niſi vt, ſecũdum promiſſionem ſuperius memoratam, tandem priſtino Epiſcopatui redderetur, omnino reſtabat? Quòd per noſtram mediocritatem iam nunc factũ tua noſſe poterit prorſus induſtria. Cui rei monemus omnimodam patientiam exhibere tua non negligat vtcumque ſolertia, ne talionem reddere tibi, ſicut dudum promiſimus, noſtra cogatur auctoritas. Hęc quippe nos in Rothado idcirco noueris operatos, vt priuilegia ſedis Apoſtolicæ, quæ malè à vobis violata eſſe videbantũr, & à nobis tot impenſis laboribus, veſtra reſiſtente contumacia, recuperari non poterant, auctoritate Apoſtolica, & canonica partum deliberatione, priſtino tãdem & proprio decorarentur honore. Ceterùm ſi fortè quis aduerſus Rothadũ vocem habet, vel ſi ipſe à ſanctitate tua iuſtas contra ſe hactenus ſuſtineat querimonias, volumus & decernimus, vt vtraque parte cõueniente, quicquid illud eſt, coram noſtra ſpeciali præſentia dirigatur. Quòd ſi nullus calumniis coram Apoſtolatu noſtro ſæpefatum virũ impetere voluerit, quæ de illo decernimus, illibata & imminuta conſiſtant. Tandem aliquando vnum è duobus, quod vult fraternitas tua, ſibi à nobis optione propoſita eligat: quia vtrumque canonicum eſt, vtrũque ad ſedis Apoſtolicæ pertinet priuilegium. Videlicet aut quæ de ſæpefato fratre & Coepiſcopo noſtro Rothado diſpoſuimus adimplẽs, in nullo reſragatrix, ſed executrix inueniatur: aut certè Romã coram nobis, ſeu ſancta Romana Eccleſia, cum ipſo conflictum ſumptura, & pro hoc altercatura, properare ſine dilatione maturet. Ita dũtaxat, vt priùs ipſe Rothadus cunctis ablatis, ſicut ſtatuimus, recuperatis honoribus, & vires longo tempore feſſas priori valetudini redditus reſumens, diutiùs poſſideat, & ſuis omnibus perfruatur. Quòd ſi neutrum ſine procurata mora fortaſſis agere volueris, & reſultare his quæ de illo ſtatuimus, ſolito more vlteriùs curaueris, ab omni ſis ſacerdotali dignitate, Dei per nos iudicio, & auctoritate ſedis Apoſtolicæ, de cetero ſequeſtratus, ita vt numquam locum ſatisfactionis, aut ordinis reſtitutionem operiaris.

2. q. 6. Argẽti ſ. Hæc quippe nos.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XLVII.
Ad vniuerſos Epiſcopos Galliæ.

Vt Rothadum à ſe reſtitutum benignè ſuſcipiant. vbi multa de ſedis Apoſtolicæ priuilegiis, & de pontificum Romanorum decretalibus copioſè diſſerit.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, Archiepiſcopis & Epiſcopis apud Gallias conſtitutis.

Epiſt. 42. QVAMVIS ſingularum Eccleſiarum, quæ propter diuerſitatem terrarum multæ eſſe dicuntur, cùm vna ſit & vnica ſponſo ſuo, ſicut ipſe in Canticis Canticorum dicit; *Vna eſt columba mea*. & per Pſalmiſtam, *Erue de manu canis vnicam meam*. (Cant. 6. 8. Pſal. 21. 21.) paſtor, & Epiſcopus, ac Pontifex, Dominus noſter IESVS Chriſtus, qui hanc creauit & redemit, exiſtat: ita vt ille veracitet ac principaliter iſta ſit omnia. iuxta quod fidelibus per primum Apoſtolum dicitur: *Conuerſi eſtis nunc ad paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum*. (1. Pet. 2. 25.) & iuxta quod egregius prædicator de eo loquens, *Talis*, inquit, *decebat vt nobis eſſet pontifex*. (Heb. 7. 26.) ſubiturus tamen ad cælos hanc Apoſtolis commendauit, ac per eos, tamquam hereditario iure ſucceſſoribus eorum, nobis ſcilicet, quos paſtores, & Epiſcopos ac Pontifices ſuper ipſam cõſtituit, eius prouidentiæ curam indulſit: quarenus pro patribus nati filij, & pro eis conſtituti principes in omnem terram, imitatores eorum eſſemus, ſicut & ipſius Chriſti. Verùm & inter beatiſſimos Apoſtolos, ſicut & ille magnus Leo ſcribit, in ſimilitudine honoris (Leo ep. 88 ad Anaſtaſium.) fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt ceteris præmineret. De qua » forma Epiſcoporum quoque eſt orta di- » ſtinctio: & magna diſpoſitione prouiſum » eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent; ſed » eſſent in ſingulis proninciis ſinguli, quo- » rum inter fratres haberetur prima ſenten- » tia. & rurſus quidam in maioribus vrbi- » bus conſtituti, ſollicitudinem eius ſuſci- » perent ampliorem: per quos ad vnam Pe- » tri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura con- » flueret, & nihil vmquam à ſuo capite diſ- ſideret. Quod niſi quidam ex vobis nullo interiori comprehendiſſent obtutu, numquam Rothadum, Epiſcopum Sueſſonicæ vrbis, ſine conſenſu noſtro depoſuiſſent, deprædarentur, & in exilium pulſum monaſteriali cuſtodiæ manciparent. Nam quomodo non omnes vobis omnia vendicatis, qui iudicia Epiſcoporum, quæ meritò inter maiora numerantur negotia, veſtræ deliberationi tribuiſtis? An modicum vobis eſſe videtur, fratres & Coepiſcopos veſtros præter Apoſtolicæ ſedis conſenſum depoſitioni ſubiicere? Quòd ſi damnationes Epiſcoporum non inter maiora negotia dinumeratis, quorum iam cauſas inter maiora computatis negotia? Quid rogo de presbyteris, vel de inferioris gradus clericis agitur, quorum apud nos quoque cauſa Calchedonenſis Concilij regulis, cùm ratio exigit, audiri iubetur? (Can. 9.) Si Epiſcopos tanta facilitate deponitis, quomodo rogo per vos, quorum vel in ſingulis prouinciis habetur prima ſententia, vel qui in maioribus vrbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſcipitis ampliorem, ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura confluit, qui de maioribus deponendis Epiſcopis nihil ad eius notitiam deferre curatis? An Epiſcopi de vniuerſali Eccleſia non ſunt, vt de illis damnandis per vos aliquid ad vnam Petri ſedem deferri nõ curetur? Vel quomodo nil vſquam à ſuo capite diſſidet, cùm de adiudicandis præcipuis membris Eccleſiæ, id eſt Epiſcopis, à capite, id eſt ſede Apoſtolica diſſentitis? An ſedes Apoſtolica caput non eſt? Fruſtra ergo, vt multa prætereteam, Concilium Sardicenſe ad Iulium Epiſcopum inter cetera dixit: Optimum & valde congruentiſſimum eſſe videtur, ſi ad caput, id eſt ad Petri Apoſtoli « ſedem, de ſingulis quibúſque prouinciis « Domini referant ſacerdotes. (Conc. Sardic. in epiſt. ad Iulium.) « Ecce ſedem Petri caput appellatam, cui de ſingulis prouinciis Domini referre ſacerdotes debent. E contra vos adeo hanc deſpicitis, vt ad eam nihil de maioribus Eccleſiæ negotiis referre curetis, ac Epiſcopum inconſulta & contempta illa deponere præſumatis, & præcipuè ſedem Apoſtolicam appellantem. Nimis namque abſurdum eſt quod dicitis, Rothadum, qui ad iudi-

cium ſedis Apoſtolicæ prouocauit, iterum mutata voce veſtra iudicia poſtulaſſe. Quod etiamſi ita fuiſſet, à veſtra fuerat fraternitate corrigendus, & quia à maiori ad minoris auctoritatis prouocaſſet iudicium, emendandus. Licet certis non parere poſſit vllis indiciis, à noſtro illum ad veſtra cucurriſſe iudicia, quem conſtat in ipſo articulo contra ſe proferendæ ſententiæ ſedem Apoſtolicam appellaſſe, & quòd ſe ab illa iudicari poſceret, coram omnibus exclamaſſe. Æquum non foret, ſi ad veſtra ſe iudicia conuertiſſet, quamuis etſi ſedem Apoſtolicam nullatenus appellaſſet, contra tot tamen, & tanta vos decretalia efferri ſtatuta, & Epiſcopum inconſultis nobis deponere nullomodo debuiſtis. Quod tamen vos, vt ſeruata vobiſcum medullitus caritate dicam, poſtpoſuiſſe dolemus, & diuerſorum ſedis Apoſtolicæ præſulum decreta in hoc vos contempſiſſe negotio, non immeritò reprehendimus. Abſit enim, vt cuiuſcumque, vſque ad vltimum vitæ ſuæ diem qui in fide catholica perſeuerauit, vel decretalia conſtituta, vel de Eccleſiaſtica diſciplina quælibet expoſita, debito cultu, & cum ſumma diſcretione non amplectamur opuſcula, quæ dumtaxat & antiquitus ſancta Romana Eccleſia conſeruans, nobis quoque cuſtodienda mandauit, & penes ſe in ſuis archiuis, & vetuſtis ritè monumentis recondita veneratur. Abſit, vt ſcripta eorum quoquomodo paruipendenda dicamus, quorum videmus Deo auctore ſanctam Eccleſiam, aut roſeo cruore floridam, aut torrfluis ſudoribus, & ſalubribus eloquiis adornatam. Si enim ipſorum decreto ceterorum opuſcula Tractatorum approbantur vel reprobantur, ita vt quod ſedes Apoſtolica probat, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: & quanto potiùs quę ipſa pro catholica fide, profanis dogmatibus repellendis, pro variis & multifariis Eccleſiæ neceſſitatibus, & fidelium moribus, diuerſo tẽpore ſcripſit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorſus in quibuſlibet opportunitatibus diſcretione vel diſpenſatione magiſtra teuerenter aſſumi? Quamquam quidam veſtrûm ſcripſerint, haud illa decretalia priſcorum pontificum in toto codicis canonum corpore contineri deſcripta, cùm ipſi, vbi ſuæ intentioni hæc ſuffragari cõſpiciunt, illis indifferenter vtantur, & ſolùm nunc ad imminutionem poteſtatis ſedis Apoſtolicæ, & ad ſuorum argumentum priuilegiorum, minus accepta eſſe perhibeant. Nam nonnulla eorum ſcripta penes nos habentur, quæ non ſolùm quorumcumque Romanorum pontificum, verùm etiam priorum decreta in ſuis cauſis præferre noſcuntur. At nunc, vbi ſuis animis reſultare, & priuilegia tanto nos, vt in ſui ſtatus incolumitate perſiſtant, elaborare non ceſſamus, quanto vniuerſæ Eccleſiæ profuiſſe, prodeſſe, ac profutura ſemper eſſe probatur. Dignum ergo eſt, vt vbi vniuerſa fabricæ moles innititur, ibi firmum validúmque habeatur in omnibus fundamentum. Porrò ſi ideo non eſſe decretales epiſtolas priſcorum pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur adſcriptæ, ergo nec Gregorij ſancti, nec vllius alterius qui ante vel poſt ipſum fuit, eſt aliquod inſtitutum vel ſcriptum recipiendum, eo quòd in codice canonum non habeatur adſcriptum. Ergo doctrinam eorum, & ſanctiones de codicibus ſuis eradant. vt quid vel membranas occupant, poſtquam non habentur acceptæ? Sed quæ multũ immoremur, cùm nec ipſas diuinas ſcripturas noui & veteris Teſtamenti iam recipimus, ſi iſtos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in codice Eccleſiaſticorum canonum habetur inſertum. Sed reſpõſuri ſunt iſti, qui non ad obediendum potiùs quàm ad reſiſtendum ſemper parati ſunt, dicentes quòd inter canones inueniatur capitulum S. Papæ Innocentij, cuius auctoritate doceatur à nobis vtrumque Teſtamentum eſſe recipiendum, quamquam in ipſis paternis canonibus nullum eorum contineatur ex toto inſertum. Quibus ad hæc aſſerẽdum eſt, quoniam ſi vetus nouúmque Teſtamentum recipienda ſunt, non quòd codici canonum ex toto habeantur annexa, ſed quòd de his recipiendis S. Papæ Innocentij prolata videtur eſſe ſententia; reſtat nimirum, quòd decretales epiſtolæ Romanorum pontificum ſunt recipiendæ, etiamſi non ſunt canonum codici compaginatæ: quoniam inter ipſos canones vnum B. Leonis ita capitulum conſtat eſſe permixtum, quo ita omnia decretalia conſtituta ſedis Apoſtolicæ cuſtodiri mandantur, vt ſi quis in illa commiſerit, nouerit ſibi veniam negari. Ait enim capitulo v. ſuorum decretalium. Ne quid verò ſit, quod prætermiſſum à nobis fortè credatur, omnia decretalia cõſtituta, tam beatæ recordationis Innocẽtij, quàm omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de Ec-

D xix Si Romanorum.

D xix Si Romanorum §. Si ideo.

Decr. cap. 7.

Epiſt ad Epiſcopos per Campaniam.

» cleſiaſticis ordinibus,& canonum promul-
» gata ſunt diſciplinis, ita veſtræ dilectioni
» cuſtodiri mandamus, vt ſi quis in illa com-
» miſerit, veniam ſibi deinceps nouerit de-
negari. Dicendo verò omnia decretalia
conſtituta, nullum de decretalibus conſti-
tutis prætermiſit, quod non mandauerit
eſſe cuſtodiendum. Et rurſus aſſerendo,
omnium deceſſorum noſtrorum, nullum
pontificum Romanorum, qui ante ſe fue-
rit, excepit, cuius ita non præceperit de-
cretalia conſtituta ab omnibus cuſtodiri,
vt ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi
deinceps nouerit denegari. Itaque nihil
intereſt, vtrum ſint omnia decretalia ſe-
dis Apoſtolicæ conſtituta inter canones
Conciliorum immixta, cùm omnia in vno
corpore compaginari non poſſint, & illa
eis interſint, quæ firmitatem his quæ de-
ſunt, & vigorem ſuum adſignent. Præſer-
tim cùm ſynodalia geſta, inter quæ ipſi ca-
nones ſtatuti ſunt, in codice canonum
non habeantur, ſed à nobis omni cultu
debito venerentur. Conſonat autem huic
beatiſſimo Papæ Leoni, ſanctus & facun-
diſſimus in decretis ſuis Papa Gelaſius, ita
In Synodo Rom. de ſcriptis canon. » inquiens: Decretales epiſtolas, quas bea-
» tiſſimi Papæ diuerſis temporibus de vrbe
» Roma, pro diuerſorum patrum conſulta-
» tione dederunt, venerabiliter ſuſcipien-
» das decernimus. In quo notandum, quia
non dixit decretales epiſtolas quæ inter
canones habentur, nec tantùm, quas mo-
derni pontifices ediderunt; ſed quas bea-
tiſſimi Papæ diuerſis temporibus ab vrbe
Roma dederunt. Dictis autem diuerſis
temporibus, etiam illa tempora vir ſan-
ctus comprehendit, quæ crebreſcentibus
paganorũ perſecutionibus ad ſedem Apo-
ſtolicam deferri cauſas Epiſcoporum dif-
ficillimè permittebant. His ita diuina fa-
uente gratia prælibatis, oſtendimus nul-
lam differentiam eſſe inter ea decreta, quę
in codice canonum habentur, ſedis Apo-
ſtolicæ præſulum, & ea, quæ præ multitu-
dine vix per ſingula voluminum corpora
reperiuntur: cùm omnia & omnium de-
ceſſorum ſuorum decretalia conſtituta, at-
que decretales epiſtolas, quas beatiſſimi
Papæ diuerſis temporibus ab vrbe Roma
dederunt, venerabiliter eſſe ſuſcipiendas
& cuſtodiendas, eximios præſules, Leo-
nem ſcilicet & Gelaſium, mandaſſe pro-
bauimus. Quamuis & hoc, quod ſæpè
commemoratus B. Leo, Apoſtolicæ ſedis,
Epiſt. 82. Antiſtes, ad Anaſtaſium Theſſalonicen-
ſem Archiepiſcopum ſcribit, quorumdam
veſtrorum præſumptionem potentiſſimè
ferit, & quod talia negotia nobis incon-
ſultis diffinire minimè debeatis, manifeſtè
denuntiat. Ait enim: Nam cùm maiora «
negotia, & difficiliores cauſarum exitus, «
liberum tibi eſſet ſub noſtræ ſententiæ «
expectatione ſuſpendere, nec ratio tibi, «
nec neceſſitas fuit, in id quod menſuram «
tuam excederet deuiandi. Et item dein- «
ceps: Præſertim, inquit, cùm etiamſi quid «
tale aliquid mereretur, expectandum tibi «
fuerit quid ad tua cõſulta reſcriberem. Et «
paulò pòſt: Sed etiamſi quid graue, intole- «
randúmque committeret, noſtra erat ex- «
pectanda cẽſura, vt nihil ipſe priùs decer- «
neres, quàm quid nobis placeret agnoſce- «
res. Quod nos quoque de Rothado vobis
non irrationabiliùs dicere poſſumus: quia
dum octo fere annos ventilauetitis, nec
ratio vobis, nec neceſſitas fuit, in id quod
menſuram veſtram excederet deuiandi.
Sed etiamſi quid graue, intolerandúm-
que committeret, noſtra erat expectanda
cenſura, vt nihil priùs decerneretis, quàm
quid nobis placeret agnoſceretis. Sed di-
citis iudicia Epiſcoporum non eſſe ma-
iora negotia, nec difficiliores cauſarum
exitus. At nos horum merito iudicia ma-
iora negotia dicimus, & difficiliores cau-
ſarum exitus iudicamus. qui quanto gra-
dus ſunt præcipui, & in Eccleſia Chriſti
ſublimiores, tanto, cùm de horum ſtatu
vel caſu agitur, maiora negotia & diffici-
liores cauſarum exitus agitari, vel haberi
creduntur. Ipſi quippe primi in Eccleſia,
ipſi arundinem tenentes metiuntur ſan-
ctam Hieruſalem, ipſi fabricæ Dei præ-
ſunt, ipſi ſpeculatores ciuitatis Dei ſunt,
ipſi arietes, ipſi paſtores gregis Dominici,
ipſi columnæ domus ſummi regis exiſtũt.
An maiora negotia cauſas inferiorum cle-
ricorum eſſe conicitis, vt horum cauſas
nobis, & Epiſcoporum vobis negotia tri-
buatis? Quamuis & inferioris gradus cle-
ricorum cauſas apud nos, cùm tempus vel
res exegerit, eſſe finiendas, è diuerſo pro-
culdubio colligamus, ſicut B. Papa dicit Epiſt. ad Victricium.
Innocentius. Si quæ autem cauſę vel con- «
tentiones inter clericos tam ſuperioris or- «
dinis, quàm inferioris etiam fuerint exor- «
tæ, vt ſecũdum Synodum Nicænam con- «
gregatis eiuſdem prouinciæ Epiſcopis iur- «
gium terminetur: nec alicui liceat, ſine «
præiudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, re- «
lictis his ſacerdotibus, qui in eadem pro- «
uincia Dei Eccleſiam nutu diuino guber- «
nant, ad alias conuolare prouincias. An «
maiora negotia Metropolitanorum tan-
tum eſſe fatemini? Sed audite rurſus, quid

de Epiſcopis ſanctus aſſeueret Leo. Quibus, inquiens, etſi dignitas communis eſt, ordo tamen generalis eſt, & reuera vnus de ſeptem Eccleſiæ gradibus eſt, Metropolitanorum ſcilicet & reliquorum Epiſcoporum ordo. Et quod dicit Apoſtolus, oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, nõ video minus Metropolitanis, quàm ceteris Epiſcopis conuenire. Niſi fortè Epiſcopatu ſe priuet, quiſquis Metropolitanorum ad ſe hoc Apoſtoli dictum non æſtimet pertinere. Vnde nos non minoris numeri, nec alterius famæ accuſatores, teſtes, vel iudices quærimus in negotiis Epiſcoporum, quàm exigimus in cauſis Metropolitanorum. Vnde tam illorum, quàm iſtorum negotiorum nobis exitus reſeruari meritò volumus, & iure decreuimus. Totius enim Eccleſiæ, Deo auctore, generaliter ſollicitudinem gerimus, & omnium vtique qui Eccleſiam faciunt cura conſtringimur, atque omnium quorum nos maxima cura expectat, noſtrum præcipuè debent promereri iudicium: ſicut Innocentius ad Alexandrum ſcribens Antiochenum, non ſcilicet ſolùm Metropolitanorum, ſed & omnium omnino ſacerdotum, quinimmo vniuerſorum, qui ſe de ouibus principaliter diuinitus Petro commendatis eſſe non neſciunt: id eſt, non ſolùm cunctorum, qui de illorum numero ſunt, de quibus Dominus principi Apoſtolorum dixit: *Tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*, ſed etiam qui de his piſcibus ſunt, qui intra rete, quod ab ipſo ad litus trahi ſpecialiter iuſſum, eſſe ſe recognoſcunt. Adhuc tamen percontari propter contentioſos libet, quænam iudicia, vel quorum eſſe maiora negotia prædicatis, ſi Epiſcoporum cauſas non inter præcipua computatis negotia? An laicorum & vulgarium populorum iudicia inter maiora negotia ponitis, quos pene quotidie cum veſtris, & ſine veſtris epiſtolis, ad diſcutiendos & iudicandos ſuſcipimus, & diſcuſſos, vel iudicatos, vel abſolutos dimittimus? Denique aut ſæcularium iudicia inter maiora, & Epiſcoporum inter minora negotia collocabitis, & vobis Epiſcoporum, nobis laicorum iudicia reſeruabitis: aut certè, ſi Epiſcoporum iudicia ſunt maiora negotia, iuxta Leonem liberum vobis eſſe debuit, hæc ſub noſtræ ſententiæ expectatione ſuſpendere. aut ſi perſona iudicandi tale aliquid mereretur, expectandum vobis fuerat quid ad veſtra conſulta reſcriberem. Abſurdum eſt enim, vt laicos quoſque & minimos, qui ſunt in Eccleſiis veſtris, noſtro mittatis iudicandos, & addatis quotidiano labori, & Epiſcoporum, qui præcipua Eccleſiæ membra ſunt, veſtræ ſubdatis deliberationis arbitrio. His verò tandem omiſſis, Deo duce, ſcitote nos, quod temeritate magiſtra perperam à vobis commiſſum eſt, & quod inconſultis nobis in Rothado fratre & Coepiſcopo noſtro præpropere perpetraſtis, (etiamſi numquam ſedem Apoſtolicam appellaſſet) Dei auctoritate, & beatiſſimorum Petri ac Pauli principum Apoſtolorum, ſeu omnium deceſſorum meorum, necnon & ſanctorum trecentorum decem & octo patrum, qui apud Nicæam ſub Conſtantino pio principe conuenerunt, penitus euacuantes, & in irritum ducentes, præfatum Rothadum priſtino gradui, priſtinæ dignitati, priſtino rediddiſſe prorſus honori: ita vt diuina myſteria conficiendi priorem facultatem adeptus, omníque ſacerdotali reſtitutus officio, ſine cuiuſlibet contradictione, propriæ receptæ libere præſit Eccleſiæ, à qua inconſultis nobis expulſus eſt. Denique cùm ante biennium ſcriptis & verbis inſtanter egiſſemus, vt idem Rothadus, aut propriæ redderetur Eccleſiæ, aut certè Romam cum vicariis veſtris, & ipſius accuſatoribus, ad examinandum & iudicandum nobis deſtinaretis, & nihil apud vos impetrare potuiſſemus, dum modò hoc, modò illud ad excuſandas excuſationes in peccatis obiiceretis: tandem aliquando, Deo inſpirante, & Nicænæ nobis Synodi decreto ſuffragante, quo inter cetera præcipitur, vt ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſiis, rarum duximus, iam fatum Rothadum, memores ſcilicet priuilegiorum Apoſtolicæ ſedis, à vinculis quibus illum, ne vteretur officio, nec ſuæ præeſſet Eccleſiæ, colligaſtis, quia nos non cenſuimus, abſoluendum. Neque enim tam ſtolidus, támve poterit traditionis tramite deuius inueniri, qui ceteris Eccleſiis priuilegia ſeruari, & ſoli Romanæ Eccleſiæ adimi debere perhibeat, quæ omnium Eccleſiarum magiſtra, mater, & caput eſt. Si quis autem tacita fortè, quia non audet aperta muſitatione fateri, Romanæ huiuſcemodi Eccleſiæ priuilegia non fuiſſe, quibus ſedes Apoſtolica aliorum ligata præſulum facultatem habuerit diſſoluendi, præter quòd priſca rerum probatione, & nonnullarum recitatione ſcripturarum conuincitur, teſtis eſt beatus Gelaſius, quem idcirco ad teſtimoniũ ſuper his perhibendum produximus, quia

Epiſt. 10.

Luc. 22. 32.

honc non ſolùm vita & doctrina plurimùm commendat, verùm etiam rem, de qua agitur, in paucis adſtruit & oſtendit. nobis videlicet breui ſermone propinans, quod de multorum voluminum fontibus hauſit. Scribens enim Epiſcopis per Dardaniam conſtitutis, inter cetera: Nec pla-
Epiſt. xx. » nè, ait, tacemus, quod cuncta per mun-
» dum nouit Eccleſia: quoniam quorum-
» libet ſententiis ligata pontificum ſedes
» beati Petri Apoſtoli ius habeat reſoluen-
» di, vt pote quæ de omni Eccleſia fas habeat iudicandi. Item idem ad Epiſcopos Orientales, poſt quingentos inquit annos conſtituta Chriſti eos velle ſubuertere, cùm xxx. annorum lex hominum non poſſit abrumpi. S Athanaſium ideo non damnatum à Synodo Orientis, quia ſedes iſta non conſenſerit, vel S. Ioannem Conſtantinopolitanum, vel S. Flauianum. Si ergo hac non conſentiente ſola, ij damnari à Synodo Orientis, non potuerunt eſſe damnati; conſequens eſt etiam, qui eadem ſola damnante, ſine Synodo damnatus fuerit, damnatus ſit. In quo inter cetera notandum eſt, quia ſi hos, qui poſt quingentos annos ſtatuta Chriſti tentabant ſubuertere, tanta vir ſanctus increpatione redarguit, cùm xxx. annorum lex hominum non poſſit abrumpi; quanto magis exprobrandi ſunt, qui ea etiam poſt octingentos, & eo amplius, annos nituntur euellere? Quæ verò ſtatuta Chriſti dixerit, inferiùs declarauit, cùm ſola ſede Apoſtolica non conſentiente neminem poſſe damnari, & ſola ea conſentiente, qui damnatus fuerat, damnatum haberi expoſuit. Statuta itaque Chriſti dixit poſt quingentos annos ſubuertere; quia iam quinquies centum circiter anni præterierant, quando venerabilis Papa dixit ſedem Apoſtolicam hæc ſtatuta Chriſti promeruiſſe. Priuilegia enim ſua à Chriſto Eccleſia Romana per Petrum conſecuta eſt, & ipſa ſunt ſtatuta Chriſti: quæ quidam tunc poſt quingentos, nunc poſt octingentos annos exinanire conantur. Eccleſiæ inquam Romanæ adeo ſunt antiqua & vetera priuilegia, vt Nicæna Synodus, ſicut Bonifacius præſul Apoſtolicus Epiſcopis per Theſſaliam conſtitutis ſcribens ait, non aliquid ſuper eam auſa ſit conſtituere, cùm videretur nihil ſupra meritum ſuum poſſe conferri. Omnia denique nouerat huic Domini ſermone conceſſa. Si omnia, ergo & Epiſcoporum iudicia. Perhibente autem B. Bonifacio, quod Nicæna Synodus ſuper eam, haud dubium quin Romanam Eccleſiam, non auſa ſit aliqua conſtituere, cùm videret nihil ſupra meritum ſuum poſſe conferri, omnia denique huic nouerat Domini ſermone conceſſa: & obiurgante S. Gelaſio eos, qui conſtituta Chriſti volebant ſubuertere, cùm priuilegia Romanæ ſedis moliebantur infringere: manifeſtè datur intelligi, eadem eſſe conſtituta Chriſti, quæ ſunt omnia illa, quæ huic Eccleſiæ Synodus Nicæna nouerat Domini ſermone conceſſa. A tempore quippe quo Synodus Nicæna fuerat conſummata, nondum quingenti vſque ad Gelaſium anni tranſierant, vt de Nicænæ Synodi ſtatutis tantus vir dixiſſe videatur, eos poſt quingentos annos ſtatuta Chriſti velle ſubuertere. Reſtat ergo, vt illius temporis mentionem fecerit, à quo quingentorum circiter annorum curricula vſque ad ſe deuoluta poterant comprehendi. Chriſtus enim priuilegia conſtituta in Petro diſpoſita vel firmata Romanæ contulit Eccleſiæ, ſuper quam nihil Synodus quælibet auſa eſt meritò conſtituere, cùm ſciat omnia illi Domini ſermone conceſſa. Diſpenſationem quippe redemptionis humani generis ante tempora ſæcularia Dominus omnipotens penes ſe ordinatam cuſtodiens, & tẽpore carnis oſtendens, aſcenſurus ad cælos, in Apoſtoli Petri, per quem & Apoſtolatus & Epiſcopatus ſumpſit exordium, confeſſione curáque præcipuè collocauit. qui tunc per ſe, & deinceps per ſuę ſollicitudinis heredes, circa humanum genus, quæ ſibi Dominus commendauit, non deſtitit exhibere. Hęc enim ille, hæc ſucceſſores eius ex tunc agere non omittunt, modò verbis, modò decretorum ſuorum epiſtolis ab vrbe Romana diuerſis temporibus datis, commiſſarum ſibi ouium prouidentiam principaliter exercentes. Itaque Rothadum Epiſcopum, de quo hactenus noſtris contempſiſtis obedire mandatis, tandem à nobis immo à Deo, priſtino gradui reſtitutum benignè ſuſcipite. quia ille Euangelicus filius rediens, non ſolùm ſuſcipi meruit, ſed & dignus paternis complexibus inuenitur, & anulum fidei recipit, & ſtola circumdatur, per quam quid aliud, quàm ſacerdotij declarantur inſignia? Nec probabilis extitit apud patrẽ ſenior filius, quòd inuidit recepto? nec tantùm meriti habuit penes patrem perſeuerando, quantũ noxæ contraxit non recipiendo germanum. Ergo ſuſcipite illum vt fratrem, ſuſcipite, inquam, illum vt mea viſcera. Sollicitos autem vos pro ſalute libenter audio: contra

caput etiam ſi faciendum eſt, non libenter admitto. Cui manus porrigenda eſt, vobiſcum porrigo: cui porrigo, mecum porrigite. Si cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego, etſi quid donaui propter vos, in perſona Chriſti, vt non poſſideamur à ſatana. Non enim ignoramus verſutias eius, qui ſuper diſceſſione, lætatur. Apoſtoli verò declaratæ benignitatis verba ſunt, ſicut ea viri beatiſſimi Apoſtolicæ ſedis præſules, Innocentius & Bonifacius, ſapientiſſimè replicarũt. Porrò quiſquis contra hoc noſtri Apoſtolatus decretum, poſt notitiam eius ſe efferens, ſæpefato Rothado Epiſcopo, ad recipiendam & regendam Sueſſonicæ vrbis Eccleſiam, aliquod palàm vel occultè præpatauerit offendiculum, vel ſi perſonæ ipſius quoquomodo inſidiatus extiterit; quinimmo ſi quis veſtrûm ad Eccleſiam recipiendam illi, tanquam frater fratri, adiutorium non præſtiterit, vtpote qui videt fratrem ſuum neceſſitatem habere, & claudit viſcera ſua ab eo, & veluti is in quo caritas Dei non manet, ab ipſa caritate quæ Deus eſt, & à corpore & ſanguine Chriſti, & à nobis qui membra illius ſumus, habeatur omnimodis alienus. Porrò ne iuſtitiam regere noſtræ tantùm videamur voluntaris arbitrio, ac per hoc æſtimemur canonicis legibus contraire, ſancimus atque decernimus, quatenus ſæpedictus Rothadus, venerabilis Epiſcopus, paratus ſit omni regulariter poſcenti de ſe, quia Deo propitio nulli parti fauere volumus contra iuſtitiam, coram ſedis Apoſtolicæ præſule reddere rationem. Ita dumtaxat, vt ſecundum maiorum diffinitiones, antè omnia, quę prius poſſederat integro iure recipiat: adeò vt talis ſit in omnibus, qualis ante ſenteriam contra ſe prolatam fuiſſe dignoſcitur. Sicque demum, Eccleſia recepta, & Epiſcopatu libera ſecuritate poſſeſſo, proximis & amicis, rebus, & ipſis reſumptis viribus, veſtitus quoque, & ſpiritalibus armis tectus, accuſatoribus reſpondeat ſuis, & vnde impetitur, pleniſſima ſtudeat hos qui foris atque intus ſunt, ſatisfactione certificare.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XLVIII.

Ad clerum & plebem Sueſſionicam.

Vt reſtitutum ſibi Rothadum Epiſcopum omni affectu excipiant.

CLERO ET PLEBI CONSISTENTI SVESSIONI.

Epiſt. 43. SICVT piorum parentum eſt, de orbitate natorum acri valde lamentatione lugere: ita deuotorum filiorum proprium eſt, de patris amiſſione vehementi mœrore affici, & ardore valido cruciari: ac per hoc contra naturam quodammodo agitur, ſi vna pars ſine alterius partis ſocietate anxietur & doleat. Sed in hoc vos, cariſſimi filij, ſicut de vobis frequens narrat opinio, nequaquam Deo gratias frigidi, nequaquam extitiſtis ingrati. Denique nullus dubitat quas deuotio veſtra, proptio deſtituta præſidio, ipſa quantum ad hominem pertinet orphana remanens, varias & multiplices calamitates pertulerit. Sed ille qui fidelibus diſcipulis dixit: *Non* Ioan. 14. 18. *relinquam vos orphanos*, non ſolùm præſenti ſua maieſtate protexit, ſed etiam propitia, quo deſolati & deſtituti eratis, pro ſua redonauit pietate rectorem: nobis ſcilicet, qui in eo viuimus, mouemur, & ſumus, ad eum vobis reddendum nutu ſuæ miſerationis interius imperans, & competenter erudiens. Ecce enim venerabilem virum Rothadum, fratrem noſtrum, & Coepiſcopum noſtrum, veſtrum autem patrem, paſtorem, atque magiſtrum, cuius longa iam eruditione inſtructi, cuius olim ſacri verbi pane refecti, eius diuturnis laboribus & vigiliis circumſepti, cuius magiſterio & doctrina Deo eſtis auctore refecti, prioris infulis ſacerdotij, & priſtinis redintegratum honoribus, ac omnibus epiſcopatus officiis reſtauratum, veſtræ alacri deuotioni & piæ dilectioni remiſimus. Habetis præterea in hoc beatæ recordationis Athanaſij prudentiſſimi ſacerdotis exemplum: cuius tolerantia cui non conſolationi ſit? cui non ſpem faciat eius inexpectata reuerſio? Eiicitur Ario perſequente, ſed reuocandus Domino proſequente. Paſſus eſt carcerem, paſſus eſt anguſtias. nec mirum, ſi vir Apoſtolicus ea paſſus eſt, quibus ſe Apoſtolus gloriatur exercitatum. In his tamen omnibus

» nibus ſecutus eſt illum, qui ſibi in tribulationibus ſe placere teſtatur, fugatus illinc, & in noſtris partibus roboratus eſt. Denique hîc ei redintegratus ſtatus eſt, & in hac ſede requiem communionis inuenit, à qua ſemper catholicis ſubuenitur.

Epiſt 4. ad Conſtantinopolitanos.

Sancti autem Papæ Cæleſtini verba ſunt hæc, quæ nos Rothado poſſimus non inconuenienter aptare, præter quod ille reuerendi Athanaſij, & blaſphemi Arij mentionem fecit: in præſentiarum verò Hincmarus proſequens, & Rothadus innocens in cauſa ſunt. Gaudete itaque, fratres in Domino, & iterum dico gaudete: modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Exultate filij cariſſimi, & de reddito vobis patre, Deo immenſas gratias perſoluite. Lætamini oues Dominicæ, ac pro reſtituto paſtore, ſummo paſtori laudum officia canite. Congregamini filij excelſi, exite obuiam ei, tripudiantes cum hymnis & pſalmis, & canticis ſpiritualibus, altiſona Domino præconia cōcinentes, illum ſuſcipite cum honore, adite eum cum hilaritate, obedite ei ſicut patri reuerentiſſimo, ſicut magiſtro, & in omnibus circa eum vt deuotiſſimos vos quietiſſimóſque filios exhibete: ſcientes diuinum præſidium proculdubio non ei defuturum, & quamdiu ſpiraculum omnipotentis erit, & halitus vitæ ſpirabit in naribus meis, ſolatium noſtrum in ſuis opportunitatibus adfuturum. Qua de re rurſus Apoſtolatus noſtri præceptione veſtræ vnanimitati iubemus, quatenus taliter agere veſtra ſatagat induſtria, vt in nullo ſine affectione circa iam ſatum virum & Epiſcopum veſtrum reperiamini: ſed ita noſtris pro eò monitis pareatis, vt animaduerſio, quæ de contemptu noſtri oriri poterat, in retributionem iuſtæ mercedis concedente Domino conuertatur.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XLIX.

Ad Rothadum Epiſcopum Sueſſionenſem.

Quòd illum ita reſtituat, vt paratum deinceps eſſe velit aduerſariis reſpondere, ſi quid conentur obijcere.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo Rothado Epiſcopo ſanctæ Eccleſiæ Sueſſonicæ.

Epiſt. 44.

DECESSORVM exempla meorum imitans, mirabiliúmque virtutum eorum flagrantiam ſequens, oportet omnibus largiri me huius Eccleſiæ, quę mater eſt omnium Dei Eccleſiarum, pietatis vbera præparare, vtque vniuerſis vndique ad eam confluentibus, tamquam fidelem & prudentē ſummi patrisfamiliâs ſeruum, apertum eius exhibere miſericordiæ gremium. Et ideo, quia conſtat ſanctitatem tuam Metropolitano tuo, & quibuſdam eius ſequacibus te impetentibus, nobis inconſultis gradus tui iacturam ſuſtinuiſſe, & Eccleſia propria caruiſſe; ac deinde nobis etiam decernentibus hanc minimè hactenus recepiſſe, & iuxta quod iuſſeramus, nullam tuæ dilectionis reſtitutionem habere: Nos hanc depoſitionem, vt pote quæ ſine vlla noſtra ratione irregulariter eſt effecta, depoſitionem nec fuiſſe, nec eſſe deliberamus, cùm etiam nec fuerit dies, qua & abſentem, & præſentem, non inter Epiſcopos habuerimus, ſcripſerimus, & coluerimus. Et ideo auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium deceſſorum meorum ſedis Apoſtolicæ præſulum, priſtino gradui, ac priſtinæ reformamus Eccleſiæ: ita vt quicumque tibi ad recipiendam Eccleſiam olim tibi commiſſam, vel ad Epiſcopale miniſterium peragendum, aliquatenus impedierit, donec acquieſcat, & tibi obſiſtendi conatum deponat, à ſacroſanctis myſteriis, & ab Eccleſiæ ſit ingreſſu remotus, atque ab omni communione fideliū ſequeſtratus. Quia quem præſentialiter nemo accuſat, nos inter dānatos habere nec poſſumus, nec debemus. Præcipuè cùm damnatores tuos, vel vicarios eorum, frequentibus Apoſtolatus noſtri vocauerimus apicibus, & nullum ipſorum te accuſantium videre penitus quiuerimus: ſed tantùm quidam præſens poſitus, & alij ſcriptis ſuis nobis ſignificauerunt, quòd nulla te accuſatione impetere voluiſſent, ſed nec etiamſi ſecundum iuſſionem noſtram venire potuiſſent, aduerſus ſanctitatem tuam accuſationes aliquas attuliſſent. Et proinde, quia per tot cur-

ticula temporum, ſufficientibus datis induciis, nullus ad tui accuſationem acceſſit, præcipuè cùm tu ad reddendam rationem paratus ſemper extiteris, nos te nec damnare poſſumus, nec inter damnatos relinquimus. Reſumat ergo venerabilitas tua officium olim commiſſum, fruatur beneficio diuinitus ſibi collato, vtatur Epiſcopali miniſterio, priſtina dignitate reſumpta recipiat Eccleſiam, quam tibi Dominus commendauit, & quam tu quoque bonis initiis percepiſti, & veraci ac multiplici fama teſtimonium tibi dante, dignis ſucceſſibus adornaſti: ita vt ſine quacumque & cuiuſcumque contradictione, vel impedimento, talis habearis in omnibus, qualis ante prolatam in te excommunicationis & depoſitionis ſententiam extitiſſe agnoſceris. Sanè ne iuſtitiam regere noſtræ tantùm videamur voluntatis arbitrio, ac per hoc æſtimemur Eccleſiaſticis legibus obuiare, ſancimus vt ſanctitas tua, priùs receptis omnibus, quæ antè poſſediſſe dignoſcitur, & Eccleſiæ poteſtate fruens, & per aliquod tempus inoffenſè gubernans, reſumptis viribus, & ſibi ablatis omnibus redintegraris, ſic demum, ſi qui ſunt qui tibi aliquid conentur obiicere, fortis iam & valida cum ipſis diſceptationis luctamina aggrediatur; & iuxta quod ratio dictat, & ſacræ præcipiunt ſanctiones, veſtitus cum veſtito, & armatus cum armato, Eccleſiaſtico more, tempore à nobis prænordinãdo, coram ſedis Apoſtolicæ præſule, contra tuos aduerſarios conflictum ineas, quicquid regulariter diffinitũ fuerit, proculdubio ſuſcepturus. Quia verò de ſanctæ Eccleſiæ Sueſſonicæ, vel de ſibi competentium diuerſorum locorum rebus, multi multa detraxiſſe, ac diuerſo modo hactenus illis frui dicuntur: ſancimus atque decernimus, vt poſt ſecundam & tertiam conuentionem & admonitionem ſanctitatis tuæ, quiſquis res præfatæ Eccleſiæ, quibus tu aliquando ad vſum vel ſuſtentationem illic ſeruientium, vel tibi obſequentium, fruitus fuiſſe dignoſceris, retinere, & ſibi vlteriùs abſque voto tuo vendicare tentauerit, & illas qualeſcumque, & vbicumque, & quantæcumque fuerint poſſidendas prædictæ Eccleſiæ Sueſſonicæ minimè dimiſerit, tamquam ſacrilegus anathematis reus vinctus, ab Eccleſiæ gremio, atque ſacro corpore, & pretioſo Domini noſtri IESV Chriſti ſanguine, donec præſenti decreto noſtro acquieuerit, habeatur omnibus modis alienus, & tamquam violentus inuaſor atque tyrannus, ſit Chriſtianorum communione priuatus: ita vt qui huiuſmodi in communione ſuſceperit, ſimili pœna teneatur adſtrictus. Scripta per manum Petri notarij regionarij, & ſcriniarij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Ianuarij, Indictione XIII. Bene vale in nomine Domini.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA L.

Ad Carolum Caluum regem.

Hortatur ad pacem cum Ludouico Imp. nepote ſuo retinendam, & vt Arſenio, quem legatum in Galliam mittit, fidem habeat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Carolo glorioſo regi.

Epiſt. 15. INITIVM locutionis meæ, quam ad vos nunc habeo, chariſſime, ecce cum Apoſtolo Paulo ſumit exordium, & vox mea vox illius eſt, dicẽs:
Galat. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Quo autem modo Chriſtus formari meliùs in cordibus veſtris poterit, quàm ſi euulſis ex præcordiis veſtris odiorum & ſimultatum vepribus, pacem in viſceribus veſtris cõcipiatis quæ Chriſtus eſt, ſicut per eumdem Apoſto-
Epheſ. 2. 14. lum de eo dicitur: *Ipſe eſt pax veſtra, qui fecit vtraque vnum*, & caritatem in inuicem obſeruetis, quæ Deus eſt, veluti à Ioanne deſcribitur, *Deus caritas eſt.* Nulli 1. Ioan. 4. 8.
ergo dubium eſt, quòd qui caritatem & pacem in ſe non habet, Chriſtum Dominum Deum noſtrum, qui per hæc vocabula deſignatur, è corde ſuo proiecerit, & quaſi conformatum ex intimis vteri ſui pepulerit. Quamobrem neceſſe eſt, vt ſicut ſancta mater Eccleſia, cui mea humilitas per abundantiam diuinæ miſerationis præeſt, vt habitaret Chriſtus per fidem in cordibus veſtris, olim vos per Euange-

lium genuit: ita quoque, vt per miniſterium Apoſtolatus mei in præcordiis veſtris per pacem & dilectionem idem formetur Chriſtus, nunc vos iterum parturiens gignat, & vt in virum perfectum occurratis informet. Quomodo autem Chriſtus in vobis formari poteſt, qui in ſciſſis mentibus non habitat? qui totus eſt pax, totus iuſtitia, totus eſt veritas? vel in vobis quomodo formatur, qui licet in pectore veſtro per fidem ſuam ſolidus & integer habitet, per diſcordiam tamen minùs in vobis perfectus, & velut informis habetur? Concipite itaque filij pacem, parturite iuſtitiam, & alternam amplectimini caritatem. Audite quid dicat Apoſtolus, *Pacem ſequimini cum omnibus.* & rurſus, *Quod*, inquit, *ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Vnde intimo mentis intuitu, & ſumma eſt diligẽtia perpendendũ, quoniam ſi tantus Apoſtolus cum omnibus hominibus pacem ſequi, & cum omnibus pacem habere cõmonuit, quanto potiùs, quantóque ſalubriùs cum his ſequenda, & cum illis habenda eſt pax, quibus cõſanguinitate propinquiores, & materia carnis proximiores, ac iuramento ſeruandæ vicariæ pacis connexi arctiùs eſſe ferimini. Qua de re nunc mihi ſermo eſt, & ad regium culmen veſtrum meum tendit eloquium: ad ea videlicet vos diligens, per quæ non ſolùm terrena regna debito iure poſſidendo, dies veſtros in quiete maxima tranſearis: verùm etiam beatitudinis hereditatem capeſſentes filiorum quoque Dei vocabula ſortiamini. Scriptum quippe eſt: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Igitur memores eſtote, filij dilecti, memores eſtote nominis Domini Dei noſtri, cuius mentionem coram nonnullis teſtibus facientes, terribili eſtis alternam pacem inuicem pacto polliciti, & pertimeſcentes tantum nomen in vanum accipere, reddite Domino iuramenta veſtra. Fœdus, quod ad alterutrum pepigiſtis, inuiolabili maneat apud vos veritate repoſitum, & immaculatè vigeat veſtra ſublimitas, inſignia fidei cunctis circumquaque nationibus repræſentans. Parcite gladio, & humanum fundere ſanguinem formidoloſiùs exhorreſcite. Ceſſet ira, ſedentur odia, ſopiantur iurgia, & omnis ex vobis ſimultas radicitus extirpetur. Vnuſquiſque veſtrûm ſua ſit ſorte contentus, & funiculo hereditatis diuinitus ſibi collato pacificè perfruatur, aliena iura non inuadens, non ſubtrahens, non conturbans. Liceat dilectiſſimo filio noſtro, veſtro autem nepoti, à Deo conſeruandum imperium ſuum, cum regno proprij germani, quieta poſſidere trãquillitate, & ſtatui eius ſumma ſecuritate conſulere, & gubernacula ditione debita moderari: ad ſalutem videlicet, ac defenſionem populi Chriſtiani, & ad ſanctæ matris ſuæ, Romanæ ſcilicet inſignis Eccleſiæ, libertatem & ſublimitatem. Non autem in vobis vanæ gloriæ typhus, non ſupercilij faſtus, non alterius vſurpandi terminos ambitio, ſed iuſtitia, caritas, & concordia regnet, ac ſummum pax inter vos teneat omnino faſtigium. Sanè cùm pro concordia ſcribimus, cùm pacem prædicamus, de ea nos cõcordia, vel pace, non opinemini agere, quam ſolet mundus diligere, ac reprobi ad inuicem obſeruare. Denique illi, vt liberiùs & audaciùs poſſint mala perpetrare quæ cupiunt, & plures ac validiores ad quæ geſtiunt reperire, vnanimitatem ſtudent, & pacem inter ſe irrefragabiliter & intermiſſè tenere. Quam Dominus ſciens, & hanc à ſua pace ſecernens, dilectoribus ſuis aiebat: *Pacem*, inquiens, *relinquo vobis: pacem meam do vobis.* meam, inquit, non dilectorum mundi. Vnde aptè ſubdidit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Quod qualiter accipiendum ſit, ſanctus Auguſtinus ſalubriter & luculenter exponit. Cetera verò quæ, ne modum excederemus epiſtolarem, huic paginæ inſerenda non duximus, Arſenio reuerentiſſimo & ſanctiſſimo Epiſcopo, apocriſiario & miſſo Apoſtolicæ ſedis, & conſiliario noſtro, defecatiſſimè proſequẽda non indecenter, vt credimus, ſcriptis & dictis iniunximus. Cui benefaciet gloria veſtra in cunctis attendens, & in his quæ ſibi, ex noſtri Apoſtolatus auctoritate, de pace ſanctæ Eccleſiæ perhibuerit, non immeritò credula vel inambigua, fidem certam accommodans. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat, dilectiſſime fili.

Marginal references: Hebr. 12. 14. (Pacem ſequimini); Rom. 12. 18. (Quod, inquit); Matth. 5. 9. (Scriptum quippe eſt); Ioan. 14. 27. (Pacem, inquiens)

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LI.

Ad Epiſcopos in regno Caroli conſtitutos.

Quòd pacis ſtudio Arſenium legatum mittat: proinde regem ad eam cum Ludouico Aug. nepote ſuo conſeruandam hortentur.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, omnibus reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, Archiepiſcopis & Epiſcopis in regno Caroli glorioſi regis conſtitutis.

Epiſt.16. STVDIVM noſtrum ſemper
fuit, & eſt, fratres dilectiſſi-
mi, vt pro ædificando mutuæ
caritatis & pacis bono, non
ſolùm his qui propè, ſed &
his qui longè ſunt, officij noſtri vellemus
iugem, & impigrum extendere famulatũ,
ad id quoque inter cetera, quæ ſuggeſtio-
nibus veſtris inter vos à nobis diſponenda
crebriùs exegiſtis, hortatu veſtro pluri-
mùm inuitati. Sed innumeris vndique
Chriſti Domini noſtri Eccleſiæ, cuius
principaliter curam gerimus, laboribus
impediti, hæc vt optabamus hactenus
agere profectò nequiuimus. At nunc poſt-
quam toties, vt ita dicamus, ille vir Mace-
Act.16.9. do, qui olim apparuit Paulo, *Tranſi & ad-
iuua nos* per pias nobis ſanctitatis veſtræ
voces exclamauit, & noſtro Apoſtolatui
oſtium, per gratas Deo veſtras, vt credi-
mus, orationes, ſicut ipſi egregio tunc
Apoſtolo, tandem apertum eſt; nihil de-
ſidiæ, nil tanto volumus operi tarditatis
afferre: ſed potiùs cœptis aliis negotiis
Eccleſiaſticis & pernéceſſariis parumper
omiſſis, rogabimus quæ ad pacem ſunt
Hieruſalem: illius ſcilicet, quæ partim in
cælo iam cum ſponſo regnat, partim ad-
huc in terris incolatur & premitur. qua-
tenus concordiæ ac dilectionis funda-
mentis in ædificatione ipſius poſitis, fiat
etiam conſequenter pax in virtute illius,
& abundantia in turribus eius. Huius rei
gràtia præſentia fraternitati veſtræ ſcripta
direximus: quibus admoniti, ſicut boni
commilitones, & quaſi Dominicæ vineæ
cultores, vitia nobiſcum expugnate, vir-
tutum chariſmata prædicate, diſcordiam
deſtruite, vnanimitatem ædificate, odia
exſtirpate, caritatem plantare, rixas diſſi-
pate, pacem euangelizate. Haud talem,
quod abſit, vnanimitatem vel pacem, qua-
li Iudæorum vſa eſt in Domini ſaluatoris
nece conſpirans factioſa caterua, vel He-
rodes & Pilatus ex inimicis eodem tem-
pore ad inuicem pepigerunt. Sed talem,
qualem audierunt paſtores cæleſtem mi-
litiam in natiuitate noſtri Saluatoris ca-
nere, cùm diceret: *Gloria in excelſis Deo, &* Luc.2.14.
in terra pax hominibus bonæ voluntatis. In-
tonans enim, *pax hominibus*, ſubintulit, *bo-
næ voluntatis*, vt maliuolæ voluntatis ho-
mines à pace huiuſcemodi ſequeſtraret.
Nam peruerſi quique, quo pacatiores
ſunt inuicem, eo proculdubio ad agen-
dum perperam validiores exiſtunt. Vnde
& Apoſtolus, non ſolùm *euangelizantium* Rom.10.15.
bona ſpecioſos pedes admiratur, ſed &
euangelizantium pacem addens, nulla bona
ſine pace, nec rurſus pacem ſine ceteris
bonis innuit fore ſequendam. Et aliàs pa- Hebr.12.14.
cem cum omnibus & ſanctimoniam ſe-
ctandam præcipit, ſine qua nemo videbit
Deum. Quas ita connectens, vnam ſine
altera minùs oſtendit eſſe proficuam. Ha-
bentes ergo, cariſſimi, dilectionem in vo-
bis, pacem ſequimini cum omnibus &
ſanctimoniam: non pacem, qua etiam
corui potiuntur in inuicẽ; ſed quam ſim-
plex, & à laniatu prorſus extorris, colum-
barum poſſidet miranda concordia. Non
ſolùm autem vos pax Dei, quæ exſuperat
omnem ſenſum, cuſtodiat: ſed & per vos
omnes, qui ſub veſtro moderantur regi-
mine, coadunet & vinciat. Præcipuè re-
gem veſtrum quantocius informare ſata-
gite ad ea, quæ illi ſcripſimus, & iuxta
quod eum inſtruximus: exhortantes vi-
delicet, vt memor ſit memoriæ diſtricti
iudicij, cuius nomen multis audientibus
nominans, iureiurãdo conſeruandam fra-
tribus, eorúmque liberis, inuiolabilem pa-
cem ſpopondit: & pertimeſcens tam tre-
mendum nomen in vanum aſſumere, red-
dat Domino iuramenta ſua, cui ſolùm vo-
ta vltro Domino promiſſa non reddere
impium eſt. Commonete itaque eum, vt
illud fœdus, quod cum fratribus pepigit,
perpetua veritate conſeruet, & id imma-
culatè cuſtodiens cunctis de ſe imitabile
præſtet exemplum. Parcat bello, & Chri-
ſti ſanguine ſanguinem emptum fun-

dere magnopere pethorreſcat. Scriptum quippe eſt : *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus.* Psal. 57. Vnde ſua ſit ſorte contentus, & funiculo hereditatis cælitus ſibi datæ pacificè perfruatur, aliena iura vſurpare non tentans, non ambiens. Ceſſet temeraria præſumptio, & auidi anhelitus medullitus comprimantur: maximè à finibus dilecti filij noſtri excellentiſſimi Auguſti, vel à metis regni vterini eius longè diſtantis. Permittatur ergo prælato pio Imperatori quietam ducere vitam atque tranquillam, & patruis ſuis nullam præſumptionem monſtrantibus, machæræ vſum quem primum à Petri principis Apoſtolorum vicario contra infideles accepit, non cogatur in Chriſti fideles conuertere. Liceat inquam ei regna ſibi per hereditarium ius deriuata, & Apoſtolicæ ſedis auctoritate firmata, & ſummi pontificis manu capiti ſuperpoſito diademate auguſtiſſimè decorata, cum ſuis fidelibus piè ac iuſtiſſimè gubernare. Sinatur omnino à Deo protectum imperium ſuum, quod cum benedictione, & ſacratiſſimi olei vnctione, ſedis Apoſtolicæ præſule miniſtrante percepit, ad exaltationem & quietem matris ſuæ, huius ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, licenter ac rectiſſimè moderari. Alioquin quiſquis contra huius noſtræ ſalutiferæ commonitionis paginam agere fortè præſumpſerit, & aduerſus iam fatum filium noſtrum Auguſtum referre tentauerit, nouerit ſibi & Deum omnipotentem, cuius imperium terminum neſcit, refragaturum, & Apoſtolatum noſtrum iuxta competens ſibi miniſterium proculdubio reluctaturum. Porrò ſcitote nos tam ad glorioſum regem veſtrum, quàm ad vos, Arſenium venerabilem virum, Hortēſem Epiſcopum, apocriſiarium & miſſum Apoſtolicæ ſedis, & dilectum conſiliarium noſtrum, cuius apud nos approbata eſt fides, & comperta deuotio, & vobis quoque perſona, vel eſt fortè non omnibus ignota prudentia, deſtinaſſe. Quem tanto debetis & vos, & admonitione veſtra filius noſter rex, benignè ſuſcipere, quanto ſcitis, quia pro cunctis laborat, dùm pro communibus Eccleſiæ negotiis, quæ omnium mater eſt, tantum faſtidium non recuſauit aſſumere: immo quanto portãdo pacem, Chriſtum, qui eſt pax vera, in ſe longè latéque geſtate dinoſcitur. Ad quem veſtra etiam ſanctitas iungi, & cùm ſibi quoquomodo aduentus illius innotuerit, accelerare non renuat: quatenus alterna viſione ac colloquio fruiti, quæ circa veram pacem ſunt, liquidiùs agnoſcatis. ita vt & vos legationis eius tenorem, & ille, quæ per tot curricula temporum anhelaſtis, euidentiùs comprehendat. Túmque demum, ſi quæ ſunt, quæ per ſe corrigere poſſit, auctoritate noſtra corrigat: reliqua verò, quæ fortè difficiliora ſunt, Apoſtolatui noſtro diffinienda reſeruet. Optamus fraternitatem & ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LII.

Ad Epiſcopos in regno Lotharij conſtitutos.

Vt Lotharium liberè arguant, & adulteram quam habet proijcere compellant.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimis & ſanctis confratribus noſtris, Archiepiſcopis in regno Hlotharij Eccleſiam Dei gubernantibus.

Append. epiſt. 11. SÆPE fratres cariſſimi Apoſtolatus noſtri pro cauſa (ſi tamen cauſa dicenda erit) regis Lotharij, ſed vtinam regis! ſolicitudinem cognouiſtis. Quippe & frequentia ſuper hoc negotio ſcripta noſtra vidiſtis, & in fautoribus ipſius tantum flagitium nos iam vindicaſſe manifeſtiſſimè noſtis. Sed proh dolor! nobis irremotis laboribus deſudantibus, vos licet ſcripto nobiſcum ſentire teneréque profiteamini, vtrum tamen laboretis, nécne, iam apud virum fatum, & ſi labor veſter aliquid penes illum proficiat, vel cuius culpa ſi non proficit impediatur, nihil nobis omnino ſignificaſtis. Quamobrem datur intelligi huiuſmodi taciturnitate ideo vos vſos, quoniam quidpiam vtilitatis, quod intimare valeatis, penitus non habetis. Quapropter obſecro vos per aduentum Domini noſtri

Iesv Chriſti, ante cuius conſpectum, vel pro legitimis certaminibus coronam, vel pro deſidia, quod abſit, pœnam percipietis, vt tandem aliquando recogitetis miniſterium quod accepiſtis, proiiciatis deſidiam, pellatis à vobis ſeruilem timorem, reſumatis Epiſcopalem libertatem, corripiatis ſpeculatorum & paſtorum officium, & precãdo, obſecrando, ſuadendo, modò caduca huius mũdi proſpera exponendo, modò in æternum manſura gaudia prædicando, iam nominatum regem frequentiùs adeatis, & tã ex auctoritate Dei, quàm etiam ex noſtri Apoſtolatus iniunctа vobis præceptione, quouſque, ſi non obedierit hanc quam nunc habet adulteram mulierem proiiciens, finitiuam permãſoriámque demus ſuper eam ſententiam, & exhortari eum, & admonere, omni torpore ac metu repulſo curetis, & ſegnitia vel tædio depoſito, quibus hactenus eratis depreſſi, hunc conſtanter arguere, & decenter corripere ſtudeatis; prænuntiantes pariter & quæ illi ventura ſunt, immo iam imminent, videlicet quia poſt noſtram, ac ſanctæ Eccleſiæ, in ipſum prolatam manifeſtam ſententiam, nulla cũ eo eritis communione potituri. Nam vt è diuerſo colligitur, noſtræ communionis cum mœcha ſibi ſociata, & fautoribus ſuis, ipſe iam dudum factus eſt exors: quod in epiſtola & commonitorio Radoaldo tunc Epiſcopo, & Ioanni dederamus Epiſcopo, legatione fungentibus in eumdem ipſum Hlotharium, liquidò poterit inueniri. Ergo, fratres, eſtote vt fortiſſimi milites, vt peruigiles paſtores, & venientem lupum à longè inſpicite, ac perituro imminentem gladium enuntiate. Eruite hunc virum, qui ducitur ad mortem, qui trahitur ad interitum liberare ne ceſſetis. Clamate, quaſi tuba exaltate voces veſtras, & annuntiate illi ſcelera ſua, quibus peccat, & peccare facit Iſraël. Quòd ſi ille non audierit, ipſe in iniquitate ſua morietur, ſanguis eius ſuper caput eius erit: vos autem animas veſtras liberabitis. Tantùm vt memores ſemper illius ſententiæ ſitis, quam vobis ex Apoſtolo memoriæ commendandam nunc Apoſtolatus noſter diffloratam annotat: *Si quis*, inquit, *non obedierit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate, vt non commiſceamini cum eo.* 2. Theſſ. 3. 14. Porrò hæc & cetera, quæ huic paginæ inſeruimus, Arſenio ſanctiſſimo Epiſcopo, apocriſiario & miſſo Apoſtolicæ ſedis, conſiliario noſtro, vobiſcum ſecundum voluntatem Dei exequenda commiſimus: cui & benignitatem veſtram monſtrare, & dignam reuerentiam pro amore beati Petri Apoſtoli, à cuius ſede profectus eſt, exhibere ſatagite. Optamus fraternitatem ſeu ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LIII.

Ad Ludouicum Germaniæ, & Carolum Caluum reges.

Reprehendit quòd Epiſcopos in vrbem ad Synodum non miſerint. Vt Lotharium de diuortio commonere pergant. De Epiſcopis in Colonienſi & Cameracenſi Eccleſia conſecrandis, & de Rothado Sueſſionenſi.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilectiſſimis filiis Ludouico & Carolo glorioſiſſimis regibus.

Epiſt. 17. CRedimvs ex Dei dono, filij cariſſimi, proceſſiſſe, quòd vnanimes effecti vos de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta iunxiſtis. Vnde fit, vt vno animo, & vno ore per vos glorificetur Deus & pater Domini noſtri Iesv Chriſti, & ad ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, regnique veſtri decus coniunctio veſtra proficiat & ſalutem. De epiſtolis autem noſtris, quas ſuſcipientes Archiepiſcopis & Epiſcopis regnorum veſtrorum, immo & Lotharij regni pariter Archiepiſcopis & Epiſcopis, ſecundum tenorem illarum dediſtis, grates excellentiæ veſtræ retulimus. Sed quia eos ad Synodum noſtram, & pro anguſtia temporis, & pro iniuria tranſitus, occurrere non valere dixiſtis, meritò durè tulimus, cùm tanta temporis anguſtia non immineret, vt ſaltem de vobiſcum conuerſantibus binos mittere nequiuiſſetis. præcipuè tu, fili mi Carole rex, qui regnum tuum per maximum ſpatium lon-

giùs, quàm fratris tui Ludouici dilecti filij noſtri glorioſi regis, ab hac ſancta ſede in Occidẽtalibus partibus ſecus mare Oceanum diſparari fateris. Non enim credibile poteſt exiſtere, vt adeo longiùs diſparetur regnum tuum, vt ſicut ſupra meminimus, vel binos vnius, aut duarum Metropoleon legatos omnium vices agentes dirigere

21.q.8 Reprehenſibile.

non valuiſſes. Reprehenſibile denique valde eſſe conſtat, quod ſubintuliſti, dicendo maiorẽ partem Epiſcoporum omnium die noctúque, cum aliis fidelibus tuis, contra piratas maritimos inuigilare, ob idque Epiſcopi impediantur venire: cùm militum Chriſti ſit Chriſto ſeruire, militum verò ſæculi, ſæculo; ſicut ſcri-

2.Tim.2.4.

ptum eſt: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Quòd ſi ſæculi milites ſæculari militiæ ſtudent, quid ad Epiſcopos & milites Chriſti, niſi vt vacent orationi? Sperabamus te, fili cariſſime, in talia non prorumpere, qui Deo gratias clarus in cunctis haberis. Aditus autem veniendi ad tantum negotium Antiſtitibus illis denegari non debuit. Et ſi fortè denegari vellent, quoquomodo, ſi monitis noſtris parere delegiſſent, aditus illis & tranſitus pateſieret. Si veniſſent collectis operariis, hoc vtique ne fieret melius corrigeremus. quia illis inde, & nobis hinc Deus in conuentu noſtrò medius tribueret, vt & noſtris & veſtris deinceps aditus denegari non poſſet. Nam nec de noſtris melius dicere poſſumus, nec peius de veſtris, quia quid nobis impediat longum eſt enarrare. Quòd ſi intercapedine temporis ad cluſas pro Deo aliquid toleraſſent, lucrum pro tentationibus & laboribus à Domino magnum reciperent. Sed quia occaſione tranſitus ſuffugiunt, nos licet coacti adhuc hæc grauamina ſuſtinebimus: vos tamen videbitis. Sed intelligi datur eos monitis noſtris non velle parere, propter illud quod in litteris veſtris ſubditur. Dicunt enim poſt aliquanta, vt Epiſcopos de regnis veſtris ad Synodum Romam mittendi neceſſitas non poſtulet. Vnde ſi vos fortaſſe aliter dicitis, nos illud dicimus, quod diuinitus reuelatur, quia cùm nouitatum mala multiplicari videamus, ſi ex diuerſis prouinciis fratres in inuicem conueniſſent iuxta priſcum morem, & nos conſenſu illorum, reuelante Domino, quæ decernenda ſunt decerneremus, & ipſi neceſſitates ſuas referentes, & nos noſtras exponentes, quæ decreta fuiſſent melius in omnium notitiam facerent peruenire, qui ſemper ſynodalem conuentum à nobis aggregari petierant: ſicque fieret, vt ſecundum qualitatem morbi medicina conficeretur, & ad ſananda vulnera longè latéque effunderetur. Salomon quidem verbis noſtris conſentit, cùm dicat, *Salus vbi multa conſilia.* An Prou 11.14.

neſcitis nonnullos ex nonnullis prouinciis præſules ita feciſſe? Quod faciliùs ſcire poteſtis, ſi vultis, licet vos ſi vultis minimè lateat. Denique tam prudentes, támque præcipuos, & præclaros, ac quos Deus in caritate vera coniunxit, viros reprehendere nolumus: quin potiùs vt dilectiſſimos filios paterno amore excolimus, & vt in vnitate fidei permaneatis, cunctipotentis clementiam exoramus. Quòd ſi qui ex confratribus noſtris Epiſcopis talia nobis miſiſſent, habueramus qualiter illos reprehendere & redarguere deberemus, excepto ſi regalem magnitudinem veſtram ſibi impedire dixiſſent, in vobis hoc pendere & corrigi debere videretur. Ecce Epiſcopis regnorum veſtrorum impedimentum præparatur ne veniant: Lotharij autem Epiſcopis, qui frater iſtius eſt, quid obſiſtit, niſi quia de veſtris ſumant occaſionem, & ſicut veſtri, ita & illius negligentes apparent? Nam inter cetera plurimum nunc in cauſa eiuſdem Lotharij, de quo ſubinferemus, profuerat ſi veniſſent: quia auditis decretis & inſtitutis luciḋiùs cuncta referrent, ita vt nubilum aliquid minimè remaneret. Fortaſſè etenim hæc illorum dilatio, & abſentia magis obfuit in eius emendatione, quàm obſtinatio: quia ſi abſentia & dilatio non eſſet, obſtinatio vtique iam ſaltem coacta ceſſaret. Sed his omiſſis, ad veſtra conſulta ſtylum noſtrum reflectamus. Dicitis enim vos præfatum commonuiſſe Lotharium, ſicut in commonitorio nobis à vobis directo legere præualuiſſemus; & eumdem ſæpè vobis mandaſſe aſſeuerạtis, quòd Romam pergere velit, & per noſtram diſpoſitionem de cauſa ſui coniugij facere. Sed heu! dictis opus non accommodaſtis, quia ſæpius de directione commonitorij mentione facta, idem commonitorium abfuit, & nobis fruſtratis nequaquam comparuit. Quòd ſi habuiſſemus, certamen veſtrum ſuper his cognoſceremus: ſed cùm illud defuerit, neſcimus ſi labor veſter fructuoſus fuit. Ipſe quidem Lotharius nobis, vt vobis, vicibus per imperiales legatos mandauit, quòd Romam vellet venire. Cui interdiximus, & omnino interdicimus, vt iter talis qualis nunc eſt non arripiat, eo quòd ſancta Romana

Eccleſia talem reſpuat & contemnat, & in hoc perſeueret, quod latè in toto diffuſum eſt orbe. Nam verſo diu lumine per apices veſtros, anhelando præſtolabamur locum attingere, qui nos vel verbo aliquo modo opis annueret, quo poſſemus aliquam lætitiam præſumere. Sed perſcrutatis omnibus, ac ad calcem vſque relectis, poſt lectionem ipſa quæ inerat lætitia abſceſſit, & nos dolor continuus illico poſſedit, quia in cunctis ſumus fruſtrati, & quod non optabamus derelicti. Verumtamen quoniam circa Miſſam ſancti Ioannis, de quo diximus Lotharium diſpoſitum habetis denuo commonere, non moleſtè tulimus. Forſan omnipotẽs Deus cor eius ad ſibi placita inclinare dignabitur, & de præuaricatore tandem faciet conuertendo dilectum. Si autem ſubdolè Theutbergam, vt eam perdat, velle repetere dicitur, ſi ipſa tales elegerit, per quos ſibi ſecuritas certiſſima fiat, ecce bene. Sin autem, idem Lotharius præbeat ſacramentum, quo polliceatur eam digno matrimonio retinere, & vt vxorẽ legitimam decenter venerari & colere, ac deinceps incolumem conſeruare. De pœnitentia autem eius noſtro iudicio reſeruantes ſtatuimus, vt ſi prædictæ Theutbergæ captioſè aliqua alia crimina, poſtquam eam à ſe repulit, obiicere voluerit, hoc expurgetur ſacramento, ſi ita neceſſitas compulerit. Quòd ſi innupta manere decreuerit, & viro ſuo reconciliari noluerit, ſancimus vt cogatur in amplexus vxorios redire; quia vtriuſque ſe ſeparandi non fuit voluntas. Nam ſi vtrique in diuortio conſenſerint, & Lotharius iam omnino copulam concubitus non repetierit, hoc fieri non prohibemus: quia Dominus de dimittenda vxore cauſam tantùm fornicationis excepit. Igitur ſi Lotharius, quem hactenus conuerti præſtolati ſumus, & vindictam in eum, ne ſanguis effunderetur, & ne bella excitarentur, propalare diſtulimus, cornu extulerit, & noſtris veſtriſq; monitis obedire neglexerit; de cetero talis habendus eſt, qualem illum per epiſtolam noſtram Radoaldo dudum Epiſcopo, & Ioanni Epiſcopo, miſſam nos habere iam cognouiſtis. Sed filij dilectiſſimi & ſingulariter à nobis diligendi, ecce Arſenium venerabilem Epiſcopum ad hoc vobiſcum pertractandum, & monitionibus corrigendum, cum Apoſtolicis epiſtolis illuc deſtinauimus. Quarum exemplaria, ne authenticæ iſtarum, aut interceptæ, aut aquis fortaſſe dehoneſtatæ, aut perditæ, aut etiam propter quod vobis dubietas credendi generaretur, pro libitu aliter habitæ fuiſſent, magnitudini veſtræ per hunc gerulum tranſmiſimus. Tunc ſi authenticas ita ſe habere repereritis, aſſenſus veſter eidem Arſenio præbeatur. Sin autem, excepto de Rothado & Albuino, illi vos credere non oportet. Et quicquid illis in partibus actum fuerit, ſub geſtorum inſinuatione nobis, antequam illud per alios cognoſcamus, optimè munitum, vt meliùs laborare poſſimus, dirigere petimus nequaquam omittite. Sunt & alia quamplurima, quæ vobis nos mandare validè oportuerat. ſed quia tã clariſſimis & prudentiſſimis pauca ſufficiunt, & hic gerulus nobis erat incognitus, atque hoc eum latebat, præter hæc ſcribere deſiimus. Porrò de Eccleſia Colonienſi, de qua nos conſuluiſtis, decernimus vt ibi conſecretur Antiſtes. De Cameracenſi verò, quod ſtatutum habemus volumus obſeruari: videlicet vt ſi ibi electio canonica fuerit, cõſecrati debeat in ea Epiſcopus. Ad extremum, quod ſilere non poſſumus, quin immo ſuper dictis veſtris obſtupeſcimus, de Sueſſonica ſcilicet Eccleſia, de qua, fili mi Carole, quod loquimini, per os alterius loquimini, quam etiã per xxx. circiter annos ab infructuoſa ficulnea Rothado inutiliter occupatam, excepto ſolo nomine, paſtorali dicitis vacaſſe ſolicitudine: miramur cur tantus rex ſuaſoriis verbis cedit, & non magis nos qualiter de Rothado obediat lætificare procurat. Deſine ergo, fili, & deceptoria verba pelle à corde, incipéque noſtris monitis parere, vt excellentiſſima gloria veſtra cum exultatione fructificet, & cum gaudio manipulos colligat. Tamen qualiter de illo ſublimitatem veſtram oporteat facere, aliis litteris noſtris liquidiùs cognoſcere valebitis. Quibus cognitis, credimus vt quod petimus obtineamus; & quod decreuimus, ratum coram oculis Dei, & coram vobis eſſe videatur. Apud nos namque idem Rothadus fructuoſa ficulnea manet: tamen poſt renouatum iudicium eius, ſi fructuoſa eſt, an infructuoſa, patenter declarabitur, habitis omnibus ſecundum quod de illo ſtatuimus. Hanc autem epiſtolam ideo more ſolito ſcribi non fecimus, quia & legatus veſter ſuſtinere non poterat, & ob feſta Paſchalia ſcriniarios noſtros, eo quòd debitis vacabant occupationibus, habere vt debuimus non valuimus. Rogamus præterea, & expreſsè vos adiuramus, vt quæ ſuperiùs exarata ſunt, non ſimplicitate ſermonis,

ſed

ſed ex quanta mœſtitia & compunctione proceſſerint, interiori oculo, non exteriori tantùm, attendatis, & omnes neceſſitates noſtras in his conſideretis, dolore patris miſerabiliter moti vt filij cariſſimi. Diuina maieſtas ad exaltationem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ vos conſeruet incolumes.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LIV.

Ad Carolum Caluum regem.

Non probat abuſum qui inualuerat, vt Epiſcopi ex alienis Eccleſiis aſſumerentur: Egiloni tamen ad Senonenſem Eccleſiam poſtulato pallium mittit.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, dilectiſſimo filio Carolo regi.

CVM acceptæ dilectionis veſtræ legeremus epiſtolę textum, & per eum in Sennenſi metropoli delegatum Antiſtitem miris vos præferre laudibus comperiſſemus; non ſolùm de illo, verùm etiam & de vobis ingenti ſumus exultatione referri. De illo quidem, quoniam talem hunc fama prædicat, qualem debere Epiſcopum Apoſtolus indi- (1.Tim.3.7.) cat, qui ſcribens illum oportere teſtimonium habere bonum, & ab his qui foris ſunt prædicat. De vobis autem, quoniam, Deo gratias, ſemper ea quę meliora ſunt diligitis: ſemper quę pretioſiora ſunt Domino Deo à cunctis offerri deſideratis. Sed quamuis hæc nos valde lætificent, multum tamen contriſtant, quia idem venerabilis vir non de ipſa Eccleſia, ſed de quodam Monaſterio fuiſſe perhibetur. Denique cùm erga monachos eadem profectò regula, quæ circa clericos qui prouehendi ſunt, conſeruanda ſit; indecorum tamen, quin potiùs illicitum eſt, in aliena ſtipendia quemquam obrepere, & ex tranſuerſo venientem in caſtra, inter quæ non militauit, ducatum arripere beatiſſimo (Decret c.18.) Apoſtolicæ ſedis præſule Cæleſtino præcipiente, atque dicente: Tunc » alter de altera eligatur Eccleſia, ſi de ciuitatis » ipſius clericis, cui Epiſcopus eſt or» dinandus, nullus dignus, quod euenire » non credimus, potuerit inueniri. Primùm » enim illi reprobandi ſunt, vt aliqui de » alienis Eccleſiis meritò præferantur. Ha» beat vnuſquiſque ſuæ fructum militiæ in » Eccleſia, in qua ſuam per omnia tranſegit » ætatem: in aliena ſtipendia minimè alter » obrepat, nec aliis debitam alter audeat » vindicare mercedem. In quibus verbis perſpicacitas dilectionis veſtræ prudenter attendat, quoniam aut de Eccleſiæ Sennenſis clericis, qui ordinaretur nullus dignus inuentus eſt, quod eueniſſe non credimus, maximè cùm ſit metropolis, & clericorum numeroſitate non careat: aut certè his iure minimè reprobatis, aliundè qui eis irregulariter præponeretur electus eſt, & qui aliorum fructum laborum comederet adinuentus. Nimirum cùm reuerendæ memoriæ deceſſor huius tantis à vobis præconiis efferatur, vt nullum in eadem Eccleſia, cui non modico tempore præfuit, qui ei canonicè ſubrogari poſſet, relinqueret, prorſus incredibile iudicatur. Cùm ergo familiariùs in regionibus veſtris ſit hæc temeritas, & ſacrorum ſuper hoc canonum violatio dilatata, neceſſe eſt noſtram ſollicitudinem pro hac amputanda ſpecialiùs impendere diligentiam. Quapropter dilectionem veſtram, cuius opera non partim, ſed ex toto, placere ſummo arbitro cupimus, obnixè depoſcimus, vt ſic zelum iuſtitiæ habeat, vt hunc ſecundum ſcientiam teneat: ſic oculos ex vna parte vigilanter aperiat, vt ex altera parte nihilominus videat. Illi verò qui in ſacrarium prouehuntur, ſic de collatis ſibi donis cælitus gratias referant, vt non ſicut Phariſæus in alterius derogationem temere linguas exacuant. Periculoſum eſt enim, taliter omnes Eccleſiæ miniſtros ſpernere, & eis improuiſum, & non optatum præponere. Quod quia crebrò præſumptum eſſe nonnullis querimoniis ex hoc gementium didicimus, vos meritò diligentes, vt ad tantam tranſgreſſionem neminem impellatis expoſcimus. Alioquin nos ſanctarum minimè regularum immemores, nec ſegnes executores

admodum exiſtentes, aduerſus temerarios ſuccinctis lumbis illas defendere procurabimus, & auxiliante Chriſto nobis, & Eccleſiæ conſulentes ipſius, de cetero æquanimiter violatores earum nullomodo ſuſtinebimus. Vſquequo tamen eamdem præuaricationem incipiamus generalis decreti noſtri ligone de regionibus veſtris radicitus exſtirpare, parcendum huic fratri iam & Coepiſcopo noſtro præuidimus. Vnde & pallium iuxta conſuetudinem anteceſſorum ſuorum vtendum ei ſecundum poſtulationem veſtram direximus. Sed petimus, vt ſicut nos vos audientes id ei conceſſimus, ita pietas veſtra pro eo quod poſcimus ipſi largiri munifica dapſilitate dignetur: res videlicet, & quæque ab Eccleſia Sennenſi ablata quoquomodo dinoſcuntur. quatenus ſicut idem per nos conceſſo tanto munere exteriùs decoratur, ita quoque de redditis Eccleſiæ ſibi commiſſæ per clementiam veſtram interiùs gratuletur. Quod pietatis opus vobis ſuadere cupimus etiam circà reliquas regni veſtri Eccleſias exercendum. Scilicet vt nec hoc innumeris mitificiſque actionibus veſtris deeſſe bonum pacto quolibet agnoſcatur. Nam quantum ſit deteſtandum, res à piis regibus, & deuotis hominibus, Deo donatas permiſſu veſtro ſubtrahi, & mundialibus vſibus deputare, quía epiſtolaris locutionis modum exceſſimus, veſtræ ſapientiæ ſubtiliter conſiderandum relinquimus.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LV.

Ad Egilonem Archiepiſcopum Senonenſem.

Pallium nouo Archiepiſcopo concedit, tametſi non probare ſe dicat, quòd ex aliena Eccleſia & Monaſterio aſſumptus ſit.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,
Egiloni Sennenſi Epiſcopo.

PASTORALIS curæ pondera te humiliter ſubterfugere voluiſſe laudamus: ſed rurſus ad hæc portanda humeros mentis obedienter incuruaſſe nihilominus approbamus. Impletum eſt eſt enim in te duorum factum, Hieremiæ ſcilicet & Eſaiæ illuſtrium prophetarum. Quorum vnus ad prædicationem populi volente Domino mittere, de infirmitate ſua paueſcens refugit: *A, a, a,* inquiens, *Domine Deus neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Alter verò de Dei miſericordia præſumens, quærenti quem eſſet miſſurus, reſpondit dicens: *Ecce ego, mitte me.* Quod ergo venire ad tanti culminis onus renuiſus es, humilitatis quidem ſolum fuit indicium: quia verò peruenire conſenſiſti, eiuſdem extitit humilitatis & comitis eius obedientiæ plenitudo. Quæ res vnà cum ſanctitatis tuę præconio pontificium noſtrum, licet difficulter, vt tamen ad confirmationem tui pallium mitterem, inclinauit. Perhibes enim te non de Sennenſi Eccleſia extitiſſe, ſed de quodam Monaſterio ad Epiſcopatum eiuſdem Eccleſiæ perueniſſe. Quod nos vbicumque fiat, cùm fit, maleficè ferimus, & grauiter omnimodis ducimus, pro conculcatione ſcilicet ſacrorum canonum, & aſpernatione clericorum, qui creſcentes in ſua Eccleſia, & virtutibus operam, & bonis moribus honeſtatem, ac ſapientiæ ſtudiis diligentiam impendiſſe per ſingularum ætatum incrementa probantur. Quid autem ſuffragatur conſenſus Epiſcoporum, vbi non pro regulis paternis, ſed contra regulas adunatur? Tum quippe alter de altera eligendus eſt Eccleſia, cùm de ciuitatis ipſius clericis, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus potuerit inueniri. Quod euenire in tam ampla diœceſi nec nos credimus, nec prædeceſſores noſtros Apoſtolicæ ſedis præſules crediddiſſe reperimus. Cuiuſcumque itaque ſit ſanctitatis dono quilibet præditus, alienos non debet labores præripere: quippe cui iubetur nihil eorum quæ proximi ſunt aliquo modo concupiſcere. Eo enim ipſo quo quiſque alteri pertinentia iura ſubripit, ſanctitatis gratiam perdit. Nam quæ ſanctitas vindicat mercedem alteri debitam? quæ ſanctitas alterius ſibimet fructus vſurpat? Vnde etiam, quia ſuper hac parte ad ſacras regulas patrum minus quàm oportuit eſt reſpectum, ſaltem ad Euangelicas fuiſſet paginas properarum, in quibus legitur, quia cùm milites quid facturi eſſent Ioannem Baptiſtam interrogarent, protinus ab eo inter alia, vt contenti eſſent ſtipendiis ſuis audiere præceptum. Vbi conſiderandum eſt, ſi militibus ſæ-

Hier.1.6.
Eſa.6.8.
Luc.3.14.

vt ſuis ſint ſtipendiis contenti à Ioanne pluſquam propheta iubetur, quanta pœna puniendi ſunt milites Chriſti, qui quoquomodo in ſtipendia obrepunt aliena. Verùm quid opus eſt nos hæc affatim exaggerare, quæ ſanctitas tua nos cogit interim diſſimulare? Porrò cùm ad te tuóſque compatriotas & conſacerdotes in regionibus illis conſtitutos, vbi peculiariùs habetur iſta temeritas, litteras Apoſtolatus noſtri patrios vobis canones rememorantes, & hinc vos communiter admonentes, Deo duce, deſtinauerimus, oportebit vtique à vobis, vel à quoquam, nihil tale de cetero fieri: alioquin præſumptorem, & circa ſancta decreta contumacem eorumdem inuolui decretorum iure ſententiis. Tuum præterea, frater cariſſime, propoſitum obſerua: & qui diu in Monaſterio moratus es, à priſtino voto diuertere noli. Quod enim diu in humili habitu cuſtodiſti, profectò indecens eſt, ſi nunc in potiori poſitus dimiſeris ordine, hoc ipſum ſancta quoque ſcriptura, venerandiſque decretis pleniter edocentibus. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LVI.

Ad Salomonem regem Brittonum.

De renouando eiectorum Epiſcoporum examine apud Archiepiſcopum Turonenſem, vel apud ſedem Apoſtolicam: & de iure Metropolitani apud Britannos.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Salomoni regi Brittonum.

BENEDICTVS Deus & pater domini mei IESV Chriſti, qui per magnæ miſericordiæ ſuæ gratiam adeo tuæ cor ſublimitatis illuſtrare dignatus eſt, vt meritò pro ſapientiæ tuæ fulgore vbi habitas, non iam Occidens, ſed Oriens habeatur. Ortus enim eſt in vobis Sol iuſtitiæ, quod ipſe Chriſtus eſt, & infidelitatis tenebræ defecerunt. Sed rogamus eumdem omnipotentem Deum, vt ſicuti rectæ fidei agnitionem piè conceſſit, ita quoque bonæ operationis benignus largiatur effectum. De cetero ſciat prudentia tua, nos de eiectis & in locis illorum aliis ſubrogatis Epiſcopis, diligenter in archiuis ſanctæ Romanæ, cui magna omnipotentis Dei miſeratione deſeruimus, Eccleſiæ requiſiſſe, & multo aliter in exemplaribus epiſtolarum, quæ à deceſſoribus meis, beatæ videlicet memoriæ Leone ac Benedicto pontificibus, atque à me, Nomenoio, & tibi, necnon & Archiepiſcopo Turonico datæ ſunt, Papam Leonem Nomenoio conſilium vel auctoritatem deponendi Epiſcopos tribuiſſe. quippe quem conſtat multifariè multiſque modis, ne hoc ab aliis quàm à certo Epiſcoporum numero fieret, præcepiſſe. Nam Nomenoio conſulenti quid de Spiritus ſancti gratiam venundantibus oporteret fieri, reſpondit nihil inquiens præter quod ſancti canones ſuper his præcipiunt, ipſas regulas apicibus ſuis interſerens. Nam qualiter, & à quot, vel à quibus ſanxit Epiſcopos condemnari, ſcribens eodem tempore Brittanicæ regionis Epiſcopis euidenter inter cetera, vt eadem ipſa verba ponamus, decreuit, æquè præcipiens vt omnia ſint in Conciliis
» Epiſcoporum. Nam nullam damnationem Epiſcoporum eſſe vmquam
» cenſemus, niſi aut ante legitimum numerum Epiſcoporum, qui fit per XII.
» Epiſcopos, aut certè probata ſententia per LXXII. idoneos teſtes, qui ta-

» les ſint, qui & accuſare poſſint, & priùs ad ſacra Chriſti quatuor Euangelia
» ſacramenta præſtent, quòd nil falſum depromant, ſicut nobis B. Silueſter,
» & ſancta Romana tenere videtur Eccleſia. Quem ſecutus deceſſor meus, ſanctæ memoriæ Benedictus, quia contra deceſſoris ſui decretum, non ab Epiſcopis, ſed à laicis, Epiſcopos in regione tua cognouerat eſſe deiectos, multa mœſtitia & indignatione repletus, ſcripſit quòd nulla ratio ſineret Epiſcopos à ſedibus ſuis pelli, quos duodenarius numerus non eieciſſet. Quorum veſtigia & ego quoque ſecutus eadem cenſui, immo & cenſeo. nec vllam poſſe Epiſcopos ſui honoris ſuſtinere iacturam, quos non conſtat fuiſſe à XII. Epiſcopis, præſente primámque ſententiam Metropolitano Epiſcopo obtinente, cùm examinarentur auditos. Qui etſi crimen aliquod confeſſi eſſe dicuntur, poteſt credi quòd vi vel formidine faſſi tantùm, & non confeſſi fuerint quod non fecerant, quia videbant laicos & ſæculares quoſque vnà cum rege contra ſe conſpirantes, quod nec ſaltem audierant. Siquidem qui ore tantùm, & non corde profert quod dicit, non confitetur, ſed loquitur: quamuis non videatur iuſta confeſſio, quæ non legitimo prouocatur examine. De Giſlardo autem & Actardo Epiſcopis, de quibus ſcripſiſti, multo aliter, quàm tua referebat epiſtola, in ſcrinio noſtro reperimus. Licet non bene faciat Actardus, quia denuo conſecrat quos Giſlardus in eo gradu dinoſcitur ordinaſſe: tamen Actardus inuenitur ante Giſlardum Epiſcopatus officium ſuſcepiſſe. Denique ſanctiſſimus Leo Papa Nomenoio ſcribens, inter cetera præcipuum virum Actardum appellat, & hunc ſanum ſapere, & ſanum docere, viuere, ac permanere denuntiat: Giſlardum verò tamquam prædicti Actardi ſedulum inuaſorem denotat. His ergo ac huiuſmodi controuerſiis, ac difficultatibus enumeratis, & ita repertis, habitis, ac compertis; non poſſumus à regula ſanctorum patrum, aut à ſedis huius inſtitutionibus indebitè declinare. Sed ſi vis Dei omnipotentis benedictionem percipere, vel ſi veraciter noſtra conſequi præcepta deſideras, conſilium meum accipe, & quod tibi per hanc paginam indico libenter attende. Hortamur enim gloriam tuam, & cùm æquiuoco tuo ſapientiſſimo Salomone dilectionem tuam admonemus, dicente, *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Hæc quippe ſunt præcepta Dei patris tui, & hæc eſt lex Eccleſiæ matris tuæ. Videlicet vt omnes Epiſcopos regni tui ad Turonenſem Archiepiſcopum mittere non detrectes, ipſiúſque iudicium poſtulare non dedigneris. Ipſe enim eſt Metropolitanus, omnéſque Epiſcopi regni tui eius ſuffraganei ſunt, ſicut conſcriptiones prædeceſſorum meorum euidenter oſtendunt, qui prædeceſſores tuos, quia illos ab ipſius cura ſubtraxerant, forti inuectione corripere ſtuduerunt: quamuis nec noſtra ſcripta ſuper hac re miſſa deeſſe videantur. Cúmque coram præſignato Turonenſis Eccleſiæ præſule, & integro numero collegarum, id eſt XII. Epiſcoporum celebrato conuentu, fuerint eiecti Epiſcopi regulariter examinati, apparueritque quòd canonicè fuerint eiecti, ipſis in ſua deiectione manentibus, quicumque in locis eorum conſecrati ſunt, poterunt vtique Epiſcopatus honore potiri. Quòd ſi eiecti Epiſcopi inſontes fuerint declarati, his amotis qui illis ſubrogati ſunt, Eccleſias ſuas ipſi recipiant. Nam cùm anteceſſores mei præſules eiectionem eorum Epiſcoporum, qui ab Eccleſiis ſuis expulſi ſunt, non admiſerint, nec

Prou. 1. 8. 3. q. 4. Hæc quippe.

adprobauerint, nec ipſos, qui eis ſubrogati ſunt viuentibus illis, legitimos Epiſcopos dixerunt. Sanè ſi fortè ad Turonenſem Archiepiſcopum mittere dedignaris, ſtude duos Epiſcopos de expulſis, & duos de ſubrogatis, vnâ cum gloriæ tuæ legato, ad Apoſtolicam ſedem B. Petri tranſmittere, vbi digna examinatione præmiſſa, qui legitimi Epiſcopi ſint appareat, & ſuas Eccleſias irregulariter non amittant. Nihil enim aliud eſt quod in præſenti negotio penitus diffiniri poſſit. Quia verò magna quis ſit Metropolitanus apud Britannos contentio eſt, licet nulla memoria ſit vos in veſtra regione vllam habuiſſe Metropolitanam Eccleſiam, tamen ſi libet, poſtquam Deus inter vos pacem & dilectum filium noſtrum Karolum glorioſum conſtituet, facilè hoc poteritis aduertere. Quod ſi adeo contentioſiùs agendum creditis, ad noſtrum Apoſtolatum deſtinare contendite: quatenus noſtro libramine, quæ fuerit apud vos antiquitus Archiepiſcopalis Eccleſia, luce clarius innoteſcat, & deinceps omni ambiguitate reciſa, quem ſequi Epiſcopi veſtri debeant, incunctanter agnoſcant. Neque enim Eccleſias Domini per diſcordiam regum diuiſiones aliquas pati vel damna neceſſe eſt: cùm quantum ex ſe eſt pacem, quam prædicant, ſeruare ſtudeant inuicem, & in omnes. His ita prælibatis, per nos tuam ſcire volumus excellentiam, quia ſi noſtris paternis monitis obedieris, & tam de iure Metropolitani, quàm de renouatione examinis eiectorum Epiſcoporum nos audire ſtudueris, erit pax & concordia & omnis legitimus ordo in regno tuo. Quòd ſi nos tantùm interrogare & non auſcultare decreueris, ſcandala & diſcordia & omnis confuſio non deerunt tibi in vita tua. Porrò legatos tuos, quos ad noſtrum pontificium deſtinaſti, dilectioni tuæ cõmendare curamus: quorum prudentiam & fidem circa vos conſiderantes, plurimùm in Domino gratulati ſumus. Deus omnipotens gloriã tuam, & claram coniugem tuã, cum nobilibus natis, atque cum omnibus qui ſub tuo regimine ſunt, omni gaudio & omni benedictione piè circumdet.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LVII.

Ad vniuerſos Epiſcopos.

Iterum admonet de ſententia excommunicationis, quam aduerſus Vualdradam eiuſque complices promulgarat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimis confratribus noſtris, Archiepiſcopis per Italiam, Germaniam, Neuſtriam, & Gallias conſtitutis.

Append. 12. DECREVERAMVS quidem circa Vualdradam mœchã, & pertinaciter in impœnitentia permanentem, vindictæ modum minùs diſtrictè, quàm miſericorditer temperare, & iuxta quod merebatur, non ira pro tanto ſcelere ſententiam in eam iuſtæ punitionis proferre, niſi obſtinato animo perenniter in mœchiæ volutabro permanere propoſuiſſet, & nullis ſacris monitis, nullis noſtris ſeu veſtris tam crebris exhortationibus ſe paratam exhibere. Quia tamen non ſua voluntate factum ſit, Deo qui cor conſiderat, & fidelibus eius per omnia manet certiſſimum: cùm ſua ſponte hactenus, ſi potuiſſet, immò perpetuò in tanto flagitio permanſiſſet, niſi noſtra ſuper hoc abolendo fuiſſet cum virtute ſummi opificis inceſſabilis diligentia, & ſocij eius, proh nefas! ſcilicet ſecum admittentis quomodocumque inclinatior extitiſſet obedientia. Paret profectò ita eſſe quæ dicimus, cùm hactenus culpam

ſuam necdum cognouerit, nec confeſſa ſit, iuxta quod ſcriptum eſt: *Dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris*: nec miſſa nobis, qui cauſam ipſius exequendam cepimus lamentationum legatione veniam poſtulauerit, præmiſſóque pœnitentiæ remedio congruam meruerit indulgentiam, Salomone dicente: *Qui celat delicta, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & dimiſerit ea, miſericordiam conſequetur.* Poſtremò cùm recto itinere nos illi fuerat adeundum, & ſedis B. Petri ſuffragia requirenda, quatenus iuxta quod ſtatutum fuerat, nos de eius negotio Deo placita conſideratione definiremus: poſtea retro eſt conuerſa poſt Satanam, & in Prouinciam vt principaretur in ea iter reflexit: licet induſtria Legati noſtri ad Italiam denuò reuocata ſit, & quaſi nihil fuerit operata, vnde in Chriſti ſit Eccleſia non modicum ſcandalum generatum, gloriam mundi ſectatur, reique publicæ dominatur, ac quod eſt grauius, etiam piis locis atque religioſis perſonis præeſſe dignoſcitur. & à Theutbergæ reginæ cœpta interitus meditatione, ſicut nonnulli teſtantur, minimè ceſſat; dum ea nimirum loca repetere affectat, in quibus facilis ipſius ad regem Lotharium, & eiuſdem regis ad eam poſſit eſſe acceſſus. Et vt breuiter cuncta complectar, de die in diem, qualiter ad priſtinas voluptates redeat, variis argumentis exquirit. Verumtamen vt cum egregio Apoſtolo ſummatim dicamus, quod contra eam contráque eius ſimiles ſæpius replicandum eſt, quia ſecundum duritiam ſuam & cor impœnitens theſaurizat ſibi iram in die iræ: idcirco nos eam, quouſque de factis ſuis Eccleſiæ Chriſti, nobiſque præcipuè, qui eius principaliter curam gerimus, quique cauſam ipſius exequi ac inueſtigare cœpimus, ſatisfecerit, donec etiam omnem à ſe ſiniſtram ſuſpicionem conſilium noſtrum ſuſcipiens adimat, à pretioſi corporis & ſanguinis Domini perceptione, atque ab omnimodo ſanctæ Eccleſiæ conſortio, ſancti Spiritus, beatorumque Apoſtolorum Petri & Pauli iudicio, & noſtræ mediocritatis auctoritate, fecimus cum vniuerſis complicibus & communicatoribus fautoribúſque ſuis prorſus extorrem. Hanc autem ſententiam IV. Nonas Februarias à nobis promulgatam meminimus, eámque ſcripto vobis deſtinauimus. Sed quia ignoramus vtrum ad veſtram notitiam peruenerit, idcirco reuerentiæ veſtræ iteratò illam pãdere procurauimus. Nam dum adhuc negotium pendet, & cœptum bonum perfectionem non habet; immò dum diuerſis indiciis datur intelligi, quòd anhelitus prauorum ad priora nequitiæ ſemper intendat, procurare magnopere neceſſe eſt, ne nouiſſimus error nobis torpentibus peior priore ſuccedat. Siquidem & fruſtra ſpeculatores dicimur, ſi venientem lupum à longè non cernimus. Fruſtra enim Epiſcopi, id eſt ſuperinſpectores vocamur, ſi futurum exitum per antecedentia ſigna minimè contemplamur. præcipuè cùm iam quod videmus experti ſimus, & futurarum certitudinem præteritarum gignat exhibitio rerũm. Vnde ſaltem de Theutbergæ reginæ illatis quotidianis inſidiis veſtra caritas doleat, & eximio Dominici corporis membro totius mentis affectu compatiatur: & ne labor noſter inanis conſtituatur, ſpiritalia nobiſcum veſtra fraternitas aduerſus iam ſatam mœcham, & communicatores eius, arma ſuſtollat; & in parochia ſua, vbi plebem dominicam gubernat, vel vbi eam fore contigerit, excõmunicatam hãc fautoreſque ſuos viua voce ſubſiſtere, donec noſtro ſpeciali iudicio dignæ ſe pœnitentiæ ſubmittat, publicè ac audacter aſſeueret. Porrò ſi cuiuſquam fortaſſis adinuentionis intentioniſque fuerit dicere, quòd non ſolùm illa mulier, ſed & Lotharius Rex in hoc deliquiſſet, ideóque ſimili pœnitentia deberet arctari; vtrum inſtruendo ſe, an exprobrando nobis, talia loquatur, licet nulli iactanter hæc proferenti nobis neceſſe ſit reſpondere, congruit tamen, vt à cuius auctoritate ſanctio iſta digreditur, in eius prærogatiuæ affluentia, quiſquis ille eſt, huius rei ſolutionem quærat. eo quòd auctoritas Apoſtolica, ad quam vniuerſarum cura confluit Eccleſiarum, idonea, quibus omnibus conſulat, moderamina ſatis habeat: per quæ & indoctos quoſque diſciplina ſalutis inſtruat, & exprobratoribus diſpenſatoriè modum dignæ diſcretionis imponat. Interim verò, quiſquis veſtrûm huius ſanctionis epiſtolam ſuſceperit, ad cæteros Epiſcopos Metropolitanos deſtinare ſummopere ſtudeat, & exemplaria eius per vicinas regiones diſpergat, & talem ſe in omnibus his exhibeat, vt alterius zelo Phinees iram Domini mitigantis, non in defenſione ſcorti, ſed in vltione ſtupri ſe feruere cunctis oſtendat. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data Idibus Iunii Indictione XIV.

Prou. 28. 17.

Rom. 2. 5.

Arsenii Episcopi Hortensis, Sedis Apoſtolicæ Legati, Epiſtola generalis ad omnes Epiſcopos.

Ingeltrudem Boſonis vxorem excommunicatam & anathematizatam declarat, eamque ab vllo recipi vetat.

Arsenius diuino nutu Epiſcopus, Miſſus & Apocriſiarius ſummæ, ſanctæ catholicæ atque Apoſtolicæ ſedis, & beatorum Apoſtolorum principum Petri & Pauli vltimus famulus, & Legatus domini Nicolai Pontificis & vniuerſalis Papæ, omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis, atque omnibus ſanctæ Eccleſiæ Dei fidelibus, Galliæ, Germaniæ, ac Neuſtriæ commorantibus. Fraternitatis veſtrę omnium dilectionis iam cognouiſſe credimus induſtriam, qualia & quanta neſandiſſima ſcelera Engeltrudis quondam Boſonis Comitis mulier perpetraſſet, & qualiter pro huiuſmodi dominus Nicolaus, ſummus Pontifex & vniuerſalis Papa, eam excommunicauit, ac à Chriſtianorum conſortio ſeparauit: etiam inſuper, quouſque dum de peractis malis veram egiſſet pœnitentiam, anathematis eam vinculo innodauit. Sed cùm nos à beatorum principum Apoſtolorum, ſcilicet Petri & Pauli, fuiſſemus egreſſi liminibus, & ab eius vtique ſanctimonio directi, fratrum pro pace regúmque concordia, ac Galliarum intra properaſſemus in finibus, ſicut & de cæteris curam agentes, prædictam etiam Engeltrudem ad ſanctæ matris voluimus conuocare Eccleſiæ ſinum. Sed ipſa in ſua feritate permanens, nequaquam eam ad præfatæ ſanctæ matris Eccleſiæ gremium conuocare valuimus. Vnde tam in regno Caroli glorioſi regis, quàm in Hlotharij, excommunicationem atque anathematizationem domni Apoſtolici omnibus de ea declarare ſtuduimus. Sed cùm ad Hludouici glorioſi regis præſentiam apud Vvormatiam reuerteremur, tum demum pone nos greſſus eſt mouere conata. Sed poſtquam iureiurãdo coniurauerit, quòd ante nos, vel nobiſcum pariter, Romam venire deberet, & ſecundum domni Apoſtolici præceptionem de peractis malis pœnitentiam ageret, ſecundum huius
» orationis textum promittens: Iurans ego
» Engeltruda, filia quondam Martefredi
» Comitis, quæ fui vxor Boſonis Comitis,
vobis domino Arſenio Epiſcopo, Miſſo & «
Apocriſiario ſummæ ſanctæ catholicæ «
atque Apoſtolicæ ſedis, & per vos domi- «
no meo Nicolao ſummo Pontifici & vni- «
uerſali Papæ, per Patrem & Filium & «
Spiritum ſanctum, & hæc ſancta quatuor «
Chriſti Dei Euangelia, quæ ore oſculor, «
& manibus propriis tango, quia amodò «
relinquam illam malitiam, quam in præ- «
nominato Boſone viro meo exercui, & vt «
ouis quæ fuit perdita, ad ſanctam atque «
Apoſtolicam ſub eadem obligatione ver- «
tar Eccleſiam: & in Italico regno, aut vo- «
biſcum pariter, aut ante vos, quomodo «
prouideritis ibo, & quicquid domnus «
Apoſtolicus decreuerit, iuſſerit, vel ter- «
minauerit, adimplebo, ac perficere non «
recuſabo. Deinde nobiſcum vſque ad Danubij tranſitum veniens, ibique ad quempiam conſanguineum caballorum adminiculo ire condixit, & ad Auguſtam ad nos ciuitatem ad prædicti negotij perfectionem redire pollicebatur. Sed his omnibus relictis non timuit tentare Spiritum ſanctum, & diabolo inſtigante in periurij laqueum eſt ingreſſa, & à noſtræ ſalubritatis prædicatione pedẽ retorſit, & à tramite veritatis diſceſſit. Inde obteſtamur per auctoritatem Dei omnipotentis & beatorum Apoſtolorum principũ Petri & Pauli, & domni Nicolai, ſummi Põtificis & vniuerſalis Papæ, vt nullus veſtrûm eam in ſua parochia recipiat. ſed eam funditus in omnibus Eccleſiis veſtris prædicate excommunicatam, & ab omni communione Chriſtianorum ſequeſtratam & extraneam, inſuper & anathematis vinculo innodatam, & inter impias & ſceleroſas manus damnatam, donec de ſceleroſis factionibus ſuis, atque præfato periurio, ante domni Apoſtolici præſentiam veram accipiat pœnitentiam. Et ſi aliqua falſidica ſcripta, vel etiam verba fortè noſtræ abſolutionis protulerit, ei nullatenus credire. Flagitamus caritatem veſtram, vt cum ab vno fuerit perlecta patre, antequam aliquis eius pellaciſſimæ morbo contaminetur, ad alterum iſtam dirigat epiſtolam.

CONCILIVM SVESSIONENSE III.

NICOLAI PAPÆ IVSSV PRO CAVSA Vvlfadi & ſociorum eius conuocatum, celebratúmque Indidictione XIV. Die XV. Kalendas Septembres, anno Chriſti DCCCLXVI. Nicolai eiuſdem Papæ anno VIII. Caroli Calui Regis XXVII.

ELENCHVS OMNIVM QVAE SVBSEQVVNTVR, & ad Synodum pertinent ſupraſcriptam.

1. Epiſtola generalis Nicolai Papę ad Herardum Archiepiſcopum, & alios, qua Synodum congregari iubet.
2. Schedulæ, ſeu libelli quatuor Synodo per vices oblati ab Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi.
3. Adnunriatio Herardi Archiepiſcopi, regis ac Synodi iuſſu facta.
4. Synodica Concilij Sueſſionenſis III. ad Nicolaum Papam.
5. Epiſtola alrera Concilij eiuſdem ad Nicolaum, de Brirronum infeſtationibus, & de Actardo Epiſcopo, qui Romã cum actis Synodi mittebatur.
6. Caroli regis Epiſtola ad Nicolaum, de his quæ facta fuerant in Synodo.
7. Priuilegium monaſterij Solemniacenſis ab eadem Synodo Sueſſionica conceſſum & ſubſcriptum.
8. Epiſtola Nicolai Papæ, qua Synodicæ Concilij eiuſdem epiſtolæ reſpõdet.
9. Epiſtola Nicolai Papę ad Hincmarum, eiuſdem argumenti.
10. Epiſtola Nicolai Papæ ad Carolum regem, qua ſuperiori eius epiſtolæ reſpondet.
11. Epiſtola Nicolai Papæ ad Vvlfadum & ſocios ſuis gradibus reſtitutos.

I.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LVIII.

Ad Herardum Archiepiſcopum Turonenſem.

Præcipit vt niſi Hincmarus Vvlfadum & ſocios ſuis gradibus vltro reſtituat, Concilium Sueſſione ad XV. *Kalendas Septembres conuocetur, in eóque reſtituantur.*

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Herardo Turonenſi Archiepiſcopo, ſeu omnibus venerabilibus Epiſcopis diœceſeos tuæ.

Append. epiſt. 13. MVLTORVM à partibus Galliarum ad limina vel ſedem confluentium Apoſtolicam relatione didicimus, fratrem noſtrum Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum quoſdam clericos, qui de conſecratione fuerant Ebonis præceſſoris ſui, propriis gradibus pepuliſſe. Quorum deiectionem audientes, quia etiamſi nullo ſpeciali priuilegio ad hanc curandam principaliter incitaremur, oppreſſis tamen ſubuenire, & ad exemplum dominicum eliſos erigere, & compeditos ſoluere nos oportet; operæ pretium

pretium duximus in archiuis ſanctæ Romanæ, cui Deo auctore deſeruimus, Eccleſiæ ſtudioſiùs quærere, & ſi ſcripto fortè memoria quælibet apud nos, ſiue de illis, ſiue de ordinatore ipſorum, eſſet recondita, diligenter inueſtigare, quod & fecimus. Si quidem ex his quibuſdam Deo reuelante repertis, nihilominus etiam Concilij, quod nobis ipſe miſit frater & coepiſcopus noſter Hincmarus, videlicet in quo præſignati clerici degradati ſunt, acta relegimus. Sed his omnibus, id eſt tam illis monumentis quæ penes nos habentur, quàm iis quæ idem Antiſtes nobis deſtinauit, rite collectis, enucleantérque recenſitis, nondum liquidò patet eoſdem clericos regulariter gradu proprio caruiſſe. Verùm nos nec hos interim iuſtificamus, nec pro hoc quemlibet condemnamus: nec facilè vocem iſtorum ſpernimus, nec reuerentiam iam dicti fratris improuidè reprehendimus. Illud quidem, ne obturare aures ad clamores pauperum, id eſt humilium, dinoſcamur: hoc verò, ne de incognitis immaturè iudicare quidpiam videamur. Proinde neceſſario epiſtolæ noſtræ ſalubribus eundem cõmunem fratrem noſtrum hortati ſumus affatibus, vt commemoratos viros, Vulfadum ſcilicet collegáſque ipſius, clementi animo & tranquilla ſtuderet ad ſe magnanimitate vocare, depoſitáque omni funditus animoſitate, de reſtitutione ipſorum ſecum fraternè tractare, atque miſericorditer conſummare contenderet. Laudabilius quippe iudicauimus, ac coram Deo acceptius eſſe credidimus, ſi reſpectu diuinitatis interrogata conſcientia, ſolus illorum reſtaurationem ſine quauis ipſe refragratione benignus admitteret, quàm ſi priùs renitens, detecta tamen iuſtitia, cum multis hanc poſtea ſequeretur. Iam verò, ſi hunc flecti ad hoc munda conſcientia non permittit, præcepimus vos, vnà cum cæteris Archiepiſcopis & Epiſcopis Galliarum & Neuſtriæ, quibus tamen poſſibilitas eſt, in id ipſum, cum prædicto fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro & ſuffraganeis eius, apud Sueſſonicam vrbem pariter conuenire. Ad quorum venerandum conuentum Vulfadum quoque cum iam præſignatis paribus eius vos accerſere procul dubio volumus. Si quidem omnibus, videlicet tam ipſi crebrò nominato Antiſtiti, ac reliquis Archiepiſcopis & Epiſcopis, quàm Vulfado & ſociis eius, noſtras hoc iubentes litteras deſtinauimus. Vbi canonicè per ordinem cuncta quæ in eis geſta ſunt examinantes, & ſubtiliùs inueſtigantes, ſi de illorum reformatione iuſtum quid vel pium ſenſeritis, ſine contradictione perficite, & eos in ſuis ordinibus reſtituite. Præterea ſi diſceptantibus, vel fortaſſis alia atque alia decernentibus vobis, præfati deiecti ſedem appellauerint Apoſtolicam, & eius ſpeciali ſe iudicio damnari vel abſolui petierint, præcepimus, ſi ſæpedictus frater & coepiſcopus noſter Hincmarus, vel Vulfadus aut ſocij eius, ad nos venire per ſe non poſſunt, vicarios ſuos ad hoc negotium ventilandum & finiendum, mox poſt conſummatum Concilium xv. Kalendas Septemb. præſentis xv. Indictionis auctoritate noſtra collectum, eorum præſentaturos nobis perſonas, nullam penitus excuſationem prætendentes, vtrique ad ſedem B. Petri tranſmittant. In quo ne fortè ſiniſtra cogitatio ſubrepat, dicens eoſdem remotos clericos nullam iam vocem proclamationis habere, pro eo quòd anni metas tempus deiectionis eorum exceſſerit, ſciendum eſt nil tale in canonibus, vbi de appellationibus ad Romanum Præſulem legitur, penitus inueniri. Aliàs autem & iſtos forſitan ante annum prouocaſſe clarebit. Denique, ſicut epiſtola penes nos inuenta ſanctæ memoriæ quarti Papæ Leonis innuit, ſedem Apoſtolicam eos appellaſſe iam nos incunctanter agnouimus. Quamuis longè inter ſe diuerſa ſint omnimoda depoſitio, de qua nunc agitur, & ſuſpenſa excommunicatio, cuius vocem, proteruè vtique clamantem, non humiliter petentem, poſt annum non audiendam quędam regula ſtatuit. Sed ad hæc crebrò dictus Antiſtes dicturus eſt, ſedis Apoſtolicæ ſe priuilegia, confirmantia quæ de ipſis ſtatuta ſunt viris, habere. Bene & argutè. Sed ſi penes illum ſunt exemplaria, ſicut iactat, quæ apud nos fideliter reſeruantur, & ea diligenter relegerit, profectò reperiet, quia ſumma firmitáſque ipſorum in Apoſtolicæ ſedis reſeruata ſit arbitrio poteſtatis. Nimirùm quæ ſic aliena iura cuſtodit, vt ſua non minuat: ſic honorem debitũ dat, vt ſuum non tribuat alienis: ſicque dilectionem eius texit ab hoſte, vt ipſe hanc flagitantium exhiberi nequeat hoſtis. Nam & arma illi à nobis collata ita volumus pro eo ſint valida, vt potiùs pro nobis, vbi neceſſe eſt, non contra nos firmitatem obtineant. Si quidem etiam ab eo priuilegiorum Apoſtolicæ ſedis decreto non habito, quæ

ſanctitas eius ſtatuit, nos violanda non ducimus, niſi forſan ſacris legibus inueniantur aduerſa. Porrò ſcitote nos fratri & coepiſcopo noſtro Remigio Lugdunenſi Antiſtiti præcepiſſe, vt ſi reſtitutioni præfatorum frater & coepiſcopus noſter Hincmarus conſentire ſolius ſuæ auctoritatis auſu veretur, ad conuocandum ſtatutum ſententia noſtra iam deſignatum Concilium, epiſtolas noſtras ſibi delatas vobis, quibus à nobis deſtinatæ ſunt, mittere ſatagat. Quicquid verò in Concilio fuerit à vobis examinatum atque repertum, ſub geſtorum ſerie diſcretioni noſtræ, ſicut veneranda decreta ſtatuunt, mittite, & noſtræ auctoritati quæ ſalubria videbuntur roboranda plena fidelique relatione dirigite. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data III. Nonas Apriles, Indictione XIV.

Et hoc tenore conſtantes miſſæ ſunt alijs Epiſcopis diuerſarum prouinciarum.

II.

SCHEDVLÆ SEV LIBELLI QVATVOR Synodo per vices oblati ab Hincmaro Remenſi.

Nunc primùm in lucem editi ex codice S. Mariæ Laudunenſis.

HAEC QVAE SEQVITVR SCEDVLA PRIMA porrecta eſt Synodo.

HINCMARVS Remorum Epiſcopus, Remigio, Vveniloni, & ceteris Archiepiſcopis & Epiſcopis, domni Papæ Nicolai auctoritate ad Synodum, quò & exiguitatem meam cum coepiſcopis noſtris venire præcepit, in hanc Sueſſorum ciuitatem pro cauſa Vulfadi & collegarum eius conuocatis. SI VOBIS viſum fuerit per quoſcumque ad rei notitiam, ſecundum ſeriem litterarum domni Apoſtolici, canonicè per ordinem cuncta, quæ in ſupraſcriptis fratribus geſta ſunt, examinare & ſubtiliter inueſtigare, vt quod iuſtum & pium ſenſum fuerit de cauſa eorum ſine contradictione, ſicut idem domnus Apoſtolicus & fraternitati veſtræ & humilitati meæ ſcripſit, poſſitis perficere, deuotè ac libenter accipiam. Et ſi hanc quæ ſequitur breuem reſponſionem, quantum ex me eſt, ad Apoſtolica ſcripta videritis vobis ſufficere, non ingratum fortè habebitur, quòd ad rem pertinentia ſuccinctiſſimè refero. Videlicet quia Remenſis Eccleſiæ filij de collegio Vulfadi, ab Ebone poſt depoſitionem ſuam ordinari, non meo iudicio, nec ab Epiſcopis ſulummodo Remorum prouinciæ, primùm ſuſpenſi & poſtea deiecti, vt meo vel communi cum eis tantùm placito, iuxta Nicænos & Antiochenos canones, humaniorem aut alteram ſuſcipere ſententiam valeant: ſed priùs ſuſpenſi, & proceſſu temporis à Synodo Epiſcoporum quinque prouinciarum, ad quam prouocauerant, ſecundum decreta Innocentij ad Rufum & Euſebium, inſpectis quæ ſcripſit ad Martianum, & iuxta Zoſimi ſucceſſoris Innocentij decreta ad Patroclum Arelatenſem Epiſcopum, & ad Maſſilienſem Eccleſiam, ſed & alias plures Eccleſias, de his quos Proculus vitæ ſuæ conſcius, datis litteris in abdicationem ſui, per profeſſionis atque ſubſcriptionis ſuæ libellum ſacerdotio ſubmotus ordinauit: iuxtáque ſacros canones, & Leonis ac ceterorum Romanæ ſedis Pontificum decreta, quæ hîc ponere prætermiſi, & ſtudio breuitatis, & vt vobis notiſſima, ſunt iudicati, & ab Eccleſiaſticis ordinibus deiecti, præiudicante Leone Papa, atque dicente: « Omnia decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita à veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus, vt ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari. » In qua, vt regulæ ſacræ dicunt, perfecta & canonica Epiſcoporum quinque prouinciarum Synodo, quoniam Eccleſiæ mihi commiſſæ filij finitimos Epiſcopos pro cauſa ſua interpellarunt; & huiuſmodi Africæ prouinciæ canones vicinos Epiſcopos audire, & inter eos ac proprium Epiſcopum adhibitos ab eis Epiſcopos iubent querimoniam diffinire: ego Vulfadum & collegas eius non iudicaui, neque ab ordinibus Eccleſiaſticis depuli, vel deieci, nec etiam cum iudicibus eorum ſubſcripſi, ſicut norunt qui interfuerunt, & ipſa etiam Epiſcopalia geſta, eorum inconuulſis ſubſcriptionibus ſubnixa, à quibus fuere patrata, præſentialiter monſtrant. Vnde iubentibus eiſdem Epiſcopis

Nicæn. can. 5. Antioch. c. 4.

Innocent. epiſt 21 & 22. Zoſimus ep. 11. & 12.

Epiſt. 1. ad Epiſcopos Campaniæ.

Conc. Afric. can. 92.

tantùm baiulus fui, cauſam videlicet Eccleſiæ mihi commiſſæ ab illis diffinitam ad ſedem Apoſtolicam deferendi. Quæ domni Apoſtolici Benedicti priuilegio ſub anathematis interpoſitione, vt inde quæſtio nullis aliquando tẽporibus oriatur, ſunt cõfirmata: & demum domni Nicolai Papæ confirmatione, ſicut ſanctæ recordationis Benedictus pontifex illam confirmauit, ſaluo Romanæ ſedis in omnibus iuſſu atque iudicio, ſub terribili anathemate, vt quæcumque perſona, magna vel parua, temerario auſu cõtra hoc ſuum Apoſtolicum decretum agere præſumpſerit, anathematis vinculo ſit innodatus, ſunt roborata: velut hîc poteſtis retexere, & ſigilla eorum ſalua, ac incorruptas ſcripturas atque ſubſcriptiones valetis inſpicere. Et quia ſedes Apoſtolica, vt in decretis ſuorum Pontificũ legimus, in hoc prorſus ſua ſibi magnopere iura conſeruat, & aliena cuſtodit, immo ſua propria facit, vt omnis quæſtio ad eam relata iudicio & ſuæ confirmationis deciſione finem accipiat; omnem ex hac cauſa ſuſpicionem querulitatis hæ duorum præclariſſimorum luminarium confirmationes atque ſubſcriptiones à noſtris regionibus & mentibus abſtulerunt. Nunc verò, quia idem domnus & pater noſter Nicolaus Papa ſuis epiſtolis ex hoc negotio à vobis ſanxit refricari iudicium, monente Apoſtolo, *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*, quod priuilegio Apoſtolicæ ſedis de ipſis fratribus decernit vel decreuerit, vt competit meæ ſubditioni, obedio & obediam, ſicut hactenus conſeruaui ea, quæ domni Benedicti & ſua fuerunt auctoritate firmata. Et itẽ dicente Apoſtolo: *Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata*, ſicut ſeruaui, vſque in præſens quæ prædeceſſores quorumdam veſtrorum cum quibuſdam ex vobis regulariter ex iiſdem fratribus diffinierunt: ita & quę de ipſis canonicè iuxta tenorem epiſtolarum domni Apoſtolici diffinieritis, priſcis, vt dicit Gelaſius, pro ſui reuerentia manentibus conſtitutis, & reſeruato per omnia ſententiæ ac iuris priuilegio Apoſtolicæ ſedis, regularibus veſtris diffinitionibus, ſollicitus ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, conſentiam. Qui iſtorum fratrum, de quibus agitur, vel quorumcumque aliorum felicitati non inuideo; nec per quamcumque malitiam eos nocere feſtino: quorum ſalubrem ac regularem ſtatum & cupiui & cupio, & quæſiui & quæro, & de quorum deiectione dolui ſatis ac doleo, quia nemo maius diſpendium de illorum deiectione habet, quàm ego. Quos, ſicut mihi domnus Apoſtolicus dignatus eſt ſcribere, iuſtum quid vel pium ſentiens, ſine retractatione in ſuis ordinibus conſenſu ac iudicio coepiſcoporum Remenſis prouinciæ reſtituere maturarem, ſi illos ab eiſdem gradibus cum eorum tantùm iudicio deieciſſem. Ad quod me, iuxta eius verba diſcretiſſima, quia eos non deieci, flecti munda conſcientia non permiſit. Et hoc meo auſu facere vereor, quoniam à vobis, aut à deceſſoribus veſtris, quinque videlicet prouinciarum Epiſcopis, quorum meo conſenſu expetierunt iudicium ſecundum ſacros canones electorum ex conſenſu partium diffinitione fuere deiecti. Et idcirco aliorum opus in illorum reſtitutione nullatenus vſurpare præſumpſi: quia, ſicut ſcitis, regulæ ſacræ vſque ad ſimilem excuſationis vindictam decernunt, vt ab aliis deiecti ab aliis non recipiantur, minimè autem reſtituantur: ſed aut eorumdem, aut maioris Concilii Epiſcoporum diſcuſſiones ac iudicia præſtolentur. Et quia Leo dicit, vt in his quę vel dubia fuerint, aut obſcura, id nouerimus ſequendum, quod nec præceptis Euangelicis cõtrarium, nec decretis ſanctorum inueniatur aduerſum: & domnus ac pater noſter Nicolaus Papa vobis, vt mihi videtur, ſcripſit, quoniam quę ſtatuta ſunt de præfatis viris, violanda non ducat, niſi forſan ſacris legibus inueniantur aduerſa, ſimplici ac ſincera cordis intentione ex regulis ſacris perſpicuè tarditati ſenſus mei monſtrari expecto, vtrum quæ diffinierunt fratres & coepiſcopi noſtri, ſicut hactenus obſeruata ſunt, de cætero vt regulis concordantia debeant obſeruari; an illorum diffinitio vt inuenta legibus ſacris aduerſa debeat refutari. Sed & mihi oſtendi expecto apertiùs, quàm in ſuis ſacris litteris intelligere valeam, ſi domni Benedicti, ac eiuſdem domni Nicolai ſuper eandem diffinitionem ſub anathemate confirmationis priuilegia, niſi fortè illa ipſe ſua ſingulari auctoritate diſſoluenda & immutanda viderit, quorum ſummam firmitatémque nobis omnibus ſcripſit in Apoſtolicæ ſedis reſeruatam arbitrio poteſtatis, nos ſine regularum & ſedis Apoſtolicæ præiudicio, ſinéque noſtro communi periculo, diſſoluere & immutare poſſimus: Cæleſtino dicente, quæ à nobis res digna ſeruabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permiſſa frangatur? Sed & à nobis non eſt parui pendenda granditer Leonis
» Papæ ad Leonem Auguſtum de ſe ſcripta ſententia: Si quæ, inquit, deſtruxi hæc ædifi-
» co, præuaricatorem me conſtituo, & eis me vltionum conditionibus ſubdo, quas non

Heb. 13. 17.

1. Cor. 1. 11.

Decr. cap. 2.

Epiſt. 95 ad Ruſticum Mart.

Epiſt. 3. ad Epiſcopos Apulię & Cal. Epiſt. 84.

ſolùm auctoritas beatæ memoriæ Martiani, ſed etiam ego mea confeſſione firmaui. De quibus vltionum conditionibus quid à ſancto Spiritu per Concilia prouinciæ Africæ, quidue Dei ſapientia, qua vt ſcriptum eſt conditores legum iuſta decernunt, legibus ſit decretum, melius ipſi ſcitis. Quòd ſi etiam hoc de ſe intelligens, & his legum conditionibus ſubdi tantus Papa & primæ ſedis Pontifex præcauendo refugit, qualiter eiſdem vltionum conditionibus ſubdi præcauendo timere nos debeamus ſubiecti, patenter oſtendit. Sed & de contempto anathemate neceſſitate, (quanto magis deliberatione?) ritè prolato, quod in præfatis priuilegiis continetur, quid S. Gregorius ad Theoctiſtam patriciam dicat, ſapientiam veſtram à Deo doctam non latet. Et Symmachus dicit ad ipſam ſacroſanctam Catholicam religionem pertinere: cuius omnis poteſtas infringitur, niſi vniuerſa, quæ à Domini ſacerdotibus ſemel regulariter ſtatuuntur, perpetua ſint: quod aliàs contingere poterit, ſi ſucceſſor deceſſoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ geſta ſunt, faciat rata eſſe quæ geſſerit.

Lib. IX. epiſt. 79.

Epiſt. 1. ad Aeonium.

" Et Gelaſius: Patres, inquit, noſtri catholici videlicet doctique Pontifices, quicquid " pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque Apoſtolica, ſecundum ſcri- " pturarum tramitem, traditionémque maiorum, facta ſemel congregatione ſanxerunt, " inconuulſum voluerunt deinceps firmúmque conſtare: nec in hac eadem cauſa de- " nuò quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præſumptione permiſerunt. Sa- " pientiſſimè peruidentes, quoniam ſi decreta ſalubriter cuiquam liceret iterare, nullum " contra ſingulos quoſque prorſus errores ſtabile perſiſteret Eccleſiæ conſtitutum, ac ſemper iiſdem furoribus rediuiuis omnis integra diffinitio turbaretur. Hæc itaque de litteris diuinitus inſpiratis accepta, vel pro rei notitia manifeſtata, non ad reſultãdum, quod abſit, in aliquo domni Papæ decretis Apoſtolicis, vel ad reſiſtendum veſtris regularibus diffinitionibus profero: ſed vt quomodo his quæ in deiectione illorum diffinita ſunt hactenus obediui, ſic in eorum reſtitutione, cuius eſtis à domno Apoſtolico arbitri conſtituti, ſi à vobis fienda canonicè inuenta & patrata fuerit, quantum ex me eſt, præfatis regulis ſacris, & Epiſcopalibus atque Apoſtolicæ ſedis exinde confirmationibus, periculosè non obuiem: & à præceptionibus, quæ in Apoſtolicis epiſtolis continentur, à quibus Domino annuente vel tranſuerſo, vt dicitur, vngue ſcienter & per contumaciam non exorbitabo, in nullo per ignorantiam deuiem, & qualiter abſque diſcrimine ſequi debeam regularem veſtram, quorum ex delegatione ſedis Apoſtolicæ intereſt, diffinitionem, per ipſarum regularum tramitem liquidò cognoſcere valeam. Ad hoc enim vel maximè ad Synodum venit Epiſcopus, vt aut diſcat, aut doceat, aut corrigatur, aut corrigat. Et Cæleſtino dicẽte, vt nulli ſacerdoti ſuos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum poſſit regulis obuiare, neceſſe eſt vt ea hinc decernatis, ne aut in quæſtionem reueniant, aut occaſio exinde alicuius præſumptionis exſurgat, aut illa diſſoluere temporibus noſtris vel ſucceſſorum noſtrorum " oporteat. Quanta, inquit Symmachus, vicariis beatiſſimi Petri Apoſtoli iudicabitur " eſſe reuerentia, ſi quæ in ſacerdotio præcipiunt eiſdem tranſeuntibus diſſoluantur? " quia vt idem dicit, non poteſt ex parte firmum eſſe quod generalitatis tangit iniuriam.

Epiſt. 11. ad Dardanos.

Decret. 20. Epiſcopis per Apuliam, &c.

Epiſt. 1. ad Aeonium.

HAEC QVAE SEQVITVR SCEDVLA SECVNDA porrecta eſt Synodo, clàm dicente quodam interdum non depoſitum, interdum fuiſſe reſtitutum Ebonem.

Cap. 1.

HINCMARVS Remorum Epiſcopus ſanctæ Synodo domni Papæ Nicolai auctoritate conuocatæ. DE EBONE, vnde quidam loquuntur, qui cauſam eius neſciunt, vel ſcire aut audire non volunt, cum quocumque per contentionem nullam conſeram quæſtionem, quia nec domnus Apoſtolicus mihi agendum hoc ſcripſit, nec cum eodem Ebone in vita ſua extiti altercator, nec poſt mortem eius illius ſum derogator, nec eius ſedis inuaſor extiti, quam ab eo ſecundum regulas ſacerdotio defuncto quartus, poſt eos qui eam tenuerunt, canonicè in ea electus & ordinatus regendã ſuſcepi. Ratione autem dictante, quam omni poſcenti negare non debeo, veritatem proferre licitè valeo. Idem namque à ſe, iuxta ſacras regulas & traditionem Eccleſiaſticam, ac decreta ſedis Romanæ pontificum, Zoſimi, Ioannis, atque Gregorij, ſicut ab eis conſtitutum multoties legitur, per profeſſionis ſuæ libellum, ea moderatione, quam Leo magnus Papa decreuit ad

vniuerſos Epiſcopos per Samnium, Picenum, & Tuſciam, dictatum & propria manu Leo epiſt. 86.
ſubſcriptum, in Synodo ſe depoſuit, & Epiſcopali miniſterio ſpoliauit, atque ſecun-
dum ſuam profeſſionem & ſubſcriptionem à quadraginta tribus Epiſcopis iudicium
depoſitionis ſuſcepit; ſicut ille ipſe libellus, quem Synodo porrexit, & notitia Synoda-
lis, quæ habemus, euidenter oſtendunt. Vt enim dicit Gelaſius, ideò vocatur ad iudi-
cium certa quæcumque perſona, vt aut fateatur obiecta, aut vt conuincatur obiectis.
Sed hunc & actio pene omni mundo nota conuicit, & ipſe propria ſe voce & ſubſcri-
pta profeſſione damnauit. Poſtea verò ſine vlla regulari reſtitutione idem miniſte-
rium Epiſcopale, quo ſe priuauerat, contra ſacros canones vſurpauit. Et demum ſub
Papa Sergio Romam veniens, ab eo, vt damnatus in laica tantùm communione ma-
neret, diſtricta ſententia, ſicut & geſta ipſius Papæ demonſtrant, condemnatus fuit.
Qui cùm metropolis Remorum, in qua fuerat ordinatus, per decennium poſt depoſi-
tionem eius paſtore vacaret, ſed & vſque ad terminum vitæ ſuæ, cùm fere decem &
ſeptem annis poſt damnationem ſuam vixerit, eandem ſedem, qua regulariter ſe priua-
uit, canonicè non repetiit, nec obtinuit, neque vllum canonicæ ſuæ reſtitutionis docu-
mentum Synodo cuilibet, vel principibus terræ, ac populis, qui eum damnatum fuiſ-
ſe nouerant, ſecundum regulas ſacras oſtendit. Et ſi quis vult dicere, eum fuiſſe regu-
lariter, conſenſu Epiſcoporum, vel ſedis Apoſtolicæ reſtitutum, ſicut ſanctus Gelaſius In Tomo de
in decretali ſua epiſtola de Acacio dicit, quem ſui complices ac fautores reſtitutum anathem.
fuiſſe fingebant: doceat à quibus, & vbi ille conſenſus reſtitutionis ſit geſtus; ſi ſecun- vinculo.
dum Eccleſiæ regulas celebratus, ſi paterna traditione profectus, ſi maiorum more
prolatus, ſi competenti examinatione depromptus, ſi ad primam ſedem, cuius intere-
rat, de ſententia qua tenebatur obſtrictus, ſecundum Eccleſiæ regulas eſt relatũ, ſi ea-
dem quę ligauit abſoluit. Si hęc ita geſta non ſunt, cùm nec à Pontificibus legitimè &
Eccleſiaſticis legibus fuerit expeditus, nulla ſæculari poteſtate potuit præter Eccleſiæ
tramitem prorſus abſolui. Nec quiſquam ei poſt depoſitionem quaſi reſtituto commu-
nicare debuerat, in ea dumtaxat cauſa, vnde à ſeipſo & ab Epiſcoporum Concilio, in-
ſuper & ab Apoſtolica ſede excommunicatus extiterat, ſine reſtitutionis ſuæ canoni-
cis litteris, ab iis à quibus fuerat reſtituturus ſecundum morem confectis, ſicut ſacri ca- Felix in Sy-
nones, & decreta Felicis Papæ demonſtrant. Quapropter, vt Leo ad Theodorum ſcri- nodo Rom.
bit, quod manens in corpore non recepit, conſequi exutus carne non poterit. Vnde Leo epiſt. 59.
taliter viſum eſt de illo tenendum, ſicut Gelaſius de Acacio dicit: Talis eſt, inquiens,
dictus, qualis ligatus eſt, talis vſque in finem permanſit, talis eſſe non deſtitit. Ita talis
eſt hodie, qualis eſt & dictus, non talis eſſe iam non poteſt, numquam igitur talis per-
manendo ſoluendus eſt. Et conſtat quia comedens fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis
ſaturatus, docente Innocentio, qui particeps factus eſt damnato, quomodo debeat ho-
norem accipere inuenire non poſſum: dimiſit reliquias ſuas paruulis ſuis. Sed & de eo
omnem quæſtionem, ſecundum leges Eccleſiaſticas & mundanas; quas probat Eccle-
ſia, qui damnatus fuit anno Incarnationis dominicæ DCCCXXXV. Indictione XIII. ſub
die Kalendarum IV. Nonas Martij, iam tricennale & ampliùs eo tempus excludit.

Cap. II. Sed dicitur vſque ad vitæ ſuæ terminum Epiſcopale miniſterium in omni-
bus Eccleſiaſticis muniis peregiſſe. Quæ præſumptio à ſanum ſapiẽtibus non ſumitur
in exemplũ: quia & in veteri & in nouo ſacerdotio verus hoc artificium eſt diaboli, &
quia plures hoc præſumpſerunt, ſicut Bonoſus, contra cuius morbum Innocentius, &
Proculus, aduerſus quem laborauit non modicè Zoſimus, & Acacius, quem deiecit
Felix, & ſequens ſacros canones, ac decreta prædeceſſorum ſuorum, cum præſumptio-
ne & vſurpatione ſua peremit & extinxit Gelaſius. Et plures alij fuerunt, qui in hanc
præſumptionis ſententiam tranſierunt, & tranſeuntibus conſenſerunt. de quibus in
noſtro ſæculo quoſdam audiuimus, quoſdam etiam qui hoc egerunt vidimus. Sed mo-
nente ſcriptura non debemus turbam ſequi ad malè agendum, & vt Innocentius lo- Decret. 56
quens de Bonoſo dicit: Quotiens à populis, aut à turba peccatur, quia in omnes pro- Epiſt. Rufo,
pter multitudinem non poteſt vindicari, inultum ſoleat tranſire. Priora ergo dimit- Euſebio, &c.
tenda dico Dei iudicio, & de reliquo maxima ſollicitudine præcauendum. Et de in-
congruo ſacris ſcripturis ac ſanctorum decretis multorum conſenſu, item in decretis
Apoſtolicæ ſedis legitur, quia etſi omnes ſacerdotes, & mundus adſentiat, damnatio
conſentientes inuoluit, non præuaricationem conſenſus abſoluit. Non enim crimen
minuitur, ſed adcreſcit, cùm generale ſit ex priuato. Hoc enim Deus omnium indica-
uit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit: & ſacrum dicit Nicænum Can. 5.

Concilium, quia quod inreprehenſibile eſt catholica defendit Eccleſia. Nam ſi hoc
impune fuerit licitum, vt hi auctoritatem in ſacris ordinibus miniſtrandi, vel eoſdem
ordines tribuendi vſurpent, qui aut penitus non acceperint, aut contra regulas ordines
ſacros acceperint, aut quibus regulariter miniſterium ſacrorum ordinum fuerit inter-
dictum, omnis ordo & vigor Eccleſiaſticus non tantùm nutabit vel confundetur,
quàm penitus deſtruetur.

CAP. III. Quia denique in Moguntina prouincia miniſtrauit, contra omnem
Can. 16.17.18. auctoritatem eſſe cognoſcitur. Nam Antiocheni canones de vacante Epiſcopo,
& vacante Eccleſia regulam præfixerunt: ſed & de illo, qui manus impoſitionem
Epiſcopatus accipit & miniſtrare detrectat; necnon & de illo, qui ordinatus nul-
lo ſuo vitio ad parrochiam, in qua ordinatus fuerat, non accedit. De quibus regulis
Can. 22. nulla Eboni conuenit. Et canones Sardicenſes de vim iniuſtè patientibus, & pro diſci-
plina & catholica confeſſione, vel pro defenſione veritatis expulſis, vel pericula euade-
re quærentibus, quid teneri debeat manifeſtè demonſtrant. Sed nec iſta regula Ebo-
nem abſoluit: cùm & ſacerdotes, & omnis pene mundus, & ipſa etiam ſedes Apoſto-
lica, eius falſis criminibus appetitum, quadam traditione pro honoribus cum iuramen-
to exinde acceptis venditum, & ab imperio, atque ab ipſo Eccleſiæ aditu, pium Augu-
ſtum Hludouicum ſatagente ipſo abiectum grauiſſimè ingemuerit, & innoxium à cri-
minibus inuentum, & iuſtiſſimè reſtitutum, totus in orbe terrarum mundus gaudio
exultauerit, & Ebonem deiiciendum, qui inreuerentiùs manum in Chriſtum Domini
miſerat, vt reum maieſtatis, vnà cum ipſo clamauerit. Sed neque neceſſitate cogente,
Can. 20. propria amiſſa prouincia, ſecundum Calchedonenſes canones, ciuitate in qua ordina-
tus fuerat captiuata, pulſus ab hoſtibus extitit, vt alibi incardinari valeret; ſicut in de-
cretis B. Gregorij, & aliorum ſedis Romanę pontificum inuenimus: nec iniuſtè & con-
Can. 3. tra regulas ſacras deiectus, & regulariter ſedi ſuæ ſecundum Sardicenſes canones iuſ-
ſu ſedis Apoſtolicæ refricato iudicio reſtitutus, vllo documento canonico inuenitur.
Quapropter ab ipſa, vbi immorabatur, parrochia contra Concilium Africanum appe-
titus, vt ibi decretum eſt, poteſtate iudiciaria per rectorem prouinciæ protinus exclu-
di, & neque ab Eccleſiis quibus præfuit, neque à quolibet homine defenſari debue-
rat. Conſtat ergo iuſtè deiectus ea quæ ſua non fuerant præſumpſiſſe. cuius non ne-
ceſſe eſt nos merita actúſque diſcutere, cùm habeat conſcientiæ & operis ſui teſtem
quem habet & iudicem. Nam vt Leo dicit, quæ patefacta ſunt quærere, & quæ perfe-
cta ſunt retractare, & quæ ſunt diffinita conuellere, quid aliud eſt, quàm de adeptis
gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cu-
piditatis extendere?

CAP. IV. De mea etiam ordinatione, cui fortè ſi aliqui occultè, quod apertè
non audio, derogant, in nullam altercationem contra quemcumque intrabo, quia
ſicut dicit Apoſtolus, in mortuis teſtamentum eſt confirmatum. Nam cùm Re-
Hebr. 9.17. menſem Eccleſiam Folco fere per nouem annos ſine vlla regulari Ebonis reclama-
tione tenuiſſet, & poſt eum Noto pene per annum & dimidium eandem ſedem ſimi-
liter ſine vlla Ebonis repetitione tenuiſſet, ſub Sergio Papa in Synodo plurimorum
Archiepiſcoporum & Epiſcoporum apud Bellouacum diœceſeos Remorum habita,
à clero & plebe ipſius metropolis, ſed & ab Epiſcopis eiuſdem prouinciæ petitus, & ab
Archiepiſcopo tunc meo, & proprio Epiſcopo, necnon & à coepiſcopis ipſius prouin-
Can. 12. ciæ, ſecundum Laodicenſe Concilium, cum conſenſu Abbatis mei, & fratrum mona-
ſterij in quo degebam, Epiſcopis Remenſis prouinciæ, & clero ac plebi ipſius metro-
polis per canonicas litteras traditus, & cum decreto canonico, præſentia vel conſenſu
omnium ſuffraganeorum ipſius metropolis, & à metropolitano meo, qui me illis tradi-
derat, ſum in eadem Eccleſia, omnibus acclamantibus, abſque vllius contradictione vel
repetitione, canonicè, & ſecundum decreta ſedis Romanæ pontificum ordinatus: ipſa-
que ordinatio mea non ſolùm Remorum prouinciæ Epiſcoporum, ordinatorum vide-
Can. 56. licet meorum, ſecundum Africanum Concilium ſubſcriptionibus eſt roborata, verùm
& omnium pene Galliarum, atque Neuſtriæ, necnon & Aquitaniæ Epiſcoporum ma-
nibus ſubſcripta epiſtola ad præfatum Sergium Papam vnanimiter dirigenda; ſed &
edicto domni regis Karoli manu propria confirmato, & ſigillo ipſius corroborato, eſt
comprobata. Quæ omnia Sergio, antequam mittere ad illum concurrerem, in breui
defuncto, Leoni Papæ ſunt miſſa. Indéque à domno Imperatore Hlothario ſuam epi-
ſtolam eidem Leoni Papæ dirigente, in qua ſcripſit quantum pro reſtitutione Ebonis

apud Sergium Papam ſategerit, & nihil obtinere potuerit, fauoribus proſecuta, & ab eodem Leone Papa & vſu pallij, & priuilegio ſedis Apoſtolicæ, ac pluribus Apoſtolicis ſuis epiſtolis, vt videlicet in loco paſtoris ſacerdotio defuncti, eſt multotiẹs adprobata. Quamque ordinationem meam, ſanctæ memoriæ gratia & nomine Benedictus, ſed & domnus ac pater noſter Papa Nicolaus, ſuis priuilegiis eam corroborarunt. Quæ in Epiſcopali Concilio & ante ordinationem electio, & poſtea ordinatio canonicè patrata fuiſſe, non contra cuiuſcumque quæſtionem, ſed aduerſus ſuſurrantium atque occultè muſitantium derogationes, vt omnis iniquitas oppilaret os ſuum, ex ſacris regulis eſt demonſtrata. Sed & illud in cauſâ eſt, cur inde in nullam altercationem contra quemcumque modò intrare non deliberem, quoniam domnus Papa ſuis Apoſtolicis litteris mihi non ſcripſit, vt cuicumque inde per quæſtionem debeam reddere rationem. Quod non de diffidentia dico, quaſi documenturum probamentis ad iſta deficiam, in quo iure ſi quis audet, audeo & ego: Sed Leonis ad Leonem Auguſtum verba « Epiſt. 8. pro modulo meo ſequens, dicentis, quia de rebus & apud Nicæam, & apud Calchedonem, ſicut Deo placuit definitis, nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma ſint, quæ tanta per ſanctum Spiritum fixit auctoritas. Cùm tantus ac tantæ ſedis Papa ſe ad hæc dixerit non audere, ego tātillus homuntio ſuper ea quę tot Conciliorum & tantorum pontificum ſedis Apoſtolicæ de ordinatione mea qualiſcumque plebis Dei famuli, ſicut certiſſima monimenta declarant, adprobauit & fixit auctoritas, tamquam de re dubia vel infirma, nullum audeo inire certamen.

CAP. V. De his autem fratribus noſtris, de quibus nuper nobis communiter domnus Apoſtolicus ſcripſit, ſi vobis ad Apoſtolica ſcripta non ſufficit breuis à me data reſponſio, ecce habetis geſta Epiſcopalia, & priuilegia domni Benedicti, & domni Nicolai, quæ vobis demonſtrant qua ratione, & quo ordine, quáue auctoritate, & à quibus, & vbi, & quando patrata ſint quæ in eos acta fuerunt. Quibus omnibus perſcrutatis, ſecundum domni & patris noſtri Apoſtolici Papæ diſcretiſſimum ac regulare mandatum, quod iuſtum & pium inueneritis, ſecundum canones ſacros decernite, & abſque vlla, quantum ex me eſt, contradictione perficite: quia ſicut in præcedenti ſcedula vobis ſcripſi, nec illius Apoſtolicis præceptis, nec veſtris regularibus definitionibus contradicam.

CAP. VI. Ceterùm ſi veſtræ beneplacitæ voluntati neceſſarium viſum fuerit, non ad vllam contentionem, nec aduerſum alicuius quæſtionem, ſed ob pleniorem rei notitiam, vt de Ebonis adhuc latiùs regulari depoſitione, & nulla canonica reſtitutione, ſed & de mea qualiter celebrata ſit ordinatione, vel qua ratione fratres & coepiſcopi noſtri in Synodo Meldenſi filios Remenſis Eccleſiæ, de quibus agitur, ſuſpenderunt, vel vnde accepit Sueſſonica Synodus non debere in gradibus Eccleſiaſticis eos manere, rationem & ordinem, atque auctoritatem, quæ ibi oſtenſa, & à ſollicitudine exiguitatis meæ ſuſcepta ſunt, ne offendam reticens dicendam in tempore veritatem, veſtrę fraternitati pandere non negabo. Tantùm vt non vos moroſa, & fortè vobis, ſi nota eſt, non neceſſaria ratio tædeat, & ſic veritas à mè poſſit oſtendi, quatenus veſtræ vnanimitatis caritas erga me debeat conſeruari. Qui abſque noſtro detrimento non ſolùm fratribus, ſed & inimicis prodeſſe deſidero, & Apoſtolicis mandatis quacumque contumacia non reſulto, nec fraternis veſtris monitis & regularibus diffinitionibus intentionem vel manus obuias tendere paro. ea tamen conditione, quod & vos velle & ſtudere cognoſco, vt regularum ſtatus & ſedis Apoſtolicæ priuilegium maneat, & commune periculum noſtrum vitari præualeat.

POST HANC SCEDVLAM Synodo oſtenſa ſunt geſta Epiſcopalia Sueſſonicæ Synodi, per manus Hincmari Laudunẽſis Epiſcopi, & geſta Synodi Bituricenſis prouinciæ per manus Raginelmi Tornacenſis Epiſcopi: & priuilegium domni Benedicti per manus Erchanraui Catalaunenſis Epiſcopi, & priuilegium domni Nicolai per manus Hodonis Beluacenſis Epiſcopi. Et poſt hæc omnia, data eſt quæ ſequitur ſcedula, qualiter priſcis, vt dicit Gelaſius, pro ſui reuerentia manentibus conſtitutis, & ſaluis Apoſtolicæ ſedis priuilegiis, cum eorum etiam ſaluamento, qui Synodo ſubſcripſerunt, in qua fratres de quibus agitur, fuere deiecti, per indulgentiam & auctoritatem domni Papæ in ſuis ordinibus recipi & prouehi poſſint abſque contradictione, migratis iam omnibus, qui in Ebonis depoſitione fuerunt, Epiſcopis, excepto ſolo Rothado: ſed & eis qui illi excommunicato dicebantur communicaſſe, & aliis in eorum locis ſubſtitutis. ac per eos, vt ita dicamus, innumeris ordinatis tantùm vt de cetero ſcandala, quæ hinc valent emergi, domni Apoſtolici auctoritate & prouidentia deuitentur.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS REMIGIO, Vveniloni, & ceteris Archiepiſcopis & Epiſcopis, domni Papæ Nicolai auctoritate ad Synodum, quò & exiguitatem meam cum coepiſcopis noſtris venire præcepit, in hanc Sueſſorum ciuitatem pro cauſa Vulfadi & collegarum eius conuocatis.

Epiſt. 2. ad Exuperium. Epiſt. 95. ad Rusticum.

LEGIMVS ſcribente beato Innocentio, quòd de quibuſdam obſeruatio prior durior, poſterior interueniente miſericordia inclinatior eſt. Et S. Leo dicit, quia ſicut quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione conuelli, ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum, oporteat temperari: velut & de quodam indulgentiæ iure dicit: in quo inquiens non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus. Et facundiſſimus Gelaſius: Priſcis, inquit, pro ſui reuerentia manentibus conſtitutis, quæ, vbi nulla vel rerum vel temporum perurget anguſtia, regulariter conuenit cuſtodiri; hic procul dubio, qui in Eccleſiaſticarum narratur altitudine dignitatum, & in cuius virtute bonis operibus corda ponenda ſunt, gradibus vtique diſtributis, cunctis Deus noſter & rector populis prædicandus eſt Chriſtianis. vbi nemo ſibimet aliquid iam æſtimet imminutum, cùm & de vniuſcuiuſque gradus perfectione nil deperit, & conuenienter retinendo quod cæleſti diſpenſatione conlatum eſt, pariter nobis & cognoſcibilem Deum fieri, & tribuit eſſe rectorem. Nam etſi quid indulgetur de temporum quantitate, motibus adgregata ſtrenuitate penſatur, ſi vitæ iam propoſito continetur, quod protelata fuerat ætate curandum: dummodo illa nullatenus diſſimulata ſubripiant, quorum quodlibet ineſſe claruerit, meritò clericalibus infulis reprobabilem conuincat eſſe perſonam. Et ſi illa nonnunquam ſinenda ſunt, quæ, ſi ceterorum conſtet integritas, ſola nocere non valeant: illa tamen ſunt magnopere præcauendo, quæ recipi ſine manifeſta decoloratione non poſſint. Et Africanum Concilium de virginum velatione retractans, ita manere conſtitutionem prioris Concilij, vbi nulla perurget neceſſitas, decreuit, vt non obſit poſteriori Concilio certis pro cauſis ea quæ conſtituta fuerant immutanti: nec poſterius Concilium priori obuiet, vbi nulla illud perurget neceſſitas immutare. Sed & de Donatiſtis decreuit, vt conſentientibus fratribus & coepiſcopis, maximè autem Apoſtolica ſede, à quibus inde fuerat diffinitum, quatenus ſecundum vniuſcuiuſque Epiſcopi catholici voluntatem atque conſilium, qui in eodem loco gubernat Eccleſiam, ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit, in ſuis honoribus ſuſcipiantur, ſicut prioribus eiuſdem diuiſionis temporibus factum eſſe manifeſtum eſt: quod multarum & pene omnium Africanarum Eccleſiarum, quibus talis error exortus eſt, exempla teſtantur. Non vt Cõcilium, quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt, diſſoluatur: ſed vt illud maneat circa eos qui ſic tranſire ad catholicam volunt, vt nulla per eos vnitatis compenſatio procuretur. Per quos autem vel omnimodo perfici, vel adiuuari manifeſtis fraternarum animarum lucris catholica vnitas in locis quibus degunt viſa fuerit, non eis obſit quod contra honores eorum, quamuis ſalus nulli interclusa ſit, in tranſmarino Concilio ſtatutum eſt. Vnde manentibus ſtatutis, abſque regularum & Apoſtolicæ ſedis præiudicio, & iudicantium vllo diſcrimine, quos non ſolum auctoritas Carthaginienſis Concilij ab omni næuo defendit, ſi eorum fuerit ſoluta ſententia, qui conuinci non poſſunt vel inimico animo iudicaſſe, aut aliqua cupiditate aut gratia deprauati: verùm & idem Concilium, ſed & Antiochenum, atque decreta ſedis Romanæ pontificum, Innocentij, Zoſimi, atque Leonis, eos commendant, per quæ ſua confirmauere iudicia, quæ fratres & coepiſcopi noſtri in Sueſſonica Synodo Remẽſis Eccleſiæ filiis, ab Ebone poſt depoſitionẽ ſuam ordinaris, cenſura Eccleſiaſticæ ſeueritatis iudicauerunt, vbi eos non iudicaui, nec cum iudicibus eorum ſubſcripſi manente etiam, vt oportet & neceſſe eſt, auctoritate priuilegiorum domni Benedicti, & domni ac patris noſtri Nicolai Papæ: ſi illi placet cui cuncta bona placent, vt deceſſoris ſui Benedicti & ſua priuilegij à ſe confirmati ſententia de his fratribus propter miſericordiam per indulgentiam immutetur, vbi exinde ſcriptum habetur, ſaluo Romanæ ſedis in omnibus iuſſu atque iudicio: & aliter decretum confirmetur, nobiſque tenendum mandetur, iuxta moderationem Innocentij, qui obſeruationem priorem duriorem, poſteriorem autem interueniente miſericor-

Margin notes: Epiſt. vi ad Epiſcopos per Lucaniam, &c. — Conc. Afric. Can. 93. — Can. 35. — Epiſt. 2. ad Exuperium.

miſericordia Inclinatiorem dicit. & veſtra fraternitas, qui eoſdem fratres iudicaſtis,
vel quorum deceſſores illos iudicauerunt, vnanimi benignitate, iuſtitia, pietate con-
dita conſenſerit atque decreuerit, ſicut ſacra & myſtica Nicæna ſynodus de Nouatia- Can. 8
nis, & per indulgentiam, in epiſtola ad vniuerſos Epiſcopos per Ægyptum, Libyam, &
Pentapolim conſtitutos, de Meletio damnato clementi conſilio, dum ſubtili verá-
que ratione nullam veniam mereretur, & ab eo poſt damnationem illius ordinatis,
quos Meletianos appellat, decreuit. Nam idem Meletius, vt in veraci & recipiẽda hi-
ſtoria legimus, vnius ciuitatis Ægyptiorum Epiſcopus, ſub Petro Alexandrinæ ciuita-
tis Archiepiſcopo, qui ſuſcepit Diocletiano imperante martyrium, depoſitus eſt, &
propter alias multas cauſas, & maximè quia in perſecutione fide negata ſacrificauerat.
Ergo damnatus habuit multos ſequaces, & hæreſiarches factus eſt eorum qui hacte-
nus ab eo in Ægypto Meletiani vocantur, nullam iuſtitiæ ſatisfactionem habens cur
remanſerit ab Eccleſia ſeparatus. Dicebat quidem iniuſtitiam ſe paſſum, & obloque-
batur ſibi, derogabátque Petro. Sed Petrus in perſecutione percepta martyrij palma
defunctus eſt. iſte verò retulit detractiones in Achillam qui, poſt Petrum ſuſcepit Epi-
ſcopatum. & rurſus in Alexandrum, qui poſt Achillam, noſcitur ordinatus. Inter hæc
igitur ſuperuenit quæſtio Arriana, & Meletius vnà cum ſuis defendebat Arrium, con-
ſpiratione facta cum eo aduerſus Epiſcopum. De quo Meletio, & eius complicibus,
præfata ſacra Synodus in præſcripta epiſtola pacis redintegrandæ & vnitatis gratia
hæc decreuit ad locum: Placuit, inquiens, Meletium quidem clementi conſilio, dum Epiſtola
ſubtili veráque ratione nullam veniam mereretur, manere quidem in propria ciuitate, Conc. Ni-
nullam verò omnimodis habere poteſtatem neque eligendi, neque ordinandi, nec in cæni ad Æ-
prouincia, nec in qualibet ciuitate, purúmque nomen tantummodo poſſidere. eos gyptios.
autem qui ab eo ſunt conſtituti, myſtica ordinatione firmatos habere honorem & mi-
niſterium, vt tamen ſequentes ſint modis omnibus vniuerſorum, in ſingulis parrochiis
& Eccleſiis à cariſſimo & comminiſtro noſtro Alexandro cõſecratorum, vt in his nulla
poteſtas ſit placitos ſibi eligere, aut nomina eorum præferre, aut omnino aliquid agere
præter voluntatem Eccleſiæ catholicæ præſulis Alexandri. Gratia namque Dei, &
orationibus veſtris, in nullo ſchiſmate repertos, ſed ſine macula in catholica & Apo-
ſtolica Eccleſia permanentes, dignum eſt poteſtatem habere & eligendi quemlibet, &
nomina eorum dandi qui clero ſunt digni, & abſolutè facere omnia ſecundum legem
& ſanctiones Eccleſiæ. Si quem verò contigerit requieſcere in Eccleſia, tunc prouehi
in honorem defuncti eos qui nuper adſumpti ſunt, ſolummodo ſi videantur digni, &
populus eos elegerit, condecernente ſimul & conſignante maximè Alexandriæ ciuita-
tis Epiſcopo. Hoc itaque aliis quidem conceſſum eſt omnibus: in perſona verò Meletij
nequaquam eadem placuerunt propter priorem indiſciplinationem eius, & propter
procacitates eius, ac petulantiæ voluntatem: ne vlla daretur auctoritas vel poteſtas ho-
mini, qui poſſet rurſus eaſdémque indiſciplinationes inſtruere. Et Anaſtaſius iunior
Papa ad Anaſtaſium Imperatorem ſcribens de ordinatis à damnato Acacio, recipien- Epiſtola vni-
dos in ſuis ordinibus dicit. Quamquam eadem epiſtola ſacris canonibus, & decretis ca.
Innocentij, Zoſimi, & Leonis, atque Gelaſij à quibuſdam non conuenire dicatur. quia
vt ambigua ſententia in eadem epiſtola idem Anaſtaſius ſcribit, & baptizauit catholi-
cè, non canonicè, nec ſecundum ſacras regulas, neque ſecundum Eccleſiæ catholicæ
conſuetudinem ſacerdotes vel leuitas dãnatus ordinauit Acacius. quia poſſunt etiam
interdum laici catholici baptizati, vt dicit Gelaſius, catholicè baptizare, & etiam cri-
minoſi adhuc ſedentes ſuper cathedram, ſicut ſcribę & phariſæi, & ſicut Iudas pro mi-
niſterij dignitate inter Apoſtolos ſibi commiſſa, & nondum iudicio aperto amiſſa, pro
ſuo officio quæ in eodem miniſterio operanda ſunt operari. Sunt & alia, quæ hîc poni
poterant, niſi obuiari eis ab aliis cõſtitutis ſanctorúmque decretis manifeſtè cognoſce-
rentur. quoniam, vt Daniel dicit, *pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia*, aliter Dan. 12. 4.
de huiuſmodi decreta fuiſſe inueniuntur. Et idcirco iſta poſuiſſe ſufficiat, quæ indul-
gentiæ potiùs miſericordiam ſequi, quàm cenſuram iuſtitiæ intentare videntur. His
ergo ita ſe habentibus, quantum ex me eſt, ſedis Apoſtolicæ benignitati, & veſtræ fra-
ternitatis beneplacitæ conſenſioni, ſollicitus ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pa-
cis, in fratrum iſtorum regulari ſtatu non obuio. Quorum, ſicut in præcedenti ſcedula
vobis porrecta præmiſi, ſalubrem ac regularem ſtatum & cupiui & cupio, & quæſiui
& quæro, & de quorum deiectione dolui ſatis & doleo, quia nemo maius diſpendium
habet de illorum deiectione, quàm ego. Et hæc quidem ſcripſi pro mediocritate

ingenioli mei, deuotionem mentis meæ circa fratres oſtendens, priſcis, vt dicit Gelaſius, pro ſui reuerentia manentibus cōſtitutis, & reſeruato per omnia ſententiæ ac iuris priuilegio Apoſtolicæ ſedis, & non præiudicans veſtræ vel cuiuſcumque rationabiliori, ſeu plus tenendæ, ac maioris auctoritatis ſententiæ, quam ſi mihi oſtenſa fuerit paratus ſum ſine contradictione aliqua ſequi. Illa tamen modis omnibus in iſtorum ſtatu, ſi tamen à vobis vnanimiter inde conſenſum, & à domno Papa fuerit confirmatum, conditione ſeruata, quam & Apoſtolica ſedes pro Eccleſiaſtico vigore ab omnibus petimus faciat conſeruari, & à veſtra fraternitate neceſſe eſt prouideri, ne hac quod abſit occaſione auctoritatem in ſacris ordinibus miniſtrandi vſurpent, qui aut penitus non acceperint, aut contra regulas acceperint, vel quibus regulariter miniſterium fuerit interdictum. quoniam ſi hoc impune fuerit licitum, omnis ordo & vigor Eccleſiaſticus non tantùm nutabit, quantum penitus confundetur. Sunt cum iſtis & alia, de quibus prouidè domni Apoſtolici ſumma auctoritas, & ſub eius magiſterio hinc veſtra ſolers conſiderabit ſagacitas, quæ in alio diplomate mea vobis oſtendet humilitas, ne ſub huius rei occaſione in Eccleſia poſſint emergi. Veſtra autem prudentia & hæc clariùs, & alia, quæ ſenſus mei paucitas non poteſt attingere, contemplabitur, & domni Apoſtolici ſupereminens ſapientia multo ſollicitiùs & videbit quæ prouidenda ſunt, & præſentibus medelam & fututis imponet cuſtodiam.

POST HAEC ISTA QVAE SEQVITVR SCEDVLA Synodo eſt porrecta, ſed quibuſdam ſcandalizantibus non eſt perlecta.

HINCMARVS Remorum Epiſcopus Remigio, Vveniloni, & ceteris Archiepiſcopis & Epiſcopis domni Papæ Nicolai auctoritate ad Synodum, quò & exiguitatem meam cum coepiſcopis noſtris venire præcepit, in hanc Sueſſorum ciuitatem pro cauſa Vvlfadi & collegarum eius conuocatis. QVOD inuitus dico, & ſupprimere in totum non audeo, ne fortè mihi ab his qui hoc ſciunt imputetur quòd calliditate aliqua occultauerim veritatem: & ſi hæc cauſa iuxta veterum conſtitutionem iudicio Synodali decreta, ſine diffinitione Synodalis ſententiæ modo quolibet fuerit refragata, dilecto fratri noſtro Vvlfado ad noxam cuiuſcumque rediuiuo furore valeat deputari. Iſdem namque dilectus frater noſter, poſt omnia quæ de ſua & collegarum ſuorum adiudicatione à Synodo Epiſcoporum quinque prouinciarum diffinita, & à ſedis Apoſtolicæ auctoritate ſub anathematis interpoſitione ſunt confirmata, ſine audientia & conſilio Epiſcopalis concilij ſacerdotum qui eum iudicauerunt, ſinéque auctoritate Romani Pontificis qui ipſa iudicia confirmauit, inconſulta etiam Remenſi Eccleſia, extra prouinciam eius, in qua baptizatus, & in clericum tonſus, atque per plures annos in Eccleſia publicè ſacras ſcripturas legit, vbi ſicut Africanum decreuit Concilium cap. LVIII. poſtquam ſemel legit, ab alia Eccleſia inconſultè recipi non debuerat, ſicut idem Concilium cap. XXI. maniſeſtè demonſtrat, Lingonenſem Eccleſiam paſtore viduatam, vt ibi ordinaretur Epiſcopus, ſub nomine vocati Epiſcopi vſurpare præſumpſit, eiúſque
Can. 25. facultates, quæ ſecundum Calchedonenſe Concilium penes œconomum futuro debuerant reſeruari Epiſcopo, ſuis ſuorúmque vſibus arrogauit. decernente ipſo Concilio, vt eos qui auſi fuerint poſt diffinitionem magnæ & vniuerſalis huius ſynodi quicquam ex his quæ ſunt prohibita perpetrare, decreuit ſancta ſynodus à proprio huiuſ-
Can. 12. modi gradu recedere. & Antiocheno Concilio, de damnatis aliquid præſumentibus de miniſterio, vt nullo modo liceat eis nec in alia ſynodo ſpem reſtitutionis habere. Et ab hac præſumptione ſynodali auctoritate, cuius habemus cōſtitutionem, reuocatus, iubente Domino, ſi peccauerit frater tuus increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi, per ſatisfactionis libellum propria manu firmatum recipere communionem, qua regulariter ſecundum Nicænós & Calchedonenſes canones, ac decreta Gelaſij fuerat priuatus, promeruit, ſicut idem ipſe libellus, qui præ manibus habetur oſtendit. In quo ſub iureiurando per ſanctam Trinitatem vnius deitatis profeſſus eſt ſe nunquam & nuſquam ad ſibi interdictam præſumptionem, & ad graduum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem vlteriùs adſpiraturum: neque aliam huiuſmodi temeritatem, qua pax Eccleſiæ valeat perturbari, & quies ſacerdotalis poſſit inquietari, ſcienter vel libenter vlteriùs moliturum. Quem libellum coram Epiſcopis Pardulo Laudunenſi, Guntberto Ebrocenſi, Aenea Pariſij, corámque rege, & quamplurimis aliis nobis iu-

dicibus ſuis à ſynodo conſtitutis porrexit. decernente B. Gregorio, vt reuertentes à
ſchiſmate iureiurando profiteantur & ſubſcribant, ſe nunquam ad ſchiſma quo redie-
rant reuerſuros. & ſecundum traditionem Leonis Papæ ſcribentis ad Ianuarium Epi-
ſcopum: Saluberrimum eſt, inquit, & ſpiritalis medicinæ vtilitate pleniſſimum, vt « Epiſt. 3.
ſiue presbyteri, ſiue diaconi, vel cuiuſlibet ordinis clerici, qui ſe correctos videri vo- «
lunt, priùs errorem ſuum damnari à ſe ſine ambiguitate fateantur: vt ſenſibus prauis «
& dudum peremptis nulla adſpirandi ſuperſit occaſio, nec vllum membrum Eccleſiæ «
talium poſſit ſocietate violari, cùm per omnia illis profeſſio propria cœperit obuiare. «
Et ad Flauianum Conſtantinopolitanũ Epiſcopum de erroneo ab Eccleſiaſtica diſci- Epiſt. 11.
plina. Si, inquit, fideliter aut vtiliter dolet, & quàm rectè mota ſit Epiſcopalis auctori- «
tas, vel ſerò cognoſcit, vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem omnia quæ ab eo malè ſunt «
ſenſa, viua voce & præſenti ſubſcriptione damnauerit, non erit reprehẽſibilis erga cor- «
rectũ quantulacumque miſeratio, quia Dominus noſter verus & bonus paſtor, qui ani- «
mam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, & qui venit animas ſaluare, non perdere, imitatores «
nos ſuæ vult eſſe pietatis, vt peccantes iuſtitia coerceat, conuerſos autem miſericordia «
non repellat. Et item ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum de Attico Epiſt. 83.
presbytero ſcripſit, vt remota omni dubitatione Calchedonenſis ſynodi diffinitionem
de fide, quam & Apoſtolicæ ſedis firmauit auctoritas, profiteatur ſe per omnia ſerua-
turum, adiecta ſubſcriptione manus propriæ, quæ in Eccleſia populo præſente recite-
tur. Quibus conſtat, eos qui ab Eccleſiaſtica traditione deuiant per contemptum, tali-
ter recipi debere: quoniam, vt Hilarus dicit, non minùs in ſanctarum traditionum de-
linquitur ſanctiones, quàm in iniuriam ipſius Domini proſilitur. De quibus, ſi à ſua
profeſſione vel ſubſcriptione exorbitauerint, Carthaginenſe dicit Concilium: Si quis «
inquiens contra ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem venerit in aliquo, ipſe ſe hono- «
re priuabit. & S. Gregorius ad Maximum Epiſcopum Salonitanum de Andrea diaco- Epiſt. 119. Lib. 7.
no dicit, quia flagitari iudicium non debet de cauſa quam ipſe iudicauit. Sed quia
contempta fuerat indebita præſumptione, non ſolùm diffinitio ſynodalis Epiſcopo-
rum, ſed & Apoſtolicę ſedis domni Benedicti Papę auctoritas, opportunitate inuenta,
per venerabilem fratrem & coepiſcopum noſtrum Hodonem exemplar priuilegij
domni Benedicti, ſub fidei adſtipulatione, dirigens domni Nicolai Papæ auctoritati,
ab eo quod ſuus deceſſor firmauerat corroborari popoſci. non ad iniuriam, quod ab-
ſit, ſedis Apoſtolicæ, quaſi eius adhuc in ambiguum ſententia duceretur, & ob id non
ſufficerent quæ ab ea ſemel domni Benedicti Papæ auctoritate, vt inde quæſtio nullis
aliquando temporibus oriatur, & adſpirantes indebitè anhelitus compreſſi funditus
perpetuò maneant, fuerant confirmata: ſed quoniam incauta præſumptio vt conſtitu-
tio geminaretur exegit. quatenus ſi obſtinatio permanere deligeret, ſe poſt tot prohi-
bitiones diffinita impune non poſſe tentare cognoſceret. Hęc non per malitiam dicta,
ſed ne vt putarentur per vafritiem tacita, ad veſtram notitiam neceſſarium duxi per-
ducere, qui canonicè cuncta per ordinem, quæ in præfato fratre noſtro Vulfado & col-
legis eius geſta ſunt, ſecundum præceptionem domni noſtri Papæ, examinare & ſub-
tiliùs inueſtigare, & ſi quid iuſtum piúmque ſenſum fuerit, de illorum reformatione
debetis perficere, ne quid fortè prætermiſſum videatur, quod vobis ſcire, & vnde à
vobis conueniat diffiniri.

III.

ADNVNTIATIO HERARDI ARCHIEPISCOPI, Regis ac Synodi iuſſu facta.

Ne mirum ſit, quòd cauſa iam antè definita iterum in hâc Synodo retractetur: & cur reginam vxorem ſuam rex tam ſerò nunc tandem ab Epiſcopis benedici poſtulet.

AVCTORITAS ſacra, & ſpecula miniſterij, vnde vobis veſtram ſalutem nuntiare debemus, fratres, nos commonent vt ſemper ſimus parati ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de ea quæ in nobis eſt ſpe & fide: vt illa quæ agimus, qua intentione ac fide agamus, & qua ſpe nobis à Deo remunerari credamus ea quæ recta intentione agimus, miniſterio noſtro commiſſis, ſiuę

ſimpliciter, ſiue non ſimpliciter quærentibus, vel non quærentibus intimemus, ne aut ſimplices ſuſpicione ſiniſtra in actibus noſtris offendant, aut impuri locum detrahendi nos inuenientes delinquant. Hoc enim ſpeculatorum officium eſt, quo nomine nos Epiſcopi non merito ſed gratia nominamur à Domino, vt imminentia proſpicientes pericula, his quorum ſalutem ſuſcepere tuendam adnuntient. Quapropter, fratres, quorumdam verò cogitationibus, quorumdam verò verbis ſatisfacere bonum duximus, qui cogitant fortè, ac dicunt, quoniam antea in hoc eodem loco ante aliquot annos quidam noſtrûm, & quorumdam noſtrorum deceſſores, Synodum renuimus, & eandem cauſam, quam tunc diffiniuimus, nunc quoque, quaſi non fuerit bene diffinita, cùm etiam & à ſede Apoſtolica ſit terminata, mutauimus, & ob id noſtra ſententia vilis poſſit haberi, quaſi ad mobilitatem humanæ gratiæ noſtras ſententias immutemus, vel, vt dicamus apertiùs, venundemus. Non ita eſt, fratres, quoniam in Epiſcopali miniſterio non eſt eſt & non, ſed ſemper eſt, id eſt ſtabilitas in illo eſt: quia in Chriſto hoc ſacrum miniſterium radicatum eſt, qui nunquam conſilium, ſed ſæpe mutat ſententiã, tam per ſeipſum, quàm & per ſuos fideles, de quorum numero ſua clementia nos computamur: quibus veridica voce

Matth. 18. 20. promiſit, *vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum. & ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re fiet illis.* Et quia Deus ſæpè ſuam mutet ſententiam, neceſſarium vidimus, vt de multis vnum teſtimonium nobis omnibus

Ezech. 18. 21. amplectendum dicamus, ait Dominus: *Si dixero impio morte morieris, & ille impius conuerſus fuerit à via ſua praua, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet & non morietur. omnes iniquitates eius quas fecit in obliuione erunt coram me.* Nam & poſt legis duritiam, quam dedit per Angelos in manu Moyſi, dedit Euangelij gratiam per Apoſtolos & eorum ſucceſſores omnibus prædicandam. Quia vt S. Leo Apoſtolicę Sedis ma-

Epiſt. ad Ruſticũ Narb. gnus ornatus dicit, ſicut ſunt quædam quę nulla poſſunt ratione conuerti, ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum oporteat temperari: ſic tamen, vt quod ſequendum fuerit inuentum, nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum inueniatur aduerſum. Quod & in hac cauſa ſumus ſecuti, ſicut in ſanctis auctoritatibus inuenimus, qui in pſalmo canimus, *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* & ſemper ſuperexaltet iudicium miſericordia: dicente Pſal. 84. 16.

Apoſtolo: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtrabo*, id eſt caritatem, quæ omnibus deſiderat miſereri, & cunctis vult in commune proficere. Perfecta enim ſunt ea, quæ ad correctionem hominum, & ad cenſuram debitæ ſeueritatis Epiſcopali ſententia proferuntur: ſed excellentiora ſunt, quibus dilectionis benignitate ſubditorum ſaluti, & communi Eccleſiarum vtilitati ac conſultui prouidemus. Vnde manentibus ſtatutis prioribus, quæ ſecundum auctoritatem conſtituta ſunt per iuſtitiæ ſeueritatem, licitum eſt nobis per eaſdem ſupereminentes auctoritates, quę impendunt miſericordiam, immutare duriores ſententias correctione facta per eminentiorem viam, ſcilicet caritatē. Et ſicut de prioribus ſtatutis ſedem Apoſtolicam conſuluimus: ita & ex hac diffinitione noſtra eiuſdem matris omnium Eccleſiarum reſponſionem expectamus, quatenus ſi ita vt præduce illius commonitione, qua ad hunc locum conuenimus, his quæ per indulgentiam miſericorditer inuenimus, concordauerit atque conſenſerit, Eccleſiæ conſultibus faueamus. CETERVM, fratres, volumus vos ſcire, quia domnus & ſenior noſter Karolus rex glorioſus noſtrę humilitatis petit deuotionē, vt auctoritate miniſterij nobis à Deo cõlati, ſicut ipſe in regem eſt vnctus & cõſecratus Epiſcopali auctoritate vnctione ſacta & benedictione, veluti in ſcripturis legimus Dominum præcepiſſe vt reges vngerentur & ſacrarentur in regiam poteſtatem: ita vxorem ſuam dominam noſtram in nominē reginæ benedicamus, ſicut & à ſede Apoſtolica, & à noſtris deceſſoribus antea de aliis factum comperimus. Et vt non vobis ſit mirum, quare hoc petat, fraternitati veſtræ rationem reddere maturamus. Videlicet quia, ſicut multis eſt cognitum, Deus omnipotens ſua gratia iſtud regnum in manus ſuorum anteceſſorum mirabiliter adunauit, quod ipſi deceſſores ſui nobiliter gubernauerunt, & per ſucceſſiones ſua progenies vſque ad hæc tempora texit. Et iſti noſtro ſeniori Deus filios, ſicut vobis notum eſt, dedit. In quorum nobilitate, ad ſanctam Eccleſiam, & regnum, quod Deus illi ad regendum commiſit, fideles illius ſpem maximam ſe habere ſunt gratulati. De quibus ipſe aliquos Deo obtulit, vt etiam de fructu ventris ſui oblationem Deo offerret. 1. Cor. 12. 31.

Sap 4. 11. aliquos Deus adhuc ætate immatura ſua gratia de hoc ſæculo rapuit, ne, vt ſcriptum eſt, malitia mutaret corda eorum. aliquibus autem, quod vos non latet, ſuo iudicio talem paſſionem permiſit incurrere, ſicut fideles illius agnoſcuntur dolere. Propterea petit benedictionem Epiſcopalem ſuper vxorem ſuam venire, vt talem ſobolem ei Dominus de illa dignetur donare, vnde ſancta Eccleſia ſolatium, & regnum neceſſariam defenſionem, & fideles illius deſiderabile adiutorium, & iſta Chriſtianitas optabilem tranquillitatem, & legem atque iuſtitiam, cum illis quos adhuc habet, annuente & cooperante Domino poſſit habere. Et de hoc in ſanctis ſcripturis habemus auctoritatem, quia ſicut Dominus ad Abraham dixit: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, cui iam centenario de nonagenaria vxore Iſaac filium dedit; ita & ipſum Iſaac vxorem ſterilem accipere fecit, vt & in hoc, ſicut in multis ſolet facere, miſericordiæ ſuæ largitatē oſtenderet. Et inde dicit ſcriptura, quia *deprecatus eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eo quòd eſſet ſterilis, & concepit*. Et non ſit vobis mirum, cur antea hoc non fecit, quia, ſicut ſacta ſcriptura dicit, in primordio coniunctionis maſculi & feminæ dixit Dominus ad Euam: *Ad virum tuum erit conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui*. Er cùm iam eſſent moribus in legitima coniunctione maturi, & prouectæ ætatis Abraham & Sarra, & vt S. Petrus dicit: *Sarra obediebat Abraham, dominum eum vocans*. dixit Dominus ad Abraham, quod antea nec ipſi, nec alio homini legimus illum dixiſſe, *Omnia quæ dixerit tibi Sarra, audi vocem eius*. Iam enim & Abraham preſbyter meritò vocabatur, & defecerāt muliebria, id eſt omnis laſciuietas, Sarræ. Et tunc acceperunt benedictionem ſeminis benedicti à Domino, in quo benedicuntur omnes gentes, Amen. His ergo fulti auctoritatibus, ad diſpenſanda Dei dona, qui ab illo miniſtri eius ſumus ad hoc conſtituti, vt Leo dicit, non debemus eſſe difficiles, nec deuoto tum petitiones negligere: maximè ſi ip ſas petitiones euidentibus iudiciis ex Dei viderimus inſpiratione conceptás. Quia multiplex miſericordia Dei ita ſaluti humanæ ſubuenire decreuit, vt præcipuè ſacerdotum ſupplicationibus ipſa ſalus debeat obtineri. Cui operi, vt in ſacris litteris legimus, ipſe Saluator interuenit, nec vnquam ab his abeſt quæ miniſtris ſuis exequenda commiſit dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*. Et ſi quid per ſeruitutem noſtram bono ordine & gratulando implemus affectu, vt Leo dicit, non ambigamus per Spiritum ſanctum nobis fuiſſe donatum. Et ideo, fratres, quoniam ita eſt, & noſtra pro vobis miniſtratio & veſtra erga nos coniuncta deuotio, vt vna fiat apud Dominum ſupplicatio, ſicut legimus, quia ad hoc conſtituti ſunt ſacerdotes, vt priùs prò ſuis, deinde pro populi orent peccatis, & oratio fiebar ſine intermiſſione ad Deum pro Petro, id eſt pro omni Epiſcoporum choro, orantibus nobis pro communi noſtra, immo pro totius Eccleſiæ ac populi neceſſitate atque ſalute, commune votum etiam veſtra communis proſequatur oratio apud eum qui facit vnanimes habitare in domo, & viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Gen. 12. 18. Gen. 25. 21. Gen. 3. 16. 1. Pet. 3. 6. Gen. 21. 12. Matth. 28. 20.

IV.

SYNODICA EPISTOLA CONCILII Sueſſionenſis III. Ad Nicolaum Papam.

Excuſant Hincmarum, qui auſus non ſit ſua & comprouincialium auctoritate Vulfadum & ſocios reſtituere, qui in Synodo quinque prouinciarū fuerant depoſiti. Sibi etiam in Concilio, tametſi de illorum reſtitutione aſſentiuntur, conſentaneum viſum eſſe, rem totā Pontifici, à quo inchoata eſt, conſummandā referuari.

REVERENTISSIMO & ſanctiſſimo domino, patri ac Papæ Nicolao, Synodus Sueſſionis habita iuſſu & auctoritate ſanctiſſimi Apoſtolatus veſtri æternæ felicitatis beatitudinem in Chriſto. CONVENIMVS ſiquidem, vt ſacratiſſimis veſtræ paternitatis apicibus nobis iniunctum eſt, xv. Kalendarum Septembrium,

xiv. Indictionis, Remigius Lugdunēſis, Frotarius Burdegalēſis, Herardus Turonenſis, Venilo Rotomagenſis, Egilo Sennenſis Archiepiſcopi, cum diœceſanis cōnſacerdotibus, ad præmiſſam nobíſque deſignatam vrbem. Vbi etiam confrater & coëpiſcopus Hincmarus cū ſuis ſuffraganeis, veſtris obtemperans monitis, deuotè ſuæ ſanctitatis noſtræ vnanimitati exhibuit præſentiā. Nec non è latere frater Vulfadus, & collegæ ipſius, ad idem iuxta Apoſtolatus veſtri inſtitutum pariter defluxere Concilium. Interea Luitbertum Moguntiacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, paternitatis veſtræ largitate palliatum, pro ſanctitatis eius reuerentia & ſapientiæ amplitudine, interuentu glorioſiſſimi domini noſtri filij veſtri, in eadem Synodo nobis aſſociari expetiuimus. Dum ergo humilitatis noſtræ famulatus, veſtræ pietatis inſtitutis, in cauſa præſcripti fratris collegarúmque eius ſubmiſsè fideliterque intenderet; comperimus fratrem & conſacerdotem noſtrum Hincmarum, quem ſalubribus hortari dignati eſtis affatibus, vti memoratos viros clementi animo & tranquilla ſtuderet ad ſe magnanimitate vocare, depoſitáque omni funditus animoſitate, de reſtitutione ipſorum fraternè tractare atque miſericorditer conſummare contenderet, non procaciter reniſum, ſed neque animoſitate vel maleuolentia declinaſſe, quin paternitatis veſtræ piis conſiliis effectum præpropere exhibere maturaret: Sed quoniam, vt illius ore loquamur, ipſe nec ſuæ ſedis auctoritate, nec comprouincialium ſuorum ſolummodo ſocietate, iuxta Nicænos & Antiochenos canones, eos ſuſpendit ac iudicauit, ſed neque depoſuit, nec cum iudicibus eorum ſubſcripſit, quos conſtat à Synodo quinque Prouinciarum Sueſſionis habita, cuius vos acta relegiſſe, & qualiter præſignati clerici degradati fuerint reperiſſe, nobis aperire dignati eſtis: ne ſcilicet à pauciori numero eorum inconſiderata & minus debito prouida fieret reſtitutio, pro tempore diſtuliſſe, & iuxta largitionis veſtræ decretum, ſacræ Synodi profeſſus eſt ſe præſto latum eſſe præſentiam. Et ideo ad hoc illum prius flecti munda non permiſit conſcientia: ne quod tantorum virorum ſtatuerat vnanimitas, temere exinaniret vnius ſedis auctoritas. De illorum autem fratrum reformatione, præcedente pietatis veſtræ libramine, qui oppreſſis miſericorditer ſubuenire, afflictis opem ferre, & innocentes abſoluere, ſolito & indefectiuo conſueſtis opere, poſtpoſita quantum ex nobis eſt totius auſteritatis & ſeueritatis cenſura, deiectioni illorum fratrum vobiſcum compatientes, quos, vt veſtri Apoſtolatus litteræ ad glorioſiſſimum ſeniorem noſtrum regem Carolum, veſtrum peculiarem filium, directæ intimauere, non mediocriter moribus & ſcientia pollere, & proficuos Eccleſiæ Chriſti nouimus eſſe, congregato & deuotiſſimè coadunato, vobiſcum noſtro ſpiritu, quod pium iuſtúmque ſentitis ſentimus, quod decernitis exequimur, & quod deliberaueritis, eorum in omnibus congratulantes reſtitutioni, efficaciter nos amplectendum fatemur. Et quia de recuperatione eorum à veſtræ ſapientiæ medela ſumpſit exordium, oportet omnino, & equum fore clatet, totius eiuſdem negotij ſummam præſtantiæ veſtræ conſummari decretis. Pium namque & iuſtum videtur, vt quos propria importunitas in ſubreptione graduum non addicit, benignitatis veſtræ efficacia, & noſtra mediocritate proſequente, ad famulandum Deo ſecundum beneplacitum illius, in priſtinum ſtatum releuando reformet

atque reſtituat. Et quos non procacia obnoxios fecit, ſed obedientia in-
culpabiliter in adeptionem ſacrorum graduum, iuxta ſinceriſſimum ſaga-
citatis veſtræ intellectum induxit, neceſſe eſt per miſericordiam Dei præ-
ferentiæ veſtræ ſtudiis fulciri, atque viſceribus ſanctæ matris Eccleſiæ or-
dinabiliter reduniri. Præterea præceptionibus veſtris ex æquo operam
dantes, ſicut nobis de præſignatis fratribus apex ſanctitudinis veſtræ
edocuit, ſine contradictione perficere, eóſque in ſuis ordinibus reſtituere
maturaremus, niſi priuilegiis ſanctæ Romanæ Sedis, per reuerendum con-
fratrem Hincmarum Archiepiſcopum noſtræ vnitati prolatis, quæ de ipſis
viris quædam ſtatuunt, debita reuerentia exhiberetur: quorum ſumma
perfecta & integra firmitas, vt claret & iuſtum eſt, in Apoſtolicæ ſedis re-
ſeruata eſt arbitrio poteſtatis. Nobis enim in horum fratrum deiectione
non quidem diſceptantibus, nec alia atque alia decernentibus, ſed vnum
idémque ſentientibus, ne imperfectio pro inobedientia deputetur ora-
mus. Sed vt quondam Ioab obſidens vrbem Rabaz, Dauid regi fidiſſimo,
ne cùm à me, inquit, *vaſtata & capta fuerit, vobis & non nomini meo adſcribatur* 2. Reg 12. 28.
victoria: ita & nobis in præſentis rei negotio decertantibus, & quædam de-
florantibus, non tamen terminantibus, ſolummodo magiſteriali veſtro
culmini eorum adſignetur reſtitutio, adtribuatur reformatio, adſcribatúr-
que redintegratio. Præuio ergo, vt in omnibus competit, excellentiæ ve-
ſtræ decreto, quæ in ipſis & de ipſis depoſitis fratribus agenda conſidera-
mus, exemplis præcedentium atque maiorum inſtitutis edocti, quæ etiam
copioſiùs multóque luminoſiùs celſitudinis veſtræ clarent induſtriæ, ve-
ſtræ ſinceriſſimæ paternitati ſubmiſſæ humilitatis obſequiis humiliter in-
timare curauimus. Papa inquit Innocentius, quòd de quibuſdam obſer-
uatio prior durior, poſterior interueniente miſericordia inclinatior eſt. & Epiſt. ad
S. Leo, quia ſicut quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione conuelli, ita Exuperium.
multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum Epiſt. ad Ruſticum.
oporteat temperari: mirabiliter inſtituens de virtute omnium matre at-
que nutrice diſcretione, ad condimentum agendarum quarundam defini-
tionum, in vtilitatem eccleſiaſticorum monumentorum. Et Gelaſius: Pri-
" ſcis, inquit, pro ſui reuerentia manentibus conſtitutis, quæ, vbi nulla vel Epiſt. 6. Ad Epiſcopos per Lucaniam.
" rerum vel temporum perurget anguſtia, regulariter conuenit cuſtodiri:
" hic proculdubio, qui in Eccleſiaſticarum narratur altitudine dignitatum, Ibidem.
" & in cuius virtute bonis operibus corda ponenda ſunt, gradibus vtique di-
" ſtributis, cunctis Deus noſter & rector populis prædicandus eſt Chriſtianis.
" Vbi nemo ſibimet aliquid iam æſtimet imminutum, cùm & de vniuſcuiuſ-
" que gradus perfectione nil deperit, & conuenienter retinendo quod cæle-
" ſti diſpenſatione collatum eſt, pariter nobis & cognoſcibilem Deum fieri,
" & tribuit eſſe rectorem. Nam etſi quid indulgetur de temporum quantita-
" te, moribus aggregari & ſtrenuitate penſatur, ſi vitæ iam propoſito conti-
" netur, quod protelata fuerat ætate curandum. dummodò illa nullatenus
" diſſimulata ſubripiant, quorum quodlibet in eſſe claruerit, meritò clericali-
" bus infulis reprobabilem conuincat eſſe perſonam. Etſi illa nonnunquam
" ſinenda ſunt, quæ, ſi ceterorum conſtet integritas, ſola nocere non va-
" leant: illa tamen magnopere ſunt præcauenda, quæ recipi ſine manifeſta
" decoloratione non poſſint. Et Africanum Concilium de virginum vela- Conc. Africanũ c. 93.

tione retractans, ita manere conſtitutionem prioris Concilij, vbi nulla perurget neceſſitas decreuit, vt non obſit poſteriori Concilio certis pro cauſis ea quæ conſtituta fuerant immutanti, nec poſterius Concilium prio-
Idem c. 35. ri obuiet, vbi nulla illud perurget neceſſitas immutare. Sed & de Donatiſtis decreuit, vt conſentientibus fratribus & coepiſcopis, maximè autem
» Apoſtolica ſede, à quibus inde fuerat definitum, quatenus ſecundum vniuſ-
» cuiuſque Epiſcopi catholici voluntatem atque conſilium, qui in eodem
» loco gubernat Eccleſiam, ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit, in
» ſuis honoribus ſuſcipiantur, ſicut prioribus eiuſdem diuiſionis tempori-
» bus factum eſſe manifeſtum eſt. Quòd multarum & pene omnium Afri-
» canarum Eccleſiarum, in quibus talis error exortus eſt, exempla teſtantur.
» Non vt Concilium, quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt, diſ-
» ſoluatur, ſed vt illud maneat circa eos qui ſic tranſire volunt ad catholi-
» cam, vt nulla per eos vnitatis compenſatio procuretur. per quos autem vel
» omnimodo perfici vel adiuuari manifeſtis fraternarum animarum lucris
» Catholica vnitas in locis quibus degunt viſa fuerit, non eis obſit quod
» contra honores eorum, quamuis ſalus nulli intercluſa ſit, in tranſmarino
» Concilio conſtitutum eſt. Vnde manentibus ſtatutis, abſque regularum Apoſtolicæ ſedis præiudicio, & iudicantium vllo diſcrimine, quos mens veſtra, non ſolùm auctoritas Carthaginienſis Concilij, ab omni næuo defendit, ſi eorum fuerit ſoluta ſententia, qui conuinci non poſſunt, vel inimico animo iudicaſſe, aut aliqua cupiditate aut gratia deprauati. Verùm & idem Concilium, & Antiochenum, atque decreta ſedis Romanæ Ponticum, Innocentij, Zoſimi, atque Leonis, eos commendant, per quæ ſua confirmauere iudicia, quæ fratres & coepiſcopi noſtri in Sueſſonica Synodo de Remenſis Eccleſiæ filiis ab Ebone poſt depoſitionem ſuam ordinatis cenſura Eccleſiaſticæ ſeueritatis iudicauere. Maneate etiam, vt oportet & neceſſe eſt, auctoritate priuilegij domni Benedicti, & veſtræ conſenſionis decreto. Si tamen vobis placet, cui bona cuncta placent, vt de his fratribus auctoritate veſtræ ſinceritatis præduce immutetur ſententia, ſecundum quod ſacra & myſtica Synodus Nicæna, in epiſtola fratribus per Ægyptum & Libyam & Pentapolim conſtitutis directa, de ordinatis à Meletio Epiſcopo damnato decreuit: videlicet vt myſtica ordinatione firmati haberent honorem & miniſterium, & proueheretur quilibet eorum in honorem Epiſcopi in Eccleſia defuncti, ſi viſus foret dignus, & eum populus elegiſſet, cum conſenſu Alexandrini Epiſcopi, ſub cuius cura præfatæ regiones degebant. Ita & iſti per veſtræ liberaliſſimæ ac piiſſimæ auctoritatis ſanctionem in ordinibus ſuis recipiantur, & ſi tempus ac locus atque ratio poſtulauerit, quilibet eorum in locum cuiuſque defuncti Epiſcopi, ſi populus eum elegerit, & dignus inuentus fuerit, auctore Domino regulariter prouehatur. His denique reuerenter explicitis, deuotione vnanimitatis noſtræ erga præſcriptos fratres antiſtitio veſtro reſerata, pro Eccleſiaſtico vigore ab omnibus immobiliter conſeruando, quæſumus prouidendum, ne hac quod abſit occaſione alij quicumque auctoritatem in ſacris ordinibus miniſtrandi vſurpent, qui aut pœnitentiam non acceperunt, aut contra regulam aſſumpſerunt, vel qui regulariter amiſerunt. quoniam ſi hoc impune fuerit licitum, omnis ordo & vigor Eccleſiaſticus non

tantùm

tantùm nutabit, quantum penitus iam confunderur. Poſtremò ſuperemi-nens ſublimitatis veſtræ ſapientia hæc & alia, quæ intellectus noſtri exi-guitas non valet attingere, perſpicaci indagatione contemplabitur, mul-tóque ſollicitiùs prouidebit cauenda, nobiſque ſignificabit ſequenda, vt & præſentibus medelam, & futuris dignanter impendat cuſtodiam. Apo-ſtolatus veſtri decus præpollentiſſimum ad Eccleſiæ ſanctæ ſublimitatem & pacem optamus vbique pollere, & perpetua ſtabilitate ad ſuffragij no-ſtri munimen atque tutelam vigere. Data anno Incarnationis D. N. Iesv Chriſti dccclxvi. anno regni glorioſiſſimi regis Caroli xxvii. viii. Kalend. Septembris.

Hæc ſunt nomina Epiſcoporum qui præſenti interfuere Concilio.

Hincmarus Remorum Archiepiſcopus. Remigius Lugdunenſis Ar-chiepiſcopus. Frotarius Burdegalenſis Archiepiſcopus. Herardus Turo-nenſis Archiepiſcopus. Vvanilo Rotomagenſis Archiepiſcopus. Egilo Sennenſis Archiepiſcopus. Liutbertus Mogontiacenſis Archiepiſcopus. Rothadus Sueſſionenſis Epiſcopus. Erpoinus Siluanectenſis Epiſcopus. Agius Aurelianenſis Epiſcopus. Actardus Nannetenſis Epiſcopus. Hil-debrandus Sagienſis Epiſcopus. Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus. Ror-bertus Cenomannenſis Epiſc. Hunfridus Morinenſis Epiſcopus. Iſaac Lingonenſis Epiſcopus. Hildegarius Meldenſis Epiſcopus. Æneas Pa-riſienſis Epiſcopus. Erchanraus Catalaunenſis Epiſcopus. Hodo Belua-cenſis Epiſcopus. Ercamberrus Baiocacenſis Epiſcopus. Giſlebertus Car-notenſis Epiſcopus. Fulcricus Tricaſſenſis Epiſcopus. Raginelmus No-uiomenſis Epiſcopus. Liudo Æduorum Epiſcopus. Bernoldus Matiſco-nenſis Epiſcopus. Girboldus Cabilonenſis Epiſcopus. Helias Ecoleſinen-ſis Epiſcopus. Arduinus Vallauenſis Epiſcopus. Sigo Aruernorum Epi-ſcopus. Haldo Lemouicenſis Epiſcopus. Hilduinus Ebroiacenſis Epiſco-pus. Ioannes Camaracenſis Epiſcopus. Seginandus Conſtantiacenſis Epi-ſcopus. Abbo Neuernenſis Epiſcopus.

V.

EPISTOLA ALTERA CONCILII EIVSDEM ad Nicolaum, de Brittonum infeſtationibus, & de Actardo Epiſcopo, qui Romam cum actis Synodi mittebatur.

Brittonum in prouincia Turonica varias infeſtationes commemorant, & Actardum Namnetenſem Epiſcopum commendant, qui Romam à Synodo mittebatur.

Sanctissimo ac reuerentiſſimo domino patri & Papæ Ni-colao, reuerenda Synodus Sueſſionis xv. Kal. Septembris au-ctoritate ſancti præſulatus veſtri habita, æternam in Domino felicitatem. Cvm reſpectus fidelium ad Apoſtolicæ ſedis, ma-tris ſcilicet omnium, pia vbera opportunè intendat, fraternitas noſtra pro-pter variarum rerum euentus, ſuæque opportunitatis ſubſidia, propterque

paſtoralitatis iura diuinitus tanto patri & Papæ dignanter collata, frequentibus apicibus Apoſtolatus veſtri culmen pulſare decertat: quo & in his, in quibus minùs debito ſufficit, paſtorale ſolatium ſumat, & beneficentiæ veſtræ referta, ſanctorum etiam inſtitutionum documentis informata, ad maiora & meliora quotidianis incrementis Deo ſibi miſerante proficiat. Veſtram ſiquidem non latere beatitudinis excellentiam nouimus, diœceſim Turonicam auſteritate Brittonum diutino à ſua Metropoli diuulſam penitúſque diſciſſam: ita vt, ſicut idem Turonicus Metropolitanus Herardus, pariterque Namneticus Actardus frequenti indagine, necnon etiam in præmiſſa Sueſſonica Synodo euidenti atque multiplici ſtylo pariter & ſermone nobis intimauere, licet nobis multis præcedentibus indiciis hæc eadem non poſſent latere, iam vicenus & eo licet paululum adſit annus, quo tyrannica feritate reſumpta, nec comprouincialia cum Turonico Metropolitano celebrent Concilia, nec in Epiſcoporum conſecrationibus ad eumdem quicquam reſpiciant, illi quoque ſedi nullo pacto ſe ſubdant. Sed neque ad generalitatis noſtræ Synodum, ſi quando Apoſtolatus veſtri auctoritas noſtram fraternitatem pro quibuſlibet emergentibus vel imminentibus negotiis adgregandam decernit, illorum præſentiam, legatos, litteras, cùm infra ſinum occiduæ Galliæ commorentur, & nec iuga montium, nec marinũ pelagus, ſed neque grauis intercapedo terrarum conuolare prohibeat, noſtrę vnanimitati quemquam habere meruimus. Vnde fit vt nullus cultus religionis inter eos, nullus diſciplinę vigor haberi poſſit in illis: quoniam cùm ſint barbari, feritate nimia tumidi, nullis ſacris inſtitutis obediunt, nullis præceptionibus ſanctorum patrum ſe ſubdunt: ſed pro libitu inſipientiæ, maleuolentiæque ſuæ cuncta peragunt. Frequentibus iidem apicibus matris & magiſtræ ſanctæ Sedis Romanæ, deceſſorúmque veſtrorum admoniti, & vt feritate depoſita, quia ſunt nomine tenus Chriſtiani, Apoſtolicis atque canonicis decretis ſe ſubderent, ſunt vocati, ſicut euidenti indicio in archiuis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſi placet, valetis reperire. Sed quidam illorum nec ſibi legi, nec paſſi ſunt audire; neque vllo pacto à cœpto prauitatis ſuæ repreſſi ſunt itinere. Hinc fit, quòd hactenus parrochiam Namneticam à muro eiuſdem vrbis præſignato fratri noſtro Actardo ſubreptam habeant: ſed & res omnes eiuſdem ſedis obſtinata peruaſione detineant. In nullo diſſimilia Turonicæ Metropoli, & Andegauenſi Eccleſiæ, pariterque Cenomanenſi, in rebus quæ ipſis ſunt attiguæ, certum eſt eos agere. Sed & omnis pene Neuſtriæ Eccleſia crudelem eorumdem feritatem perpetitur, rebúſque quibus illis conuicinatur cupidè denudatur. Quibus autem iniuriis, oneribus, atque ſeruitiis vtriuſque ordinis, conditionis, & ſexus homines opprimant, meliùs viua voce celſitudo beatitudinis veſtræ poterit noſſe. De Epiſcopis autem ab eiſdem temere & irreuerenter non ſolùm abſque veſtri pontificatus notitia, verùm etiam abſque vllius Synodici conuentus examine atque conſenſu eiectis, id eſt de Salacone Dolenſe, adhuc quidem licet expulſo ſuperſtite, cui loco ſe iactitant ſedem Metropolim contra fas habere; prædicto quidem fratre expulſo, atque duobus in ipſa ſede nuncupatiuè ſubrogatis abſque Metropolitæ ſcientia vel conſenſu: Suſanno etiam Venetenſe adhuc ſuperſtite, alióque ſuæ ſedi indebitè ſubſtituto; frequens ad ſanctam Romanã Eccleſiam

proceſſit mentio, eùm adhuc ipſi exules demorentur, licet quoſdam idem Dux Britannicus infrà præſentis anni ſpatium, veſtræ auctoritaris inſtitutis præmonitus, quos[non ſolummodò] ſuæ gentis & linguæ eſſe nouerat, abſque Synodi præſentia, ſine vllo reconciliationis vel reſtitutionis ordine, verbo ſuo ſolummodo reſtituerit. & quomodo qualitérque placuerit ſedes amiſſas recipere, non Eccleſiaſtica determinatione, ſed barbarica deliberatione permiſerit. Interea vt more præceſſorum ſuorum idem auctor Brittonum fidentiſſimo filio veſtro, domno & ſeniori noſtro Karolo, in cunctis obtemperet, ſéque omni humiliatione debita colla ſubmittat; annuóſque cenſus perſoluat, quia iſdem ſpecialis filius veſter diuerſo vnde ſecus Nortmannorum aliorúmve agitatur incommodo, veſtris ſuaſionibus & vt expedit redargutionibus quæſumus decernite. Qui ſi contra hortamenta ſalubria præcellentiæ veſtrę demum aſpirare nititur, gladio ſancti Apoſtolatus veſtri ſe percellendum debito cognoſcat libramine. His ergo ita breuiter prælibatis, ne aliquod veſtræ pietatis excellentiæ generemus incommodum, à præſenti Synodo fratrem & conſacerdotem noſtrum Actardum veſtræ paternitatis aſpectibus pertractauimus deſtinandum, qui viua voce, vcróque ſibi notiſſimo ſermone ad liquidum hæc, quæ ſuccinctè proſequimur, poterit reſerare. Cui petimus, humiliterque depoſcimus, vt ſanctæ benignitatis veſtræ ſublimitas aurem pietatis clementer accommodet, eíque ſolitæ manum manſuetudinis porrigat. Videlicet vt rebus omnibus, id eſt ſede, in qua ſpes nulla recuperandi ſibi eſt, cum parrochia exſpoliatus pietatis veſtræ adminiculo adiuuetur; & ſicut expulſus penitus à propria ſede, vtriuſque gentis Nortmannorum & Brittonum feritate & continua perſecutione cenſura veſtri moderaminis releuetur. Omnibus ergo ad vbera materna conuolantibus, opémque ſibi ferre poſcentibus, ſicut ſemper impendere munificentiæ veſtræ benignitate, miſericordi largitate ſueſtis, ita & huic petitioni, quam frequenti & neceſſario ſtylo veſtrę præcellentię ofterimus, miſericorditer ſubuenire, eorúmque de quibus agitur hactenus indomitam feritatem principali mucrone comprimere, & Eccleſiæ ſanctæ filiis paſtorali ſollicitudine dignamini, quæſumus, efficaciter ſuccurrere, pater & Papa beatiſſime. HI EPISCOPI PRÆSENTI INTERFVERE CONCILIO. Remigius Lugdunenſis Metropolis ſedis Epiſcopus. Hincmarus Remorum Metropolis Epiſcopus. Herardus Turonorum Metropolis Epiſcopus. Vvenilo Rotomagenſium Metropolis Epiſcopus. Hegilo Senonum Metropolis Epiſcopus. Leotbertus Moguntionum Metropolis Epiſcopus. Frotarius Burdegalenſium Metropolis Epiſcopus. Rothadus Sueſſionum Epiſcopus. Erpuinus Siluanectis Epiſcopus. Hunfridus Morinenſium Epiſcopus. Erchanraus Catalaunenſium Epiſcopus. Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus. Odo Bellouacenſis Epiſcopus. Rainelmus Tornacenſis Epiſcopus. Ioannes Camaracenſis Epiſcopus. Actardus Namnetenſis Epiſcopus. Agius Aurelianenſis Epiſcopus. Giſlebertus Carnotenſis Epiſcopus. Hildegarius Meldenſis Epiſcopus. Abbo Niuernenſis Epiſcopus. Fulcricus Trecaſſenſis Epiſcopus. Æneas Pariſiacenſis Epiſcopus. Hildebrannus Saicorum Epiſcopus. Rotbertus Cenomanenſis Epiſc. Ercamberrus Baiocaſſium Epiſc. Seginandus Conſtantinenſis Epiſc. Hilduinus Ebrocenſis Epiſcopus. Iſaac Lingonenſis Epiſcopus. Liudo Æduorum Epiſc. Girbaldus Cabilonenſis Epiſcopus.

VI.

CAROLI REGIS EPISTOLA AD NICOLAVM Papam, de his quæ facta fuerant in Synodo.

Laudans Hincmari obedientiã, clericorum integram reſtitutionẽ Pontifici à Synodo reſeruatã ſcribit, & à ſe interim Eccleſiam Bituricẽſem Vulfado commendatam.

SANCTÆ paternitatis veſtræ reuerenter excepimus apices, quibus nobis clamores & gemitus depoſitorum ab Hincmaro honorando præſule, Vulfadi ſcilicet, ſociorúmque eius, aures veſtræ dignationis penetraſſe aperuiſtis: quin etiam noſtram filiolitatem, vt eundem venerandum Antiſtitem ad hoc hortatemur, & admonere pro Dei amore curaremus, ſummopere prædicare decreuiſtis. aienres vt eundem ad obtemperandum præcellentiæ veſtræ ſolertia noſtra decertaret flectere: ſin autem, ſollicitè præcauere, ne quibuſlibet argumentis in non obediendo vobis nos inclinare valeret. Egimus itaque ſummo ſtudio, ſecundum paternitatis veſtræ rogatum, & reuerenter memoratum Antiſtitem eodem de negotio alloquentes, ſicut deuotum in reliquis, ita quoque paratiſſimum in hoc ipſo ad obediendum vobis & nobis comperimus: ita ut non ſolùm non reſiſtere, ſed etiam primus parere Apoſtolatus veſtri promptiſſimè præceptionibus feſtinaret. Quare autem de reſtitutione memoratorum virorũ, ſecundum veſtram ad eum denuntiationem, cum ſuffraganeis ſuis non perfecerit, à Synodo præceptione veſtra ſuper ipſo negorio Sueſſionis congregata deſtinata epiſtola euidentiùs declarabit. Quod enim de tuitione eorum ſanctitudo veſtra quæſiuit, & nobis filio veſtro ſignificauit, ſi neceſſe fore apparuiſſet, magnopere effeciſſemus. Sed fauente Deo idem, de quo agimus, Pontifex benignè ſtatutum veſtrum excipiens, vt affectuoſus parer, cum aliis aggregatis venerabilibus Epiſcopis, eorum cauſam mitiſſima deliberatione definiuit, libentiſſimè manſuetudinis veſtræ obediens omnimodis epiſtolaribus affatibus: & quos voto pietatis excellentiæ veſtræ perſpecto, tranquillo, pacifico, atque benigno vſque ad præſentiam eiuſdem Synodi, vt euidenter comperimus, tractauit animo; in cunctis deinceps, fretus veſtri moderaminis conſilio, præſcriptos fratres fulcire, pióque ſolamari non deſtitit auxilio. Quæ omnia conſequentet eum reliquis conſacerdotibus omnino explere acceleraret, niſi iuxta priuilegium deceſſoris veſtri domni Benedicti, ac veſtrum, ſummam vobis reſeruandam cœpti de reſtitutione docerent negotij. Quia verò ſæpedictus Antiſtes altitudini veſtræ deuotiſſimus, & Apoſtolico conſtitutionis veſtræ decreto, & noſtro etiam horratui, omnimodis gratantiſſimè paruit, nec in aliquo renuere tentauit, noſtra ſupplici petitione ampliorem gratiæ munificentiam apud vos ſe percepiſſe gratuletur, proindéque vobis ſeſe acceptiorem omnino perſentiat. Poſthæc, quia fratrem illum Vulfadum, de quo agitur, vt veſtræ ſanctitatis apices exponunt, moribus & ſcientia pènes nos vigere competimus, Biturigenſem Eccleſiam, ceu ſanctę paternitati veſtræ aliis litteris ſignificauimus, quia dare abſque Apoſtolatus veſtri determinatione diſtulimus, commendare ſibi eandem Eccleſiam cum rebus ſibi pertinentibus accelerauimus. ſcilicet vt in deſtructione earum non tantùm ſæuiens valeret quorumlibet prauorum inſtantia, quærentium diripere non ſua, & vaſtare crudeliter aliena. Quare vt in eodem loco illius valere & vigere queat ſtudioſitas, citiùs reuerentia paternitatis veſtræ quid ſancto animo veſtro de eo cæteriſque ſederit aperire dignetur, efficiatque ſublimitas veſtra feſtinantiùs de ipſo, quod pro eo ad vos ſæpiùs noſtra popoſcit ſupplex expetitio: quoniam ſumma neceſſitate illis vrgente melioris voluntatis qui in illo ſunt regno hoc ipſum aſſidua imprecatione depoſcunt. Verùm multarum perturbationum impedimenta, non ſolùm noſtris temporibus, ſed etiam prædeceſſorum noſtrorũ, aut vix aut nunquam eidem regno defuiſſe noſcuntur. Atque ideo neceſſe eſt vt in adiutorium filij noſtri, caſu vobis notiſſimo infirmati, & eorum qui ſibi ſunt noſtra fidelitate & ſua adhæſi, quo valentiùs reſiſtere aduerſariis omnimodis poſſint, idem de quo ſugiramus maturiùs dirigatur veſtræ paternitatis prouectibus ſuffraganribus, Domine beatiſſime & admodum deſiderantiſſime pater & Papa.

VII.

PRIVILEGIVM A SYNODO SVESSIONICA conceſſum Monaſterio Sollemniacenſi.

Ex autographo, quod extat apud Reuerendiſſimum Epiſcopum Vaſatenſem, eiuſdem Monaſterij Abbatem.

CVM Eccleſiarum omnium prędia, bonorum hominum ſtudiis & votis ſalubribus ſingula ſingulis titulis condonata, priuilegiis propriis egeant roboranda, tanto firmius à ſæculari cupiditate credimus eſſe & ſpecialius præmunira, quanto maiori Eccleſiaſticæ dignitatis, ſæculariſque potentiæ, fuerint modis omnibus auctoritate firmata. Igitur anno Incarnationis D. N. IESV Chriſti DCCCLXVI. Indictione XIV. regni autem domni Karoli regis XXVI. dum apud vrbem Sueſſionicam, iubente Nicolao vrbis Romæ Pontifice, magna Synodus ex diuerſis Galliæ, Neuſtriæ, atque Aquitaniæ Epiſcopis confluentibus, XV. Kalendarum Septembrium haberetur, ibique per conſilia Epiſcoporum, qui ex diuerſis regnorum partibus aduenerant, ea quæ in Eccleſiaſticis ordinibus conſtare videbantur, ſubtiliter tractarentur, iuſſit magna Synodus communi tractatu perquirere, qualiter omnis ordo Eccleſiaſticus in diuinis cultibus ageretur, & quomodo actum miniſtraretur. Talibus ergo dum regia claritudo cum ſummi ordinis ſacerdotibus inuigilans deſeruiret, ſeſéque ad exaltationem ac reparationem in quibuſdam membris Eccleſiæ piis ſtudiis mancipatus accingeret, venit quidam Abba venerabilis, Bernardus nomine, ex monaſterio Sollemniaco nuncupato, regiam clementiam, & ſynodalem adiens pietatem, pro priuilegiis ipſi monaſterio impetrandis, quibus ſub tuitione regia atque Apoſtolica & Synodali defenſione perpetuo muniretur. Talia ergo dum ſibi ſuiſque fratribus concedenda humiliter poſtularet, innotuit regiæ dignitati, noſtræque Synodo reſidenti, qualiter vir venerabilis atque beatiſſimus Elegius, Vitomandenſis Eccleſiæ Epiſcopus, amore ſupernæ hereditatis accenſus, cœnobium ipſum in Limouicino rure, quod Sollemniacus vocatur, in honore omnipotentis Dei, & veneratione beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Martyrum Dionyſij & ſociorum eius, Criſpini atque Criſpiniani, necnon & Pancratij, ſeu & Cōfeſſorum, Martini, Hilarij, Medardi, Remigij, & Germani, ſuo opere ædificare ſategit, monachóſque ibidem inſtituit, qui & diuinam in eodem loco exercerent militiam, & pro Eccleſiæ totius ſtatu ſupernā implorare decertarent clementiā: & quomodo per teſtamentum firmiſſimum propria ſanctiſſimáque ſua manu, atque aliorum, qui in ſuo teſtamento releguntur, Epiſcoporum ſanctorum, corroborauit deuotiſſimè atque promptiſſimè voluntate, idem monaſterium monachis in eodem degentibus, ac ſucceſſoribus eorum in venturis generationibus iure tradidit Eccleſiaſtico, necnon & hereditario. Eo videlicet tenore, quatinus ſub tuitione, atque quem trito ſermone mundeburdo vocant, Dagoberti regis, qui tunc temporis apicem regni tenebat, & ſucceſſorum eius, ſine aliqua contradictione, ſiue aliquorum hominum infeſtatione, in facultatibus eorum viuerent, & normam S. Benedicti inuiolabiliter tenerent: & quomodo Deo dilectus iſdem rex Dagobertus, cognitis viri ſanctiſſimi eiuſdem Epiſcopi Elegij ſtudiis, præfatum monaſterium, cum omnibus rebus iuſtè & legaliter ad ſe pertinentibus, tam ſui donatione, quàm etiam bonorum hominum collatione, per auctoritatem præcepti ſui proprio Abbati, atque monachis in eodem monaſterio degentibus, ſecundum morem prædeceſſorum fidelium regum, libentiſſimè confirmauit. His igitur omnibus Abbatis venerabilis relatione Bernardi regiæ poteſtati ac ſynodali Concilio cognitis, obtinuit ipſius Abbatis deuotiſſima & veneranda precatio, apud eius ſynodique ſublimem clementiam, vt noſtra præſenti atque inuiolabili innouatione, quoniam Nortmannorum crudelitate craſſante priora inſtrumenta incendio fuerant concremata, huius prædictæ firmitatis ſtabilitas muniretur. Reſidentibus ergo nobis apud vrbem ſuperius memoratam, atque de reipublicæ vtilitate tractantibus, præmiſſi

Abbatis Bernardi petitionem ſuper innouandum prædicto monaſterio priuilegiū humili & digna ſuggeſtione accepimus. Cuius piis petitionibus ſimul cum regia ſublimi clementia annuentes, hoc pręſens priuilegium in honore Dei omnipotentis, & veneratione eorumdem ſanctorum, adiecta regiæ præſidentiæ auctoritate decreuimus roborandum, & ſicut ſequentia manifeſtant ſubſcriptione propria confirmandum. Quatinus hinc inde & regali munificentia & auctoritate Epiſcopali conuenienter munitum, præſentibus futuriſque temporibus valeat inuiolabiliter permanere inlæſum. Et interpoſita obteſtatione per virtutem ſanctæ crucis, & ſanctorum ipſo in monaſterio quieſcentium, vt eundem locum à tam ſanctiſſimo viro conſtructum, nec ſibi aliter niſi tutela defenſionis ac tuitionis reges vſurpent, nec cuiquam clericorum canonici habitus aut laicorum, quod abſit, eum attribuant. Sed ſub tutela ac defenſione, cum proprio, vt dictum eſt, ex ipſo monaſterio & regulari Abbate ſibi retineant: monachóſque in eodem loco degentes ſub alis ſuæ protectionis qūietos eſſe permittant, & Deo ſecundum auctoritatem & regulam S. Benedicti militare, & pro ſtatu vniuerſalis Eccleſiæ enixiùs obſecrare concedant. Decedentibus quippe quibuſcumque Abbatibus ſucceſſorem ex eodem loco ſibi liceat eligere, & ſibi regulariter inſtituere. Si quis verò, quod abſit, huius priuilegij deſtructor, aut in eius deſtructione fraudulentus violator in poſterum emerſerit, ſalutem propriam negligens, aliorúmque ſalutem perſequens, regiæ maieſtatis reus exiſtat, atque huius Concilij, quorum ſubſcriptione roboratum videtur, vinculo anathematis, niſi hæc correxerit, ſuſtineat.

Vvlfadvs, etſi indignus, gratia tamen Dei ſanctæ Metropolis Biturigenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Frotarivs Burdigalenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Remigivs Lucdunenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Hincmarvs ſanctæ Metropolis Eccleſiæ Remorū Epiſcopus ſubſcripſi.

Rothadvs humilis Sueſſionis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Vvanilo ſanctæ matris Eccleſiæ Rotomagenſis Archiepiſcopus.

Herardvs Turonicæ Metropolis Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Egil Senonenſis Eccleſię Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Agivs humilis Aurelianorum Epiſcopus ſubſcripſi.

Æneas Pariſ. Epiſcopus ſubſcripſi.

Gislebertvs humilis Carnutenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Hildebrandvs Sagenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Erkambertvs gratia Dei Baiocacenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Fvlchricvs indignus Epiſcopus Auguſtæ Tricorum ſubſcripſi.

Odo Beluacenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hvntfredvs humilis Morinenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hildvinvs Ebrocenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Sigo indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

Rainelmvs Vermandenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Aldo Limouicæ ſedis indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

Hildegarivs Meldenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Isaac ſanctæ Lingonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Erchenravs Caralaunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Bernaldvs Matiſcenſis ſanctæ ſedis Epiſcopus ſubſcripſi.

Livdo Heduenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Hincmarvs Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Rotbertvs Cenomanicæ vrbis Epiſcopus huic priuilegio ſubſcripſi.

Helias Aequoaliſinorum Epiſcopus conſentiendo ſubſcripſi.

Hardvvinvs Valauenſis vrbis Eccleſiæ Epiſcopus huic priuilegio ſubſcripſi.

Actardvs Namnetenſis Epiſcopus huic decreti priuilegio ſubſcripſi.

Girbaldvs Cauilonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Iohannes Camaracenſis Epiſcopus huic priuilegio ſubſcripſi.

Seginandvs Conſtantinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Singulis Epiſcoporum nominibus in autographo præfixum eſt de more Chriſti nominis monogramma, vel Crucis effigies. Vulfadi porrò ſubſcriptio primo loco extra ordinem poſt alias adiecta videbatur.

VIII.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LIX.
Ad Epiſcopos Synodi Sueſſionicæ.

Hincmarum grauiter perſtringit, quòd in cauſa clericorum deiectorum callidè ac diſsimulanter egerit, quódque Benedicti Papæ literas mutilas & corruptas proferre auſus ſit. Quare Epiſcopos iterum conuenire, & clericorum hiſtoriam accuratè perſcribere, clericos verò interim ſuis gradibus reſtitui iubet. Non probat autem quòd Vulfadum ante plenam reſtitutionem ad Epiſcopatum promouerint.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis, qui per gratiam Dei & decretum noſtrum apud Sueſſonicam vrbem conuenerunt.

REVERENTISSIMVM fratrem & coepiſcopum noſtrum Egilonem, de veſtro ſacro collegio, ad Apoſtolicam peruenientem ſedem, magna cum exultatione ſuſcepimus, & de agnita per eum omnium veſtrûm ſtatus incolumitate lætiores effecti, auctori grates immenſas rependimus. Illud præcipuè bonum atque iucundum arbitrantes, quoniam vos fratres ſicut corpore, ita & mente in vnum cohabitaſſe comperimus, & in deiectorum fratrum releuatione vnum cor & vnam animam vnà cum ſpiritu noſtro poſſediſſe cognouimus. Spiritus quippe ſancti præſentiam teſtatur congregatio ſacerdorum, & in medio ſui Dominum habere ſe monſtrant, qui in ipſius nomine conueniunt in idipſum. Nos etenim clamorem eorumdem deiectorum ſpernere clericorum ratio nulla ſiuit, & ad vociferationes eorum ad ſedem Apoſtolicam, etiã ſub deceſſoribus meis frequenter emiſſas, aures obturare paterna caritas non permiſit. Portamus quippe onera omnium qui grauantur: quinimmò hæc portat in nobis beatus Apoſtolus Petrus, qui nos in omnibus, vt confidimus, adminiſtrationis ſuæ protegit ac tuetur heredes. Verùm cùm nonnulla ſcripta ſedi Apoſtolicæ diuerſis temporibus delata, vel etiam ab ea data, ob huius reperiendam rei certitudinem diligenter inueſtigaremus: accidit vt etiam, Deo reuelante, Acta Concilij, quod auctore fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro præfatos viros ſegregaſſe dinoſcitur, ab eodem venerabili antiſtite nobis dudum tranſmiſſa, cum actionibus pro Rothado venerabili Epiſcopo venirent ad manus. In quibus quanta reprehenſionum inueniatur congeries, ſi voluerimus exhibere per ſingula, faciliùs chartæ quàm verba deficient. Ibi namque falſitas in ipſo mox actionum inuenitur principio. An non falſitas, cùm ſponte peruenisſe deiecti illi ad Eccleſiæ ianuas pro ſua neceſſitate ſcribuntur, qui veniſſe probantur inuiti? Præcipuè cùm Vulfadus ibidem non fuerit, cuius nomen inter petentium nomina fallaciter extitit re[illegible]atum? Ibi ante tempus examinis, iam iudicatum, & ante legitimum iudicium, condemnatum Epiſt. 46.

fuiſſe dinoſcitur. Ibi ante audientiam, & ante certum numerum collectorum Epiſcoporum, presbyteri diaconíque priuationi miniſteriorum ſuorum ſubduntur. Ibi Metropolitanus antiſtes modò ſua iura deponit, modò reſumit: modò ſubeſt Synodo, modò præeſt: modò quaſi accuſatus, modò accuſator, modò iudex accedit: & pro libitu proprio vicibus alternantibus cuncta diſponens, more cuiuſdam animantis, non ſemper vnius eiuſdémque coloris apparet. Ibi inquam nolentes proclamare proclamare coguntur, & tanquam accuſatores libellum proclamationis porrigere compelluntur: licet tenorem libelli iuxta morem geſtis frater noſter Hincmarus non inſeuerit, cùm eiſdem nonnulla minus etiam neceſſaria probetur inſeruiſſe. Ibi abſens, & vt illic habetur, ægrotus addicitur, & dolor ſuper dolorem apponitur, dum abſens Vulfadus libello quaſi præſens adſcribitur, & in lecto iacens, nunquámque reclamans, ſocietatem habere cum præſentibus reclamatoribus falsò prætenditur. In quo conſiderandum eſt, quia ſi leges ſæculi etiam de rebus pecuniariis, quæ extra nos ſunt, ægrotum reſpondere non cogunt, quanto minus à Domini ſacerdotibus infirmus quilibet compelli ad querimoniam debuit de negotio, quod in eumdem ipſum cōflari dinoſcebatur, & quod hunt ad depoſitionis caſum impellere probabatur? quo dolore in hac vita maior vbi quæſo eſt? Et vt ſtrictim pene omnia complectamur, ibi ſola obedientia ſubditorum, quam Apoſtolus præpoſitis exhibere iubet, reputatur in culpam; & qui prælati iudicio temere non reſtiterunt, ſed humiliter colla ſuppoſuerunt, ſeueriſſimè puniuntur. Ibi qui nulla propria noxa deliquerunt, hæreticorum damnationem tanquam hæretici inciderunt, & qui miſericordiam petiuere, nec iuſtum iudicium percipere meruerunt. Sed quid mirum, ſi textus & finis eiuſdem Concilii accepti non ſunt, quando in nomine Domini
Coloſſ. 3. 17. iuxta morem inchoatum non eſt? Nam cùm, Apoſtolo omne quodcumque fecerimus in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesv facienda præcipiente, ritus Eccleſiaſticus in colligendis Conciliis id obſeruet, & in hoc duntaxat, abdito permittente diuino iudicio, fuerit prætermiſſum: conſtat proculdubiò, non eos in nomine Domini congregatos extitiſſe, ac per hoc eum minimè in ſui medio habuiſſe, qui tale Concilium,
Pſal. 15. 4. immò conuenticula ſua de ſanguinibus contra pſalmiſtam congregauerunt, & quoddam animal imitati, non niſi extinctis propriis filiis poſſe ſubſiſtere putauerunt.

Iam verò, ſi idem Concilium ab Apoſtolica ſede fuiſſe prætenditur approbatum, quemadmodum id verſuta fuerit cauillatione ab Apoſtolica ſede perceptum, fraternitati veſtræ breuiter intimamus. Denique frater & & coepiſcopus noſter Hincmarus, de memoratis clericis, Vulfado ſcilicet & collegis ipſius, quod ſibi viſum eſt, conſummato mox præceſſori meo beatæ recordationis Leoni præſuli non ſemel ſupplices litteras miſit, quatenus idem Concilium approbans auctoritate Apoſtolica roboraret. Quod ille non ſolùm minimè annuit, verùm etiam agere ſollicitè renuit, dicens idcircò ſe petitiones eius pro confirmanda Synodo, in qua depoſiti præfati viri fuerant, ſuſpendiſſe, eo quòd per aliquos ex his Epiſcopis, qui Synodo reſederant, vt dubitatio foret radicitus euulſa, ſtatuta eiuſdem Synodi deſtinare debuiſſet: præcipuè cùm ibidem legati ſedis Apoſtolicæ

præſentes

præſentes non fuerint. Poſtremò eo quòd hi, quos ille auctoritate Synodi affirmabat depoſitos, per proprias litteras ſedem Apoſtolicam appellauerint, & vellent ſua ſe Apoſtolica audiri præſentia, & tunc, ſi culpabiles inuenirentur, non abnuerent canonicam ſuſtinere cenſuram. Sed venerabilis Hincmarus, ſciens vtrque Concilium iſtud, vt ſuprà oſtenſum eſt, reprehenſionibus non paucis reſperſum, acta quidem illius per neminem Epiſcoporum, qui his interfuerunt, deſtinauit: vt tamen firmarentur, denuò precibus agere non ceſſauit. Sed deiectorum iterato clamore crebreſcente clericorum, nec ſic quod petebatur laudabilis Præſul indulſit. Præcepit autem per alteram ſuæ ſanctionis epiſtolam, vt idem frater Hincmarus ad Concilium cum illis occurreret, ad quod ſuum ipſe legatum, Petrum videlicet Epiſcopum Spoletanum, è latere ſuo direxerat, ad renouandum videlicet iudicium vice ſua, & congregatis rurſus Epiſcopis ad depoſitorum reclamantium, auxiliante Domino, trutinandum ac ſopiendum negotium. Ita vt ſi eiſdem deiectis clericis contigiſſet, vt in ipſa debuiſſent depoſitione perſiſtere, & obedire renuiſſent, ſedémque Apoſtolicam iterum expetiſſent, ne ſedis Apoſtolicæ diſſolueretur priuilegium, illis ad eam veniendi non negaretur licentia. Cum quibus præcepit vt frater Hincmarus, vel miſſus eius veniret: quatenus cum fratribus ſuis Epiſcopis æquum de his iudicium conferre potuiſſent, & vtraque parte conueniente cauſas eorum eadem ſedes ſancta canonicè diffiniſſet. Verùm ille, qui priùs Epiſcopum, legatum videlicet Concilij ſui, ſedis Apoſtolicæ viſioni ſubtraxerat, etiam ſuam audientiæ ab eo deſignatæ præſentiam ſubducens, probauit de ſe illa quæ dicta ſunt: videlicet quòd tale Concilium ſtatuerit, quale ſuperiùs ſtrictim monſtratum eſt. Interea eo voti effectu fruſtrato, Apoſtolicæ ſedis Pontifex Leo, qui fratris Hincmari propoſitum nouerat, ab hac luce ſubtractus eſt. Cúmque ſanctæ memoriæ Benedictus, vir Apoſtolicus, ei ſucceſſiſſet in ordine pontificatus, rurſus reuerendus Hincmarus arma præparat, & eidem ſummo præſuli, tanquam ſuarum inexperto verſutiarum, latenter ſubripit, & in ipſo conſecrationis eius principio ſuadet, vt Concilium quidem ad votum vnius hominis congregatum firmaret: non tamen ei vllo modo ſubripi aut ſuaderi potuit, vt à iuſtæ diffinitionis & diſcretiſſimæ moderationis tramite vel aliquantulum declinaret. verumtamen, ſicut videre eſt, & ipſi iam forſitan agnouiſtis, ita per quoddam ei priuilegium conceſſum illius Concilij roborauit inſtitutum, vt auctoritatis ſummam ſedi Apoſtolicæ reſeruaret, & vt vobis iam ſcripſimus, ita tribuit honorem alteri, vt ſibi quod tribuebat non demeret. Vnde actum eſt, vt quod malè petitum fuerat, ſpiritu docente Dei, benè ſapiens Præſul concederet: & nihil proficeret humana ſubreptio, vbi pectus tanti Pontificis diuina replebat infuſio: nec obeſſet cuiuſdam ſuaſio, vbi antiſtitis ſancti prudens obuiauit & prouidentiſſima moderatio: dum in ipſo priuilegio tenorem præmiſerit, quòd ſic decretum eſt ab eo manenda inconuulſa quæ petebantur, ſi ita eſſent per omnia, quæ de illa Synodo ſibi à fratre noſtro Hincmaro referebantur. Interpoſuit enim ancipitem in eo ſententiam dicens: Si ita eſt noſtróque vt ſcriptis præſulatui intimaſti, & geſtorum ſerie demonſtraſti, ratas eaſdem, quin diffinitiones, Apoſtolica promulgamus fore auctoritate. Licet ipſe huius tenoris circumſtantiâ de collari priuilegij textu

excipiens,& noſtræ viſioni ſubduxerit,& aliorum notioni ſubtraxerit.Interſerens inſuper quæ idem ſummus pontifex nunquam, aut aliter ſanxerat.Ipſe namque de memoratis diffinitionibus dixit, Ratas eaſdem Apoſtolica promulgamus fore auctoritate,ſempérque manere ſtatuimus, & ſequentia,quæ ipſe quidem aliter poſuit, frater verò Hincmarus quædam addens,plura ſubtrahens,vel commutans,aliter proſecutus eſt.Sed adhuc & in alio mira fratris Hincmari rurſus accedit aſtutia, & ſoli proprio voto fauens ſe immiſcet prudentia. Denique cùm Apoſtolicæ & reuerendæ memoriæ deceſſor noſter Papa Benedictus ei priuilegium, de quo nunc diximus,contuliſſet, ita quæ in eo continentur firmauit, vt ſuſpenſam ſententiam his iungeret,& vt per omnia ſedi Apoſtolicæ ſua priuilegia, ſicut iam fati ſumus,& auctoritatis propriæ iura,(quem in hoc & nos quoque ſecuti ſumus)inuiolabilia reſeruaret:interponens præterea nodos anathematis in eos,quibus prohibendum cenſuit,ne quilibet contra eadem canonica conſtituta, & decreta Pontificum Romanorum pertinaciter obuiaſſet: id eſt, ne quis vel contra illa,quæ fratri Hincmaro conceſſerat, vel quæ ſedi propriæ reſeruarat, agere tentauiſſet. Sed ille, quæ horum ſuo libitui fauere conſpexit,omnium notitiæ patefecit:quæ autem ſedis ſunt Apoſtolicæ reſeruata iuri,cunctorum notioni ſubduxit. Teſtantur hoc exemplaria eiuſdem priuilegij, quæ ab eo ſunt ad ſedem Apoſtolicam diuerſo tempore miſſa.Quantum verò talis ſcriptorum deprauatio ac mutilatio noceat, ipſi iam potuiſtis aduertere,qui in Concilio videntes quædam ipſius conſtituti, ſicuti veſtro relatu didicimus,quædam verò non videntes,cœptum circa oppreſſos pium laborem deterriti minùs perfectum deſeruiſſe nunc dinoſceremini,niſi noſtris inſtructi monitis,& noſtris ibidem confortati litteris inueniremini. Miſerat enim ſæpe memoratus Antiſtes,egregiæ recordationis deceſſori meo per ſcripta ſua, quòd iidem clerici ad vicinos Epiſcopos prouocauerint,contra ſe libellum proclamationis dederint,iudices ſibi ipſi elegerint, & cætera, quæ longum eſt numerare,ſignificans. At ille diuinitus inſpiratus, ei reſcribens: Si inquit ita eſt, noſtróque vt ſcriptis præſulatui intimaſti,& geſtorum ſerie demonſtraſti, (quod frater Hincmarus de textu penitus eraſit) ratas eaſdem(ſubauditur diffinitiones) Apoſtolica promulgamus,non in omnibus, vt ipſe addidit, fore auctoritate, ſempérque manere ſtatuimus.Deinde ſubiunctum eſt,quod ipſe longè aliter mutauit ſcribens, vt inde quæſtio nullis aliquando temporibus oriatur. Nunc autem cùm ita non fuiſſe, tam à nobis, quàm à ſancto Concilio veſtro extiterit comprobatum, quod ſuggeſſerat meritò in irritum ductum eſt, quod contra deiectos non ſimpliciter impetrauerat. Sed ad propoſitum redeamus. Igitur tandem aliquando clericis ſæpe memoratis, qui ſemper ad Apoſtolicam ſedem appellauerunt, etiam nobis litteris ſuis pro deiectione ſua querimoniam exponentibus, non fuit diſſimulandi, non fuit nobis tacendi libertas,quibus maior cunctis Chriſtianæ religionis zelus incumbit. Ac ideo primùm quidem fratri & coepiſcopo noſtro Hincmaro miſimus,vti commemoratos viros, Vulfadum ſcilicet, collegáſque ipſius,clementi animo ſtuderet ad ſe reuocare,depoſitáque omni funditus animoſitate,de reſtitutione ipſorum ſecum fraternè tractaret,atque miſericorditer conſummare contenderet. Alioquin ad Concilium vobiſcum,

quibus & nos quoque pro hoc ipſo ſcripſimus, ſimul occurreret. quarenus omnes in vnum conuenientes, cauſas eorumdem clericorum examinatetis, & non aliqua emergente diſceptatione, Deo præ oculis habito, diffiniretis: ſi verò quælibet inter partes diſceptatio proueniret, ad ſedem Apoſtolicam, noſtrum ſuſcepturæ ſpeciale iudicium, perſonæ vices tenentes vtriuſque lateris conuenirent. Quo Dei gratiæ iuuamine peracto, ſuſcepimus nunc litteras amplectendæ dilectionis omnium veſtrûm, maniſeſtiſſimè ſignificantes, crebrò memoratos clericos à totius conſona voce Concilij dignos graduum ſuorum receptione pronuntiatos. vbi nulla, ſicut eiſdem litteris veſtris reperimus, diſceptatio prouenit: nulla, ſicut putatum fuerat, varietas alia atque alia defendentium accidit: nullus accuſator, nullus condemnator repertus eſt: ſed cunctorum vna eadémque ſententia, atque in reſtitutione ipſorum diffinitio claruit, eiſdem innoxiis à cunctorum vnanimitate modis omnibus approbatis. Quanquam vos non egeritis ſollenniter, minimè, ſecundum quod nos decreueramus, ſedi Apoſtolicæ plena relatione actionum ſeriem referantes: adeo vt propemodum ipſius veſtri Concilij geſtis incognitis, ad diffiniendum quid de ſæpedictorum clericorum ſtatu pene retraheremur, niſi labor prędeceſſorum noſtrorum, apud nos in rerum geſtarum ſcripturis inuentus, nos ad ſe tandem perficiendum pleniter animaſſet. Debuiſtis enim, quicquid de Ebbonis deiectione, releuatione, horum clericorum promotione, & ipſius Ebbonis iterata repulſione, ad aliámque Eccleſiam migratione, vel vndecumque ibi quippiam ventilatum eſt, nobis ſcripto vnanimiter, pleniter, ac fideliter intimare: non ſolùm autem nobis intimare, verumetiam monumentis inſertum ad pleniorem penes nos notitiam & certitudinem reſeruare. Sed quia hoc negligentia prætermiſſum eſt, ſaltem nunc omni diligentia procurate, vt quæcumque ſuper hac re ſcripta, tam à nobis priùs & nunc, quàm à vobis edita reperiuntur, & quid hinc coepiſcopus Hincmarus, & illi deiecti clerici ſedi Apoſtolicæ ſuggeſſerint atque retulerint, in volumen vnum ordine quò miſſa ſunt redigantur, & Apoſtolicæ ſedi, vt competens eſt, vobis eorum exemplaribus reſeruatis, ſummo ſtudio dirigantur. Quòd cùm diligenter actum fuerit, tunc profectò plenè ſcire poſſumus, cuncta vos in Concilio ſtrenuè peregiſſe: & quod hactenus omiſſum eſt, hoc ordine Chriſto iuuante recuperabitur. In quo tamen agendo venerabilem Vvlfadum præ cæteris abundantiorem conuenit curam arripere. Deinde verò volumus vos eſſe ſollicitos, vt ſi de cætero tale quid fortè contigerit euenire, pro quò conuentum in regionibus veſtris fieri ſacerdotum præcipiamus, hoc inter cætera nulli penitus obliuioni tradatis: ſed poſt omnia id agere maiorum more ſtudioſiſſimè ſatagatis. Arridet autem huic vnanimitatis veſtræ ſententiæ atque diffinitioni etiam fratris & coepiſcopi noſtri Hincmari profeſſio: quia non ſolùm eoſdem fratres, & antea ſe minimè ab officio ſuſpendiſſe, vel iudicaſſe, aut à gradibus eieciſſe, ſiue in repulſione ipſorum ſubſcripſiſſe; verùm etiam & nunc ad Synodum, ſicut nos præcepimus, conueniſſe, & his quæ de reſtitutione illorũ cæteri Antiſtites conſenſerunt, paratiſſimè annuiſſe, & obtemperare curaſſe teſtatur. cuius etiam nomen in epiſtola Synodica, (ſicut noſtra relatio indicat) vnà cum nominibus veſtris, qui ſimul cõueniſſe dinoſcimini, pariter adſcriptum inuentũ

eſt. Illud tamen ridere libuit, quòd idem Antiſtes crebrò memoratos clericos ab officio ſe minimè ſuſpendiſſe, vel iudicaſſe, aut à gradibus eieciſſe fatetur: præſertim cùm hæc non veritate fulta multis eſſe probatur indiciis, quæ ſuperiùs ſummatim tetigimus, & nunc ea vel plura commemorare ſtudio breuitatis omittimus. Nam niſi ille eos, etiam ante omnem audientiam, & adhuc cùm ad ſe non accuſantes, ſed miſericordiam poſtulantes acceſſerint, ab officio ſuſpendit; quid eſt quòd in actis Concilij ſui, quod ipſe ad ſedem Apoſtolicam miſit, ab eo ſuſpenſi ab officio fuiſſe memorantur? quibus cùm tacens nihil ipſe reſponderit, quid aliud, niſi vera eos proſecutos, ſilentio ſuo tribuit patenter intelligi? Et è diuerſo illi ſuper quo querelas ſuas crebrò dictæ ſanctæ memoriæ Leoni Papæ mittebant? vel quem, niſi eum, ſuum impulſorem à gradibus propriis, & infeſtum ſibi, quem circa ſe veluti patrem benignum debebant cognoſcere, frequenti relatione pandebant? Poſtremò niſi ille in deiectione ipſorum ſubſcripſit, immò niſi totius depoſitionis eorum ſeriem ipſe ſcripſit, quid eſt quòd ei in ſubinde memorato priuilegio, quod ſibi ab Apoſtolica ſede roborari petiit, beatę memoriæ deceſſor meus ad eum loquens, quòd ipſe diffinitiones illas in Synodo cum ceteris Epiſcopis collecta, iuxta relationem vtique ſuam propriis digitis roborauerit, manifeſtat? Quòd ſi dicit, nunquam ſe in illa Synodo ſubſcripſiſſe, ergo nec deceſſor noſter aliquam ei Synodum priuilegio ſuo firmauit: quippe cùm ipſe eam, quam auctoritate Apoſtolica ſtabiliuit, propriis digitis ipſius roboratam ſpecialiter fuiſſe commemoret. Igitur fratres cariſſimi, nos in præfatorum clericorum reſtitutione gradus, omnibus hactenus argumentis ritè collectis, & omnium veſtrûm hortatu generalis incitante conſenſus, omnimodam conniuentiam præbere potuiſſe cognoſcite. Sed quoniam non ſecundum decretum noſtrum eorum examinatio mera & perfecta diſcuſſio prouenit, nec promotio vel abiectio ipſorum in Synodali conuentu qualis fuerit, liquidò reperta eſt, nec Apoſtolicæ ſedi ſufficienti relatu monſtrata: idcirco paululum à conſummanda reſtitutione ipſorum interim deliberatiuum conſenſum noſtrum coercere neceſſarium duximus. Verùm quia in decernendo & in iudicando quod canonicè deliberatum eſt, ac in reſtituendis ſæpedictis clericis, atque in omnibus, Deo præduce, ſicut decuit & ordo popoſcit, noſtra præcellit auctoritas; conueniens ac honeſtum eſt, vt iuxta poſtulationem veſtram, noſtræ firmationis perfecta ſubſequatur integritas, eo dumtaxat ordine, vt frequentiùs intimati clerici, qui euidentiſſimè irregulariter ab officio graduum ſuorum ſuſpenſi fuiſſe noſcuntur, & hinc ſedem Apoſtolicam ſæpiſſimè prouocaſſe nonnullis indiciis comprobantur, ante omnia priſtinis gradibus & officiis reformati conſiſtant. ita vt prioribus redditi gradibus & ordinibus, & quodammodo ſuis omnibus reueſtiti, vires aduerſus impetentes ſe integras habeant. Non enim inermis cum armato rite conflictum inire poterit. Quibus videlicet gradibus ac officiis fruentibus eis, fratri & coepiſcopo noſtro Hincmaro licentia ſit, intra totius huius capedinem anni, ſæpedictos exhibere clericos ab ordinibus ſuis canonicè fuiſſe deiectos: ita vt quicquid habet calumniarum, proſequendi & exequendi ſibi ſit omnino facultas. Quòd ſi totius huius anni circuitu dilapſo, contra eos nullam iuſtam apud ſedem Apoſtolicam queri-

moniam compoſuerit, nec illos appetere de quocumque vel cuiuſcumque reatu, vel exceſſu, ſeu damnatione ſtuduerit; ipſis quidem deinceps in ordinibus permanentibus, nos profectò nulli torpori dabimus operam, nec vllo pacto à ſumma ceſſabimus diligentia, donec aut ipſe nunc illos iuſtè comprobet reſtitutos, aut iuſtè per ſe quondam oſtendat remotos. Alioquin nos ſubſequenter exhibere procul dubio conuenit, non ſolùm ſæpè fatos clericos præiudicialiter abſque canone ab officio ſequeſtraros, verùm etiam ordinatorem eorum inconuenienter, ac ſine conſequentia Eccleſiaſtica, regimine præſulari priuatum. Quod planè præter eum nullus, vt remur, omnino dubitat, nullus profectò non prædicat. quandoquidem & nobis ita claret, quantum autumare poſſumus, quemadmodum his qui in illo tempore præſto fuiſſe memorantur.

ILLVD tamen, cariſſimi, prætereundum inter cætera fore non duximus, quòd quantum relationis veſtræ ſeries innuit, minùs cautè quàm ſanximus regularia conſtituti noſtri executi ſitis edicta. Nos quippe, etſi appellantium ſedem Apoſtolicam clericorum, & ad iudicium eius prouocantium cauſam, propter amouendum à vobis prolixioris laborem itineris, illic audiri, vel etiam diffiniri ſtatuimus: non tamen quemquam eorum promouendum, vel ad eminentiorem ordinem prouehendum indulſimus, quemadmodum nunc factum eſſe veſtro fauore per ſcripta veſtra didicimus. Miramur inſuper, & quærimus, quænam illa ſit ſumma rei, quam vos noſtræ auctoritati reſeruaſſe prætenditis, & hanc inuenire non poſſumus. Quam enim nobis ſummam reſeruaſtis negotij, cuius adeo finem perducere maturaſtis, vt nobis inconſultis, etiam paſtoralem reſtitutis conferre ſollicitudinem pateremini? & qui ad eos priſtino gradui reformandos noſtræ auctoritatis eguiſtis, ad promouendum reſponſum noſtrum nequaquam præſtolari duxiſtis. Quantum autem filius noſter Carolus glorioſus rex id à nobis exegit: ſed nos veſtram caritatem & honorificentiam, quos iam conuenire iuſſeramus, meritò conſeruantes, nullo pacto, priuſquam rerum nobis exitus per vos pateſieret, conſenſum in hoc præbituros ſemper ei reſcripſimus. quod fratres ſaltem ad vicem minimè cuſtodientes, laudo vos, ſed in hoc non laudo. Porrò ſi quiſpiam ſedem Apoſtolicam, per Sergium ſanctæ memoriæ Papam, Ebonem quondam Archiepiſcopum indignum clericali communione ſanxiſſe perhibet, nouerit quoniam talem ſedes Apoſtolica debuit Ebonem, donec ſynodali eius examine cauſa diſcuteretur, habere, qualem ab aliis habitum non ignorabat. Statutum quippe in magna & veneranda Nicæna Synodo legerat, vt de his qui communione priuantur, ſeu ex clero, ſeu ex laïco ordine, Epiſcopis per vnamquamque prouinciam ſententia regularis obtineat, vt hi qui abiiciuntur, ab aliis non recipiantur: requiratur autem, ne puſillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Epiſcopi vitio, videatur à congregatione ſecluſus. Donec igitur auctoritate ſua huiuſcemodi puſillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet vitio, examinatio vel diiudicatio proueniret, Apoſtolica ſedes nihil agere debuit, niſi quod agit. Videlicet vt ab aliis abiectum ipſa nequaquam indiſcuſsè ſuſciperet. Præcipuè cùm prædictus Ebo non quaſi pro depoſitione ſua queritans, & legitimè reſtitui volens examine præcedente ſedem Apoſtolicam appellauerit: Conc. Nic. Can. 5.

ſed, vt codex Epiſcopalis indicat, à contumacibus ſuaſus, & his iunctus, tepentè & reconciliari ab ea, & pallio decorari quærens, & quaſi Epiſcopus inter Epiſcopos, nulla cauſæ ſuæ diſcuſſione præueniente, communicari poſcens, ad eandem ſummam ſedem acceſſerit, à qua iam reprobatus ab aliis meritò debuit reprobari, donec ſupplex ab ea ſeſe canonicè poſceret
Epiſt. 21. ad Dardanos. adiuuari. Nam conſtat, vt ſanctus Papa ſcribit Gelaſius, vniuſcuiuſque Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, nullam magis exequi ſedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum & ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequẽte, & tenuit ſemper & retinet. Verùtamen qualiſcumque fuerit, vel quæcumque pertulerit Ebbo, à ſe ordinatis, qui nihil præter humilitatem & obedientiam exhibuerunt, nullum protſus intulit offendiculum. quoniam & beatiſſimus
Epiſt. 87. Leo ad Mauros ſcribens, ita de quodam Maximo præcipit dicens: Maxi-
» mum quoque, licet reprehenſibiliter ordinatum, tamen ſi Donatiſta iam
» non eſt, & à ſpiritu ſchiſmaticæ prauitatis alienus eſt, ab Epiſcopali, quam
» quoquomodo adeptus eſt, non repellimus dignitate. Et Anaſtaſius eiuſ-
Epiſt. vnica. dem Apoſtolicæ ſedis Præſul, quòd mali bona miniſtrando ſibi tantummodo noceant, nec Eccleſiæ ſacramenta commaculent, ad Anaſtaſium Principem ſcribens euidentiſſima ratione demonſtrat. Oramus ſanctam fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper valere. Data VIII. Idus Decembris, Indictione XV.

IX.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LX.
Ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem.

Eiuſdem argumenti cum præcedente. Hincmari enim fraudes aperit circa clericos deiectos, & circa litteras Benedicti Papæ. Sub finem etiam arguit quòd pallio conceſſum vltra modum vti diceretur.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi.

Epiſt. 47. EPISTOLAM beatitudinis tuæ, cum epiſtola Synodi miſſam, per legatum eiuſdem veſtri ſacrati collegij, Egilonẽ videlicet fratrem & coepiſcopum noſtrum, ſuſcipientes, & tam ex ipſis epiſtolis, quàm ex verbis eiuſdem venerabilis viri, deuotionem & ſupplicem patentiam tuam, quam erga ſedem Apoſtolicam habes, etiam nunc agnouimus, perpetuámque beneuolentiam tuam, quam circa deiectos fratres & filios alacriter exhibuiſſe te dicis, lauda-
Rom. 12. 15. mus. nimirum qui & ſecundum Apoſtolum fleuiſſe te cum flentibus indicas, & nunc gaudere cum gaudentibus manifeſtas. Quorum & nos quoque clamorem clericorum ſpernere ratio nulla ſiuit, & ad vociferationes eorum, ad ſedem Apoſtolicam etiam ſub deceſſoribus meis frequenter emiſſas, aures obturare paterna caritas non permiſit. Portamus quippe onera omnium qui grauantur: quinimmò hæc portat in nobis B. Apoſtolus Petrus, qui nos in omnibus, vt confidimus, adminiſtrationis ſuæ protegit ac tuetur heredes. Verùm cùm nonnulla ſcripta ſedi Apoſtolicæ diuerſis temporibus delata, vel etiam ab ea data, ob huius reperiendam rei certitudinem diligenter

inueſtigaremus: accidit vt etiam Deo reuelante acta Concilij, quod auctore te præfatos viros ſegregaſſe dinoſcitur, à te nobis dudum tranſmiſſa cum actionibus pro Rothado venerabili Epiſcopo, venirent ad manus. In quibus quanta reprehenſionum inuehiatur congeries, ſi voluerimus exhibere per ſingula, faciliùs chartæ quàm verba deficient. Ibi namque falſitas in ipſo mox actionum inuenitur principio. An non falſitas, cùm ſponte perueniſſe deiectos illos ad Eccleſiæ ianuas pro ſua neceſsitate ipſe deſcribas, qui veniſſe probantur inuiti? præcipuè cùm Vulfadus ibidem non fuerit, cuius nomen inter petentium nomina fallaciter extitit recitatum? Ibi ante tempus examinis iam iudicatum, & ante legitimum iudicium condemnatum fuiſſe dinuſcitur. Ibi ante audientiam, & ante certum numerum collectorum Epiſcoporum, preſbyteri diaconique priuationi miniſteriorum ſuorum ſubduntur. Ibi Metropolitanus Antiſtes modò ſua iura deponit, modò reſumit: modò ſubeſt Synodo, modò præeſt. modò quaſi accuſatus, modò accuſator, modò iudex accedit, & pro libitu proprio vicibus alternantibus cuncta diſponens, more cuiuſdam animantis, non ſemper vnius eiuſdémque coloris apparet. Ibi inquam nolentes proclamare, proclamare coguntur, & tanquam accuſatores libellum proclamationis porrigere compelluntur, licet tenorem libelli iuxta morem geſtis non inſerueris, cùm eiſdem nonnulla minus etiam neceſſaria proberis inſeruiſſe. Ibi abſens, & vt illic habetur ægrotus addicitur, & dolor ſuper dolorem apponitur; dum abſens Vulfadus libello quaſi præſens adſcribitur, & in lecto iacens nunquámque reclamans, ſocietatem habere cum præſentibus reclamatoribus falsò prætenditur. In quo conſiderandum eſt, quia ſi leges ſæculi etiam de rebus pecuniariis, quę extra nos ſunt, ægrotum reſpondere non cogunt, quanto minus à Domini ſacerdotibus infirmus quilibet compelli ad querimoniam debuit de negotio, quod in eumdem ipſum conflari dinoſcebatur, & quod hunc ad depoſitionis caſum impellere probabatur? quo dolore in hac vita maior vbi quæſo eſt? Et vt ſtrictim pene omnia complectamur, ibi ſola obedientia

Heb. 13. 17.

ſubditorum, quam Apoſtolus præpoſitis exhibere iubet, reputatur in culpam, & qui prælati iudicio temere non reſtiterũt, ſed humiliter colla ſuppoſuerunt, ſeueriſſimè puniuntur. Ibi qui nulla propria noxa deliquerũt, hæreticorum damnationem tanquam hæretici inciderunt, & qui miſericordiam petiuerunt, nec iuſtum iudicium percipere meruerunt. Sed quid mirum, ſi textus & finis eiuſdem Concilij accepti non ſunt, quando in nomine Domini iuxta morem inchoatum non eſt? Nam cùm Apoſtolo, omne quodcumque fecerimus Deo in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesv facienda præcipiente, ritus Eccleſiaſticus in colligendis Conciliis id obſeruet, & in hoc dumtaxat, abdito permittente diuino iudicio, fuerit prætermiſſum: conſtat proculdubio, non eos in nomine Domini congregatos extitiſſe, ac per hoc eum minimè in ſui medio habuiſſe, qui tale Concilium, immò conuenticula ſua de ſanguinibus contra Pſalmiſtam congregauerunt, & quoddam animal imitari, non niſi extinctis propriis filiis poſſe ſubſiſtere putauerunt. Iam verò ſi idem Concilium ab Apoſtolica ſede prætenditur fuiſſe approbatum, quemadmodum id verſuta fuerit cauillatione ab Apoſtolica ſede perceptum, fraternitas tua non neſcit. Denique de memoratis clericis, Vulfado ſcilicet & collegis ipſius, quod tibi viſum eſt, conſummato mox præceſſori meo beatæ recordationis Leoni præſuli non ſemel ſupplices litteras miſiſti, quatenus idem Concilium approbans auctoritate Apoſtolica roboraret. Quod ille non ſolùm minimè annuit, verùm etiam agere ſollicitè renuit, dicens, Idcireò ſe petitiones tuas pro confirmanda Synodo, in qua depoſiti præfati viri fuerant, ſuſpendiſſe, eo quòd per aliquos ex his Epiſcopis, qui in Synodo reſederant, vt dubitatio foret radicitus euulſa, ſtatuta eiuſdem Synodi deſtinare debuiſſes, præcipuè cùm ibidem legati ſedis Apoſtolicæ præſentes non fuerint. Poſtremò quod hi, quos tu auctoritate Synodi affirmabas depoſitos, per proprias litteras ad ſedem Apoſtolicam appellauerint, & vellent iterum ſua ſe Apoſtolica audiri præſentia, & tunc ſi culpabiles inuenirentur, non abnuerent catholicam ſuſtinere cenſuram. Sed venerabilitas tua ſciens vtique Concilium iſtud, vt ſuprà oſtenſum eſt, reprehenſionibus non paucis reſperſum, acta quidem illius per neminem Epiſcoporum, qui his interfuerant deſtinauit: vt tamen firmarentur, denuo precibus agere non ceſſauit. Sed deiectorum iterato clamore crebreſcente clericorum, nec ſic quod petebatur laudabilis præſul

Coloſſ. 3. 17.

Pſal. 15. 4.

indulſit. Præcepit autem per alteram ſuę ſanctionis epiſtolam, vt ipſe ad Concilium cum illis occurreres, ad quod ſuum ipſe legatum, Petrum videlicet Epiſcopum Spoletanum, è latere ſuo direxerat: ad renouandum ſcilicet iudicium vice ſua, & congregatis rurſus Epiſcopis ad depoſitorum reclamantium auxiliante Domino trutinandum ac ſopiendum negotium. Ita vt ſi eiſdem deiectis clericis contigiſſet, vt in ipſa debuiſſent depoſitione perſiſtere, & obedire renuiſſent, ſedémque Apoſtolicam iterum expetiſſent, ne ipſius Apoſtolicæ ſedis diſſolueretur priuilegium, illis ad eam veniendi non negaretur licentia. Cum quibus præcepit vt tua fraternitas vel miſſus eius veniret: quatenus cum fratribus ſuis Epiſcopis æquum de his iudicium conferre potuiſſet, & vtraque parte conueniente, cauſas eorum eadem ſancta ſedes canonicè diffiniſſet. Verùm qui priùs Epiſcopum, legatum videlicet Concilij tui, ſedis Apoſtolicæ viſioni ſubtraxeras, etiam tuam audientiæ ab ea deſignatæ præſentiam ſubducens, probaſti de re illa quæ dicta ſunt: videlicet quod tale Concilium ſtatueris, quale ſuperiùs monſtratum eſt. Interea te voti effectu fruſtrato, Apoſtolicæ ſedis & beatæ recordationis Pontifex Leo, qui fraternitatis tuæ propoſitum nouerat, ab hac luce ſubtractus eſt. Cúmque ſanctæ memoriæ Benedictus vir Apoſtolicus ei ſucceſſiſſet in ordine pontificatus, rurſus reuerentia tua arma præparat, & eidem ſummo Præſuli, tamquam ſuarum inexperto verſutiarum, latenter ſubripit, & in ipſo conſecrationis ipſius principio ſuadet, vt Concilium quidem ad votum vnius hominis congregatum firmaret: non tamen ei vllomodò ſubripi aut ſuaderi potuit, vt à iuſtę definitionis & diſcretiſſimę moderationis tramite vel aliquãtulum declinaret. Nam ſicut videre eſt, & ipſe liquidò noſti, qui eiuſdem priuilegij paginam penes te habere repoſitam dinoſceris, ita per priuilegium tibi conceſſum illius Concilij roborauit inſtitutum, vt auctoritatis ſummam ſedi Apoſtolicæ reſeruaret. Vnde actum eſt, vt quod malè petitum fuerat, ſpiritu docente Dei, bene ſapiens Præſul concederet; & nihil proficeret humana ſubreptio, vbi pectus tanti Pontificis diuina replebat infuſio: nec obeſſet cuiuſquam ſuaſio, vbi Antiſtitis ſancti prudens obuiauit & prouidentiſſima moderatio. dum in ipſo priuilegio tenorem præmiſerit, quod ſic decretum eſt ab eo manenda inconuulſa quæ petebantur, ſi ita eſſent per omnia, quæ de illa Synodo ſibi à ſanctitate tua referebantur. Interpoſuit enim ancipitem in eo ſententiam dicens: Si ita eſt, noſtróque vt ſcriptis præſulatui intimaſti, & geſtorum ſerie demonſtraſti, ratas eaſdem, quin diffinitiones, Apoſtolica promulgamus fore auctoritate. Licet tu huius tenoris circumſtantiam de collati priuilegij textu minùs ſimpliciter excipiens, & noſtræ viſioni ſubduxeris, & aliorum notioni ſubtraxeris. Interſerens inſuper quæ ille aut nunquam, aut aliter ſanxerat. Ipſe namque de memoratis diffinitionibus dixit, ratas eaſdem Apoſtolica promulgamus fore auctoritate, ſempérque manere ſtatuimus, & ſequentia. Quæ ipſe quidem aliter poſuit: tu verò addens atque commutans proſecutus es, dicens: Ratas eaſdem Apoſtolica promulgamus in omnibus fore auctoritate, ſempérque manere ſtatuimus, vt inde quæſtio nullis aliquando temporibus oriatur. Quod quantum inter ſe diſcrepet, videlicet quod ille promulgauit, & quod tu minuiſti, vel adieciſti, vel mutaſti, ipſe perpendis. Sed adhuc & in alio mira fraternitatis tuæ accedit aſtutia, & ſoli proprio voto fauens ſe immiſcet prudentia. Denique cùm Apoſtolicæ ſanctitatis atque memoriæ idem deceſſor noſter Papa Benedictus tibi priuilegium, de quo nunc dicimus, contuliſſet, ita quæ in eo continentur firmauit, vt ſuſpenſam ſententiam his iungeret, & vt per omnia ſedi Apoſtolicæ ſua priuilegia, ſicut iam fati ſumus, & auctoritatis propriæ iura, (quæ in hoc & nos quoque ſecuti ſumus) inuiolabilia reſeruaret. Interponens præterea nodos anathematis in eos, quibus prohibendum cẽſuit, ne quilibet contra eadem canonica conſtituta & decreta Pontificum Romanorum pertinaciter obuiaſſet: id eſt, ne quis contra illa quæ tibi conceſſerat, vel quæ ſedi propriæ reſeruarat, agere tentauiſſet. Sed tu quæ horum tuo libitui fauere conſpexiſti, omnium notitiæ patefeciſti: quæ autem ſedis ſunt Apoſtolicæ reſeruata iuri, cunctorum notioni ſubduxiſti. Teſtantur hoc exemplaria eiuſdem priuilegij, quæ ſunt ad ſedem Apoſtolicam diuerſo tempore miſſa. Quantum verò talis ſcriptorum deprauatio aut mutilatio noceat, ipſe iam potuiſti cum fratribus & coepiſcopis tuis aduertere. qui in Concilio videntes quædam ipſius conſtituti, ſicuti relatu ipſorum didicimus, quædam verò non videntes, cœptum circa oppreſſos piuni

laborem

laborem deterriti minùs perfectum deſe-
ruiſſe nunc dinoſcerentur, niſi noſtris in-
ſtructi monitis, & noſtris ibidem confor-
tati litteris inuenirentur. Quamobrem
iure fortaſſis te fraudis aliquid in talibus
committere fateri poſſemus, niſi reueren-
tiæ tuæ, quod ipſe non ſperas, parcere no-
ſtra moderatio ſtuduiſſet. Siquidem rela-
tionum detruncatio, non ſolùm cognitio-
nem ab hominibus ſubtrahit, verùm etiã
audientes in errorem inducit. Ecce enim
dicimus, Iuſtus Dominus Deus noſter, &
non eſt iniquitas in eo: vnde ſi vna ſola
ſyllaba ſubtrahitur, blaſphemia protinus
in Deum ſine cunctatione committitur.
Si ergo vnius ſyllabæ tantùm in Deum
piaculum gignit ablatio, quantum putas
tot poteſt dictionum receſsio ignorantibus
generare diſpendium? Quamuis ſit in hoc
facto & aliud quoque ſubtiliter conſide-
randum. Nam cùm anathematis interpo-
ſitio, non ſolùm illos, qui contra beneficia
tibi conceſſa committunt, verùm etiam &
hos, qui iura ſedis Apoſtolicæ temere diſ-
ſoluunt, complectendo percellat, & tu ip-
ſam interpoſitionem anathematis, quæ ad
ſedis Apoſtolicæ pertinent priuilegia ta-
cens, poſt textum præceptionis tibi con-
ceſſæ, in eo duntaxat quòd te mulcet cõ-
memorauetis, apertè claret te nos huiuſ-
modi argumento callidè tetigiſſe: cùm
profectò liqueat, ſic illud vinculum ana-
thematis deceſſoris noſtri decretum non
obſeruantes percellere, vt tamen ius Apo-
ſtolicæ ſedis ſemper maneat illibatum; &
ſi ita eſſe quod ſuggerebatur, foret per
omnia comprobatum. Quod ergo nos in
cauſa deiectorum egimus clericorum, ad
ſedis Apoſtolicæ pertinet priuilegium, ac
per hoc meritò inde ſumus immunes. Tu
verò violationis eiuſdem priuilegij habe-
ris obnoxius: qui pulſis illis clericis ad ſe-
dem Apoſtolicam prouocantibus, manum
obicem ſubdolè præparaſſe cerneris, ac
per hoc illatam in eodem conſtituto ana-
thematis pœnam conuenientiùs incidiſſe
crederis. Videlicet dum talem crebrò di-
cti priuilegij textum & tenorem additio-
ne, detruncatione, ac mutatione tua cun-
ctis oſtenderis, vt metrò ſubinde memo-
ratis clericis metum & deſperationem
poſſet incutere, ac eos ab inchoata recla-
mationis voce prorſus auertere. Nam cùm
nobis, quos noſti vtique priſco Eccleſiæ
Romanæ more in regeſtis exemplaria
ſcriptorum, quæ à ſede dantur Apoſtolica,
reſeruare, & quos conijcere potuiſti, cùm
tempore deceſſoris mei daretur, ea etiam
præſentialiter intuitos eſſe, ſic mutilatum
& deprauatum idem inſtitutum mittere
non formidaueris, quàm deprauatum &
defraudatum nullam huius experientiam
habentibus ad ſubuerſionem vim patien-
tium fortiſtan exhibuiſti? Quam profectò
rem magnopere, frater cariſſime, fugere
debuiſti: veritus videlicet, ne ſi nõ aduer-
ſus ſæpedictũ tibi collatum priuilegium,
vel contra principale ſedis Apoſtolicæ ius
agere videreris, ſaltem ne in aliquo ipſe
falſarius, quod abſit, à ſacerdotali verecũ-
dia reperireris. Miſiſti enim egregiæ re-
cordationis deceſſori meo per ſcripta tua,
quòd iidem clerici ad vicinos Epiſcopos
prouocauerint, contra te libellum procla-
mationis dederint, iudices ſibi ipſi elege-
rint, & cætera quæ longum eſt dinumera-
re ſignificans. At ille diuinitus inſpiratus
tibi reſcribens: Si, inquit, ita eſt, noſtró- «
que vt ſcriptis præſulatui intimaſti, & ge- «
ſtorum ſerie demonſtraſti, (quod tu de «
textu penitus eraſiſti) ratas eaſdem (ſub- «
auditur diffinitiones) Apoſtolica promul- «
gamus, non in omnibus, vt ipſe addidiſti, «
fore auctoritate, ſempérque manere ſta- «
tuimus. Deinde ſubiunctum eſt, quod tu
longè aliter mutaſti ſcribens, vt inde quę- «
ſtio nullis aliquando temporibus oriatur. «
Nunc autem cùm ita non fuiſſe, tam à no-
bis, quàm à ſancto Concilio veſtro fuerit
comprobatum, quod dudum ſuggeſſeras,
meritò in irritum ductum eſt, quod con-
tra deiectos nõ ſimpliciter impetraueras.
Sed ad propoſitum redeamus. Igitur tan-
dem aliquando clericis ſæpe memoratis,
qui ſemper ad Apoſtolicam ſedem appel-
lauerunt, etiam nobis litteris ſuis pro deie-
ctione ſua querimoniam exponentibus,
non fuit diſſimulandi, non fuit nobis ta-
cendi libertas, quibus maior cunctis Chri-
ſtianæ religionis zelus incumbit. Ac ideo
primùm tibi miſimus, vti commemoratos
viros, Vulfadum ſcilicet, collegáſque ip-
ſius, clementi animo ſtuderes ad te reuo-
care, depoſitáque omni funditus animo-
ſitate, de reſtitutione ipſorum tecum fra-
ternè tractares, atque miſericorditer con-
ſummare contenderes. alioquin ad Con-
cilium cum ceteris in illis regionibus con-
ſtitutis Archiepiſcopis & Epiſcopis, qui-
bus & nos quoque pro hoc ipſo ſcripſi-
mus, ſimul occurreres: quatenus om-
nes in vnum conuenientes cauſas eorum-
dem clericorum examinaretis, & non
aliqua emergente diſceptatione, Deo præ
oculis habito diffiniretis. Si verò quælibet
inter partes diſceptatio proueniret, ad

ſedem Apoſtolicam, noſtrum ſuſcepturæ ſpeciale iudicium, perſonæ vices tenentes vtriuſque lateris conuenirent. Quo Dei gratię iuuamine peracto, ſuſcepimus nunc litteras ampleċtendæ dileċtionis omnium veſtrûm, manifeſtiſſimè ſignificantes, crebrò memoratos clericos à totius conſona voce Concilij dignos graduum ſuorum receptione pronuntiatos. Vbi nulla, ſicut eiſdem litteris veſtris reperimus, diſceptatio prouenit, nulla, ſicut putatum fuerat, varietas alia atque alia defendentium accidit: nullus accuſator, nullus condemnator repertus eſt: ſed cunċtorum vna eadémque ſententia, atque in reſtitutione ipſorum diffinitio claruit, eiſdem innoxiis à cunċtorum vnanimitate modis omnibus approbatis. Ergo ſi innoxij ſunt illi quondam depoſiti ab vnanimitate omnium approbati, qui depoſuerant quomodo ſint innoxij, iure neſcimus. Arridet autem huius vnanimitatis veſtræ ſententiæ, atque diffinitioni, etiam tua, quamuis non ſimplex, ſummiſſa tamen profeſſio, qua non ſolùm eoſdem fratres, & antea te minimè ab officio ſuſpendiſſe, vel iudicaſſe, aut à gradibus eieciſſe, ſiue in repulſione ipſorum ſubſcripſiſſe, verùm etiam & nunc ad Synodum, ſicut nos præcepimus, conueniſſe, & his quę de reſtitutione illorum ceteri Antiſtites conſenſerunt, paratiſſimè annuiſſe, & obtemperare curaſſe teſtaris. Cuius etiam nomen in epiſtola Synodica, ſicut eius relatio indicat, vnà cum conuenientium fratrum & conſacerdotum nominibus pariter adſcriptum inuentum eſt.

Illud tamen ridere libuit, quòd fraternitas tua crebrò memoratos clericos ab officio ſe minimè ſuſpendiſſe, vel iudicaſſe, aut à gradibus ejeciſſe fatetur: præſertim cùm hæc non veritate fulta multis etiam probentur indiciis. Sed quamuis ſuperiùs ſummatim tetigiſſemus quæ geſta ſunt, nolumus tamē hæc pleniter exaggerare, ne compellamur quæ digna ſunt iudicare. Nam niſi tu illos, etiam ante omnem audientiam, & adhuc cùm ad te non accuſantes, ſed miſericordiam poſtulantes acceſſerint, ab officio ſuſpendiſti, quid eſt quòd in aċtis Cōcilij tui, quod ipſe ad ſedem Apoſtolicam miſiſti, à te ſuſpenſi ab officio fuiſſe memorantur? Quibus cùm tacens nihil ipſe reſponderis, quid aliud niſi vera eos proſecutos ſilentio tuo tribuiſti pateret intelligi? Et è diuerſo illi ſuper quo querelas ſuas crebrò diċtæ ſanċtæ memoriæ Leoni Papæ mittebant, vel quem niſi te ſuum impulſorem à gradibus propriis, infeſtum ſibi, quem circa ſe veluti patrem benignum debebant cognoſcere, frequenti relatione pandebant? Poſtremò, niſi tu in deieċtione ipſorum ſubſcripſiſti, immò niſi totius depoſitionis eorum ſeriem ipſe ſcripſiſti; quid eſt quod in ſubinde memorato priuilegio, quod tibi ab Apoſtolica ſede roborari petiſti, beatæ memorię deceſſor meus ad te loquens, quòd tu diffinitiones illas in Synodo cum ceteris Epiſcopis collecta, iuxta relationem vtique tuam, propriis digitis roborauoris, manifeſtat? Quòd ſi dicis, nunquam te in illa Synodo ſubſcripſiſſe, ergo nec deceſſor noſter aliquam tibi Synodum priuilegio ſuo firmauit. Quippe cùm ipſe eam, quam auċtoritate Apoſtolica ſtabiliuit, propriis digitis tuis te ſpecialiter roboraſſe commemoret.

Iam verò, quod in epiſtola tua nobis ſcripſiſti, dicens eorumdem clericorum ſalubrem ac regularem ſtatum & cupiſſe te, & cupere, & quæſiſſe & quærere, quis audiens eorum qui curſum negotij vel controuerſiæ huius nouit, non miretur, & non obſtupeſcat? Porrò ſi cupiſti, vbi eſt certamen, quod pro eorum, vt pote filiorum, recuperatione ſumpſiſti? & ſi quæſiſti, vbi apparet? vbi datur ſaltem intelligi? Verùm oſtende tu nobis quando ſtatum eorum cupiueris, vel quæſieris, & nos oſtendemus tibi prolixitate dimiſſa breuiter, quòd non ſtatum, ſed caſum ſemper eorum cupiueris & quæſiueris. Nam quid eſt quod obtinere modò legatis, modò litteris, apud deceſſores meos, Leonem ſcilicet & Benediċtum beatæ recordationis Pontifices te cupere & quærere ſignificas, niſi vt eorum quidem deieċtio firmetur, reſtitutio verò nunquam ſperetur, caſus perpetuò roboretur, ſtatus aliquando minimè reformetur? Ecce quomodo ſtatum eorum cupiuiſti, ecce quomodo ſtatum quæſiſti. Sed dicis fortaſſe, te non qualemcumque ſtatum eorum, ſed ſalubrem ac regularem cupiuiſſe atque quæſiſſe. Verùm vel hoc quibuſuis exhibe teſtibus, aut quibus cupis oſtende probationibus. Nam nec tua, nec alia quæ penes nos reiacent, de te tale quid indicant ſcripta, cùm potius ad omnimodam ruinā ipſorum affeċtum tuum iugiter intentum fuiſſe patenter inſinuent. Ad extremum, ſi tu eos non deieciſti, quare non cùm tui fuerint erexiſti? Iam verò, ſi & id tua ſola auċtoritate

agere nequiuiſti, quare pro his Apoſtolicæ ſedis auctoritatem non petiuiſti, quam ſic contra eos vtinam non petiiſſes. Si quidem vbi eſt dolor, quem pro eis, vt pote pro filiis, incurriſti? vbi eſt ſaltem modicus labor, quem pro reſtituendis illis clementer arripuiſti? Quamuis fortè verum ſit, quod te deiectioni eorum condoluiſſe & ſtatui gaudere teſtaris: hoc duntaxat modo, vt ſicut de deiectione ipſorum condolueras, ita nunc de ſtatu congaudeas. quia videlicet nec tunc caſui eorum condoluiſti, nec nunc ſtatui fortaſſe congaudes. Sed inter hæc libet ad epiſtolæ tuæ verba intuitum mentis inflectere, & quàm nobis non ſimpliciter ſcripſeris, ſtrictim oſtendere. Indecens quippe eſt, licet te non pudeat, ſedi Apoſtolicæ ſubdolè ſcribere, niſi aſtutiæ tuæ argumenta ipſa valeat comprehendere. In illa namque epiſtolæ tuæ conſtantia, nihil de abiectione clericorum eorum commemoraſti; & quam iniuſtè fuerint depoſiti, nihil penitus demonſtraſti: cùm te oportuerit eoſdem profiteri clericos, pro conſecratione ſibi per Ebonem collata, nullam ſui gradus pati debuiſſe iacturam, præſertim cùm ipſe cum ceteris fratribus, & coepiſcopis tuis in Synodica epiſtola, quam ad ſedem Apoſtolicam communiter miſiſtis, Ebbonem ſolâ iram principis in ſua qualicumque dicta damnatione incurriſſe profitearis. Verùm ſi ita ſacros canones intellexiſti, cùm illos iudicaſti, ſaltem hoc ipſum diceres, & quod hinc nos cenſuiſſemus, vt pote maioris auctoritatis, amplecti contenderes. Per talem enim confeſſionem, quam Ebbo feciſſe prætenditur, nemo canonicæ dãnationi ſubiicitur. Quòd ſi tu taces, nos ſilere non poſſumus: & quod omnes iniuſtum fatentur, ipſe iuſtum, quantiſlibet variis argumentis, probare non poteris. Quòd ſi formidatum eſt, ne iniuſta damnatio eorum in diſcrimen redundaret auctoris, & ideo quòd iniuſtè fuerit prolata taceatur, non congruum initur conſilium. Faciliùs quippe veniam quis veritate, quàm exquiſitis & minus aptis adinuentionibus, impetrat. Præſertim cùm veritas liberet, mendacium verò perdat. maximè cùm non ſit timendum, vbi timor non eſt: nec agnouer is nos talem circa te geſtare dilectionis affectum, vt quid te velimus incurrere detrimenti, cùm potius tui ſemper audi ſuerimus augmẽti. Nam & Ebbonis cauſa, & iſtorum clericorum negotium, quę prima tranſierunt, vt tibi cautelam non diſcrimen tribuant, anhelamus. Regiam quippe viam tenentes, ſic illis prodeſſe decreuimus, vt tuæ ſanctitati obeſſe nullomodo videremur: ſicque rurſum ſecuritatem tibi ſuper hoc præbemus, vt clericis crebrò dictis hanc nullatenus adimamus. Ad vltimum verò, epiſtola, quæ nobis à te nunc miſſa dicitur, vtrum tua fuerit, cõuenienter ambigitur; cùm nec legatum tuum, qui hanc à te nobis tranſmiſſam diceret, direxeris, nec eam ſigillo tuo ſecundum morem ſignare ſtudueris. Vnde mirandum eſt, cùm in deiectionem ipſorum clericorum etiam volumen non breue compoſueris, quamobrem in reſtitutionem ſaltem vnam epiſtolam ſimplicem non edideris. In quo apparet quantum ibi alacritatis, quantum hîc deſidiæ ſtudium fuerit. Quamuis hæc ne nos arbitreris ad diſcrimen quodlibet tuæ ſanctitatis vel dignitatis exaggeraſſe, cùm meliora eſſe vulnera diligentis, quàm fraudulenta odij oſcula non neſcias: ſed ne adeo in priuilegiorum tuorum defenſionem vel elationem immoderatiùs exigaris, vt Apoſtolicæ ſedis iura quoquomodo temere tetigiſſe videaris. Nam mala conſuetudo, quę non minùs, quàm perniciosa corruptela vitanda eſt, niſi citiùs radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab improbis aſſumitur: & incipiunt præuaricationes & variæ præſumptiones, celerrimè non compreſſæ pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuò celebrari. Igitur nos in præfatorum clericorum reſtitutione gradus, omnibus hactenus argumentis ritè collectis, & omnium veſtrûm hortatu generalis incitante conſenſus, omnimodam conniuentiam præbere potuiſſe cognoſce. Sed quoniam non ſecundum decretum noſtrum eorum examinatio mera & perfecta diſcuſſio prouenit, nec promotio vel abiectio ipſorum in Synodali conuentu qualis fuerit liquidò reperta eſt, nec Apoſtolicæ ſedi ſufficienti relatu monſtrata, idcirco paululum à conſummanda reſtitutione ipſorũ interim deliberatiuum conſenſum noſtrum coercere neceſſarium duximus. Verùm quia in decernendo, & in iudicando quod canonicè deliberatum eſt, ac in reſtituendis ſæpedictis clericis, atque in omnibus, Deo praduce, ſicut decuit, & ordo pòpoſcit, noſtra præceſſit auctoritas: conueniens ac honeſtum eſt, vt iuxta poſtulationem veſtram, noſtrę firmationis perfecta ſubſequatur integritas: eo duntaxat ordine, vt frequentiùs intimati clerici, qui euidentiſſimè irregu-

D. VIII. Mala conſuetudo.

lariter ab officio graduum ſuorum ſuſpenſi fuiſſe noſcuntur, & hinc ſedem Apoſtolicam ſæpiſſimè prouocaſſe nonnullis indiciis comprobantur; ante omnia priſtinis gradibus & officiis reformati conſiſtant: ita vt prioribus redditi gradibus & ordinibus, & quodammodo ſuis omnibus reueſtiti, vires aduerſus impetentes ſe integras habeant. Non enim inermis cum armatore conflictum inire poteſt. Quibus videlicet gradibus ac officiis fruentibus eis, fraternitati tuæ licentia ſit, intra totius huius capedinem anni ſæpedictos exhibere clericos ab ordinibus ſuis canonicè fuiſſe deiectos: ita vt quicquid habes aduerſus eos calumniarum proſequendi & exequendi tibi ſit omnino facultas. Quòd ſi totius huius anni circuitu dilapſo, contra eos nullam iuſtam apud ſedem Apoſtolicam querimoniam compoſueris, nec illos appetere de quocumque vel cuiuſcumque reatu vel exceſſu ſeu damnatione ſtudueris, ipſis quidem deinceps in ſuis ordinibus permanentibus, nos profectò nulli torpori dabimus operam, nec vllo pacto à ſumma ceſſabimus diligentia, donec aut tu iuſtè nunc illos comprobes reſtitutos, aut iuſtè per te quondam oſtendas remotos. Alioquin nos ſubſequenter exhibere proculdubio conuenit, non ſolùm ſæpefatos clericos præiudicialiter abſque canone ab officio ſequeſtratos, verùm etiam ordinatorem eorum inconuenienter ac ſine conſequentia Eccleſiaſtica regimine præſulari priuatum: quod planè præter te nullus, vt reinur, omnino dubitat, nullus profectò non prædicat. quandoquidem & nobis ita claret, quantum autumare poſſumus, quemadmodum his qui illo in tempore præſto fuiſſe memorantur. Poſtremò ſcire te volumus, noſtris auribus intimatum eſſe, fraternitatem tuam non certis temporibus, & iuxta morem aliis Metropolitanis antiſtitibus definitis, pallio à ſede Apoſtolica conceſſo vti. Quod valde diſplicet, ſi id à ſanctitate tua fuerit elatè commiſſum, vt humilitatis oblita ceteris fratribus ſuis ſtudeat videri ſublimior: quamuis hoc non ad inanem gloriam vtendum ſit, ſed ad ornatum cunctarum virtutum geſtandum. Quod bene tempore, quo ipſius pallij vſum à ſede Apoſtolica percepiſti, ſcripto paginæ more ſolito tibi oſtenſum atque præceptum eſt. Cuius vſus ſi fraternitati tuæ à ſede Apoſtolica omni tempore conceſſus eſt, licet ſit præter Eccleſiæ conſuetudinem perceptus, ac per hoc rationabiliter amittendus, (nam priuilegium meretur, vt ſanctus Papa Simplicius ſcribit, amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate) tamen his noſtris admonitus competenter affatibus, ſtude ita modeſtè hoc vti, vt nec elatio mentis inuadat, nec iactantia inflet, nec vana gloria vulneret, nec modum propriæ dignitatis excedat, nec temperantia, ſine qua ceteræ virtutes imperfectæ conſiſtunt, obliuioni tradatur. Optamus fraternitatem veſtram nunc & ſemper bene valere. Data VIII. Idus Decembris, Indictione XV.

X.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXI.
Ad Carolum Regem.

Reſpondet ad ſuperiores eius litteras de geſtis in Synodo Sueſſionenſi.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Carolo glorioſo Regi.

Epiſt. 52. CVM talem ſe gloria veſtra circa nos ſemper exhibeat, & frequentibus vel litteris vel legatis miſſis erga pontificium noſtrum deuota viſitationis cultum impendat, & decretis noſtris obedientiæ ſublimia colla gratanti facilitate ſummittat: non niſi beatum Petrum Apoſtolum dilectorem ſuum, cuius locum meritis oppidò diſcrepantes obſeruamus, in nobis honorare ſe debet pro certo cognoſcere. immo Deum in ſuo Apoſtolo venerari, qui & ſanctis ſuis tantam gloriam tribuit, & nos ſollicitudinis eorum heredes ac ſucceſſores eſſe conſtituit. Sed & nos gratiarum actiones condignas promptæ deuotioni veſtræ referentes, multo magis eius omnipotentiæ, per quem & pro cuius nomine talia gerantur, laudes aſſiduè perſoluere non ceſſamus.

De cetero, fili cariſſime, grates piæ benignitati veſtræ rependimus, quoniam totum deſiderium ſuum colligens in deiectorum clericorum recuperando ſtatu, ſtuduit delere noxam, quam in depoſitione ipſorum conſenſum præbendo contraxerat. Et credimus quòd ſuperet merces alacritatis, quam nunc habuiſtis in receptione, delictum quod commiſeratis in eorum dudum repulſione: quoniam iſtud Dei amore, illud hominis ſubreptione patratum eſt. Verumtamen hortamur, & ſicut dilectum filium admonemus, cauere vos ne talibus de cetero conniuentiam facilè tribuatis: quoniam quod hodie committitur, vtrum ad emendationem peruenire quandoque valeat ignoratur. Illud præterea commemorare libet, quod inter alia epiſtolæ veſtræ de fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro textus enuntiat, dicens videlicet, quòd omnia conſequenter cum reliquis conſacerdotibus omnino explere acceleraret, niſi juxta priuilegium deceſſoris noſtri domni Benedicti, & noſtrum, ſummam nobis reſeruandam cœpti de reſtitutione doceret negotij. Quorum ſcilicet priuilegiorum tenorem ſi non ſuatim frater Hincmarus partim celaſſet, & quædam, quæ illic habentur inſerta, quadam aſtutia cognitioni communi negaſſet, neminem putamus priuilegia noſtra à ſedis Apoſtolicæ inſtitutis, vel ab obedientia quam exigimus, auertiſſent. Non enim nos inobedientiam prædicauimus, vel ne obtemperaretur decretis ſedis Apoſtolicæ definiuimus: cùm potiùs eiſdem teſtantibus priuilegiis, ſaluo Romanæ ſedis in omnibus iuſſu atque iudicio, Synodum, quam ille pro clericorum deiectione memoratorum collegerat, ſtabiliter eſſe manendam cenſuerimus: & ea conditione ipſius priuilegij tenorem ei firmauerimus, ſi nunquam ille à ſedis Apoſtolicæ præceptionibus aliquo tempore diſcrepaſſet. Fruſtra ergo priuilegia à ſede ſibi Apoſtolica conceſſa, ne ſanctiones explere noſtras acceleraret, aſſeuerat impediſſe: cùm conſtet potiùs, vt ipſorum textus inſinuat, quo magis ad obediendum nobis acceleraret, ea hunc multipliciter admonuiſſe: atque ſi rata, quæ ſibi collata fuerant circa ſe ſentire voluiſſet, ad obtemperandum inſtitutis noſtris ſe illa pleniùs ac abundantiùs incitaſſe. Glorioſiſſimæ præterea caritati veſtræ denuò pro Balduino gratias agimus, & denuò circa eum exhibitum tantum inclitem veſtræ deuotionis affectum laudamus, denuò quod deeſt, oblatis pro eo petitionibus noſtris, ſuppleri per pietatis veſtræ munificẽtiam deprecamur. Iuſtum enim eſt, vt bonum, quod pro diuinitatis reſpectu nobis interuenientibus cœpiſtis, vt obedientiæ ac dapſilitatis veſtræ, atque clementiæ merces perfecta ſit, conſummare beneuolè ſatagatis? De cetero, cariſſime, vigil eſto, & ſollerter intentus circa ſanctam Romanam Eccleſiam, & erga ſedem Apoſtolicam, quemadmodum Dei cultores parentes veſtros extitiſſe nonnulla ſcripta & probabiles viri teſtantur: quoniam illæ penitus veſtri, dilectorúmque veſtrorum, penes Apoſtolorum confeſſiones nullomodo poterunt obliuiſci. De reſtitutis verò clericis quid decreuerimus, epiſtola noſtra fratri & coepiſcopo noſtro Hincmaro miſſa recitata ſapientiæ veſtræ auribus poterit intimare. Optamus excellentiam veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere, dilectiſſime fili. Data VIII. Idus Decembris, Indictione XV.

X I.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXII.

Ad Vulfadum clericum Remenſem, & ſocios.

Gratulatur de ipſorum reſtitutione, quam ratam habet, monètque ne iniurias vlciſcantur, & vt Hincmaro præſertim reuerentiam exhibeant.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, venerabilibus clericis, Vulfado ſcilicet, & ceteris, qui cum eo dudum depoſiti, nunc verò decreto ſedis Apoſtolicæ ac Synodali promulgatione reſtituti, Deo auctore, conſiſtunt.

Append. epiſt. 13.

DIVINÆ miſerationis plenitudinem neminem velle perire, nec de ſacrato numero gregis ſui caſu quolibet decidere, nullus, qui diuitias bonitatis eius conſiderat, prorſus ignorat, cùm etiam proprio filio nõ pepercerit, ſed pro nobis omnibus tradiderit illum: cuius ouis, quę perierat, pietatis humeris repor-

tatut ad gregem: cuiuſque clementiæ viſcera nos quoque pro modulo noſtro ſectantes, non paſſi ſumus voces veſtras diù contemnere, nec ſuper contritione ac gemitu veſtro cōpaſſionis aures obſtruere, nec deiectionem, quam à fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro, ſeu ceteris Epiſcopis, nullius æquitatis cenſura pertuliſtis, ſine iteratæ ventilationis examine præterire. Ideóque iuſſimus fratrum & coepiſcoporum noſtrorum Galliæ, Neuſtriæ, vel Germaniæ Synodum celebrari, & cauſam veſtram in eodem venerando Concilio examinari, & non aliqua emerſa diſceptatione, Deo præ oculis habito, diſfiniri. Quo Dei gratiæ iuuamine peracto, ſuſcepimus nunc litteras Synodi, relationem omnium continentes Epiſcoporum, vos innoxios cunctorū vnanimitate comprobatos, & à totius conſona voce Concilij dignos graduum veſtrorum receptione pronuntiatos, manifeſtiſſimè referentes. Vbi nulla diſceptatio, nulla varietas alia atque alia defendentium, nullus accuſator vel condemnator inuentus eſt: ſed cunctorum, vnà cum iam dicti fratris & coepiſcopi noſtri Hincmari conſenſu, vna eademque ſententia, atque in reſtitutione veſtra par omnium conſonantia, ſimiliſque pronuntiata definitio claruit. Propterea & nos quoque in reſtitutione veſtra, & receptione graduum veſtrorum, conniuentiam præbuiſſe cognoſcite, & congratulari vobis pro ſtatu veſtro, quemadmodum de abiectione condoluimus, proculdubio credite. Igitur quoniam in decernendo & in iudicādo quod canonicè deliberatum eſt, & in reſtituendis vobis, Deo præduce, ſicut decuit & ordo popoſcit, noſtra præceſſit auctoritas, conueniens ac honeſtum eſt, vt noſtræ firmitatis perfecta ſubſequatur integritas. Ea propter congaudemus vobis, & vt iam faſſi ſumus congratulamur, & quæ decreta ſunt ſuper ſtatus veſtri recuperatione, Dei omnipotentis, & beatorum Apoſtolorū principum Petri & Pauli, atque per eos noſtræ mediocritatis auctoritate roboramus, & vt ſecundum beneplacitum Domini iugi ſtabilitate faciente Deo maneant, libenter oramus. Præterea volumus & hortamur vos, vt tales de cetero in omnibus vos exhibeatis, vt in nullo ingrati circa beneficia Domini vobis collata reperiamini. Proinde miſericordiæ ipſius gratias agite, & quoniam vos in finem non deſeruit, ſemper in mentem reducite, humilitatem præ oculis ſemper habentes, & cor veſtrū ad meditandum quæ æterna ſunt, infatigabiliter erigentes: ante omnia verò ſollicitè præcauentes, ne memores veſtrarum ſitis iniuriarum, neque ſuccenſeatis aduerſus eos, qui has vobis intuliſſe probantur. Fratri autem & coepiſcopo noſtro Hincmaro debitam humilitatem, & competentem reuerentiam exhibete: nec ſit aliquo tempore vobis licentia cōtra eum, pro eo quòd ab eo fueritis ab officio ſuſpenſi, querimoniam componēdi, vel ſiniſtram viciſſitudinem retribuendi. Quoniā nos in erectione veſtra nullius ruinam quæſiuimus, nec ſic vnam partem ſtabilire volumus, vt partis alterius dignitatis vel iuris detrimenta patiamur. Fruimini ergo huius noſtræ præceptionis decreto, & hoc pro veſtri munimine, ac graduum ſtabilimento, contra omnes calumniatores veſtros vtimini: vobiſque ſemper exiſtat facultas in opportunitatibus ad ſedem Apoſtolicā prouocare, & eius iudicium ſecundum canones præſtolari. Nolumus tamen vos ignorare, nos fratri & coepiſcopo noſtro Hincmaro dediſſe inducias, vt intra ſpatium anni huius licentiam habeat cōtra vos de deiectione vel reſtitutione veſtra, ſi velit, apud nos negotium exequendi. Quod idcirco dicimus, vt ſollicitos vos reddamus, & qualiter ſi neceſſe fuerit ei reſiſtatis, antè preſciatis, vt eius telis arma iuſtitiæ veſtræ præparare valeatis. Optamus vos in Chriſto bene valere. Data VIII. Idus Decembris, Indictione XV.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXIII.

Ad Aquitanos.

Vt res Eccleſiarum, quas iniuſtè quoquo modo retinent, ſine mora reddant, ac deinceps ab iiſdem abſtineant.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilectis omnibus nobilibus atque primoribus, ſeu cunctis Aquitaniæ habitatoribus.

Append epiſt. 16.

SOLLICITVDINIS, quam pro vniuerſis Eccleſiis dominicis ſuſtinemus, neceſſitas nos compellit de omnium fidelium ſtatu impigram gerere prouidentiam. Quapropter de vobis etiam ſollertem curam circumferentes, audiuimus quoſdam veſtrorum, quod non optabamus, ita contra Deum efferri, vt Eccleſias eius & diuerſa pia loca deprædari non timeant, & res eis pertinentes diſtrahere non recuſent. Quę res valde nos contriſtauit, & vltra quàm dici poſſit menti noſtræ mœſtitiam generauit. Et ideo, filij cariſſimi, curæ nobis fuit, vt his vos noſtri pontificatus hortaremur affatibus, vt ſaluti veſtræ prouidentes ſollerter à tanta crudelitate ceſſetis. quinimmò quæ violenter aut quoquo modo ſine lege tuliſtis, reddentes tantum corrigere curetis. Nam quamuis Domini ſit terra, & plenitudo eius, illæ tamen res, quę à piis principibus, atque fidelibus quibuſque hominibus, ſacratis locis collatæ ſunt, ſpecialiter eſſe Domini ſine cunctatione creduntur, dum diuinis cultibus dicatæ, ac Deo famulantium vſibus exiſtere deputatæ cernuntur. Vnde in Deum procul dubio committunt, & ipſi præiudicium inferre probantur, quicumque has vſurpare, & ſibi non legitimè vindicare non metuunt. Nimirum quoniam cùm à piis quibuſque locis res auferunt, Deo militantium ſtipendia ſubtrahunt: & dum ſubſidium diuino cultui iugiter famulantibus adimunt, laudes dominicas quodammodo ab ipſis hominum faucibus abſtrahunt. Quamobrem vos rogamus, vt ab iſta tyrannide remoti, ſua ſingulis Deo ſacratis locis ſine dilatione reddatis: ita vt nihil ex his apud vos retineatis, niſi quæ fortè per propriam voluntatem rectorum quorundam ſacrorum locorum legaliter acquiſiſtis. Ita vt etiam illa ſub omni integritate reſtituatis, quæ ſimplicitate vel deſidia faciente rectorum venerabilium locorum, de ſalariis, quæ ſunt ſemper in vſu & iure perenni ſacratis locis collata, vos cōſtat ordine non bono tuliſſe, & hactenus contra Dei leges illa poſſidere probamini. Similiter autem & de his hortamur à vobis fieri, quæ reges quomodocumque à ſanctis locis aliquo tempore abſtulerunt, & vobis in beneficium cōtulerunt. Quod iuſtum non fuit, nec eſt: & quiſquis hæc ſibi vindicat, Deum inde ſine dubio habebit iudicem & vltorem. Quoniam ſi qualeſcumque rapaces & violenti, niſi corrigantur, ſi non humano nunc, certè quandoque diuino iudicio diſtrictiſſimè punientur: qua putatis pœna mulctandi ſunt, qui contra Deum ipſam rapinam & violentiam perpetrare manifeſtiſſimè comprobantur? Denique prædeceſſores veſtri, antiqui principes, adhuc & moderni, non ſolùm minimè à piis Domino dicatis locis diripiebant; verùm etiam ex ſuis propriis innumera conferebant: adeò vt eadem ſancta loca eorum ſumptibus cum Dei auxilio dedicata ſint, & eorum opibus ampliata. quos ſi in largitionibus imitari non vultis, ſaltem quæ Dei ſunt ipſius violenter auferre nolite. Si enim qui de palatio regis aliquid præſumit, non euadit legaliter impunitus, quanto minus qui ab ædibus Dei, qui eſt rex regum, & dominus dominantium, ea quæ ipſius ſunt violenter vſurpat, eius valebit effugere non ſubſequente correctione iudicium, vel ſine pœna poterit exilire? Itaque quoniam horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, admonemus vos & hortamur, & tanquam diuina præſentia proteſtamur, vt res Eccleſiarum, quas iniuſtè retinetis, eiſdem ſanctis locis ſine procurata mora reddatis: & deinceps nec eas, nec aliàs à piis locis ſurripere præſumatis. Si quis autem veſtrûm nos audire contempſerit, & quæ ſalubriter ſuadere vobis nitimur, obedienter perficere, ac ſine dilationis ſtudio minimè obſeruare curauerit, omnipotētis Dei, & beatorū

Apoſtolorum principum Petri & Pauli auctoritate, quos in nobis contemnit, ſimul per eos & noſtræ mediocritatis ſententia, venerandi corporis & pretioſi ſanguinis Domini noſtri IESV Chriſti communione penitus priuatus exiſtat. Si autem reſipuerit, & his quæ per huius epiſtolæ textum dicimus obedire ſtuduerit, & communionem Chriſti myſteriorum, & beatitudinis gratiam, & ſalutem conſequatur æternam. Optamus vos in Chriſto bene valere. Data menſe Decembri, Indictione xv.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXIV.

Ad Theutbergam reginam.

Arguit quòd contra ſe ipſam tædio victa ſcribat, negátque fieri poſſe quod ſuggerit, vt continentiæ ſtudio coniugium diſſoluat, niſi Lotharius maritus cælibem quoque vitam promittat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilectæ filiæ Theutbergæ glorioſiſſimæ reginæ.

Epiſt. 42. EPISTOLAM ſuggeſtionis tuæ præſulatui noſtro deferentibus legatis tuis miſſã ſuſcepimus, & quòd nihil ipſa literis, quã quod illi verbis, indicauerit, euidenter agnouimus. Verùm in vtroque obſtupefacti pariter & mirati ſumus, atque tam repentè ſtyli & petitionis mutata verba conſiderantes, nihil tale te nobis intimaſſe quoquo tempore recoluimus. Sed quid nobis talia ſcribis & ſuggeris, cùm nos te nobis hæc & ſcripturam & ſuggeſſuram longè antè præſcierimus? Verùm cùm ad relationem omnium pene inſignium perſonarum, quæ in Gallicanis & Germanicis regionibus conſiſtunt, mentis inflectimus oculos, multum inter ſe diſtare cõſpicimus, quod ipſa nunc duntaxat ſignificas, & quod illi quotidie propemodum verbis & apicibus innuunt. Omnes enim te inremotam afflictionem, intolerabilem oppreſſionem, nimiámque violentiam pati teſtantur. Tu autem his contraria ſuggerens, nullo cogente, ſponte ac libenter à regia dignitate exui te velle ac optare fateris, & cetera, quæ illi quidem aliter, tu verò aliter proſecuta eſſe dinoſceris. Ita vt omnium aſſertionibus legitimè à Lothario rege admiſſa, iniquè deinde accuſata, poſthæc purgata, deinceps denuo repulſa, poſtremò decreto noſtro iure recepta dicaris; tu autem his omnibus contraria nunc effecta, & tuæ ipſius oblita profeſſionis, neſcio quæ friuola fatearis, quæ videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus ſuperuacuè laborare. Intelleximus tamen eum qui nocuit ſanctæ Dei Eccleſiæ, nocere adhuc, & qui in ſordibus erat, ſordeſcere adhuc. Intelleximus, inquam, iumenta in ſtercore ſuo propoſuiſſe putreſcere, & cui non ſufficit ſolum adulterium perpetraſſe, & falſitatis præſtigia ac iniquitatis adinuentiones in funiculo vanitatis contraxiſſe, appoſuit vt etiam animas hominum periurij laqueis irretitas in extremum præcipitaret exitium. Sed quid mirum, ſi paucorum animabus per periurium acquiſiuit interitum, qui in ſublimi poſitus per exemplum ſuæ mœchiæ tot hominum millia in perditionis chaos demerſit? Illud tamen quod Vvaldradæ perhibes teſtimonium, dicens eam fuiſſe legitimam vxorem Lotharij, fruſtra conaris adſtruere, quandoquidem tuo nullo prorſus hinc teſtimonio quis indigeat: cùm magis nos ita ſentiamus quod iuſtum eſt, & ita intelligamus quod æquum exiſtit, vt te etiam reprobata, etiam mortua, Lotharius nullis legibus, nullis ſine ſui diſcrimine regulis, Vvaldradam mœcham in vxorem vnquam permitteretur aſſumere. Vtrum ergo Vvaldrada legitima fuerit aliquando Lotharij conjux, Eccleſia Dei ſatisfactione tua non eget. Vnum tamen ſcito, quoniam nec nos, nec eadem ſancta Eccleſia, Deo auctore, qui adulteros iudicabit, Lotharium, ſi Vvaldradam quandoque reſumpſerit, etiam te vt prætulimus decedente, dimittet omnibus modis impunitum. Illud verò quod dicis, Romam te velle venire, nobiſque paſſiones & quædam ſecreta tui pectoris reſerare; fieri non conuenit.

conuenit. quoniam & ſecuritas itineris
quam prætendis nulla eſt, & quamdiu
Vvaldrada ita Lothario iuxta poſita eſt,
ab illo quoquam te diſcedere non per-
mittimus. Dum enim tu diſceſſeris, illa
recipi proculdubio creditur, & in longin-
quitate tua ipſa confeſtim admittitur.
Quòd autem ſterilis, vt aſſeris, permane-
re dinoſceris, non hoc corporis infœcun-
ditas, ſed viri facit iniquitas: quamuis Deo
1. Reg. 2. 5. fœcundante legamus, quoniam *ſterilis pe-*
perit plurimos, & quæ multos habebat filios, in-
firmata eſt. Perhibes etiam, quòd matri-
monium inter vos non diuinitus fuerit
ordinatum, & idcirco permanere non
Matt. 15. 13. poſſit: quoniam *omnis plantatio, quam*
non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabi-
tur. Sed recole quia vineam Deus plan-
Eſa. 5. 2. & 4. tauit, quam expectauit iuxta Eſaiam
Hier. 2. 21. vt faceret vuas, fecit autem labruſcas, &
quæ ſecundum Ieremiam conuerſa eſt in
amaritudinem viris alienæ. Deus ergo
plantauit matrimonium veſtrum: ſed con-
iugis tui vitio conuerſum eſt in amaritu-
dinem; & dum expectatum eſt vt faceret
vuas, fecit heu labruſcas, vel etiam ſpi-
nas. Sed hæc quidem ex innumeris epiſto-
læ tuæ ſola commemorare libuit. Cete-
rùm quis ignorat, hæc te multis preſſuris
ſubactam depromere, ac innumeris malis
attritam proferre, cùm etiam, vt prædixi-
mus, omnes religioſi & clari Galliarum &
Germaniæ viri hæc ita ſe habere frequen-
ti relatione teſtentur, adeo vt hæc te no-
bis ſcripturam fore ante multum tempo-
ris agnouerimus? Sed his omiſſis, horta-
mur te, ac vehementer admonemus, vt ip-
ſa tibimet manum non inferas, nec mor-
tis fomitem generes. Melius quippe tibi
eſt, vt veritatem loquentem alius te occi-
dat, quàm tu te ipſam mendacium dicens
interimas. Sta igitur intrepida atque con-
ſtans, & mortem, quam quoquomodo ſe-
mel experiri debes, præcipuè pro verita-
te ſuſtinere ne paueas. Quoniam cùm
Chriſtus ſit veritas, quiſquis pro veritate
moritur, pro Chriſto proculdubio mori-
tur, pro qua videlicet & Ioannes occiſus
baptiſta martyrium ſumpſiſſe dinoſcitur.
Quod ſi ille proximi iuſtitiam loquens in-
terficitur: quanto potius tu Dei iuſtitiam
loquens, & de veritate tua teſtificans, nul-
Iuo P. VIII. lius mortis formidare debes exitium? Bea-
cap. 117. ti enim qui perſecutionem patiuntur
propter iuſtitiam, non ſolùm alterius, ſed
& ſuam. Verum nos hanc confeſſionem
tuam, quam non voluntas ſed vis extorſit,
nequaquam pro confeſſione recipimus:
nec permittimus tantum virium radices
extendere, quod niſi euulſum intimè fue-
rit, ad multorum perniciem poteſt accre-
ſcere. Denique ſi hoc licet, omnes viri
poſſunt, quas iure ſortiti ſunt feminas, ſi
has odio habuerint, diuerſis afflictionibus
macerare, & quod legitimè non fuerint
aſſumptæ, fateri cogere: quin etiam, vt
mortale crimen cõtra ſe dicant, illatis in-
tolerabilibus pœnis compellere. Quis
enim magis nocere valet, quàm ciuilis ho-
ſtis? vel quis ampliùs lædere poterit,
quàm vxorem maritus? Sed nos tales
fraudes præcauere debemus, & ne profi-
ciant, in ipſo nouitatis earum principio
detruncare. Nec tamen putamus Lotha-
rium, virum videlicet tuum, in tantam ſui
perniciem deuoluendum, vt vitæ tuæ in-
ſidiari quocumque modo conſentiat,
cùm non ſibi vel regno ſuo minus, quàm
tibi, ſi ad hoc tam immanè piaculum dila-
pſus eſſet, acquireret omnino diſpendiũ.
Si quidem tu quantum humanus intelle-
ctus ſufficit inuenire, non ſolùm innoxia
ſæpe comprobata es, verùm & Eccleſiæ
ſemper auxilium prouocaſſe dinoſceris.
Inſuper & ſancti Apoſtolorum principis
præſidium, refugiúmque petiſti. Vnde ſe-
des Apoſtolica tuã cauſam cœpit diſcute-
re, & ſpeciali quicquid quæſtionis emer-
ſiſſet, iudicio ſuo reſeruare propoſuit.
Quamobrem quiſquis contra te agit, non
ſolùm Eccleſiam Dei grauiter lædit, ve-
rùm etiam ſedem Apoſtolicam, de cuius
iudicio non licet retractari, vehementer
aduerſus ſe commouere conuincitur. Sa-
nè ſi tu Romam venire diſponis, & licen-
tiam proficiſcendi à coniuge tuo adipiſci
vis; nos è contra multo magis exhorta-
mur, vt ſuadere modis omnibus eidem vi-
ro tuo procures, quatenus priùs ſecurita-
tem tibi certiſſimam tribuat, qua freta
nuſquam metuas te per hominem aliquid
incidere læſionis. Quod omnino non
prouenire poterit, niſi Vvaldrada priùs
Romam mittatur, & de ea quod conue-
niens ſit diffiniatur; & ita demum talis
immunitatis certitudo ſubſequatur, vt tu
nec veniens, nec commorans, nec hinc re-
diens aliquod patiaris incommodum.
Quòd ſi renuit ad repellendam à ſe ſini-
ſtram opinionem agere, ceſſa, & ne tali-
bus fraudis inſidiis acquieſcas omnino
præcaue. Callidè quippe tam ille, quàm
ſatellites eius, te decipere moliuntur, &
verſutæ ſuæ tergiuerſationis pedicis ſup-
plantare proculdubio machinantur. Por-
rò ſi amore pudicitiæ, vt aſſeris, ſolutionẽ

matrimonij quætis, hanc tibi nullo pacto noueris tribuendam, niſi vir tuus eandem pudicitiam non fictè ſectatus exititerit. Denique, vt cum B. Gregotio Papa dicatur, ſi continentiam, quam vir appetit, vxor non ſequitur, aut quam vxor appetit, vir recuſar, diuidi coniugium non licet: quia ſcriptum eſt, *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Optamus glotiam tuam in Chriſto nunc & ſemper bene valete, dilectiſſima filia. Data IX. Galend. Februar. Indictione XV.

Lib. 11. epiſt. 39.

1. Cor. 7. 4.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXV.

Ad Epiſcopos in regno Lotharij conſtitutos.

De Vvaldradæ excommunicatione tertiò iam ſcribit. notat illorum deſidiam, & referri ad ſe iubet, an Lotharius cum Theutberga conuerſetur, & quomodo eam tractet.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuetentiſſimis & ſanctiſſimis confrattibus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis in regno Lotharij tegis Eccleſiam Dei gubernantibus.

Epiſt. 49.

OPTAREMVS tandem aliquando ſecuri de cortectione Lutharij regis effecti, ad alia Eccleſiaſticarum diſpoſitionum negotia ſtylum protendere. Sed nec peccata conſummata ipſius, quæ mortem generant, vtcumque petmittunt, nec ſtudium veſttum, quo finem tantum ſcelus accipiat, ita vigilanter ac Epiſcopaliter aduerſus id ſaltem nobiſcum decertando feruorem iuſtitiæ demonſtrat. Quaptopter attonitè ſatis cot veſtrum non ſolum miramur, ſed & deflemus. Quis enim non lugeat tantam linguæ deſidiam? tam remiſſas negligentiæ manus? quando inter tot paſtorum cuſtodias, nec lupi gregi non parcentis inſidiæ præcauentur, nec leonis aditus quærentis quem deuoret excluduntur. Et certè cùm vnumquemque Chriſtianum zelus Dei comedere debeat, multo magis vos eodem zelo vri opottuit, qui eiuſdem ſanctæ domus, vtinam non ad maius periculum veſtrûm, eminentiorem gradum eſtis & ordinem conſecuti. Sed his prælibatis, ecce tertiò nunc vobis omni eſſe Vvaldtadam, filiæ nuſtræ Theutbergæ reginæ iniquiſſimam æmulam, conſortio Chriſtianorum & communione priuatam noſtris epiſtolis indicamus. Denique poſtquam imminentia Miſſi noſtri, ſicut ipſi nuſtis, Lotharius Vvaldrada repulſa Theutbergæ reginæ coniugi ſuæ obedienter ſeſe reſtituit, & præſtiti ſacramenti ſatisfactione cettiſſima finem ſceleri dediſſe meritò credi poterat: ſtatutum eſt, vt tanto fieret ab eodem rege Vvaldrada remotior, quanto antiqui hoſtis calliditas talibus non deeſſe conuincitur. Statutum eſt etiam, vt ipſa mulier in Italia interim remorata, noſtræ præſtolaretur cenſuræ tenorem: & ſi hanc Romam venite neceſſarium duceremus, incunctanter occurreret: quatenus coram nobis conſiſtens, aut ſe ſi poſſet innoxiam exhiberet, aut commiſſum confeſſa miſericordiam impetraret. At illa in Italiam quidem licet coacta venit: Romã verò mentis obſtinatione victa proficiſci deſpexit. Immo tanquam itteptehenſibilis conſcientiæ retro conuerſa in Prouinciam properandi greſſum protendit. Quo audito, intelleximus eam flagitium ſuum nulla velle correctione terminari, nec proprium vulnus vlla deſidetare ſubſequente medela cutari. Quapropter ſententiam in eam excommunicationis, vſque ad correctionem, & idoneam noſtram & totius Eccleſiæ ſatisfactionem, protulimus. Nam quantum ſit ipſa cunctis ſeueriùs punienda, in hoc certum eſt demonſtrati, quòd Rex quidem Lotharius adeo iniquitatem ſuam agnouit, vt hanc etiam & corrigeret. Ipſa verò nec agnouit, nec confeſſa eſt, nec venenum ſuæ mentis deſeruit. Veruntamen ab itinere cœpto reducta, nec percuſſa duluit, nec attrita voluit recipere diſciplinam. Quippe quæ nec reuerſa eſt ad percutientem ſe, nec etiam duriora vulnera ſenſit. Meritò ergo ea inter mortuos reputata: quæ nimirum neque vt viua vocẽ

prædicantium audit, neque in ſuis penetralibus occultata, immo iam fœtida iacens, per confeſſionem foras egreditur. Vobis eiuſdem in iam fatam mœcham ſententiæ prolatæ notionem duximus noſtris litteris exaratam denuò deſtinandam: admonentes videlicet, vt falsem vos & ſubiectos veſtros ab operibus eius mortuis obſeruaretis, & vt præceptum eſt pollutum minimè tangeretis. Quamuis eaſdem litteras, vt relatione nonnullorum audiuimus, immo vt lucri nullius effectu didicimus, recipere fraternitas veſtra renuerit, nec in hoc pro quo miſſæ ſunt, vel à nobis excitata vigilare, ſiue quamlibet operam dare curauerit. Quæ tes ſi veritate minimè fulciretur, profectò quantum proficeret, aut non proficeret, pontificio noſtro ſolertia veſtra iamdudum congruò retuliſſet. At verò cùm nihil ex hoc nobis retulerit, patenter datur intelligi, nihil hinc ſtudij, vt admonita fuerat, eam penitus habuiſſe. In quo liquidò patet, quid ageretis nullis hortatibus noſtris pulſati, qui nullum in Eccleſiaſticis correctionibus laborem geritis etiam à nobis toties incitati. Sed ſaltem nunc quod hactenus omiſiſtis incipite: ita vt vnuſquiſque veſtrûm veraciter dicere cum Pſalmiſta valeat: *Nunc cœpi.* & nouiſſimè cum Apoſtolo ſecurus & lætabundus fateri: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, & de cetero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Verùm iam fortaſſe malitia ſibi finem imponeret, niſi quidam veſtrûm magis ſua, quàm quæ IESV Chriſti ſunt, quærerent. Quidam ſibi peritura ſeu roxicata beneficia ſubtrahi metuunt, pro iuſtitia quidam loqui renuunt, fauere autem mœchis tota virtute contendunt, ac per hoc æternis beneficiis iuſto iudice decernente priuantur. Quanquam meminiſſe nihilominus debeant, nos penitus non latere, quantum ipſi fauorem mœchus præſtiterint: nimirum qui ſurreptiones ſuas in profanis geſtis nos dudum reperiſſe non neſciunt. Quibus etſi fortè Apoſtolica moderatione ignouimus, qualiter tamen his quibus pepercimus fuerit ignotum tecolimus. Denique ſic præterita dimiſimus, vt futuris congruam adhiberemus cautelam; & ſic ſe noſſent illi prouiſum iudicium euaſuros, ſi ſe ſcirent in idem flagitium fauendo nunquam penitus incurſuros. Nunc ergo, quoniam minus ſeſe cautè ab eo munierunt, in iudicium quod dilatum eſt inciderunt. quamuis & illis, & his, qui mittere pro impetranda venia contempſerunt, valdè prouidendum eſt, ne à communione noſtra, ac per hoc ab vniuerſalis Eccleſiæ compage ruant, ſicque demum de gradibus ſuis minus in finem, quàm volunt, exulent. Præterea ſi quis, vt fama mentitur, æſtimat nos Vualdradæ in Galliam remeandi licentiam dediſſe, vel ſi qui ſunt, ad quorum notitiam epiſtolæ noſtræ propter occultationem earum non peruenerunt, ſi ſcire non recuſant quæ ſuper huiuſmodi negotio noſtra fuerit immota ſemper intentio, Chriſtianum & Vualtarium Comites interrogent, quos Romam, licet non vno eodemque, tamen continuato tempore venientes, non ſolùm vt Lotharius, quatenus à prauitate tādem ceſſaret, iugiter admoneretur, hortati ſumus: verùm etiam eis, quia Vualdrada erat excommunicata, multipliciter intimauimus, pro eu ſcilicet, quia impœnitens permanere proponens, à nobis ſalutis ſuæ remedium ad limina veniens Apoſtolorum, vt ſtatutum fuerat, minimè poſtulauerit. In quo conſiderandum eſt, quia ſi idcirco potiſſimum per nos Vualdrada mulctata eſt, quoniam cœptum ſalutiferum iter non perfecit, quomodo vt retro rediret noſtram licentiam habere valuerit, ignoramus. Sed ad vos nunc nobis, fratres cariſſimi, ſermo eſt, & ad veſtræ beatitudinis reuerentiam noſter ſtylus dirigitur: quatenus ſi adeò zelus veſter non accenditur, vt Phinees imitari videatur, videlicet vt quod ille materiali, vos exerceatis gladio ſpirituali, ſaltem Natham, Heliam, ceteróſque prophetas, qui delinquentes reges ſalubriter corripuerunt, æmulatione ſacerdotali, ſeu paſtorali ſollicitudine reuocari non renuat. Nam etſi quondam Helias, infirmitate victus humana, furorem principis fugit, ſed & ſcelera eius ſæpe redarguit, & impauidus exprobrauit. Similiter & iſte beatus paſtor Eccleſiæ Petrus, qui priùs quidem ad vnius mulierculæ vocem, fragilitate ſuperatus & ipſe humana, quod eſt diuina geſtum diſpenſatione, dum mori timuit, auctorem vitæ negauit: poſt acceptum ſancti Spiritus donum, cuius partem & vobis ineſſe non immeritò credimus, adeo etiam poſt minas, poſt cædes, vires principum preſſit, vt meritò in igneis linguis Spiritum ſanctum accepiſſe probetur. Nimirum qui quos repleuit ardentes, fecit pariter & loquentes, necnon & flamma diuini zeli, atque ſuborum mirabilium verborum facibus corda principum mundi accendentes. Et reuera

quis infirmabatur, & illi non infirmabantur? quis ſcandalizabatur, & illi non vrebātur? Sed ne diutius immoremur, verbis vos ſolùm iam nunc ipſius Apoſtolorum principis conuenire curamus, & quod ille preſbyteros alloquens proſecutus eſt, ad vos multo magis pertinere colligite; & quale malum ſit adulterium, vel quid vos maneat, ſi ſtudioſi vel ſi deſides fueritis inuenti, ex ſermone illius, qui per B. Clementem recitatur, attendite. ait enim: Et

Clemens epiſt. 1.

» quid in omnibus peccatis adulterio grauius? ſecundum namque in pœnis obtinet locum: quoniam quidem primum habent illi qui aberrant à Deo, etiamſi ſobriè vixerint. Propter quod vos, ô preſbyteri, Eccleſiam excolite, & adornate ſponſam Chriſti ad pudicitiam. Sponſam autem dico omnem Eccleſię Chriſti congregationem: quæ ſi pudica inuenta fuerit à ſponſo ſuo, ingentibus ab eo donis & muneribus honorabitur, & vos, velut miniſtri ſponſæ & amici ſponſi, ingenti gaudio & lætitia perfruemini. Si verò ſponſa hæc reperta fuerit commaculata peccatis, ipſa quidem tanquam indigna extrudetur à regalibus toris: vos autem pœnas dabitis, ſi fortè per veſtram negligentiam & deſidiam obrepſerit contagio ſæua peccati. Ecce audiſtis præmium, ſtudioſi, ecce audiſtis diſcrimen veſtrum, inertes. His itaque decurſis, ſanctimoniam veſtram hortamur, & per incomprehenſibilem ſanctam Trinitatem vos omnes pariter obſecramus, vt litteris veſtris ſine mora per legatos veſtros idoneos directis nobis veraciter indicetis, ſi ſecundum iuramentum præſtitum coram Miſſo noſtro, Lotharius eum Theutberga conuerſetur: aut ſi ita illam tractat, quemadmodum rex legitimè ſibi coniunctam debet tractare Reginam. Et qui ſint illi, qui nullo pacto à nobis diſſidentes, adulteris nullum conſentiunt præſtare fauorem. Necnon & hanc epiſtolam noſtram oſtendatis, & excommunicationis Waldradæ tenorem manifeſtum facere ſtudeatis. Iam verò qui hæc veſtrûm agere, & intimare quæ diximus poſtpoſuerit, ipſe ſe obnoxium & fautorem adulterorum palàm oſtendet: & hoc nobis erit ſignum, eum tanto conſenſiſſe facinori, ſi obedire huic inſtituto noſtro neglexerit. ac per hoc, tanquam conuentum a nobis & admonitum, ac ſalubri monimini ſatisfacere nolentem, ſed per omnia nobis inobedientem, noſtra ſeu totius Eccleſiæ hunc communione conſtituimus eſſe remotum, in promptu videlicet, ſecūdum Apoſtolum, habentes omnem vlciſci inobedientiam. 2. Cor. 10. 6. Sanè cui perſonam dirigendi nulla facultas ſuppeditat, ſaltem ſcripta eandem indicantia mittere minimè paruipēdat. A qua indulgentia Viridunenſem Antiſtitem non inconuenienter excipimus: quem omnino præcipimus nōn ſolùm litteras ad nos, verùm & perſonam de proprio clero mittere, ſine qualibet mora vel excuſatione, prorſus idoneam. Optamus ſanctitatem veſtram nunc & ſemper bene valêre. Data VIII. Calendas Februarias, Indictione XV.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXVI.
Ad Carolum Caluum regem.

Quòd Theutbergæ iudicium Lotharius retractare, ac per monomachiam decernere velle dicatur. Petit vt illam in regnum ſuum recipiat: tum vt epiſtolas dirigat, quas Lothario eidem, eiúſque Epiſcopis ſcribit.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Carolo glorioſo Regi.

Epiſt. 50.

NVNQVAM dolorem generat, ſicut ſpes fruſtrata, nunquam æquè mentem vulnerat, vt moleſtum nuntium veniens inſperatum. Sed quod dicimus aperiamus. Denique inter alios ſanctæ Dei Eccleſiæ religioſos propugnatores, atque veritatis ſtrenuos defenſores, neminē magis ſuper Theutbergæ glorioſæ reginæ contritione ſollicitū, neminem magis ipſius incommoditatibus condoluiſſe, quàm veſtræ pietatis affectum, recolimus. Adeo vt in vita fratris eius cauſam ipſius ſedi Apoſtolicæ retuleritis, & eam largitate munificentiæ veſtræ non pauco tempore ſuſtentaueritis, nóſque frequenter ad auxilium illius exhortari ſtuderitis. Quocirca ſedes Apo-

Google

ſtolica tantam veſtræ caritatis circa eam ioruens abundãtiam, quoniam celeri executione, pertinacia peruerſitatis obſtante, cauſam eius perficere non præualuit, veſtræ hanc, tanquam Deo contemplante, atque beato ſecum Petro Apoſtolorum principe contradente, tuitioni ſeu clementi munitioni commiſit. Nunc autem, ſicut audiuimus, Lotharius rex aduerſus eandem Theutbergam rurſus armatus, vt aſſenſum quoque veſtrum huic nefariæ intentioni ſuę copulare potuiſſet, fœdera vobiſcum iniiſſe dicitur, & quodã regni ſui collato monaſterio, pro perdenda præfatã Theutbergã nutum ſibi veſtrum vniuiſſe diffuſa longè latéque fama protenditur. Quod ſi, vt multi ferunt, verum eſt, vehementer extitit dolendum, & amariſſimè deplorandum. videlicet vt à priori conſilio pietatis nunc retro, quod abſit, conuerſi conſilium detis impietatis, & qui hactenus fauorem præſtabatis æquitati, nunc aſſenſum prębeatis iniquitati. O incomparabile detrimentum! ô inenarrabile pij regis compaſſionis diſpendium! Sed abſit hoc à tanto principe, abſit à fidelium cordibus de tanto Christi cultore tale quid facilè credere, cùm potius
Num.22. credendum eſt, eos qui Balaam imitantur meritò reprehendere, qui contra eorum vitã, quibus ſe ſimilem fieri etiam moriendo popoſcerat, conſilium prębuit, & cùm occaſionem de auaritia reperit, illico oblitus eſt quicquid ſibi de innocentia optauit. Sed quia de præbendo nequitiæ conſenſu veſtro nondum ex toto credere patimur, reſtat vt ad exhortandos vos, quo circa iam fatam Reginam pium ac inchoatum opus conſummetis, interim calamum temperemus. Ecce enim veritas
Matt.10.22. dicit: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Ecce de offerente iuge ſacrifi-
Iob.1.5. ciũ beato Iob legitur: *Sic faciebat Iob cunctis diebus.* Quod B. Papa Gregorius exponens ait: In ſacrificio igitur ſancta actio, in cunctis autem diebus ſacrificij, conſtantia actionis oſtenditur. Sed his ita præmiſſis, excellentiam veſtram nolumus ignorare, adeo Lotharium regem Theutbergam coniugem ſuam diuerſis afflictionibus ſubdidiſſe, & innumeris preſſuris contra præſtita iuramenta ſubegiſſe, vt nobis
27. q. 2 Scripſit nobis. coactam nunc ſcriberet, regia ſe velle exui dignitate ſeu copula, & ſola priuata vita fore contentam deſiderare. Cui nos ſcripſimus non aliter hoc fieri poſſe, niſi ean-
Iuo P. VIII. cap.116. dem vitam coniux eius Lotharius elegerit. Verùm, ſicut multorum relatu didicimus, ipſe Lothasius conuentum celebrare diſponit, & eandem Theutbergã examini proprio in iudicio ſubiicere meditatur. & ſi quidem eam præſtigiis falſitatis ſuæ, vel argumentoſis ambagibus potuerit exhibere, quaſi non fuerit legitima ſua vxor, vult eam à ſe penitus ſequeſtrare: ſin autem, vult eam tanquam propriam quidem vxorem admittere, ſed deinde tanquam mœchata fuerit inſimulare, atque pro hoc hominem ſuum & hominem Theutbergæ ad monomachiam impellere, & ſi homo ipſius reginæ ceciderit, diſponit hanc ſine dilatione perimere. Quæ quantum ſint omni diuinæ vel ſanctorum legi contraria, magnitudo quidem prudentiæ veſtræ digniùs iam aduertit. Sed & nos hinc aliquid ſtrictim volumus demonſtrare. priùs aſſerentes, quia de retro acta controuerſia Theutberga non debet vlteriùs ad iteratam reſponſionem prouocari: quoniam quod bene ſemel diffinitũ eſt, & interpoſitis iuramentis deliberatum, nulla debet iteratione, niſi fortaſſis vbi fuerit maior auctoritas, retractari. Deinde quia Eccleſię refugium quęrens, & Eccleſiaſticum iudicium ſemper expetens, ſæculari non debet ſubmitti iudicio. Poſt hæc verò, cùm nos ex vtraque parte, id eſt tam à Theutberga, quàm à Lothario, fuerimus prouocati iudices, nóſque amborum controuerſiam executi ſimus, ad nullos alios cõuenit ſuper hoc negotio iudices conuolare: cùm ſecundùm ſacros canones, à iudicibus, quos cõmunis conſenſus elegerit, non liceat prouocare; & vbi conceſſa eſt prouocatio, non niſi vbi eſt maior auctoritas, liceat prouocare. Itaque cùm non ſit Apoſtolicæ ſedis auctoritate, quæ amborum negotium executa eſt, vſquam maior auctoritas, neſcimus ſi alicui liceat de eius iudicare iudicio, vel eius retractare ſententiam. Si quidem iuxta quod Eccleſiaſtica lex & mos antiquitus obſeruatus indicat, ad illam quidem prouocatum, & aliorum ipſam diſſoluiſſe iudicium nouimus: ab ipſa verò prouocatum, vel ſententiam eius quoſquam violaſſe non nouimus. Illud verò, quòd Lotharius Theutbergam de adulterio criminatur, quis non videat dolo eſſe plenum & omni iniquitate? Denique ſi vxor eius, vt ipſe iactat, nõ eſt, quid pertinet ad eũ de adulterio illi calumniã texere, cùm nec mœchari potuerit, ſi alicuius vxor non extitit? Porrò de adulterio ſi à Lothario accuſatur, &, ſi conuicta fuerit, vltio præparatur, neceſſe eſt vt

ſareatur vxorem. Quid ergo in caſſum laborat, anxiatur, & quod ſua non fuerit vxor, quibuſcumque modis & qualibuſcumque argumentis ſatagit inuenire? Neceſſe inquam eſt, vt ante omnem controuerſiam vxorem confireatur, ſi hanc vt mœchatam impetendam exiſtimat. Sed de boc illa coram Miſſi noſtri præſentia purgare ſe voluit, ſed ipſe non annuit.

2.q.5. Monomachiam.

Monomachiam verò in legem aſſumi, nuſquam præceptum fuiſſe reperimus: quam licet quoſdam iniiſſe legerimos, ſi-

1. Reg.17.

cut ſanctum Dauid & Goliam ſacra prodit hiſtoria, nuſquam tamen vt pro lege teneatur, alicubi diuina ſancit auctoritas, cùm hoc & huiuſmodi ſectantes Deum ſolummodo tentare videantur. His ita prælibatis, dilectionem veſtram obnixè depoſcimus, vt cura & ſollicitudo, atque omne omnino ſtudium, ſeu auxilium, quod circa eandem feminam ſemper feruidum habuiſtis, nullo tempore frigeſcat, immo nullo pacto tepeſcat; ſed potius, quantum vires cælitus collatæ miniſtrant, nullatenus ei nocere quocumque gemina caritas veſtra permittat ingenio. ne ſi fortè quicquam læſionis inciderit, ipſi pro illa in terribili diuino iudicio cogamini reddere rationem; cuius nos, tanquam Deo, ſicuti prædiximus, contemplante, illam vice principis Apoſtolorum, cuius præſidium adſciuit, ſaluandam tuitioni commiſimus. Ad extremum verò, & quando iam nulla ſecuritas & immunitatis eius, quod gementes dicimus, inueniri poterit remedium, atque imminens ſibi certiſſimo præuidetur interitus, recipite illam ad vos, & quouſque de ea quod Dominus reuelauerit ordinetur, in regno veſtro fouete, ac ei ſolita pietatis veſtræ beneficia miniſtrate: & ita demum, ſi quid illi obiicitur, auctoritate noſtra præueniente, ipſius æmuli proſequantur. Sed notate, quoniam nunc hæc fieri permittimus, cùm à prudentia veſtra, vel eorum qui nobiſcum ſapiunt, nulla ſpes ſalutis Theutbergæ remanere præſcitur. Præ-

33.q.2. Siue de coniugij.

terea ſiue de coniugij fœdere, ſiue de adulterij crimine iudicium ſit agitãdum, nulla ratio patitur Theutbergam cum Lothario poſſe legalem inire conflictum, vel legitimum controuerſię ſubire certamen, niſi priùs ad tempus fuerit ſuæ poteſtati reddita, & conſanguineis propriis liberè ſociata. Inter quos etiam locus prouidendus eſt, in quo nulla ſit vis multitudinis formidanda, & non ſit difficile teſtes producere, vel ceteras perſonas, quæ tam à ſanctis canonibus, quàm à venerandis Romanis legibus, in huiuſmodi controuerſiis requiruntur. Verùm hæc non vt fiant dicimus, quæ ſine decreto vel ordinatione noſtra fieri non poſſe ſupra docuimus: ſed vt oſtendamus, quem legum conflictum Lotharius congredi poſſe autumat cùm perſona, quam in ſuis penetralibus quotidie fatigat, quotidie conterit, quando vult ad iudicium educit, quando vult ad clauſtra reducit, & cùm educta fuerit, niſi ea profiteatur quæ ipſe præceperat, quis eſt qui dicere poſſit quantis malis introducta ſubmittitur? Propriæ igitur libertati committi, & ab omni oppreſſione ac poteſtate ipſius, cum quo initur conflictus, oportet liberari, atque in ſuis licenter vti, & ſuſpectas perſonas conuenit declinare, quæ ſe ab obiectis oſtendere cupit immunem. Sed iam vt, fili cariſſime, epiſtolæ finem ponamus, ſemper vos illud quod de bene operante beato Iob ſuprà commemorauimus, recolere, ſemper in cauſa ſæpe dictæ Reginæ habere prę oculis admonemus: quia fruſtra laudabile quid geritur, ſi cunctis diebus quibus viuit, hoc non exequitur operator: atque in caſſum in ſtadio currit, qui antequam ad deſignatum perueniat locum ſuccumbit. Scriptum quippe eſt: *Væ qui perdiderunt* Eccl.2.16.
ſuſtinentiam. Vos autem ſic currite, vt comprehendatis. 1.Cor.9.24.
Quæ præterea de Vualdrada mœcha & excommunicata decreuerimus, vos non latet. Quæ verò, quoniam nobis non annuentibus in Galliam habitatura repedauit, ſuper ea Epiſcopis regni Lotharij ſcripſerimus, in epiſtola quam eis miſimus, poteſtis agnoſcere: cuiúſque tranſcriptum exemplar venerandis Antiſtitibus in regno veſtro Eccleſiam Dei gubernantibus veſtra tribui gloria faciat. Præterea rogamus, vt veſtra ſublimitas ſine omni dilatione præſentem, crebrò dicti regis Lotharij nomine titulatam, per fidelem ac prudentem virum eidem deſtinare maturet epiſtolam, cuius exemplar ecce dilectioni veſtræ tranſmiſimus. Idipſum etiam vos de illa rogamus agere, quam Præſulibus eius regni tranſmiſimus. Sed ſciendum eſt, quoniam quidam timoris aut fauoris cauſa noſtram ſuſcipere paruipendunt epiſtolam: quidam verò ſuſcipiunt quidem, ſed palàm demonſtrare formidant, vel etiam Lothario placere volentes, hanc aliorum viſione perniciosiſſimè priuant. Quapropter obnixè precamur, vt per talem eandem epiſtolam noſtram virum iam deſignatis Anti-

ſtitibus veſtra ſapientia mittat, qui prudenter incedens, nullum prorſus eorum prætereat, cui hanc non tradidiſſe quocumque modo clareſcat. Quo cautè ac indifferenter acto, qui hanc ſuſceperit, vel non ſuſceperit, per caritatis veſtræ legatum vel litteras protinus ac certiſſimè, ſed pleniter nobis poſcimus intimari. Nam licet omnes arguendi ſint ob nimiæ ſoporem deſidiæ, multo tamen illi ſeueriùs increpandi vel percutiendi conſiſtunt, qui toties etiam à nobis moti excitari peſtifero torporis ſomno depreſſi refugiunt. Sed priuſquam veraciter hos agnoſcamus, nihil de his definitiuum deliberare prorſus abſentia, ſeu potiùs ignorantia, iuſtitia dictante, permittit. Optamus gloriam veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere, dilectiſſimè fili. Data VIII. Calendas Februarias, Indictione XV.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXVII.

LOTHARIO GLORIOSO REGI.

Quòd Theutberga tædio afflictionum contra ſe ipſam ſcribat. ceterùm diſſolui eius coniugium non poſſe, niſi Lotharius cœlibem quoque vitam ſpondeat.

Epiſt. 51. *AUDITO, reuertente Miſſo noſtro, correctionis tuæ vt ita dicamus initio, gratias Deo condignas egimus, & vt tibi quoque grates competibiles referremus, animum præparauimus. Sed heu! aduerſa nuntia venientia huius intentionis noſtræ propoſito celeriter obuiarunt. Quapropter compulſi ſumus mutare vocem, & qui ad gratiarum actiones os aperire diſpoſueramus, in luctus & increpationes adhuc officium linguæ coacti dirigimus. Si quidem epiſtolam nunc ſuggeſtionis Theutbergæ glorioſæ reginæ miſſam, deferentibus legatis eius, ſuſcepimus, quam nihil intimare reperimus litteris, niſi quod illis aſſerere videbantur verbis. Verùm in vtroque obſtupefacti pariter & mirati ſumus: atque tam repètè ſtyli & petitionis mutatæ ſenſus perpendentes, nihil tale illam nobis intimaſſe quoque tempore recolimus. Si quidem cùm ad relationem omnium pene, qui ex Gallicanis & Germanicis regionibus Romam orationis gratia veniunt, vel multorum illic degentium, oculos mentis inflectimus, plurimum diſtare conſpicimus, quod ipſa nunc duntaxat ſignificat, & quod hi omnes quotidie propemodum verbis & apicibus innuunt: quippe quam irremotam cunctis afflictionem, ac intolerabilē preſſuram, nimiámque violentiam pati teſtantur. quamuis illa contrà, ſponte ac libenter à regia dignitate exui ſe velle ac optare fateatur, & copula. Quæ illis quidem aliter, hæc verò aliter proſequi cernitur, ita vt omnium aſſertionibus legaliter à te admiſſa, iniquè deinde accuſata, poſthæc iudicio, quo tibi & omnibus ſubiectis tuis, necnon & Epiſcopis placuit, euidenter purificata, deinde ſecundò repulſa, poſtremò monitis & decreto noſtro, pariter & hortatu filij noſtri excellentis Auguſti, iure recepta dicatur. Ipſa autem his omnibus contraria nunc effecta, & ſuæ ipſius oblita profeſſionis, neſcimus quæ friuola fateatur: quæ videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus ſuperuacuè laborare. Didicimus tamen multorum relatus ac multis indiciis, te ad imitationem eorum conuerſum, de quibus Apoſtolorum princeps dicit:* Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitionem Domini noſtri & Saluatoris IESV Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Meliùs enim erat illis, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum reuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit enim illis illud veri prouerbij, Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. *Didicimus inquam te, qui prolixo tempore in ſcelere permanens, Eccleſiæ Dei non modicum nocuiſti, nocere adhuc, & qui in ſordibus eras, ſordeſcere adhuc. Et certè in reuerſione legati noſtri te correptum audientes, vltra quàm dici valeat exultauimus, & omnipotenti Domino gratias immenſas retulimus: putantes videlicet, de apprehenſis à te honeſtis moribus, tandem aliquando fragrantiam in odorem ſuauitatis ad Dominum dirigi, non fœtorem de iteratæ nequitiæ tuæ colluuione per mundum vltra diſpergi. Sed heu è contrario, pro ſuaui odore fœtor, non in quo currendum ſit, ſed qui tota velocitate fugiendus exiſtat, ecce hac illácque diffunditur. Si quidem, vt opinamur, tibi non ſufficit ſolum adulterium perpetraſſe, niſi apponas vt etiam animas hominum periurij laqueis irretitas in extremum demergas interitum. Sed quid mirum, ſi paucorum animabus per periurium exitium acquiſiſti, quando in tanta ſublimitate poſitus, per exemplum tuæ mœchiæ tot hominum millia in perditionis chaos præcipitaueris? Nam maiora facit crimina ſublimitas dignitatum. Illud autem, quod prænominata Regina quaſi Vualdradæ teſtimonium perhibet, dicens eam fuiſſe tuam*

2. Pet. 2. 20.

vxorem legitimam, aut inuita, aut fruſtra conatur adſtruere: quandoquidem illius nullo prorſus hinc teſtimonio quis indigeat. Cùm magis nos ita ſentiamus quod iuſtum, & ita intelligamus quod æquum eſt, vt etiam Theutberga mortua, tu nullis legibus, nullis regulis vnquam Vvaldradã in vxorem poſsis aut permittaris aſſumere. Vtrũ ergo Vvaldrada legitima tua fuerit aliquando coniux, Eccleſia Dei ſatisfactione Theutbergæ non eget. Vnũ tamen ſcimus, quoniam nec nos, nec eadem ſancta Eccleſia, auctore Deo, qui adulteros iudicabit, te, ſi Vvaldradam quandocumque reſumpſeris, etiam Theutberga decedente, dimittet modis omnibus impunitum. Illud verò quod dicit Romã ſe velle venire, nobiſque paſsiones & quadam ſecreta ſui pectoris reſerare, fieri non conuenit: quoniam & ſecuritas itineris, quam prætendit, nulla eſt; & quamdiu Vvaldrada ita tibi iuxta poſita eſt, diaboli verſutia non abeſſe conuincitur. Dum enim Theutberga diſcedit, Vvaldrada incunctanter accedit: nimirum quia dum lex repellitur, præuaricatio confeſtim inducitur. Cæterùm quis ignorat Theutbergam hæc contra ſe multis preſſuris ſubactam deponere, ac innumeris malis attritam, immo mortis periculum formidantem, quod ſolo Deo cuſtode frequenter euaſit, aſſerere? Cùm etiam, vt prædiximus, pene omnes religioſi & clari viri Galliarum & Germaniæ hæc ita ſe habere crebra relatione teſtentur. adeo vt hæc eam, quæ nunc ſcripſit, nobis ſcripturam fore ante multum temporis præſcierimus. Verùm nos talem confeſsionem eius, quam non voluntas ſed vis extorſit, nequaquam pro confeſsione recipimus. Quamobrem quiſquis cõtra Theutbergam agit, non ſolùm Eccleſiam Dei grauiter lædit, verùm etiam ſedem Apoſtolicam, cuius iudicium non licet retractare, vehementer aduerſus ſe commouere conuincitur, quoniam illa ex vtraque parte prouocata, id eſt tam à te, quàm à Theutberga, cuius veſtri negotij executrix & interemptrix effecta eſt. Iam verò ſi eadem Theutberga Romam venire diſponit, & licentiam à te, coniuge videlicet ſuo, proficiſcendi adepta fuerit, ſecuritas eſt ei prorſus certiſsima tribuenda, qua freta nuſquam metuat ſe per hominem aliquid incidere læſionis. Quod omnino non prouenire poterit, niſi Vvaldrada Romam prius mittatur, & de ea quod conueniens ſit diffiniatur: & ita demum talis immunitatis certitudo ſubſequatur, vt ſæpe dicta Theutberga nec veniens, nec commorans, nec rediens, aliquod patiatur incommodum. Quod ſi minimè pro repellenda à te ſiniſtra ſuſpicione promiſeris agere, ceſſandum eſt, & ne talibus fraudis inſidiis acquieſcamus, omnimodis præcauendum. Tuque ſummo ſtudio præfatam Theutbergam coniugem tuam tanquam propriam carnem fouere ac diligere procurato, & ne illam ſeparari à te vllo pacto conſentias, vigilanter attende. Vnde ſi vult à te diſcedere, corripe, immo corrige eam, & à tali intentione per omnia ſatage reuocare. Iam verò ſi amore pudicitiæ ſeparationem quærit, & coniugalis connubij ſolutionem efflagitat, certum eſt, Apoſtolo prædicante, quoniam [1. Cor. 7. 4.] *mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Verùm ſi & ipſe pudicitiam ſectatus religionis obtentu copulam diſſoluere vis, tantùm ne ſimulatè fiat, concedimus. Nam licet ſcriptum ſit,* quod Deus coniunxit homo non ſeparet, [Matt. 19. 6.] *Deus tamen & non homo ſeparat, quando diuini amoris intuitu, ex conſenſu vtriuſque coniugis matrimonia diſſoluuntur. Si ergo hoc modo vis, nos grato permittimus animo, celeremque præbemus aſſenſum. Alioqui autem fieri mutuam veſtram ſeparationem prohibemus: ſi quidem ſcriptum legimus,* Erunt [Gen. 2. 24.] duo in carne vna. *Quod D. Gregorius expo-* [Lib. 12. epiſt. 39.] *nit dicens: Si igitur vir & vxor vna caro ſunt, & religionis cauſa vir dimittit vxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel fortaſſe ad illicita migrantem, quæ eſt iſta conuerſio, in qua vna eademque caro, & ex parte tranſit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione? Si verò vtriuſque conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accuſare? quando certum eſt, quòd omnipotens Dominus, qui minora conceſsit, maiora non prohibuit. Porrò ſi ſterilitas accuſatur, cogita Saram nonagenariam, Annam quoque ſimul & Eliſabeth. quam tamen ſterilitatem fortaſſe non facit infœcunditas, ſed iniquitas. De aliis poſtremò vitiis, audi quid cæleſtis bibliothecæ cultor dicat Hieronymus. Graue, in-* [In Matth. cap. 19.] *quit, pondus vxorum eſt, ſi excepta cauſa fornicationis eas dimittere non licet. Quid enim ſi temulenta fuerit, ſi iracunda, ſi malis moribus, ſi luxurioſa, ſiguloſa, ſi vaga, ſi iurgatrix, & maledica, tenenda erit iſtiuſmodi? volumus, nolumus, ſuſtinenda eſt. Cùm enim eſſemus liberi, voluntate nos ſubiecimus ſeruituti, & reuera, vt verbis vtamur Apoſtoli,* alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. [1. Cor. 7. 27.] *Ergo, glorioſiſsime Rex, eſto propria contentus vxore, & præter illius, alterius vnquam ne quæras conſortium. Et certè, quãtum humanus inuenire ſufficit intellectus, eadem crebrò memorata mulier nõ ſolùm inſons ſæpe comprobata eſt, verùm & Eccleſiæ auxilium, atque iudicium prouocaſſe dinoſcitur. Inſuper & ſancti Apoſtolorum principis Petri præſidium expetiuit. Vnde ſedes Apoſtolica cauſam veſtram per ipſam cœpit diſcutere, & quicquid quæſtionis emerſiſſet, ſpeciali iudicio ſuo reſeruare propoſuit.*

ſuit. Qua de re non putamus te in tantam tui perniciem deuoluendum, vt contra noſtras diffinitiones, vel aduerſus crebrò dictam fœminam, B. Petri confugio prorſus innixam, agere quocumque modo conſentias: cùm tibi potiùs, & regno tuo, quàm Theutbergæ, ſi ad hoc tam immane piaculum dilapſus fueris, acquiras omnino diſpendium. Igitur conſilium noſtrum accipe, & monita noſtra tanquam affectuoſi patris amplectere, atque ab omni prauitate mentem, linguam, corpúſque refræna. præcipuè Vualdradæ pellicis tuæ, & dudum à te repudiatæ communionem declinans, & eius conſortium perpetua obliuioni contradens. Excommunicata eſt enim, & vſque ad præſentiam noſtram, ab omni Chriſtianorum contubernio ſequeſtrata, ſicut totus iam nouit Occidens, & iam támque per Miſſos noſtros minimè cum plagis ceteris Oriens ignorabit. Quamobrem cauendum eſt, ne cum ea pari mucrone percellaris ſententiæ, ac pro vnius mulieris paſſione, & breuiſſimi temporis deſiderio, vinctus & obligatus ad ſulphureos fœtores, & ad perenne traharis exitium. Deterius quippe in populis prælati delinquunt: ac per hoc ipſi crudeliùs quàm ceteri puniuntur. Sed vt manifeſtiùs vera nos dicere ſcias, B. Papam Gregorium audi, qui ait: Scire etenim prælati debent, quia ſi peruerſa vnquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Vnde neceſſe eſt, vt tanto ſe cautiùs à culpa cuſtodiant, quanto per praua quæ faciunt non ſoli moriuntur. Hæc autem nos tibi nunc ſcripſiſſe, & quaſi inter nos & te verba noſtra exceſſus tuos corripientia diſcurriſſe ſufficiat. Ceterùm præcaue, ne quando nobis, ſecundum Domini præceptum, duos aut tres teſtes adhibeamus: immo verò, ne hoc Eccleſiæ ſanctæ dicamus, & quod non optamus, de cetero fias cunctis ſicut Ethnicus & publicanus.

EMBOLIM. Porrò excellentiam veſtram hortamur, vt hoc exemplar epiſtolæ ad Lotharium miſſæ, quouſque illum noſtris monitis obedire perfectè cognoueritis, apud vos nemine alio ſciente retineatis. Si autem ſuę obſtinationi non ceſſerit, & quæ ei ad præſens dirigimus, perficere diſtulerit, vel ſi Theutbergam reginam debito honore non retinuerit, veſtra ad omnium notitiam, quæ de eo ſtatuimus, faciat venire ſublimitas, & iuxta noſtræ cenſuræ modum ad gloriam veſtram tranſmiſſum huc illúcque diſpergat.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXVIII.

Ad Ludouicum regem Germaniæ.

Vt Lotharium ad diligendam Theutbergam excitare pergat, & Ingeltrudem ad Boſonem maritum redire compellat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Ludouico glorioſo Regi.

Epiſt. 53.

PRECAMVR amabilem dilectionem veſtram, vt regem Lotharium monere nullo pacto deſiſtatis, vt debitam dilectionem Theutbergæ reginæ vxori ſuæ ſemper impendat: nec ſibi blandiatur, quaſi ſtudeat eam cogere, vt aliquod ſibi crimen impingat, & per hoc valeat illam à ſuo conſortio ſequeſtrare: quoniam hoc nec ipſe legaliter agere præualet, nec nos talibus præſtigiis, & tam fraudulentæ calliditati locum dare permittimus. Sed etiamſi abundante iniquitate, qualibet aſtutia, potiùs autem violentia, tale quid machinari potuiſſet, Vualdradam ei mœcham, cuius immundo deſiderio ad iſta intendit, anhelat, & peruenire dementer affectat, nullus coniugali fœdere permitteret ſociari, niſi fortè quis omnium legum, niſi cunctarum regulatum temerator & infractor inueniri voluiſſet. Agite igitur circa eum benignè, & quoniam filius germani veſtri eſt, tanquam os veſtrum & carnem monere, increpare, immo verò etiam ſeueriùs corripere, quin & quoquomodo corrigere ſtudeatis, mẽris ſcilicet eius ſalutem magis quàm corporis anhelantes. Poſtremò, fili cariſſime, non vos latere credimus, quot & quantos labores pro refuga illa Boſonis vxore ſæpe pertulimus, & quoties eam, vt ad iuſtitiæ tramitem remearer, ſalubriter admonuerimus: & qualiter etiam non reſipiſcentem, ſed in nequitia ſua pertinaciter perſiſtentem, gladio anathematis percuſſerimus. Quæ nec percuſſa doluit, nec attrita voluit recipere diſciplinam. Vir autem eius, innocens videlicet, in eius abſentia hinc inde labore non modico fatigatur, quoniam nec ipſi

reconciliari abſenti præualet, nec alterius illa viuente conſortium ei coniugale conceditur. Qua de re quoniam improbitatem & inſolentiam eiuſdem viri continuam patimur, volentis ſcilicet ardenter ad ſecundum, immo ad illicitum conuolare connubium, obnixè dilectionem veſtram depoſcimus, vt pro reuocanda ea omne ſtudium pro Dei amore ſumatis, quinimmo & eandem perditam ac ſæpe damnatam feminam lucrari Domino valeatis, ita vt ſi monitis prouocata viam ſuę ſalutis non arripit, ſaltem preſſuris per veſtram induſtriam anguſtata reſipiſcat: & quæ ad Dominicam cœnam ſpõtè intrare noluit, dum tantùm intret, vel compellatur inuita. Nam fortè de huiuſmodi Dominus per prophetam dicit: *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſeptam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet, & ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos: quæret & non inueniet eos, & dicet, vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.* Quod venerandum oraculum ſi tropicè differatur, non patuam vtilitatem generat. Verùm nunc breuiter dicendum eſt, quoniam ſi eadem femina, ſicut nec debet, nullius communione frueretur, & non exquiſitis voluptatibus potiretur, ſi denique vias ſuas ſpinis ſeptas pateretur, ſi in terrenis deſideriis de impoſſibilitate laſſaretur; iam Deum profectò ad mentem reduceret, & ad amorem viri proprij vel inuita rediret. Sic ergo peruicax illa & impœnitens anima; quæ diu eſt adultera conata perſiſtere, ſic fortaſſe, ſi tamen neceſſitas ei per vos rerum interim titulatarum imponeretur, fidelis iam decerneret eſſe coniux, quæ & meritò ac veraciter deinde dicere poſſet, *Reuertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis quàm nunc.* Optamus gloriam veſtram bene valere, dilectiſſime fili. Data Nonis Martij, Indictione xv.

Oſeæ 2. 6. — Ibid. 7

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXIX.
Ad Carolum regem.

Vt curet à Lothario reſtitui ea quæ à Belletrude ſorore ſua Berengarij vidua abſtulerat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Carolo glorioſo regi.

Append. epiſt. 17.

LITTERIS ſcilicet ſuis de Belletrude Berengarij Comitis quondam relicta nobis pernotuit, Hlotharij videlicet regis preſſuris adnihilaram, eiuſdémque præiudicia ſore perpeſſam. Apoſtolatui noſtro hęc atque alia ſuggeſſit, quo eidem Hlothario Apoſtolicis exinde mitteremus litteris monita, & vobis, dilectiſſime fili, fratríque veſtro Hludouico excellentiſſimo regi noſtram dirigeremus epiſtolam: quatenus vobis ſuccurrentibus atque fouētibus ipſa procul dubio vidua ad perfectam de ſuis rebus perueniret iuſtitiam: quoniam non ſolùm prædia à genitore ſuo Hlothario Imperatore per præceptum largita ſuſtulit, ſed etiam proprietates eius à parentibus ſuis ſibi præfatæ Belletrudi dimiſſas colludioſè ſurripuit, eiſdémque ſanctæ Dei Eccleſiæ infideles Nortmannos paganos beneficiali more ſanè donauit. Nos verò iam dicto Hlothario nepoti veſtro Apoſtolicas litteras mittere nequiuimus: quia pro nefariis & illicitis negotiis ab illo abolendis, vobis planè auditis, excommunicatum habemus. Sed excellentiæ veſtræ, ineffabili dilectione colendæ, poſcendo dilectiſſime fili, dirigimus, vt pro reuerentia Apoſtolorum principum, ad quos quaſi refugium faciens, rogauit ipſa ſcriptis iuſtitiam, & pro eo quòd iure agnationis, ſiue maioris natu, vos à talibus illum decet coercere illicitis, ſuper his per veſtrum Miſſum, aut epiſtolam, tam ex noſtra ſanctione iubendo, quàm ex veſtra parte rogando, ſeu legum auctoritate monendo, iam ſępedicto regi mittere ſtudeatis. Et ſi vos fortè, vnà cum fratre veſtro Hludouico glorioſo rege coniuncti, eundem nepotem veſtrum quaque pro cauſa, vt eredimus, fueritis allocuturi, quæſumus affatim, vt huius crebrò fatæ viduæ Belletrudis ſororis ſuæ cauſam, tam de propriis, quàm de beneficiis per præceptum à iam

dicto Hlothario Auguſto quondam conceſſas, nulla officiente ratione vſque ad finem perducatis: vt cùm, Deo fauente, à priore næuo fuerit correctus, illius feminæ cauſas reſtituat, & vt ne adiiciat iniquitatem ſuper iniquitatem in regno ſuo, ſed faciat iuſtitiam ſuam abundanter. Quoniam quidem regum examina decet omnibus ſubuenire, præcipuè viduis, quarum iudex Chriſtus eſt. Itaque huius inſtar epiſtolæ epiſtolam de hac cauſa nunc ceu vobis, haud ſecus Hludouico fratri veſtro direximus. Dolemus oppidò pro talibus, eminentiſſimè rex, prædia Chriſti fidelium quoquo modo tollentibus, & Chriſti regis infideles eiſdem beneficiali more donantibus. Interea rogamus, vt quicquid perfectionis conſulta ſuper his veſtra perfecerit excellentia, ſcriptis per ſingula Apoſtolatui noſtro non dedignetur veſtra intimare regalis magnitudo. Excellentiam veſtram nunc & ſemper bene valere optamus in Chriſto.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXX.

Ad Hincmarum & ceteros Epiſcopos in regno Caroli conſtitutos.

Exponit cauſas odij & inuidiæ Græcorum aduerſus Eccleſiam Latinam: mittit illorum obiectiones, vt eas refellant, & quæ contra illos inuenerint, in Vrbem tranſmittant.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimis & ſanctiſſimis Hincmaro & ceteris confratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis in regno Caroli glorioſi Regis Eccleſias conſtitutas regentibus.

Epiſt. 70. OMNIVM nos portare onera qui grauantur, immo hæc in nobis portare beatiſſimum Petrum, qui nos adminiſtrationis ſuæ protegit ac tuetur heredes, fraternitas veſtra liquidò nouit. Veruntamen inter alia quę nos immenſis laboribus inferunt, illa nos præcipuè commouere videntur, quæ nobis, immo vniuerſæ occiduæ parti, à Græcorum Imperatoribus, Michaele ſcilicet & Baſilio, & ab his qui ſibi patent, nequiter ingeruntur. Hi enim odio & inuidia contra nos inflammati, quæ inferiùs adnotabimus, nobis quaſi crimina hæreſeos impingere moliuntur. Odio quidem, quia Photij adulteri & inuaſoris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ atque neophyti, à depoſitis & anathematizatis factam promotionem non ſolùm non approbauimus, ſed & damnauimus: fratris ſcilicet & comminiſtri noſtri Ignatij eiuſdem Eccleſiæ Patriarchæ deiectionem, vt pote à ſubiectis, & ab Imperiali potentia factam, nullo ſuſcipientes aſſenſu. Inuidia verò, quia regem Bulgarum Michaelem nomine, cum gente ſua, Chriſti fide ſuſcepta, à ſede B. Petri inſtitutores & doctrinam expetiuiſſe audierunt. Volentes quippe, nimiúmque anhelantes, eoſdem Bulgares à B. Petri ſubiectione ſubducere, ſuóque imperio ſub prætextu Chriſtianæ religionis callidè ſubiugare, talia de ſancta Romana Eccleſia non habente maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, prædicant, quatenus illi, vt pote adhuc in fide rudes, hæc audientes, nos quaſi noxios, & diuerſarum hæreſeum ſqualoribus reſperſos, vitent, declinent, atque penitus deſerant. Denique cùm clamor malorum, quæ in Conſtantinopolitana Eccleſia, tam per eoſdem principes, quàm per eos qui illis ſiue metu, ſiue affectu ad votum patent, multiplicatus & conſum-

matus eſſet, noſtríſque auribus increſcens, immenſum cordi ſuper tanta nequitia dolorem incuteret, etiam ipſis perentibus & obnixè precantibus, ad hanc inquirendam & nobis referendam Miſſos noſtros, Radoaldum ſcilicet & Zachariam, tunc Epiſcopos, Conſtantinopolim deſtinauimus. qui illuc peruenientes, Patriarcham Ignatium damnando, & Photium communione ſua firmando, contra interdictum noſtrum factioni conſenſere Græcorum. Cùm autem patrato nefando ſcelere Romam reuerſi fuiſſent, miſſus eſt etiam ab Imperatore Michaele cum ipſis ad nos proprius legatus, nomine Leo à ſecretis. In quorum aduentu cognoſcentes tam præfatum Ignatium iniuſtè depoſitum, quàm Photium mœchum irregulariter in ſede Conſtantinopolitana firmatum, moleſtiſſimè rulimus, ſcribentéſque noſtram ſummæ auctoritatis epiſtolam, eidem Leoni à ſecretis Imperatori per Indictionem decimam hanc deferendam contulimus. Per quam videlicet nos nec illam damnationem, nec talem promotionem, vt pote vtramque iniquè patratam, admiſſuros fore prædiximus, & rarione competenti firmauimus. Deinde bis facto Concilio, & lectis profanis geſtis, quæ prædictus Leo à ſecretis detulerat, vbi putatæ depoſitionis fratris & coepiſcopi noſtri Ignarij tenor continebatur, inuenti ſunt iidem Miſſi noſtri tam in damnatione Ignatij, quàm in communione Photij, omnino culpabiles. Vnde nos Eccleſiam noſtram ſine omni volentes macula ſicut ſemper ſubſiſtere, ne videlicet in ea, illis impunitis remanentibus, vel tenuis ſubſannandi oriretur occaſio, aut nos eorum prauirati conſenſiſſe videremur, vtrumque damnauimus, & excommunicationi ſubmiſimus: damnationem verò Ignatij, vel promotionem Photij, penitus reſecuimus & condemnauimus. Reuerſo autem Leone à ſecretis Conſtantinopolim, Michael Imperator comperiens per epiſtolam noſtram, quam per ipſum rranſmiſimus, quòd nec depoſitionem Ignatij, nec promotionem Photij ſuſcepimus; mox quendam legarum ſuum, nomine Michaelem protoſpatharium, cum epiſtola iniuriis plena ad nos direxit, & vt ſententiam noſtram ad votum ipſius commutaremus, vehementer hortatus eſt. At nos iniurias quidem noſtras non curantes, licet circa Eccleſiæ iniurias non tacuiſſemus, ſcripſimus epiſtolam noſtram, & hanc per Indictionem quartamdecimam præfato Imperatori per iam nominatum Michaelem protoſpatharium legatum ſuum direximus, tam videlicet à noſtra Eccleſia falſas obiectiones repellere cupientes, quàm ipſum Imperatorem cum ſequacibus ſuis ſuper hoc negotio ad rectum iuſtitiæ perducere tramitem anhelantes. Sed vt pleniùs hæc tam ipſi Imperatori, quàm aliis fidelibus intimari potuiſſent, conuocatis quibuſdam è vicinis locis fratribus & coepiſcopis noſtris, de his quod nobis canonicè viſum eſt, prædeceſſorum noſtrorum ſecuti veſtigia, decreuimus & ordinauimus. quod etiam ſanctitati veſtræ poſt modicum, Deo fauente, pleniùs intimare diſponimus. Quo rite ſicut arbitramur ordinato, quærere cœpimus opportunitatem, qua freti Miſſos Apoſtolicæ ſedis etiam adhuc Conſtantinopolim cum exhortationis epiſtolis deſtinaremus: qui & pro ſalute ipſorum competentibus eos monitis ædificarent; & quæ fuerit de illis Apoſtolicæ ſedis prolata ſententia, manifeſtè denuntiarent: iuxta quod &
Can. v. magna Synodus Nicæna de his qui abiiciuntur ſanxiſſe dinoſcitur.

Videbatur enim nobis iter nauale ſatis difficile, & propter eorumdem Græcorum expertas inſidias valde cauendum. Cùm his itaque anxietatibus vndique coartaremur, & ingentibus premeremur anguſtiis, ecce ſubitò legati iam fati regis Bulgarum nobis adeſſe nuntiantur. Vnde quis eſt qui dicere poſſit, quanto gaudio, vel quanta exultatione ſimus repleti? eo quòd & eorum ſalubrem conuerſionem per diuitias bonitatis Dei cognouimus; & quia illos doctrinam B. Petri Apoſtoli, ſeu ſedis eius, exquiſiſſe comperimus, qui licet longè poſiti corpore, nobis tamen facti ſunt fide præſentes: ſed & quia per eorum regnum facilem ac terrenum Miſſis noſtris ad terram Græcorum acceſſum patere perſpeximus. Ordinatis igitur tam quæ Bulgarum gentis congruere fidei rudimentis agnouimus, quàm quæ Conſtantinopolim mittere diſpoſueramus, Miſſos quoque noſtros cum legatis iam nominati Regis per ipſius tranſitutos regionem direximus. Quos Imperatores Græcorum non ſolùm recipere minimè conſenſerunt: verùm etiam vehementer aduerſus Bulgares animos commouerunt, eo quòd per ſuam eos terram tranſire permiſerint: nihil aliud proculdubio innuentes, niſi quòd eos, ſi per ſibi ſubiectas regiones tranſiſſent, illis periculis traderent, quibus præfatæ vrbis hæretici principes ſæpe ſedis Apoſtolicæ legatos, pro cauſa fidei vel correctionis Eccleſiaſticæ deſtinatos, tradidiſſe leguntur. Præterea eum Bulgarum rege demorantibus, & ad vrbem Conſtantinopolitanam eiſdem noſtris accedere Miſſis conantibus, iidem Imperatores epiſtolam ſuam ipſi regi Bulgarum tranſmiſere: quam ille accipiens nobis per legatos noſtros deferri deuota mente decreuit. Accipientibus itaque nobis, & perſcrutantibus eandem cum aliis ſcriptis epiſtolam, non hanc ſæpe memorati principes dictantes, niſi in lacu blaſphemiæ tinxiſſe calamum, & luto erroris vſi pro atramento fuiſſe proculdubio patuere. Conantur enim tam noſtram ſpecialiter, quàm omnem generaliter, quæ lingua Latina vtitur, Eccleſiam reprehendere, quòd ieiunamus in ſabbatis, quòd Spiritum ſanctum ex patre filióque procedere dicamus, cùm ipſi hunc tantùm ex patre procedere fateantur. Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia preſbyteros ſortiri coniuges prohibemus; & inſimulare tentant, quoniam eoſdem preſbyteros chriſmate linire baptizatorum frontes inhibemus: quod tamen chriſma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilominus moliuntur, eo quòd octo hebdomadibus ante Paſcha à carnium, & ſeptem hebdomadibus à caſei & ouorum eſu more ſuo non ceſſamus. Mentiuntur quoque nos, ſicuti per alia ipſorum conſcripta indicatur, agnum in Paſcha, more Iudæorum, ſuper altare pariter cum Dominico corpore benedicere & offerre. Quin & reprehendere ſatagunt, quia penes nos clerici barbas radere ſuas non abnuunt, & quia Diaconus non ſuſcepto preſbyteratus officio apud nos Epiſcopus ordinatur; cùm ipſi etiam illum, quem Patriarcham ſuum nominant, ex laico ſubitò tonſuratum ac monachum factum, ſaltu ad Epiſcopatus apicem Imperiali fauore, ac brachio prouehere, vt ipſi putant, minimè formidauerint. Et adhuc, quod eſt grauius & inſanius, à Miſſis noſtris, contra omnem regulam, & præter omnem conſuetudinem, libellum fidei, ſi ſe ab illis recipi vellent, exigere moliebantur, in quo tam iſta capitula, quàm ea tenentes anathematizarent: necnon &

Obiectiones Græcorum.

epiſtolas canonicas ab his ei, quem ſuum œcumenicum Patriarcham appellant, dandas improbè requirebant. In his igitur, exploſis ceteris cutis, vos fratres ſummopere conuenit deſudare: & quia communia ſunt hæc opprobria, quæ vniuerſali Eccleſiæ, in ea duntaxat parte, quæ Latina vti dinoſcitur lingua, ſicut prætulimus, ingeruntur, communiter omnes, qui diuino ſacerdotio illuſtrari videmini, decertare debetis, quo paternæ traditiones tantæ derogationi non pateant: ſed quæ praui quique conſueta contentione tam mentientes quàm errantes maculare geſtiunt, manu communis defenſionis ab omni næuo blaſphemiæ funditus eruantur. Ridiculum eſt enim, & ſatis abominabile dedecus, vt temporibus noſtris vel falsò inſimulari ſanctam Dei Eccleſiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus à patribus noſtris ſuſcepimus, pro libitu ſemper errantium infringi patiamur. Quapropter neceſſe eſt vt eorum conatibus reſiſtamus, & falſis illorum iaculis veritatis clypeum opponamus. Quod nos quidem, opitulante ſuperna potentia, prout valemus agere non omittemus: nec cùm opportunitas cælitus datur, contra illos pro Eccleſia Chriſti tacebimus. Sed magnopere conuenit, vt & veſtra quoque fraternitas, morem ſecuta maiorum, concertans nobis & vnanimiter collaborans in talibus inueniatur. Si quidem, niſi mente receſſit, nunquam Heſperiæ regiones, vt de aliis mundi plagis interim taceamus, à ſede B. Petri in huiuſcemodi quæſtionibus diſſonantes inuentæ ſunt. Vnde vnuſquiſque veſtrûm qui Metropolitana iura ſortitus eſt, iunctis ſibi fratribus & coepiſcopis ſuis qui ſub ſe ſunt, de Iſtis diligentem curam ſuſcipiat, & quid inuidis eorum detractionibus opponi neceſſe ſit, rimari ſtudeat, & inuenire ſummopere geſtiat, atque inuentum nobis ocyus tranſmittere minimè parui pendat: quatenus id nos quoque aduerſus eorum veſaniam cum ceteris aſſertionibus noſtris deinde mittere valeamus. Nihil enim in nobis tam viſibilis quàm inuiſibilis hoſtis, ſicut concordiam, exhorreſcit. Ideóque mutuò ſtudia noſtra prouocemus, & contra communes hoſtes, non quaſi hac vel illac palantes, ſed tanquam caſtrorum acies ordinati reperiamur. Sícque fit, vt dum nos veſtram vnanimitatem ad communem incitamus conflictum, & vos noſtris certaminibus intereſtis, vt & nos veſtram ſanctimoniam debito mētis affectu diligere fraternéque venerari cernamur, & vos in nullo à capite, id eſt à ſede Petri, diſſidere noſcamini. Quanto autem liuore, quantáque vecordia, iam deſignati Græcorum principes, eorumque ſatellites, aduerſus nos, pro eo quòd ſuis noluimus parere illicitis animoſitatibus, armati ſint, in eo manifeſtè datur intelligi, quòd aut falſa ſunt, quæ nobis impingere moliuntur, aut certè iam à priſco tempore ſine cuiuſquam contradictione in Eccleſia Romana, immo in tota occidentali parte, hactenus cuſtodita: & cùm floruerint etiam apud ipſos magni doctores Eccleſiæ, nullus tamen eorum de his reprehenſionem fecit, niſi hi qui non zelo iuſtitiæ feruidi, ſed zelo inuidiæ perculſi, Eccleſiæ lacerare traditiones anhelant. Præcipuè cùm de ieiunio Sabbati tempore S. Silueſtri confeſſoris Chriſti ſit ſatis diſcuſſum & diſputatum, atque vt celebraretur per omnia definitum, nullúſque poſt hæc auſu temerario contra illud ſtatutum venire, aut ſaltem mutire præſumpſerit: cùm potius è diuerſo ſedis Apoſtolicæ inſtitutio, & Eccleſiæ Romanæ ſequens obſeruantia, eiuſdem

D. xii. Ridiculum eſt.

ſalutiferi conſtituti executrix fuiſſe hucuſque reperiatur. Prӕterea de proceſſione Spiritus ſancti quis neſciat illuſtres viros, & pӕcipuè Latinos, nonnulla ſcripſiſſe, quorum fulti auctoritatibus iſtorum oppidò ſanè reſpondere poſſemus inſaniӕ, ſi vel illis nos reprehendendi, vel nobis eis contentioſa fauce gannientibus rationem reddendi conſuetudo quӕlibet extitiſſet? Sed quid mirum ſi hoc iſti prӕtendunt, cùm etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana vrbe Imperatores Conſtantinopolim ſunt tranſlati, tunc & primatum Romanӕ ſedis ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam tranſmigraſſe, & cum dignitatibus regiis etiam Eccleſiӕ Romanӕ priuilegia tranſlata fuiſſe? Ita vt eiuſdem inuaſor Eccleſiӕ Photius etiam ipſe ſe in ſcriptis ſuis Archiepiſcopum atque vniuerſalem Patriarcham appellet. Videte ergo, fratres, ſi hӕc Eccleſiӕ Chriſti non prӕiudicent: videte ſi tolerabilia valeant ӕſtimari: conſiderate ſi debeant illi Eccleſiӕ Romanӕ huiuſmodi derogationes vel detractiones ingerere: cùm ipſa, ex quo cœpit Chriſtiana religio dilatari, quӕ ſemel in Petro patrono ac inſtitutore ſuo ſuſcepit, immutilata tenuerit, & incorrupta per alia climata mundi docuerit: nec apparuerit quiſquam per tot ſaltem ſӕculorum curricula, qui eius traditionibus derogauerit, aut obuiare prӕſumpſerit; licet vt prӕtulimus in Eccleſia crebrò magni doctores effulſerint: nec viſa ſit vnquam Eccleſia, vt non dicam Conſtantinopolitanam, quӕ longè pòſt inſtituta eſt, cuius hӕc doctrinam vel auctoritatem ſecuta ſit, cùm ipſa potiùs alias Eccleſias inſtituerit, atque his nonnullas traditiones contulerit: adeo vt, quemadmodum Bonifacius ſedis Apoſtolicӕ prӕſul teſtatur, inſtitutio vniuerſalis naſcentis Eccleſiӕ de B. Petri ſumpſerit honore principium, in quo regimen eius & ſumma conſiſtit. Innocentius epiſt. xxix. ad Decentium.

Perpendite ergo, fratres, ſi hӕc vtilia ſint Eccleſiӕ Dei, ſi hӕc congrua videantur eius ordinationibus. Perpendite rogo, ſi ſedis Apoſtolicӕ Miſſos à viſione ſua excludere, vel eos aut epiſtolas noſtras ſpernere debuerint, & & vbi ſit aliquando geſtum, quӕſo, memorare contendite, alioquin contra tantum laborare contemptum nobiſcum tota virtute curate. Nam ſi huiuſmodi mos in Eccleſia Chriſti fuerit exortus, videlicet vt legati ſeu litterӕ ſingularum Eccleſiarum, vel perſonarum, ab his quibus mittuntur minimè ſuſcipiantur, quis locus reſtet ſaluti nos penitus ignoramus. prӕſertim cùm per legatorum & epiſtolarum deſtinatarum interuentionem ad fidem nonnullos conuerſos, & ab errore multos reuocatos, & ad pacem ceteráſque correctiones plurimos vel rediiſſe vel acceſſiſſe noſcamus. Et certè ſi hoc licitum eſſe poſſet, nullus profectò nobis tranquilliorem vitam ducere valuiſſet. nimirum quos quotidiana vndique veniens, annuente Chriſto, frequentia non modicè reddit ſollicitos, nec paucis conſtituit ſubinde ſudoribus fatigatos. Perpendite nihilominus, ſi à legatis noſtris libellus exigi debuit, aut quӕ hinc exempla prӕceſſerint: cùm nec ſcripto inſertum; nec memoriӕ commendatum tale quid inueniri credatur. Nunquid nos alicuius nouitatis inuentores extitimus? nunquid alia, niſi quӕ ad ſalutem ipſorum, & ad communem Eccleſiӕ ſtatum pertinebant, tranſmiſimus? Nunquid nos hӕretici aliquando fuimus? Nam licet nos peccatores quidem eſſe non denegemus, quorumlibet tamen errorum fӕce pollutos, Deo gratias, minimè recognoſcimus, quemadmodum illi,

qui nunquam ſine ſchiſmate, nunquam prorſus ab errore reperiuntur extranei. Libellos autem nos ab illis & exigere & ſuſcipere, non autem illos à noſtris requirere ſolere, conſuetudo huçuſque cuſtodita demonſtrat. Cùm enim, Chriſti munere, propter primatum Eccleſiæ Romanæ in B. Petro conceſſum, nemini ſit de ſedis Apoſtolicæ iudicio iudicare, aut illius ſententiam retractare permiſſum: conſtat nimirum eos ab his nullum ius poſſidere libellos exigendi, quos habere fas iudicandi nullo iubentur canones, nullo probantur exemplo. Potiorum enim eſt ab inferioribus, non inferiorum à potioribus, violenter exigere rationem, aut extortam elicere ſatisfactionem. Commendatitias autem epiſtolas, etiamſi tale quid antiqua cõſuetudo fieri à nobis efflagitaſſet, dãdas Photio nullo modo mitteremus: quippe quem non litterarum noſtrarum communione in Eccleſia Conſtantinopolitana ſtabiliendum, ſed noſtræ ſententiæ iam mucrone perculſum, ab ea penitus decreueramus tanquam adulterum propellendum. Verùm pro his & his ſimilibus cauſis canonicè diſcutiendis & ritè definiendis, tam veſtram, quàm aliorum fratrum & coepiſcoporum noſtrorum, reuerendam ad nos conuocare vellemus præſentiam, niſi nos diuerſæ mundi calamitates, & quotidianæ preſſuræ id gerere vetuiſſent. Sed quę nobiſcum ageretis præſentes, hortamur agite ſaltem abſentes, qui tamen dum intra ſinum caritatis, quam latum mandatum
Pſal. 118. 96. Pſalmiſta nuncupat, vos circumplectentes ſemper intuemur quaſi præſentes, terrarum profectò ſpatiis nunquam poteſtis haberi viſibus noſtris abſentes. Veruntamen ſi huc veniendo recuſatis laborem arripere, nec iuſſa terreni principis, nec vlla impedimenta ſeculi, pium ſtudium veſtrum à communi hac Eccleſiaſtici negotij meditatione, ſeu neceſſaria ſollicitudine, cohibere quoquomodo valeant. Alioqui veſtram ad nos fraternitatem conuocandi, & pariter de huiuſcemodi quæſtionibus tractandi, nobis erit omnino neceſſitas: vt videlicet iuxta priſtinam conſuetudinem nobiſcum in idipſum apud S. Petrum conuenientes, communes Eccleſiæ contumelias repellamus, qui commune ſacerdotij culmen in Chriſti Eccleſia, ſinguli ſecundum ſuorum qualitatem priuilegiorum, promeruiſſe dinoſcimur. Præcipuè cùm non ſolùm propter huiuſmodi generalis Eccleſiæ negotium, ſed etiam pro ſpecialis huius ſedis exorta cauſa prædeceſſores veſtri vnâ cum prædeceſſoribus noſtris hîc ſoliti ſint non immeritò conuenire. Nam mirandum quamobrem iidem Imperatores ita ſæuiant, ita commoueantur, ita in conuitia noſtra prorumpant: cùm, ſi bene geſſerunt, eos non nobis conuitiari, ſed de bono gratias auctori referre, & in ſeipſis gloriam habere, & Miſſos vel legationem noſtram non reſpuere, ſed vt pote ſuis bene geſtis congratulantia libenter admittere, & nobis congrua reſponſa dirigere profectò decuerit. Si verò malè operati ſunt, vt quid non corrigi potiùs & meliorari ſatagunt, ſed indignantur, anhelant, & in tot contumelias aduerſus ordinationes Dei & Eccleſiæ traditiones inſiliunt? Quamuis non tam indignati, quàm deterriti fuiſſe videantur. conſcientia namque remordente intellexerunt, pro iudicanda canonicè ſui obligatione nos illas in partes miſiſſe. Quamobrem huiuſcemodi conſilio vſi ſunt, quo videlicet legati noſtri nullatenus admitterentur: ſcilicet ne per illos, vel de recuperato fratre & coepiſcopo noſtro Ignatio, vel de damnato

de damnato Photio inuaſore, ſedis Apoſtolicæ ſententia penes ſe diffamari, nec rurſus iidem, tanquam fautores tantæ peruerſitatis, ac per hoc obligati, manifeſtiùs quia eſſent excommunicati ſciti eorum atteſtatione, aut ſcriptorum noſtrorum ſerie potuiſſet. Vnde quis non videat, eos idcirco de nobis iſta derogationum verba depromere, vt ſua quæque prauitatis poſſent acta contegere? & ideo velle noſtra ſuis præſtigiis obfuſcare, vt ſua valeant tenebrarum opera longè latéque clarificare? Nam quis ſtylus ſufficiat exarare, quanta & qualia, priuſquàm Miſſi noſtri illuc directi fuiſſent, vel etiam poſt reuerſionem eorum, tam per legatos, quàm per litteras ſuas, vt de noſtris ſpecialiter omittamus, de B. Petri principis Apoſtolorum laudibus, de ſedis eius, vel Eccleſiæ Romanæ priuilegiis, nobis præconia deſtinarint? Cùm autem eoſdem Apoſtolicæ ſedis Miſſos in ſuam nequitiam traduxiſſent, & inſtar quarumdam proſtitutarum libidines ſuas ipſis conniuentibus expleuiſſent: primò quidem conati ſunt nos iteratis laudibus efferentes, & verſutis blandíſque lenociniis adeuntes, ad ſuos inflectere peſſimos actus, & vt his à ſe perpetratis noſtro conſenſu firmitatem tribueremus, ſupra modum hortati ſunt & deprecati. At vbi nos, inſpiratione diuina, quæ acta ſunt perperam commiſſa fuiſſe competientes, ea non ſolùm iuſtitia magiſtra, vt iam diximus, non approbauimus, ſed & damnauimus: protinus illi verſa ſententia, plectrum linguæ in derogationes & blaſphemias acuerunt, & tanquam ſui met obliti contraria his quæ primitus proſecuti fuerant tractauerunt. Et quia Deo auctore de nobis quid ſpecialiter impeterent non inuenerunt, traditionibus paternis diuinis teſtimoniis roboratis detrahere curauerunt, & quod agere maiores eorum minimè præſumpſerunt, iſti etiam quæ antiquitas Romana ſuſcepit, cum numeroſis hanc ſequentibus Eccleſiis, generaliter accuſare & blaſphemare ore polluto minimè timuerunt. Quin & priuilegiis Apoſtolicæ ſedis, quorum valetudine ſua quoque roborari popoſcerant, quia ſuis malignitatibus non fauimus, conuitiati & derogare vice tergiuerſatoria multifariè ſtuduerunt. Porrò autem, quia nos Apoſtolicæ ſedis auctoritatem, Deo gratias, non ignorantes, hactenus quodammodo ſingulariter eorum prauitatem, nullo ſolatio veſtro more priſco muniti, conſtantia ſumma repreſſimus, actus ſuos illi non niſi nobis diſplicere, non niſi nos exectari, fallaciter arbitrantur. Quamobrem fieri poteſt, vt hæc ſua venenoſi graminis ſemina per alias mundi partes diſpergant, & ſimpliciorum piorùmque fidelium corda ſuis illicitis votis incuruent. Adeo vt, ſicut ipſi gloriantur, ad Alexandrinum & Hieroſolymitanum Patriarchas iam miſerint, eos videlicet, vt in deiectione Ignatij Patriarchæ, & in promotione inuaſoris Photij ſibi conſentiant, adhortantes. In quo non nos eorum concordiam, fortaſſe contra ſtatuta ſeu traditiones Apoſtolicæ ſedis improuidè conglutinatam, Deo adiuuante, pauemus: ſed ne ſuaſionibus illectos prauorùm eos ad ſuum ipſorum diſcrimen contingat ab æquitate decidere, condolemus. Sunt quippe ditis & continuis Agarenorum preſſuris attriti: ac per hoc euenire valet, vt vel decepti, vel pro ſui releuatione ſibi plurima tribuere ſpondentibus Conſtantinopolitanis principibus, quod & gementes dicimus, aſſentire cogantur. Quapropter venerabilis

induſtria veſtra talem ſe de cetero exhibeat neceſſe eſt, vt ſole clariùs hanc à ſede Petri in nullo diſſidere, quin pòtiùs cum illa in cunctis ſentire, iidẽ hoſtes cognoſcant: ita vt præſulatui noſtro ſcripta diuinitus inſpirata ſapientia veſtra, reprehendendo, & forti prorſus inuectione feriendo tantam eorumdem Imperatorum veſaniam, mittat: quæ nos ſuſcipientes, rurſus ea cum aliis aſſertionibus noſtris ad ipſorum quoque dementiam confutandam mittere valeamus. Ita vt cùm vnum pariter idémque nos hoſtes ſentire cognouerint, nec iniurias à ſe nobis illatas vlciſci solummodo nos affectare mendaciter adſtruant, nimirum cùm aduerſus ſe monomachiam aggredi quodammodo nos intuentur, & per hoc quòd ſint & alij Chriſti dilectores, & eorum peruerſitates odientes, liquidò comprehendant, & ora loquentium iniqua penitus obſtruantur. ita vt Chriſto duce vna mente, & ore, ac brachio, quaſi ſtrenui propugnatores, phalanges hoſtium premere ac debellare communi ſtudio reperiamur, eorúmque perniciosam factionem, ipſo auxiliante, ſocia concertatione funditus interrupiſſe comperiamur, & tam inuentores mendaciorum, quàm fabricatores peruerſorum dogmatum, paternis definitionibus, ac veraciũ aſſertionum clypeis, in nomine Domini noſtri IESV Chriſti vnanimiter triumphare ac superare per omnia dinoſcamur. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Tua verò, frater Hincmare, caritas cùm epiſtolam legerit, mox vt etiam ad alios Archiepiſcopos, qui in regno filij noſtri Caroli glorioſi regis conſiſtunt, deferatur ſummopere agere ſtudeat; & vt de his ſinguli in diœceſibus ſuis, vnâ cum ſuffraganeis ſuis, in cuiuſcumque regno ſint conſtituti, conuenienter tractare, & nobis quæ repererint ſuggerere curent, eos incitare non negligat. Ita vt eorum omnium, quæ præſentis epiſtolæ circumſtantia continet, tu & ſtrenuus executor illis exiſtas, & apud nos verax & prudens ſcriptorum tuorum ſerie relator inueniaris. Datum x. Kalendas Nouembris, Indictione prima.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXXI.

Ad Carolum Caluum regem.

Petit vt auxilio ſit Epiſcopis ad conuentus habendos de negotio quod ipſis demandauit.

Epiſt. 57. COMPERIAT celſitudo veſtra, nos Metropolitanos præſules regni veſtri ad quædam tractanda Eccleſiaſtica negotia, quorum gloriæ veſtræ tenorem oſtendi præcepimus, ſingulos cum ſuffraganeis ſuis pariter cõuenire mandaſſe: cuius videlicet executionis ſummam fratri & coepiſcopo noſtro Hincmaro commiſimus. Quapropter rogamus piam dilectionem veſtram, vt tanto negotio auxilians, quo facilius iidem fratres noſtri conuenire valeant, ſuffragari dignetur: quatenus ipſis veſtro ſolatio potitis, præſens negotium ritè tractantibus, vos quoque pro tantæ pietatis ſtudio præmium conſequamini. Erit autem eis & aliud poſt modicum decreto

noſtro ſynodicè ventilandum: ſed ne duplicatus labor eis oneroſus exiſtat, interim in hoc operam dare illos oportet, vt videlicet ad alterum libentiùs ac expeditiùs, Deo iuuante, pertingere poſſint. Optamus gloriam veſtram nunc & ſemper in Chriſto benè valere, dilectiſſime fili. Data IX. Kalendas Nouembris, Indictione prima.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXXII.

Ad Ludouicum regem Germaniæ.

Conqueritur de Lothario quòd nihil eorum præſtet quæ promiſit. Prohibet ne Romam veniat, priuſquam Vualdradam, vt iuſſus eſt, eò dirigat, & Theutbergam tractet vt reginam, & Treuiris atque Coloniæ legitimi Epiſcopi ordinentur. In embolo, de reditibus ſancti Petri.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Ludouico glorioſo Regi.

Epiſt. 55. SILLABARVM veſtrarum tenore pandiſtis, vos vnà cum dilecto filio noſtro Karolo glorioſo Rege, fratre videlicet veſtro, ad cõmune colloquium veniſſe: cui quia defuit Lotharius Rex, nepos ſcilicet veſter, perhibetis vos ad eum iam dictum fratrem veſtrum Karolum Regem, adiuncto ſibi quodam ex Epiſcopis regni veſtri, miſiſſe: quatenus, prout vobis per epiſtolas noſtras ad vos directas iniunximus, ab illis admoneretur, vt in omnibus iuſſionibus noſtris obediẽs exiſteret. Quod quia tã vt pote pij principes iuſtitiã diligẽtes, quàm proximi ſalutem per caritatem quærẽtes, noſtriſque nihilominus adhortationibus obſecundantes, egiſtis, debitas gratias agimus: quantùm tamen lucri efficacia veſtra vel noſtra monita penes eundem regem Lotharium impetrarint, fateor hactenus non elucet. Sed dicitis eum tam abſentem, quàm poſtea præſentem, à vobis ipſam admonitionem benignè ſuſcepiſſe, deindéque profeſſum fuiſſe in omnibus ſe noſtris præceptionibus pariturum. Quod quia ſæpe audiuimus, non tamen hinc effectum percepimus, ſatis ingemiſcimus, & huius rei gratia vltra quàm dici poſſit affligimur. nimirum qui etiam pro ſua ipſius ſalute quotidie laborantes apud ipſum nihil omnino proficimus, dum quod ſermone dicit, facto non perficit: & præcipuè cùm verba eius, vt arborum folia, ſonare quidem poſſint, ſaturare verò, cùm ſint ſine fructu, non poſſint. Quamobrem, dum quærimus cui huiuſmodi vir valeat comparari, nullus menti conuenientiùs occurrit, quàm ille filius, cui apud Matthæũ pater dixiſſe legitur, *Fili, vade hodie operare in vineã meam.* at ille reſpondens ait, *Eo Domine, & non iuit.* Vnde meritò figuram Iudaici populi exprimit. Ipſe quippe repromittebat Moyſi dicens, *Cuncta quæ locutus eſt Dominus faciemus*: non tamen quæ verbis repromittebat, rerum effectibus adimplebat. Ita prò dolor, & iſte nepos veſter, ſemper quidem noſtra monita velle audire, ſemper adimplere cupere proteſtatur: non tamen quod ore, quod ſcriptis opportunè, importunè ſæpiſſimè profitetur, operibus exercere vel factis exhibere contendit, & paternis monitis noſtris non tanquam filius obediens paret, ſed tanquam ingratus poſt tergum repedauit. Si quidem in quo aliquando apparuit rex Lotharius nobis obediens? aut quid ab illo exegimus niſi ſalutem ſuam? niſi curationem quam læſit Eccleſiæ? niſi Theutbergæ reginæ coniugis eius apud S. Petrum præſidium requirentis ſecuritatem? niſi noſtram etiam poſt tot labores aliquando requiem? Nam hinc inter innumeras alias curas præcipuè laboramus, hinc omnimodam de Vualdrada mœcha & excommunicata ſuſpicionem adimendam ſæpe decreuimus. Hinc etiam vt noui Treuerenſi & Colonienſi Eccleſiis Antiſtites darentur iniunximus: videlicet qui nec per Theutgaldi & Guntharij dudum Epiſcopotum, nec per iam fatæ

Matth. 21. 2.

Exod. 19. 8.

Vvaldradæ fauorem prouehentur, ſed canonicè à filiis, & de filiis iam nominatarum Eccleſiarum electi, ab his qui earumdem Eccleſiarum Antiſtites ſoliti ſunt conſecrare, regulariter ordinarentur. Sed cùm hæc omnia nos opportuna eſſe ac neceſſaria proſpicientes, ipſi regi Lothario crebrò mandaſſemus, quo noſtræ inſtitutionis executor effectus, vt hæc conſummaretur annueret, immo vt ſua prorſus executione perpetrarentur inſiſteret, aliquid horum effectum quemlibet accepiſſe nos profectò nondum cognouimus, & tamen ille noſtra ſe velle perficere in omnibus monita profitetur. Denique Vvaldradam ad nos non ſolùm non miſit, ſicut ſæpius illum hortati ſumus; verùm etiam Ticinum, dum ad nos tendere crederetur, iam profectam, in Gallias reducere procurauit. Filiam verò noſtram Theutbergam reginam, quæ B. Petri ſe tegmine ſemper muniri popoſcit, non ſolùm ſicut reginam ſecundum præſtitum iuramentum non tractat: verùm etiam nec pro timore Dei, nec pro S. Petri reuerentia, nec pro coniugali fœdere, nec etiam pro eodem collato iuramento, ſaltem in minimis quibuſque negotiis ſuam hanc eſſe participem recognoſcit. Quippe quam omni egeſtati, omni opprobrio, omni prorſus abiectioni ſubmittit. Porrò de præmemoratis Eccleſiis ordinandis non ſolùm mandata noſtra contemnit, ſed & ſacrorum canonum præcepta conculcat, dum videlicet viduatis Eccleſiis non compatitur, ſed has tanto tempore ſine rectore manere permittit. Ecce, fili cariſſime, quomodo Lotharius rex inſtituta noſtra cuſtodit, ecce quomodo verum eſt, quod dicit noſtra ſe velle in omnibus obſeruare decreta. Et adhuc ad nos ſe properare velle demonſtrat, cùm id ne ſine noſtra licentia præſumeret, nos ei ſæpe diſtrictiùs iniunxerimus & prohibuerimus. Verùm quamobrem Lotharius Romam proficiſci geſtiat, miramur ſi veſtrã latere potuit prudentiam. Itaque impleat priùs cuncta quæ præmiſimus, totius occaſionis vel ſiniſtræ ſuſpicionis fomitem à ſe procul abiiciat, immo verò à noſtris mentibus amputet, & tunc, ſi ei ſit huc veniendum, à nobis eſt ſollicitè prouidendum. Siquidem etiamſi cuncta, quæ nos ei ſupra commemorauimus iniunxiſſe, penitus adimpleta potuiſſet oſtendere, nec ſic ei contra interdictum noſtrum Romam fuerat properãdum: quanto minùs nunc, quando toties à nobis admonitus nihil de eis conſummaſſe conuincitur? Igitur dilectio veſtra illum nunc venire Romam quæſo prohibeat. alioquin mihi credite, ſi contra propoſitum noſtrum fortè præſumpſerit, minimè cum qua cupit honeſtate vel hîc ſuſcipietur, vel hinc profectò regredietur. Nam ſicut mulier Domino fide proximans tangit, turba verò licet tangit, tamen comprimit; ſic proh dolor! iſto in tempore quidam etſi tangere, etſi approximare videntur, tactus tamen eorum, quia nõ ex fide, preſſuram gignit, & approximatio turbationem adducit. Ergo neceſſe eſt, vt talem ſe in cunctis exhibeat rex Lotharius, vt nos eum gratanti animo primitus ſuſcipere delectemur, & ita demum venientem expanſis brachiis amplectemur. Quod aliter fieri non poterit, niſi Vvaldrada Romã, ſicuti cœptum fuerat, dirigatur, vt videlicet nos cauſam eius ad finem legitimum perducamus, qui de ipſius præuaricatione ſemel initium iudicandi ſuſcepimus: & niſi reginam Theutbergam, ſecundum tenorem iuramenti ab ipſo audiamus rege Lothario coniuge ſuo tractari: videlicet vt talem ſe circa illam mente demonſtret & opere, qualem diligens rex erga dilectam coniugem ſuam ſe debet demonſtrare reginam; & niſi de proprio clero in Agrippinenſi colonia atque Treuerenſi Eccleſiis Epiſcopos ordinari permiſerit, eos ſcilicet, qui nec Vvaldradæ, nec Guntharij, nec Theutgaldi fauore vel eligantur, vel etiam conſecrentur. Hæc ſunt, cariſſime, quæ ſi Lotharius nepos veſter callidè non perfecerit, hunc veraciter nos audire velle proculdubio poterunt indicare. atque ſi ſaluti eius veſtra caritas conſulit, eum magnopere ſuadeat incitare, & non eius foris perſtrepentibus verbis facilè credat: ſed operum facta, ſecundum perſpicaciſſimam proprij affluentiam ſenſus, conſideret. Dicit enim Ioannes Apoſtolus:
Filioli mei, non diligamus verbo, neque lin- 1. Ioan. 3. 18.
gua, ſed opere & veritate. Nam ſi noſſe libet excellentiæ veſtræ, quid ſit vnde Lotharius iactat ſe noſtram in omnibus adimplere voluntatem, nos euidenter aperiemus. Videlicet quia nobis, immo Deo noſtro obediens, Theutbergam coniugem ſuam recepit, Vvaldradam verò, vt potè adulteram, meritò ſequeſtrauit, nec ad illam poſt reuerſionem legati noſtri acceſſit. Sed prudentia gloriæ veſtræ iam valet aduertere, quid proſit ſi ad eam non pedibus corporis, & tamen paſſibus mentis accedit. Quid prodeſt quia forinſecùs

ab illa ſequeſtratus cernitur, qui tamen ei valde conglutinatus intrinſecùs intelligitur? Quid autem proficit dilectæ filiæ noſtræ Theutbergæ reginæ, quia non ex toto ab illa videtur corpore prolongatus, dum tamen eſſe cum ea mente minimè probatur annexus? Quid ei proficit coniugalis fœderis, vel regię dignitatis nomine ſolo frui, quæ caret omnibus quæ ad perfectæ dilectionis & conſimilis ditionis pertinere videntur inſignia? Nam quis niſi æmula eius, Vvaldrada videlicet, quæ non ſolùm pro adulterio commiſſo, ſed pro impœnitenti corde vinculis eſt excommunicationis innexa, regni cum Lothario culmina poſſidet, gloria fruitur, iura tenet, & omnia ſuo diſponit arbitrio? Quæ licet à colloquio eius ſeiuncta ſpecie tenus videatur exiſtere, per internuntios tamen, & diuerſos ſatellites, tantumdem penes ipſum, vel etiam magis valet, quàm ſi legitima coniux haberi quoquo modo potuiſſet. Nam nemo apud regium apicem eſt adiutus, niſi per illam: vix vſquequaque læſus, niſi propter illam, quiſquam eſſe refertur. Illa quippe penes eum gratiam poſcentibus impetrare, ipſa ſola quibus mauult beneficia parare conſueuit. Iam verò ſi ita non eſt vt dicimus; id eſt ſi vel Theutberga regina tantam apud ipſum incommoditatem & dehoneſtatem non patitur, nec Vvaldrada mœcha gloria tanta non fruitur; quare nobis ſcribens, vel àliis ſatisfaciens, ſicut indicat de Vvaldrada, quòd poſt Miſſi noſtri reuerſionem non ad eam acceſſerit, ita non de coniuge ſua Theutberga, quòd eam ſecundum datorum tenorem iuramentorum tractet atque retineat, niſi quia non habet vnde glorietur? nec agit ſic erga eam, vt nobis id veraciter referens gratiarum à nobis inde percipere valeat actiones? dum non ſolùm illa nulla munificẽtia ipſo largiente potitur, verùm etiam omnibus opprobriis, & vt prætulimus egeſtate ſumma tabeſcit? Dicite ergo illi vos, cariſſime, & veſtra ſagaci conuentione ſuadere contẽdite, vt quando nobis mittit, ad Vvaldradam poſt reditum Miſſi noſtri contra interdictum noſtrum ſe nullatenus acceſſiſſe, mittat etiam quòd Theutbergam vxorem ſuam iuxta præſtita iuramenta benignè tractet, & ſecundum regiam dignitatem retineat: ita duntaxat, vt quod mittit veritate fulciri aliis etiam atteſtantibus cognoſcamus. Mittat nihilominus nobis, quòd in præfatis Eccleſiis ordine quem ſuprà dictauimus Epiſcopi ſint regulariter ordinati: & tunc perhibenti ſe noſtra velle iuſſa perficere credemus, & condignas Deo gratias referemus. Nam quandiu Theutbergam regio cultu & coniugali dilectione non retinet, & Theutgaldum vel Guntharium Eccleſias dudum ſibi cum ſacerdotio ablatas obtinere permiſerit occuparas, licet Vvaldradam non videat, hi tamen gradus ſunt, quamuis ad ima mergentes, per quos illum ſenſim ad ipſam tendere prudens quiſque patenter agnoſcit: dum & illos fouet, quos ad profeſas ductores habuiſſe claret, & eam affligit, quam debita correctione præmiſſa Chriſto iuuante recepit. Accuſatores autem habere Lotharium, non niſi illum, qui accuſator fratrum in Apocalypſi Ioannis appellatur, & opera eius, quæ & ipſa eiuſdem antiqui hoſtis inſtinctu patrantur, profectò comperimus. Quæ verò Lotharius rex veſter nepos operatur, accuſatore non indigent. Manifeſta quippe, Apoſtolo teſte, ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria, & reliqua. Optamus gloriam veſtram nunc & ſemper bene valere, dilectiſſime fili. Data III. Calendas Nouembris, Indictione I. 2 q 1 Quæ Lotharius

EMBOLVM Statuit præterea nobiſcum excellẽtiæ veſtrę legatus, vt mediante Maio menſe huius primæ Indictionis, pro vnius anni reditibus rerum S. Petri in regno veſtro ſitarum recipiendis, noſtros Miſſos direxiſſemus: cùm duorum annorum iam tempora prætcrierint, ex quo reditus ex illis debuerunt eſſe collecti, & nos ex eis nihil recepimus. Porrò ſi, ſicut per multos & hunc eundem veſtrum legatum cognouimus, Arſenius inde aliquid collegit, licet nobis aliquid non detulerit, de præteritis annis collegit, non de futuris. Vnde rogamus gloriam veſtram, vt pro mercedis veſtræ cumulis, collectis omnibus illis, per veſtri culminis viros ad Apoſtolorum limina orationis gratia venientes, antequam de finibus regni veſtri foras ea duci iubeatis, nobis ſignificetis, vt his interim in tutiſſimo à prudentia veſtra ſtatuto loco reconditis, ſi à ſpirituali filio noſtro Auguſto obtinere potuerimus, vt cum ipſius homine noſtrum illuc dirigamus, & ea vt nobis ſine aliquo diſpendio deferantur, recipiamus, gratiarum actiones Domino rependendæ ſunt. Sin autem, Miſſum noſtrum Deo opifice deſtinabimus, qui qualiter in veſtro regno ſint recondita ac cuſtodita,

cum veſtro Miſſo prouideat: & his nihilominus interim in veſtro regno bene ſaluatis, aut nobis renuntiet, aut certè quicquid prouideritis, vel ſanxerimus, facere non omittat. Aut ſi gloria veſtra, quæcumque illa fuerint, infra territorium ditionis veſtræ, videlicet vſque Bononiam aut Rauennam perduci fecerit, tantùm vt ſecura ſint, hoc multo amplius vtile & gratum habebimus: quoniam & nos deinde modo quo valuerimus, vſque Romam ea ferri iubebimus.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXXIII.

Ad Ludouicum regem Germaniæ.

Vt deſinat tandem intercedere pro Theutgaldo & Gunthario.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Ludouico glorioſo regi.

Epiſt. 56. EPISTOLAM ſerenitatis veſtræ pro Theutgaudo & Gunthario dudum Epiſcopis nos obnixè precantis accepimus, & quamobrem pro illis tot veſtra celſitudo labores aſſumat, admodum fateor miramur & obſtupeſcimus. Quanta nempe mala nos perpeti, quanta incommoda ſuſtinere ſæpe audiſtis, & liquidò nunc cognouiſtis? nuſquam tamen quia cauſa noſtrî doluiſtis apparuit. & quod cum caritate veſtra dicimus, ſic Eccleſiæ matris veſtræ ſemper damna duxiſtis, tanquam ſi nihil ad vos inde quoquomodo pertineret, & veluti eius non eſſe filij per omnia videremini. Quantos autem ſudores, quantáque certamina pro recidendo malo, cuius Guntharius & Theutgaudus auctores & conflatores inuenti ſunt, pertulimus, immo verò indeſinenter perferimus, & ne rediuiua iterum radice ſuccreſcat, ineſſabilibus laboribus fatigamur? Nunquam tamen vos in his omnibus concertantes aut collaborantes nobis adhæreſcere conſenſiſtis. Sed nunc pro reconciliandis Theutgaudo & Gunthario, totius huius malis fabricatoribus, ſatagitis, curritis, anxiamini, & nobis crebrò id ipſum mittere minimè recuſatis: quúſque neſcio quomodo amaricatos appelletis, dum certè illi pene quotidie potum amaritudinis propinare nobis non deſinunt. Nam quoties eorum facti memoria inter aliorum dura quæque nobis ingerentium infertur, toties nos abſque multi mœroris amaritudine remanere nequimus. Ceſſet itaque veſtræ gloriæ iam nos ſuper hoc pulſare ſublimitas, & quod fieri non poteſt, tandem aliquando prætermittat. Dum enim non poſſumus adipiſci quod volumus, neceſſe eſt vt hoc velimus conſequi omnino quod poſſumus & debemus. Nam ſedis Apoſtolicæ ſententia tanta ſemper conſilij moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantáque deliberationis grauitate profertur, vt retractatione non egeat, nec immutari neceſſarium ducat: niſi fortè ſic prolata ſit vt retractari poſſit, vel immutanda ſecundum præmiſſæ tenorem conditionis exiſtat. Theutgaudus igitur & Guntharius huius ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis ſententia perculſi, ſi patienter egerint, & malorum, quorum plantatores fuere, eradicatores extiterint, atque ſi hæc perfecta in ſe humilitate, digníſque pœnitentiæ fletibus abolere ſtuduerint, poterunt vtique alia miſerationis Eccleſiaſticæ beneficia præſtolari: prioris tamen miniſterij, aut cuiuſcumque ſacerdotalis officij dignitatem fruſtra quidem ſperare poterunt, reſumere autem in ſempiternum non poterunt. Sed quia caritas excellentiæ veſtræ pro his dolet, laudamus: quia & nos, ſicut ad eorum detrimentum tunc zelo & iuſtitia Dei cõmoti gementes deuenimus; ita & nunc, quoties eorum reminiſcimur, toties ingenti cruciatu mentis accendimur, atque de ipſorum diſcrimine illis valde compatimur & condolemus. Secundum Apoſtolum namque, ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur & omnia membra. 1. Cor. 12. 26. Verùm ſi de his, vel de actibus eorum, vel quæ ſit penes nos de ipſis fixa ſententia, pleniter vt innuitis cognitum vobis fieri cupitis, ad epiſtolæ tenorem, quam ad venerabiles Epiſcopos regni veſtri tranſmiſimus, ſi placet, induſtria ſublimitatis veſtræ recurrat. Optamus gloriam veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere, ô dilectiſſime fili. Data III. Kalend. Nouemb. Indictione I.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA LXXIV.

Ad Epiſcopos in regno Ludouici conſtitutos.

Reprehendit illos, quòd Theutgualdum & Guntharium ſuis gradibus reſtitui cupiant. Exponit quàm grauiter deliquerint, tum in ſuſcipienda Ingeltrude Boſonis coniuge refugâ & excommunicata, tum in adſtruendo & defendendo Lotharij repudio, & quòd propterea meritò fuerint depoſiti. Quare hortatur vt deſinant, & vt Lotharium ad exequenda iuſſa Pontificis inflectant.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis in regno Ludouici glorioſi regis conſtitutis.

Epiſt. 58. GAVDEMVS quidem, fratres, & planè vobis non immeritò congaudemus, quoniam per caritatem vos Theutgualdo & Guntha-rio dudum damnatis compati & condolere conſpicientes, etiam pro recuperandis his in priſtinum dignitatis gradum non modicè ſatagere contemplamur. Sed triſtamur, & valde triſtamur, cariſſimi, quia ſic pro duorum hominum deiectione ſatagitis, vt plurimæ multitudini Chriſtianæ plebis per eos læſæ minimè conſulatis: ſic pro duorum hominum reſtaurando ſtatu pro criminibus manifeſtis eliſo certatis, vt tot fidelium caſum, qui eos per præcipitia ſunt ſecuti, nullo modo perpendatis. Sed quid mirum, quando etiam cùm eſſetis vicini locis illis, in quibus Theutgualdus & Guntharius Eccleſias Chriſti ſibi commiſſas videbantur quidem regere, non autem regebant, in quibus etiam licenter, ac ſine quauis prohibitione, tam Vvaldrada, quàm Engeltrudis vxor Boſonis, proſtitutionis ſuę ſibi lupanaria quodammodo præparauerant, nec contra inſurgentem morbum medicinale ferrum exacuiſtis, nec ad excitandos ſopore noxio oppreſſos eodem tempore fratres caritatis pedibus cucurriſtis, ſapientiſſimo Salomone de talibus
Prou 6. 3. admonente atque dicente: *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum.* Quod non ſolùm tunc minimè vos egiſſe liquet: verùm etiam nec poſtquam nos erecti ſagittas diuinæ pharetræ iaculare aduerſus huiuſmodi pronefas longè latéque cœpimus, nobis collaborare ſollicitè procuraſtis? Denique vbi ſuper hoc labor veſter apparuit? vbi concurſus, vel vbi ſacerdotale ſtudium claruit? quando aſcendiſtis ſuper montem excelſum? quando euangelizaſtis Sion? quando quaſi tuba exaltaſtis vocem? quando annuntiaſtis cuilibet in hac culpa detento ſcelera ſua? quando aſcendiſtis ex aduerſo, & oppoſuiſtis murum pro domo Domini? quando pro ea latratus dediſtis? quando Phinees, vt ceſſaret quaſſatio, imitati eſtis? quando Danielem in puniendis adulteris presbyteris ſectari eſtis? vel quando nobiſcum vt caſtrorum acies ordinati ſtetiſtis? quando nobiſcum Dominum in choro laudaſtis? vel quando columbas imitati gregatim contra miluos incedere ſtuduiſtis? quando cantauimus ſimul, *Deus in loco ſancto* Pſal. 67. 7.
ſuo, Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo, & rurſus: *Ecce quàm bonum & quàm io-* Pſal. 138. 1.
cundum habitare fratres in vnum? in vnum ſcilicet mēte magis quàm corpore. Quòd ſi nihil horum egiſtis, nec cum nullo nobiſcum conuenire voluiſtis: ſed ſicut laboribus noſtris diuerſo tempore, pro deſtruēdis quæ viri prædicti fabricauerant impenſis, minimè communicaſtis, ita & dolorum noſtrorum participes fieri recuſaſtis: quid nunc ſatagitis, & anxiamini, & pro duorum virorum reſtauratione, innumerorum præuenire vulris fidelium ſubuerſionem? An plurium interitum paruipenditis, & duorum virorum caſui ſolummodo condoletis? Et ſola quidem illorum vobis ruina grauis, noſtra verò & totius Eccleſiæ, cui Deo auctore ſeruimus, quotidiana ſollicitudo, & pro eradicandis quæ ipſi plantauerunt malis inceſſabilis cura, & intolerabilis profectò vexatio, leuis & contemnenda videtur? Sed nos quæ pertulimus, immo quæ de factorum ipſorum origine quotidie toleramus, non contemnenda ducimus, nec leuia poſſumus æſtimare, quorum grauiſſima nos ceruimus, & non vos, pondera baiulare. quamuis & caritatem veſtram

incommodis noſtris compati minimè diffidamus, & iam nunc expoſita nequaquam perfunctoriè poſſe credamus.

Ordiamur ergo hiſtoriam Theutgaldi & Guntharij, ſi tamen non tragœdia potius ſit dicenda: & vt partim ſaltem quæ nos experti ſumus de illis vos quoque ſcire valeatis, quantum epiſtolæ cauentes prolixiorem ſermonem curſim differere poſſumus, texentibus nobis aduertite. Igitur cùm Engeltrudis, vxor Boſonis Comitis, ad Gallias relicto proprio viro cum adultero adultera tranſmigraſſet, & vir eius eam cum multo labore reducere voluiſſet, nec tamen aliquo modo potuiſſet, Eccleſiaſtica cœpit auxilia poſtulare: ordinémque ſeruans, primam in toto terrarum orbe ſedem appellans, vt Eccleſiaſtico decreto eam ab his, qui illam muniebat, erui & ſibi reddi præciperet, ſupplicauit. Vnde deceſſor noſter ſanctæ memoriæ Benedictus Papa, quouſque ſuperſtes extitit, apud Imperatorem & reges ac principes interueniens & concertans, atque Epiſcopis & cunctis fidelibus ſcribens, vt reuocaretur ſuadere, & auctoritatę Apoſtolica iubere non deſtitit. Cui decedenti effectu nullo percepto, per Chriſti gratiam nos in epiſcopatu ſubrogati, ſucceſſimus etiam in labore, cui licet longè meritis impares ſucceſſimus in honore. Qui vt reuocaretur eadem femina, & verbis, & frequentibus litteris ad omnes perſonas in omnes partes miſſis, ad quas neceſſitas poſtulabat, non deſtitimus agere. Sed & ſic minimè nobis proficientibus, cœperunt hinc inde à pontificio noſtro epiſcopales litteræ deſtinari, ſuggerentes videlicet, vt tam morbida ouis, ne totum gregẽ contaminaret, Eccleſiaſtico iudicio de ipſo grege dominico pelleretur: maximè quæ tot ſalubribus monitionum medicamentis ſanari minimè conſenſiſſet. Decretóque & auctoritate præmiſſa, iuſſum eſt Mediolani Epiſcoporum Concilium fieri; ad quod ipſa vocata ſi certo tempore non occurreret, ab ipſo ſacrato collegio vinculis anathematis vinciretur. Quódque illa ſtatuto tempore non occurrente patratum eſt, ſententiámque in ipſam à Synodo auctoritate noſtra conuocata nos quoque, vt ſacri canones præcipiunt, conſenſu noſtro firmauimus. Inter hæc verò, cognoſcentes eandem feminam in regno degere Lotharij regis, non ſatis habuimus quæ de ipſa geſta feminæ fuerant: ſed ad hanc reuocandam prioribus noſtris laboribus adhuc quærendi ſtudium appoſuimus; reminiſcentes videlicet Domini, qui de cœlis ideo ad terram deſcendit, vt quæreret quod perierat, iuxta quod à Pſalmiſta rogabatur confitente atque dicente: *Erraui ſicut ouis quæ perierat, require ſeruum tuum.* Pſal. 118.176.

Miſſaque epiſtola noſtra, fratrum & coepiſcoporum noſtrorum in regno præfati regis conſtitutorum, & præcipue Teutgaldi atque Guntharij, in quorum diœceſibus eadem perdita libere mulier morabatur, torporem valdè redarguimus, & quamobrem inter eos licenter illam degentem minimè ad virum proprium redire coegerint, non mediocriter increpauimus: indicantes etiam hanc à nobis anathematis vinculo innodatam, & ab omni Chriſtiana communione remotam. Sed Teutgaldus atque Guntharius, tunc Epiſcopi, & præcipuum locum & familiaritatem apud principem obtinentes, non ſolùm eam, cùm poſſent, nequaquam ad coniugem proprium reuerti ſuaſione fecerunt, aut auctoritate canonica, iuxta quòd à ſede Apoſtolica crebrò fuerant adhortati, minimè compulerunt, præſertim cùm in diœceſibus eorum commorari ſæpe, commemorata & damnata femina videretur: verùm etiam, vt licitè poſſet omnium frui communione, atque in refuga obſtinatione, ſine cuiuſquam contradictione vel impedimento ſubſiſtendi, valeret potentum quorumcumque potiri ſolatiis, hanc abſoluere, quantum in ipſis fuit, atque recipere temere præſumpſere. In quo etiamſi ſedis Apoſtolicæ iudicium à quouis retractandum eſſet, etiamſi ab inferioribus potiorum ſententia ſoluenda potius exiſteret, quantum Teutgaldus atque Guntharius circa ſacros canones, & præcipuè Nicænos, qui luculenter innuunt non debere qui abiiciuntur ab aliis recipi, contumaces extiterint, ipſi vos ſolerter aduertite. Conc. Nic. can. 5. Sed ne tale quid eos commiſiſſe dubiteris, ſcitotę coram omni Eccleſia noſtra, illos hoc ſe peregiſſe confeſſos.

Interea flagitium in Theutbergæ reginæ deiectione, & admiſſione Vualdradæ, à rege Lothario perpetratum, horum cœpit adulationis & iniquæ defenſionis fomentis creſcere, atque latiùs diffamati. Qua de rè hoc nos agnoſcentes, quanta potuimus inſtantia, ne tantum ſcelus committeretur inhibuimus, & per fideles quóſque, necnon & ſcripta noſtra ſuadere contendimus. Mittit rex Lotharius duos ad nos Comites, per quos in ſcriptis & verbis

& verbis innuir, Epiſcopos regni ſui, cum aliis quibuſdam, ſibi dare auctoritatem Theutbergam repellendi, & Vvaldradam in marrimonium ſortiendi: ſed ſe, vt ordo cuſtodiretur, à nobis huiuſmodi potiùs auctoritatem & iudicium petere, atque conſilium præſtolari. Quo nos audito, Miſſos quidem deſtinare tam concitè nos pto huiuſmodi negotio non poſſe reſpondimus: miſſuros tamen eos pòſtea certiſimè repromiſimus. admonenres etiam, nullatenus interim à quoquam de huiuſcemodi cauſa quicquam penitus deliberandum. Sed ille horum, Theutgualdi & Gunthatij, tunc Epiſcoporum, vt poſtea claruit, auctoritate fretus, legatos noſtros non præſtolans, publico feſtóque nuptiarum ritu celebrato, Vvaldradam ſibi iure matrimonij ſociauit. Verumtamen Miſſi ſedis Apoſtolicæ, qui iam profecti fuerant in Gallias, atque ad Lotharium peruenientes, quòd ad illum fuerint miſſi ſecundum pollicitationem noſtram dixerunt, & quòd binos ex regno glorioſiſſimorum regum, Ludouici ſcilicet, Caroli maioris, & Caroli iunioris, conuenire ſecū pariter cum Epiſcopis regni ſui faceret, iuxta præceptionem noſtram ipſi regi ſuggerere ſtuduerunr: & quòd Theutbergam ſedem Apoſtolicam appellantem, data idonea à tege Lothario ſecuritate, eidem conuentui adeſſe præceperimus, verbis aſſeruerunt. Non enim epiſtolas, quas ad vos veſtrorúmque regnotum Epiſcopos miſeramus, ſecum habere poterant: quippe quas ſibi ab amicis Lotharij regis iam conſtabat ablatas. At verò rex Lothatius, horum duorum magiſterio vſus, nec Theutbergæ teginæ indubitatam de ſeruanda iuſtitia, vel de non inferenda violentia, certitudinem tribuere voluir; nec alios præter regni ſui Antiſtites, videlicet quos vel beneficiis, vel minis, iam ad votum ſuum deflexerat, ad illum conuentum, qui penes vrbem Metenſium congregabatur, penitus expectauit. Sed corruptis, immo & ad fauorem ſuum traductis legatis noſtris, quod libuit, multo reſiſtente patrauit: factóque conuentu, Antiſtites qui conuenerant, inter quos ptæcipuum Theutgualdus atque Guntharius faſtigium retinebant, & eminentiori poteſtate vigebant, præuenientes, immo ſibi vſurpantes atque vindicantes iudicium noſtrum, videlicet quòd & reginæ Theutbergæ priinùm appellatione, ac deinde Lothatij regis petitione permoti, iam nos laturos repromiſeramus, inchoatúmque tam per Miſſos, quámque pet epiſtolas noſtras, habere luce clariùs videbamur, Theutbergàm teginam obnoxiam crediderunt, atque condemnandam in abſentia putauerunt. Scriptóque de his, quæ illic pro voto regis iniqua ſont fauce deprompta, quodā profano libello, ea ſic cenſentes illibata petſiſtere, ptopriis ſubſcriptionibus roborauetunt, Theutgualdo primitus & Gunthario in ipſis ſubſcriptionibus, ſicut & in ceteris geſtis, præcellentibus, & alios ſe ſequi peſtiferè compellentibus. Qui mox Romam ventutos, ac nobis de his quæ geſſetant rationem poſituros ſe per omnia ſpoponderunt. Tandémque peruenientes noſtro ſunt conſpectui coram omni Eccleſia præſentati, & dum ab eis qualiter illa fuerint geſta requireremus, iam memoratum libellum offerentes, perhibuerunt nec plus, nec minus, nec aliter quicquam ſe geſſiſſe, niſi vt oblatus videbatur continete libellus. Quo accepto, ac coram Epiſcopotum noſtrorum cœtu, qui nobiſcum aderat, atque coram ipſis, Theurgualdo ſcilicet & Gunthario, recenſito, quàm multipliciter hunc reprehendimus, ac per omnia reprehenſibilem iudicauimus, & quæ in eo geſta legebantur, qualiter inimica iuſtitiæ, Deóque peroſa conſiſterenr, audientibus ipſis elimatiùs expoſuimus. Quamuis nec tunc omnia reprebenſionum eius loca in ipſis pròfanis geſtis inuenta ſint, nec rutſus omnia quæ inuenta ſunt, nunc ad memoriam noſtram valeant repedare: tanta tamen ac ralia fuere, vt pro his meritò canonicam depoſitionis Theutgualdum & Gunrharium oportete ſubire ſententiam, ſancta mecum Synodus reſidens ſæpius acclamaret. Qua de re zelo diuino, ecce coram Deo dicimus, permoti, nec aliud niſi iuſtum iudicium exercere cupientes, communi conſenſu, caſſato primum adulreris fauente Concilio, quod apud Metenſium vrbem congregatum fuiſſe ſupra commemorauimus, in eos, quod gementes memoramus, depoſitionis ſententiam dedimus, & ſi iuxta præcedentem conſuetudinem aliquid de miniſterio ſacro deinceps fortè tetigiſſent, excommunicauimus. Primò quidem, quia noſtris pto Engeltrudi, vel Theurberga, ſeu Vvaldrada ſalubribus iuſſis obedire contempſerunt,

Nam inobedientia tam horrendum malum eſt, vt idololatriæ meritò compare- 1. Reg. 15. 23. tur, dicente Samuele: *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Vnde meritò A- 2. Cor. 10. 6. poſtolus ait: *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Secundò, quia eandem Engeltrudim à nobis & à Synodo abiectam & anathematizatam recipere & abſoluere præſumpſerunt: & hoc contra canones, & præcipuè contra ipſum Nicænum magnum Concilium, quod hi qui abiiciuntur ab aliis non recipiantur, ſanxiſſe dinoſcitur. Sed & beatus Papa Gelaſius, quod eadem quæ ligauit, & maximè prima ſedes, debeat abſoluere, non ſemel exponit. Tertiò, quia fraudis vel falſitatis rei manifeſtiſſimè claruerunt, dum epiſtolæ noſtræ, Miſſis noſtris pro cauſa Engeltrudis refugæ tranſmiſſæ, atque apud vrbem Metenſium in iam deſignato nefando conuentu recitatæ, quædam fraude ſubtraxiſſe, quædam verò falsò addidiſſe, atque commutaſſe reperti ſunt, talémque illam effecerint, qualem libitui ſuo congruere poſſe iudicauerunt. Quartò, quoniam adulterio detentis non ſolùm paſtoraliter non reſtiterunt, nec vt ſpeculatores venientem gladium annuntiauerunt, verùm etiam his conſentiendo & fauendo, in nequitia perſiſtendi fiduciam tribuerunt, & tantum flagitium tota virtute defendere finetenus tentauerunt. Vnde meritò adhæreſcere fecit Dominus linguam eorum palato ipſorum: videlicet vt qui linguam facinus arguendi non habuerant, hanc nec ad bona quoque prædicandum ſaltem habere potuiſſent, iuxta quod alias Pſal. 49. 16. cantatur: *Peccatori autem dixit Deus*, vſque, *& cum adulteris portionem tuam ponebas.* Ille quippe cum adulteris portionem ſuam ponit, qui his vel conſentiendo, vel fauendo, vel non corripiendo, ſimilis illis ſicut vitiis ita & pœnis efficitur, iuxta quod & Apoſtolus huiuſmodi ſcribit: Rom. 1. 32. *Quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus.* Quintò, quia de negotio, vnde ab vtraque parte, id eſt & à Theutberga, & à Lothario, iuxta quod iam memorauimus, fuerat appellatum, iſti præter auctoritatem noſtram id ſibi ſubripientes iudicare ac diffinire temere præſumpſerunt: & hoc aduerſus canones. ſi quidem de appellationibus, quæ apud memoriam ſancti Petri fiunt, iudicandum Romani præſulis arbitrio & conſilio ſacræ regulæ commiſerunt. Verùm iſti, beati Petri reuerentiam præ oculis non habentes, & iudicium, quod vtraque pars à nobis efflagitauit, & nos exequi cœperamus, temeraria præſumptione diffinierunt, & Theutbergam, etiam ad Eccleſiam confugientem, damnatione opprimi cenſuerunt. Sextò, quia hoc in abſentia peregerunt, contra illud quod tropicè dicitur: *Ne maledicas ſurdo.* Surdo quip- Leuit. 19. 14. pe maledicit, qui abſentem condemnat. Surdus namque quodammodo eſt, qui in abſentia poſitus, quæ ſibi obiiciuntur non audit. Quamuis abſentia ipſa, non ſtudio Theutbergæ, vel conſcientia vulnerata, vt iſti putant, ſed timore regis idoneam illi nolentis tribuere ſecuritatem, & factioſi conſilij ſuſpicione, fuerit meritò procurata. Septimò, quoniam non ſolùm ipſi ſubſcribentes in profanis geſtis, cuncta quæ malè compilata fuerant, ſine reſpectu ſedis Apoſtolicæ roborauerunt, verùm etiam alios ſubſcribere compellentes, eorum omnium præuaricationis auctores effecti ſunt, & tot animarum rei conſtituti ſunt, quot, vt potè præminentes, in hoc vel verbo vel facto præuaricationis præcipitium demerſerunt. Sed ſi volumus cuncta, quæ ab illis geſta fuiſſe, tam per oblatum à ſe libellum, quàm per alia indicia, nobis & ſanctæ Synodo patuerunt, latiùs ſcriptis inſinuare, facilius charta, quàm nobis ſermo deficiet. Septem ergo capitula, quæ cauſam depoſitionis Theutgaldi & Guntharij præcipuè genuerunt, nos commemoraſſe ſufficiat. Solet namque per ſeptenarium numerum vniuerſitas ſignificari. Ceterùm quis eorum omnia, quæ ſiue antè, ſiue poſt damnationem, perperam commiſerunt, enarrare ſufficiat? Qualiter videlicet nos ſe fruſtra redarguiſſe mentiti ſunt, contra illud quod Deo dicitur: *Perdes omnes qui loquuntur mēdacium.* Qua- Pſal. 5. 7. liter primùm quidem Theutbergam per electum ab illis iudicium purgatam, denuo impetere contra diuinam & humanam legem minimè formidauerint. Qualiter hanc poſtea (hoc vtraque lege inhibente) ſine accuſatore damnauerint. qualiter teſtes quoſdam quidem, quibus imperari à rege poterat, contra leges publicas in eius damnationem, quoſdam autem domeſticos imperantis admiſerint. Qualiter contra reuerentiam ſacerdotalem, turpia quæque, aduerſus Apoſtolum, ac criminoſa, necnon & nauſeam penitus & pu-

dotem omnibus inferentia verba etiam ſcriptis tradiderint, & palàm cunctis oſtẽdetint, cùm reſte Domino etiam de otioſo verbo tedditutí ſint homines tationem. Vel qualiter iam damnati auribus Imperatoris aduerſus ſacras regulas moleſti fuerint: vel qualiter ordinationi Dei in B. Petro Eccleſiæ Romanæ collatæ reſtiterint, & contra priuilegia ſedis eius capitula obtrectationum conſcripſerint, & per totum pene Occidentale clima diſſeminauerint: qualitérque per ea, etiam iam pro tanto piaculo perculſi, Lothario in ſcelere perdurandi robur dari ſuaſerint. Siue qualiter nos tyrannicè penes S. Petrum poſitos afflixerint, oppreſſerint, & quibus potuerunt malis fatigauerint: adeo vt homines eorum adyta S. Petti violauerint, & in Eccleſia ipſius ſanguinem fuderint. Qualiter etiam ibidem nobis matutinales hymnos celebrantibus, illi noctu poſt tribunal Eccleſiæ ipſius cum complicibus & fautoribus ſuis, contra Calchedonenſe Concilium, coniurauerint & conſpirauerint, & in ipſis diœceſeon noſtrarum principalibus locis conuentus, & ſingulorum negotiorum ordinationes, & conciliabula, canonibus id inhibentibus, etiam aduerſus nos factioſè patrauerint, & cum noſtris quoque ſuffraganeis tractatus iniquos, & fictiones quaſdam texuerint. Poſtremò qualiter Eccleſias dudum ſibi commiſſas, & poſtea cum ſacerdotio perditas, hactenus obtinere occupatas præſumant, & vt tyranni pro ſuo libitu moderentur. Ecce quæ in Eccleſia Chriſti Theutgualdus & Guntharius operati ſunt & operantur, præter illa quæ Guntharius ſpecialiter commiſit, diuinum tangendo miniſterium, pro quo à ſacris regulis etiam locum habere ſatiſfactionis penitus interdicitur. Verùm in ipſo iam ſuæ proſecutionis exordio, quod penes crebrò dictum perniciouſum Meteuſem conuentum habuerunt, talem ſe gerere animum liquidò monſtrauerunt. Nam licet poſtea ibidem Miſſi noſtri deuiauerint, dicendi tamẽ principium ſatis pacificè orſi ſunt. Sed hi, quia modicum quid redargutionis contra ſe ſonuiſſe audierunt, protinus in furorem prorupetunt, & verba, quæ nos de illis minimè dixeramus, nos dixiſſe perhibuerunt, ſéquẽ fautores, plantatores, & rigatores vitiorum appellare aſſeuerauerunt. Et certè nos ea quæ de illis dolenda ſuprà deſcripſimus, nondum cognita tenebamus, vt de ipſis tunc iſta ſecurè fateri poſſemus:

Conc. Calch. can. 18.

& tamen hi iam, conſcientia ſtimulante, nos adſtruere gartiebant, quæ nos, vt pote incognita, minimè dicere conuenerat. Quid eſt hoc, niſi quia nobis etiam tacentibus Spiritus ſanctus iam quòd plantatores & rigatores vitiorum eſſent, non per aliena, ſed per propria ipſorum ora oſtẽdere voluit? & ſicut olim per Caipham quòd oportebat fieri protulit, ita & per iſtos, licet non ex ſe, quod manifeſtari conueniebat expreſſit? Quæ tamen iſti nos de ſe loqui penitus denegabant, ſi vitam eorum moréſque cognitos habeҽremus: hæc videlicet ore ſuo & labiis propriis aſſerete procurantes, vt laudatæ vitæ ac morum eſſe per omnia viderentur. Iam verò ſi ludibria ipſorum, & ſcenica vultis acta liquidò noſſe, geſta præfati Metenſis Concilij, quod nos tanquam adulteris fauens proſtibulum dum caſſaremus duximus nuncupandùm, quęrite & reuoluite. Fauit ſane idem proſtibulum adulteris, dum Lothario, Vvaldradæ, & Engeltrudi cuncta pro voto conſenſerit, & aliis hoc ſequentibus adulterandi exempla præbuerit. Ecce pro quibus toties rogatis, ecce pro quibus indefeſſi ſatagitis. Quamuis & nos non mediocriter caritati veſtræ congratulemur, cùm vos mœrentibus proximis compati conſpicimus: quoniam & nos de illis non modicè condolemus, & crebris vrgẽmur pro eis gemitibus. Et reuera dolẽdi ſunt, quia dum inter ſuos caput primitus eſſent, docentes mendacium facti ſunt cauda: Eccleſiam videlicet Domini tantis fluctibus immiſcere, ac tantis laboribus immittere procurantes. Dolemus ergo illos, dolemus planè, & Eccleſiam Dei, quæ tot per eos diſcrimina ſuſtinet. Nam ſic per prophetam Samuël Saülem legitur deploraſſe. Quinimmo & Dominus præuidens Hieruſalem maximè culpa ſacerdotum funditus euertendam, fleuiſſe ab Euangeliſta deſcribitur. Non autem nos, qui membra ſumus, iniuriarum noſtrarum memores eſſe volumus, aut talionem, vt ipſi forſitan arbitrantur, eis reddere meditamur. Sed quia ipſi præcipuè caput noſtrum, in repulſione innocentis feminæ, & admiſſione mœchæ, ad iracundiam prouocauerunt, illos plangimus & deflemus. Adeo vt in memoratorum ſcriptis geſtorum ab his interlocutio facta ſolummodo memoretur, ita vt omittamus alia, in eiſdem geſtis apertè ſcriptore dicente reperiatur, *Theutgualdus & Guntharius, qui cauſam Theutbergæ recognouerant &*

1. Reg. 15. 35.

Luc. 19. 41.

iudicauerant, & rurſus rege Lothario de
iſtis adſtruente, *Quicquid in iſta cauſa feci,*
horum ſanctiſsimorum Epiſcoporum vſus ſum
conſilio. Quin etiam dum in iam dictis fœ-
tidis geſtis, inter innumera deteſtanda,
quæ ad confirmationem ipſius facinoroſæ
mœchæ hinc inde compilare præſumpſe-
runt, Epiſcopi qui conuenerant ſubſcri-
bentes, eadem geſta, immo per ea flagi-
tium roborarent, ventum eſt ad quendam
fratrum & coepiſcoporum noſtrorum,
qui tantùm vſque ad noſtram delibera-
tionem ſubſcripſit eadem eſſe geſta ſer-
uanda. Quod cernentes Theutgualdus &
Guntharius, arrepto cultello, omne quod
Antiſtes prouidus ad deliberationem no-
ſtram ſeruandum eſſe deſcripſerat, raſe-
runt, nomine ſolo Epiſcopi relicto, cetera
ſicut ipſi voluerunt temere perſcribentes.
quod nobis idem Epiſcopus intimauit,
& id ita geſtum eſſe, in ipſis authenticis
geſtis luce clarius patet. nam vbi ſanum
eſt, euidentiſſimè claret. In tantum quip-
pe ad roborandum flagitiū cor & linguam
& calamum acuerunt, vt quæ ſemel vel
dicto vel ſcripto in eius confirmatione
diffinierant, etiam coram nobis omni ſua
virtute, quouſque ceciderunt, defendere
niterentur. Verùm quid in pluribus im-
moramur, & eorum geſta peremptoriam
illis damnationem inferentia narrare co-
namur, cùm hæc nec lingua loqui, nec
ipſa mentis memoria retinere ſufficiat?
Sed quia fraternitas veſtra ſtudet ſcriptis
ſuis benignè his miſericordiam implora-
re, & reſtitutis priori ſtatu conſolationem
his poſtular adhiberi, & nos non inconue-
nienter quod licitum eſt, & rationabiliter
flagitatur, concedere procuramus. Deni-
que ſi præfati viri, Theutgualdus ſcilicet
& Guntharius, patienter egerint, & ma-
lum, quod ſui fauoris ſtudio perficere
paſſi ſunt, radicitus extirpatum exriterit;
atque ſi hoc perfecta in ſe humilitate, di-
gniſque pœnitentiæ fletibus abolere ſtu-
duerint, quin & pax, quam conturbaue-
runt, Eccleſiæ Chriſti reddita fuerit: tunc
profectò poterunt Dei ſolius intuitu, &
veſtræ fraternitatis affectu, alia miniſtra-
tionis Eccleſiaſticæ noſtro nutu atque
ope freti beneficia promereri: prioris ta-
men miniſterij, vel cuiuſcumque ſacer-
dotalis officij dignitatem, fruſtra quidem
ſperare poterunt, reſumere autem in per-
petuum non poterunt. Ceſſet itaque ve-
ſtræ fraternitatis iam nos ſuper hoc pulſa-
re ſolertia, & quod fieri non poteſt, tan-
dem aliquando deſinat. Nam ſedis Apo-
ſtolicæ ſententia tanta ſemper conſilij
moderatione concipitur, tanta patientiæ
maturitate decoquitur, tantáque poſt-
modum deliberationis grauitate profer-
tur, vt retractatione non egeat, nec im-
mutari neceſſarium ducat, niſi fortè ſic
prolata ſit, vt retractari poſſit, vel immu-
tanda ſecundum præmiſſæ tenorem con-
ditionis exiſtat. Portent igitur ignomi-
niam deiectionis ſuæ, *quia eſt*, teſte ſcri- Eccl. 4. a.
ptura, *confuſio adducens gloriam*. Sint in-
terim in ſignum & in portentum omni-
bus, quos vel ipſi deceperunt, vel quibus
audaciam perſiſtendi in nequitia præſti-
terunt: quatenus & iſti tanta confuſione
reſperſi, quod ore fatentur, corde quo-
que teneant & ſaluentur, & illi non bene
ſibi ſubreptum fuiſſe, vt ad tantum pia-
culum laberentur, patenter agnoſcant.
Nam malum adhuc imminet, adhuc fo-
ueri non deſiit, adhuc libertatis aditum &
licentiæ tempus expectat. Probat hoc
Vvaldradæ, etiam poſt adulterij publi-
cum ſcelus, gloria vigens: atque reginæ
Theutbergæ dilectæ filiæ noſtræ, etiam
poſt præſtita iuramenta, nec ancillarum
qualitati coæquata deiectio. Denique
quando Lotharius rex vxorem ſibi debi-
tam, ſæpefatam ſcilicet Theutbergam, in
præſentia Miſſi noſtri reſumpſit, duode-
cim ſicut audiſtis illuſtres comites iura-
menta ſua vice repromittere iuſſit, ſe de
cetero ita Theutbergam fore retentu-
rum & tractaturum, quemadmodum re-
gem legitimam coniugem ſuam regi-
nam retinere conuenit & tractare. Sed
prò dolor, tanto nunc, quod vos fortè non
later, hanc ſubmittit opprobrio, tantæ-
que deteſtationi, tantæque quod ſolo di-
ctu graue eſt, inopiæ ſubiicit, vt non dica-
mus aliquem penes ſe rerum neceſſitatem
patientum adiuuare, verùm nec ſibi, nec
propriis queat homunculis omnino præ-
ſtare. Sed è contra Vvaldrada, mœcha, &
omni communione priuata, licet à Lo-
thario ſolo corpore videatur excluſa,
cuius tamen cordi nunquam deeſſe mul-
tis exhibetur indiciis, & cacumen re-
gium, & nocendi vel adiuuandi quos vult
omnimodam obtinet poteſtatem. Ecce
fratres germina, ecce fructus, qui de
Theutgualdi & Guntharij iacto ſemine
ſunt exorti. De quibus tamē ſi fraternitas
veſtra veraciter ac vtiliter dolet, & ali-
quod eis vult impertiri ſuffragium; curet
neceſſe eſt vulnus, quod ipſi non ſolùm
minimè ferro iuſtitiæ reſecarunt, verùm
etiam oleo iniquæ adulationis & perſua-

ſionis fouentes creſcere longè latéque fecerunt, nobiſcum pariter incidere ac ſtudioſè mederi. Quamuis ipſi iam fati viri, vt prætulimus, quantum ad ſacerdotium ſpectat, recipiendi nullam valeant habere fiduciam. Si enim quod in his deſtruximus reædificaremus, præuaricatores à Domino proculdubio conſtituemur, & quaſi de non bene geſtis pœnitentiam commutaſſe videbimur. Ac per hoc nec iſti huiuſmodi animaduerſionem pauentes emendabuntur, nec hi qui hactenus inchoatum ſcelus introrſus retinent, puniendum putabunt; nec ceteri, qui ad huiuſmodi poſſunt relabi flagitium, per hos ſalubriter eruditi, conſultiùs committere pertimeſcent, quod tanta viderint diſſoluta remiſſione laxari. Reuertimini ergo fratres ad vos, & redite ad cor, & recognoſcite contra vitia miniſterium veſtrum, ipſum per quem tantum Eccleſia Dei ſcandalum patitur, Lotharium ſcilicet regem, zelo feruentiori, & maiori corripientes & admonentes inſtantia, quo ſubueniat ſibi, ſubueniat & miſeris illis, quos pro ſe iuramento conſtrinxit. Reginam videlicet Theutbergam, coniugem ſuam, iuxta tenorem præſtiti ſacramenti tractans, & ſe à reatu vice ſua iurantium tegens, mittat etiam ad nos Vvaldradam, vt per hoc & ipſe ſecuram de cetero vitã ducat, & nos cauſa illius tantis vlteriùs laboribus non ſubdamur. Non enim iuſtum eſt, vt legitima tantam apud ipſum incommoditatem ac dehoneſtatem patiatur, & ab adultera gloria dignitatis eius ſurripiatur. Quòd ſi rex Lotharius ita fieri denegat, & ſe veraciter audire ac perficere velle monita noſtra fatetur, quemadmodum nobis dilectus filius noſter Ludouicus rex inclytus ex ipſius aſſertione ſignificauit, quæſumus interrogetur vel à vobis, vel ſtudio veſtræ ſuggeſtionis à iam fato pio rege, quare nobis ſcribens, vel aliis ſatisfaciens, ſicut indicat de Vvaldrada, quòd poſt Miſſi noſtri reuerſionem non ad eam acceſſerit, ita non indicat de coniuge ſua Theutberga, quòd eam ſecundum datorum tenorem iuramentorum tractet atque retineat. Niſi quia non habet vnde glorietur, nec agit ſic erga eam, vt nobis id veraciter referre poſſit, & gratiarum à nobis inde percipere valeat actiones: dum non ſolùm illa nulla munificentia ipſo largiente potitur, verùm etiam omnibus opprobriis & egeſtate ſumma tabeſcit. Dicatur ergo ei à pio principe, vel à veſtra ſacerdotali ſuadeatur induſtria, vt quandò nobis mittit, ad Vvaldradam ſe nequaquam contra interdictum noſtrum accedere, mittat etiam quòd & Theutbergam vxorem ſuam iuxta præſtita iuramenta benignè tractet, & ſecundum regiam dignitatem retineat: ita duntaxat, vt quod mittit veritate fulciri aliis etiam atteſtantibus cognoſcamus. Denique quando illa repulſa ipſe rex Lotharius Theutbergam vxorem ſuam reduxit, diffinitum fuiſſe conſtat, vt eadem Vvaldrada in Italiam mitteretur, quatenus vtrum Romam necne peruenire debuiſſet, noſtræ cenſuræ decreto præſtolaretur. De his quippe perſonis, quarum ſedes Apoſtolica ſpecialiter inchoat agitare negotium, ſicuti nos Lotharij & Theutbergæ regum, atque Vvaldradæ pellicis exequi controuerſiam cœpimus, nulli fas eſt alij vel remouere, vel aliquid diffinire, niſi fortè cui ipſa præceperit. Vvaldrada ergo, quam noſtris hortatibus, noſtriſque decretis, à Lotharij conſtat remotam eſſe lateribus, noſtris quoque ſpecialiter debet, ad congruam Eccleſiæ quam læſit ſatisfactionem, ſummitti iudiciis. Quod quamdiu Lotharius non egerit, ſicuti nec nobis requies, nec Theutbergæ ſecuritas, ſic nec ipſi poterit tuta pax aut aliqua ineſſe ſalutis fiducia. Tanto igitur ſollicitiùs ad correctionem illius operam date, tantóque inſtantiùs non ſolùm illum, vt in his nobis obediat, admonete, verùm etiam & dilectum filium noſtrum Ludouicum excellentiſſimum regem, quo eum ad audienda noſtra monita ſemper incitet, cohortamini, quanto attentiùs legitis: *Quia qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, liberabit animam ſuam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Iac. 5. 19. Non ſolùm autem hinc glorioſum regem veſtrum adite, verùm etiam ſpecialiter deprecamini, vt admoneat & ſuadeat eidem Lothario, quatenus Romam non niſi purgatus, & quando nos annuerimus, venire præſumat. Nam niſi nobis obediens ſuſpicionum & malæ famæ ſordes diluere primùm curauerit, videat ne fortè leproſorum more de caſtris Dominicis cum maxima confuſione pellatur. Quomodo verò ipſas poſſit ponere ſordes, breuiter intimamus. Videlicet, ſi Theutbergam vxorẽ ſuam iuxta præſtita iuramenta benignè tractet, & ſecundum regiam dignitatem retineat, Vvaldradamque ad nos accelerare compellat, atque in præfatis Eccleſiis, ordine quem ei dictauimus, Antiſtites ordinare per-

mittat. Nam quamdiu Vvaldradam ſic manere dimiſerit, ſicut omnibus liquet, Theutbergámque nec regio cultu, nec coniugali dilectione tractauerit, quamdiu etiam Theutgualdum vel Gunrharium Eccleſias dudum ſibi cum ſacerdotio ablatas obtinere permiſerit occupatas, nec à lepra iniuſti criminis, nec à ſordibus peſſimi odoris, id eſt malæ opinionis vel ſuſpicionis, liber eſſe poterit, nec puris Eccleſiam greſſibus intrare valebit, nec ſacerdotibus Chriſti libera eum vel ſecura tangendi, vel intra caſtra recipiendi profectò quibit eſſe facultas. Ergo laborate in hoc nobiſcum, cariſſimi, decertare pariter, fratres: quia ſicut labor eſt multiplex in terris, ita nos merces copioſa manebit in cœlis. Nec dubium eſt, hunc iuuenem plurimos habere nunc pro ſua potentia vel dominatu ſibi conſentientes: de quorum omnium profectò conuerſione ac ſalute omnes ſimul lætabimur, ſi horum princeps, Dei gratia præueniente, communibus noſtris ſudoribus perfectiùs emendabitur. Præterea nouerit ſanctitas veſtra, iam memoratum ſublimiſſimum regem veſtrum pro Theutgualdo & Gunthario ea qua vos nobis affectione ſcripſiſſe. cui quia ſuper hoc breui ſcripto reſpondimus, ſi pleniùs noſſe placet, quæ de illis ſit penes nos fixa ſententia, induſtriam eius ad huius epiſtolæ, quam fraternitati veſtræ deſtinauimus, tenorem ſcrutandum direximus. Quamobrem agat ſanctimonia veſtra, vt ipſius piis ad legendum obtutibus cum debita reuerentia, ſeu celeri diligentia deferatur. Porrò ſi aliqui fortaſſe ſunt, qui dicant liberam eſſe Vvaldradam, & ideo huc proficiſcendi ei non debeat imponi neceſſitas; nouerint non eſſe liberam, quæ à peccato ſuperata, ipſius & ancilla addicta eſt: Petro dicente Apoſtolo: *A quo enim quis ſuperatur, eius & ſeruus addictus eſt*, & rurſus alibi: *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* A quo videlicet iſta nondum liberata, eius profectò adhuc ancilla credenda, ac per hoc noſtro eſt iudicio ſpeciali purganda, cuius decreto iniquitas eius agitari cœpit, & Chriſto propitio abolitionem percipere. Nam niſi illam nondum à crimine liberam eſſe ſciremus, nequaquam eam pro liberatione, tam ſua, quàm fautorum eius, in Italiam venire quoquomodo faceremus: licet eam per miniſtros ſuos poſtea, ne huc perueniret, Satanas impedierit. Iam verò, ſi iuſſa noſtra vel ſanctiones impleuerit, ideo ſe putat ancillam, ergo Lotharius rex ſeruus dici debet, qui vtcumque noſtra feciſſe mandara dinoſcitur, ergo iſta teneatur pro domina, quæ inobediens permanet, & dominetur Lothario, qui vtcumque noſtris ſtuduit obedire decretis, quod abſurdiſſimum eſt, & omnino nefandum. Verùm ſi tanta rex Lotharius intentione Vvaldradam voluiſſet mœcham ad nos mittere, ad eius ſcilicet à nobis cauſam legitimè definiendam, quanta voluit legitimam Theutbergam deſtinare coniugem, ad falſa contra ſe ac extorta ſcelera proferenda; fortè iam nobis qualiſcumque pax vel reddita requies haberetur. Atque vtinam ſic ſtudear Vvaldradam ad nos deſtinare, quæ habet de ſcelere ſuo quod pandat, ſicuti geſtiebat reginam Theutbergam, quæ non quidem habebat quod de crimine panderet, ſed quod de violentia & iugi pœna illata ſibi, multipliciter enarrarer, & quam iniuſtis minis, vt contra ſe falſum crimen coram nobis depromerer, multifariè compellebat. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data pridie Kalendas Nouembris, Indictione 1.

2. Pet. 2. 19. — Ioan. 8. 34.

FRAGMENTA QVÆDAM ALIARVM Epiſtolarum Nicolai Papæ.

Ex Epiſtola ad Huntfridum Morinenſem Epiſcopum.

In perſecutionibus Epiſcopus Eccleſiam ſuam non deſerat.

7. q. 1. Sciſcitaris.

Sciſcitaris itaque per Guldaganum presbyterum, vtrum cùm à Normannis de epiſcopio depellaris, debeas de certo in monaſterio conuerſari. In quo ſcias, cariſſime frater, quòd ſi pernicioſum eſt proretam in trãquillitate nauim deſerere, quanto magis in fluctibus? Vbi non dicimus, quòd perſecutorum non fugiamus, maximè paganorum, inſidias, cùm ad tempus ſæuiunt, & ob multitudinem delictorum noſtrorum nocendi facultatem diuinitus aſſequuntur: præſertim cùm eis prodire vltro non debeamus, & multos prophetas & Apoſtolos, ipſum

quoque Dominum huiuſmodi fugiſſe inſecutores, luce clarius conſtet. Sed quòd præcipuè nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus, immo qui & horum paſtores ſumus, Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus perſiſtere pro certo conueniat. Et cùm tranquillitas diuina fuerit pietate, ſopitáque furentium infeſtatio, mox gregem perquirere, & in vnum colligere, & eius animos cæleſtis patriæ pace potiſſimum ſecuritate prædicata ſurſum erigere debemus. Et tamdiu ſuper eorum cautela oportet nos eſſe ſollicitos, vt ſi Dei iudicio præſentis temporis commoda fortaſſis amittunt, futuræ vitæ ſe ſperent gaudia abſque ambiguitate percipere ſempiterna.

Herardo Turonenſi Archiepiſcopo.

Reſtituendus eſt, quem neque conuictum, neque confeſſum conſtat eſſe eiectum.

2. q. 1. Notum ſit. Notum ſit tuæ fraternitati, quòd iſte presbyter, nomine Chriſtophorus, de ſua anguſtia ad noſtram clementiam lacrymabiliter ſit conqueſtus, dicens ſe falſis criminibus impetitum, & ab Eccleſia ſuâ non conuictum, neque confeſſum, irrationabiliter fuiſſe eiectum. Nam vt ipſe refert, tua diligentia per tres vices inquiſitione facta, nulla in ſe, neque de fornicationis crimine, neque de homicidij conſenſione, de quibus impetebatur, reperiri potuit culpa: niſi quia ſuæ paupertatis cauſa, quæ petebantur, aut conſentire noluit, aut implere non potuit. quæ ſuus tamen æmulus vltroneus egit, qui iniuſtè illius Eccleſiam præripuit. Idcirco magnopere monemus reuerétiam tuam, vt etiam quæ, te fortè ignorante, Gieziaca cupiditate peracta eſſe videntur, tuæ fraternitatis cenſura celeri emendatione corrigantur. Scilicet reſtituendo Eccleſiæ propriæ iam dictum ſacerdotem, atque ei reddendo tua pietate priſtinum, quem perdidit, honorem. & nullatenus canonica inſtituta alicuius temeritate contemni permittas, quia facientem & conſentientem per pœna perſtringit.

Adoni Viennenſi Archiepiſcopo.

Subdiacono vxorem ducere non licet.

32. q. ... xxiii. De illo. De illo clerico, Alberico nomine, quem per ordines Eccleſiaſticos vſque ad ſubdiaconatum caſtè vixiſſe dicitis, cur veſtra auctoritate vxorem duxerit miramur; eo quòd nulli vnquam, exceptis illis, quibus Eccleſiaſtica regula habere permittit, vxorem ducendi licentiam damus.

Nicolaus Papa

Non aliorum, ſed primatis ſui iudicio quiſque ſe ſubijciat Epiſcopus.

Denique Suffredus, ſi tale in ſe crimen nouerat, quo rectè poſſet epiſcopatu priuari, vel infirmitate ſe ſentiebat forſitan prægrauari, qua impeditus nullis poſſet proximis ſua prælatione prodeſſe, primatis ſui debuerat, & non aliorum diœceſeos antiſtitum, præſtolari iudicium. Quòd ſi quælibet ambiguitas, vel aliqua fortaſſe ſuper eius examinatione, vel epiſcopatus abrenuntiatione oborta fuiſſet contentio, ex more ad ſedem Apoſtolicam referri conuenerat, & noſtra in his omnibus debuerunt cuncti decreta penitus expectare. Quod quia omiſſum hactenus dolemus, dilectiſſimam mihi gloriam veſtram vehementer efflagito, vt iam dictus Suffredus Epiſcopus proprio reſtituatur epiſcopio, & ſi aliquid reprehenſione dignum geſſit, poſtea vel correctione, vel digna animaduerſione diffiniatur. 6. q. 3. Denique.

Frotario Burdegalenſi Archiepiſcopo.

Inuaſoribus rerum Eccleſiaſticarum quæ pœnitentia ſit imponenda.

De viro nefando, Burgando nomine, qui rabie inſana commotus, diabolicis ſe irretire laqueis non dubitauit, atque gentilium more per abrupta itinera, & compita inſidians, vobis in Eccleſiæ veſtræ villa vnà cum clericis veſtris manentibus, & populum ſalubribus inſtruere dogmatum monitis decertantibus, panéque ſpiritualis verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile propriæ ſalutis deſiderium habentibus ſancta Apoſtolorum Petri & Pauli limina viſitare, collectis malitiæ ſuæ ſequacibus, & iniquitatis complicibus, nefarias inuaſiones, & deprædationes violentas inferre dæmoniaco auſu præſumpſit: &, vt epiſtolæ veſtræ textus eloquitur, ſacrum altare, ſacráque Dominici corporis & ſanguinis vaſa, inſuper & ſanctum chriſma pollutis arripere manibus, quaſi vilia & ad communem vſum apta præſumpſit. 12. q. 2. De viro nefando.

dilectio nos veſtra conſuluit, ſi ipſe, vel qui cum eo in tam impio & iniquo ſcelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque, gratia tacti diuina venire voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo conſtringatis, noſtræ inſtitutionis cenſuram expoſcere curaſtis. De quibus, ſi tamen ita eſt, iubemus, cùm ad pœnitentiam reuerti accelerauerint, vno anno extra Eccleſiam Dei conſiſtere, cuius ſacratiſſima vaſa extra ritum fidei Chriſtianæ diripienda auferre non dubitauerint. Secundo verò anno, ante fores Eccleſiæ ſine communione maneant. Tertio verò anno, Eccleſiã Dei ingrediantur, & inter audientes adſtent ſine oblatione: non manducãtes carnem, neque bibentes vinum, præter Natalis & Reſurrectionis dominicæ díes. Quarto præterea anno, ſi his prioribus tribus annis fructuoſus fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium reſtituantur, totáque mentis intentione ſpondẽtes talia ſe vlteriùs nunquam facturos, corpus & ſanguinem Domini ſuſcipere mereantur: & vſque ad ſeptimum annum, tribus in hebdomada diebus, ſine eſu carnium & vini potatione maneant pœnitentes.

Carolo regi maiori.

De Ioanne Scoto, quòd in quibuſdam bene non ſenſerit.

Iuo P. iv. cap. 104. Relatum eſt Apoſtolatui noſtro, quòd opus B. Dionyſij Ariopagitæ, quod de diuinis nominibus, vel cæleſtibus ordinibus, Græco deſcripſit eloquio, quidam vir Ioannes, genere Scotus, nuper in Latinum tranſtulerit. Quod iuxta morem nobis mitti, & noſtro debuit iudicio approbari: præſertim cùm idem Ioannes, licet multæ ſcientiæ eſſe prędicetur, olim non ſanè ſapere in quibuſdam frequenti rumore diceretur. Itaque quod hactenus omiſſum eſt, veſtra induſtria ſuppleat, & nobis præfatum opus ſine vlla cunctatione mittat: quatenus dum à noſtri Apoſtolatus iudicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter noſtra auctoritate acceptius habeatur.

Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi.

Pœnitentia iniuncta illi, qui monachum presbyterum occiderat.

Ex cod. S. Germani. NIcolaus ſeruus ſeruorum Dei, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro Archiepiſcopo. QVIBVS gemitibus, quantiſque lacrymis filiorum diſcrimina paternus affectus cõdolere ſoleat, verùm etiam oporteat, veſtram ſatis nominus experiri prudentiam. Quapropter inſulatum veſtri ardoris, Eccleſiaſtico lacte nutriti, & ad ſolidos prędicationes profectus perducti, volumus noſſe, quòd iſte Eriarth ad Apoſtolorum limina confugerit, indulgentiam poſtulando ſuper ea quam incurrit homicidij noxam. Ferebat ſe vtique quendam presbyterum atque monachum nihil cum morte dignũ occidiſſe. vnde & humiliter oſtęndebat ſe pœnitentiæ velle colla ſubmittere. Ideóque nos ei iniunximus, vt duodecim annorum méta terminum pœnitentiæ ſibi iniunctæ includeret. Quorum tribus prioribus, ante fores Eccleſiæ lugendo, ſingultus edendo, miſericordiam à Domino conſequi feſtinare procuret. Quarto deinde, atque quinto, inter auditores omnipotentem exorare ſtudeat, abſque corporis & ſanguinis Domini ſuſceptione. Reſiduis prætereа ſeptem annorum curriculis, communionem dominici ſacramenti ſuſcipere liceat celeberrimis feſtiuitatum diebus, oblationes quidem nullatenus offerendo. Verumtamen omnibus prædictis temporibus, excepto feſtiuitatum diebus, & Reſurrectione Dominicæ, continuè quadrageſimali more vſque ad veſperam ieiunus perſeueret. Et ſi alicubi opportunus habuerit iter, nullo vehiculo deducatur, ſed pedeſtri itinere vtatur. Vſque ad mortem denique pœnitentiæ eius quantitas extendi debuerat: ſed deuotionem eius fidei conſiderantes, ſiue quia ad ſuffragia Apoſtolorum feſtinauerit, humaniùs cum illo peregimus. Interea hortamur vos, vt reuerentiſſimo Hilmerado Epiſcopo, ſuffraganeo veſtro, præcipiatis quatenus permittat monachos monaſterij ſui ſub monaſtico habitu quietè degere, & pœnitentiæ fructus exercere. Hos itaque Apoſtolatus noſtri apices ſuſcipientes, ita ſpiritali oculo vitam futuram pœnitentiæ ipſius diſcutite, & catholica pietate manu diſcretionis quæ oportuerit perpendentes, ſic cum illo peragatis, quatenus & canonica auctoritas obſeruetur, & ouis dominica raptoris vulnere ſauciata nullo neglectu perdatur, ſed in examine diuini iudicij ad dexteram Chriſti remuneranda inueniatur. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere.

CONCILIVM.

CONCILIVM TRICASSINVM.

NICOLAI PAPÆ IVSSV APVD TRECAS ab Epiſcopis, qui præcedenti anno apud Sueſſiones conuenerant, celebratum die VIII. Kalend. Nouemb. anno Chriſti DCCCLXVII.

EPISTOLA SYNODICA CONCILII Ad Nicolaum Papam.

Totam Ebbonis, ordinatorúmque ab eo clericorum hiſtoriam accuratè, vt iuſſi fuerant, exponunt: & pallium pro Vulfado petunt.

REVERENTISSIMO & ſanctiſſimo domino patri ac vniuerſali Papæ Nicolao, Epiſcopi qui præterito anno per gratiam Dei & decretum veſtrum apud Sueſſonicam vrbem, cum aliis qui tunc nequiuerunt adeſſe, VIII. Kalend. Nouemb. prima Indictione apud Trecas conuenimus. SERIEM rerum geſtarum de Ebbonis quondam Remorum Archiepiſcopi deiectione, ſed & de ipſius reſtitutione, necnon & de fratris Vulfadi ac collegarum eius promotione, & iam dicti Ebbonis iterata repulſione, ad aliámque Eccleſiam migratione, vnde à nobis inueſtigari & vobis remandari iuſſiſtis, quia his nemo noſtrûm in ordine Epiſcopali interfuit, niſi frater Rothadus, ſicut ex rerum & Epiſcoporum monimentis, atque relationibus, qui interfuerunt, & ſcriptis ſuis poſteris reliquerunt, breuiter collegimus, veſtræ ſanctiſſimæ paternitati & præcellentiſſimæ auctoritati tranſmittimus. quæ antea colligere, & auctoritati veſtræ dirigere, neceſſarium non putauimus: atque ideo ampliora ſcribere ſagacitati veſtræ ſuperſedimus. Nobis tamen in deiectorum fratrum, de quibus ſcripſiſtis, reſtitutione, non quidem diſcrepantibus, nec alia atque alia decernentibus, ſed vnum idemque, ſecundùm traditionem maiorum, quam diſcretioni veſtræ intimare curauimus, ſentientibus, quos non procacia obnoxios fecit, ſed obedientia inculpabiles in adeptionem ſacrorum graduum, iuxta ſinceriſſimum ſapientiæ veſtræ intellectum induxit, ſine contradictione in ſuis ordinibus reſtituere maturaremus, niſi priuilegiis ſanctæ Romanæ ſedis, per reuerendum confratrem noſtrum Hincmarum Archiepiſcopum noſtræ vnanimitati prolatis, quæ de ipſis viris quædam ſtatuerunt, debita reuerentia exhiberetur. Quorum ſumma, perfecta, & integra firmitas, vt claruit & iuſtum eſt, in Apoſtolicæ ſedis reſeruata erat arbitrio poteſtatis: quorúmque priuilegiorum authenticas chartas, cum ſaluis ſigillis & incorruptis ſcripturis,

idem confrater & conſacerdos noſter, non adullam controuerſiam, ſed ad debitam reuerentiam ſedi Apoſtolicæ, vt dignum eſt, exhibendam oſtendit, cum geſtis Epiſcoporum, quorum vos acta relegiſſe, & qualiter præſignati clerici degradati fuerint reperiſſe, nobis aperire dignati eſtis. Nobis quoque in eiuſdem rei negotio decertantibus, & quædam deflorantibus, non tamen terminantibus, eo vſque cauſam perduximus, vt ſolummodo magiſteriali veſtro culmini eorum aſſignaretur reſtitutio, attribueretur reformatio, adſcriberetur redintegratio. Vnde poſtea vnanimitas noſtra in quamcumque partem proteruè non declinauit, etſi quidam ineuitabili neceſſitate in aliquo eorum ſecus quàm ſcripſimus peragere maturarent: vrgente quoque deuotiſſimi filij veſtri domini noſtri pro regni totius diſcidio regali iuſſione. Egimus ſiquidem prout potuimus, in ſuccincta collectione de geſtis rerũ & Epiſcoporum, ex cauſa Ebbonis, & vt pręcepiſtis & præſignauimus, veſtræ auctoritati tranſmittimus. Ivsto Deo iudice permittente, & inuidia diaboli operãte, olim recolendæ memoriæ Hludouici pij Auguſti filij, factione maliuolorum hominum, ſine conſilio atque conſenſu Papæ Gregorij, quẽ Hlotharius ſub obtentu pacificandi eos cum patre Roma promouerat, & ſecum vſque in Eliſatium pagum perduxit, patrẽ imperio pepulerunt, & ſub cuſtodia vſque ad Sueſſionis ciuitatem perduci fecerunt. Et vt populo credibile poſſet fieri, quòd meritò fuerat à regno expulſus, in eum quædã crimina conficta fuerunt, pro quibus prætextu publicæ pœnitentiæ ab Eccleſiæ liminibus eum excludi quorumdam Epiſcoporum iudicio, Ebbone, vt dicebatur, in hoc præcipuè ſatagente, obtinuerunt. vſque dum Hlotharius territus conuentu plurimorum fidelium eiuſdem Imperatoris, fuga lapſus patrem ſuum adhuc ab ingreſſu Eccleſiæ ſequeſtratum dimiſit, & abſcedente illo, qui adfuerunt Epiſcopi, Imperatorẽ in Eccleſia S. Dionyſij reconciliauerunt, & Eccleſiaſticæ communioni reſtituerunt. Quod Ebbo audiens, pondere perpetratæ in Imperatorẽ actionis, quæ illi maximè reputabatur, exterritus, relicta ſua prouincia, in alteram prouinciam fugam artipuit. vbi aliquandiu deliteſcendo ſe occulere poſſe putauit, vſquequo rerum euẽtu videret quid ſibi ſalubrius agere poſſet. Quod Imperatorem latere non potuit: & fama vulgante quòd contrarias Imperatori partes ſequi diſponeret, per Rothadum coepiſcopũ ſuum, & per Ercanradum, in cuius Eccleſia latitabat, ſed & per alios ſuos fideles, eum ad ſe Imperator ſub cuſtodia deduci præcepit. quem in monaſterio S. Bonifacij vſque ad tempus Synodi ſeruari præcepit. Ad quam anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXXV. omnes qui conuenerunt Epiſcopi, ſingillatim libellos de reſtitutione Imperatoris communi conſilio atque conſenſu ediderunt: quos in corpus vnius voluminis nobis oſtenſi congeſtos propriis manibus ſubſcripſerunt, cum quibus & Ebbo libellum manu ſua auctoritate Archiepiſcopali ſubſcriptum edidit, in quo profeſſus fuit, quicquid in ipſius Imperatoris dehonoratione atque regni priuatione contumelioſè geſtum fuerat, nec canonicè, nec iuſtè factum fuiſſe. ceterorum etiam Epiſcoporum, qui ad eundem conuentum confluxerant, libelli de obiectis criminibus in Imperatorem compilati non tacent. Et poſt datos libellos, venientes Epiſcopi cum Imperatore, & quãplurimis eius proceribus atque fidelibus, in vrbem Mettenſiũ

in baſilica beati Stephani, inter alia quæ tunc ibi fuere acta, Ebbo publicè tam pro Imperatoris placanda offenſa, quàm pro gratia eius recuperanda, & ſua iniuria remouenda, quædam minus cautè, pro ſui tamen ereptione, in Imperatoris iuſtificatione, & in ſua denotatione pronuntiauit. Indéque ad Theodonis villæ palatium cum quibus perrexerat Imperatore regreſſo, in Epiſcoporum Synodo Ebbo præſens ab Imperatore præſente eſt accuſatus, quòd eum falsò fuerat criminatus, & eiſdem falſis criminibus impetitum à regno deiecerat, armíſque ab eo ablatis, nec confeſſum, nec conuictum, contra regulas Eccleſiaſticas, ab Eccleſiæ aditu ac Chriſtianorum ſocietate eliminauerat. In quo moleſtiſſimum in ſe ſentiens domnum Imperatorem, petiit Ebbo ſeceſſum, quatenus ſine præſentia Imperatoris liceret ei in Synodo Epiſcoporum ſuam agere cauſam. Quod obtinens, conuocauit ad ſe quoſdam Epiſcopos, & eorum vſus conſilio, vt & ipſe opprobrium vel periculum imminens de impetitis vel impetendis declinaret, & ſacerdotalis dignitas inſultationem ſæcularium deuitaret, libellum temperantiæ, iuxta decretã Leonis Papæ, ſicut tunc cautiùs inuenire potuerunt, dictauit, & ſcribi coram ſe fecit, ac propria manu ſubſcripſit, eundémque propriæ ac iudicum ſuorum vocis profeſſione atteſtatum, Synodo in abdicationem ſui ſpontè porrexit. Poſt cuius libelli recitationem, & Epiſcoporum quibus ſecretiùs confeſſus fuerat reſponſionem, omnium denuntiatione actum eſt, vt à Pontificali ceſſaret miniſterio. Cuius libelli exemplar Papæ Leoni miſſum audiuu didicimus: ſed & veſtræ auctoritati in altera ſchedula, cum his quæ eidem libello Epiſcopi ſuperaddiderunt, dirigimus. Quæ qualiter regulis ſacris conueniant, veſtra trutinabit clariſſima ſapientia. Síceque ſine reclamatione manifeſta, in Ciſalpinis regionibus idem Ebbo per diuerſa monaſteria commendatione Imperatoris deguit, vſque ad annum Incarnationis dominicæ DCCCXL. & vſque ad obitum ipſius Imperatoris, qui eodem anno XII. Kalend. Iulij contigit. Defuncto autem eodem Imperatore, Hlotharius ab Italia in Franciam venit. Cui ad Vvormaciam ciuitatem Ebbo, deducente Boſone Abbate, cui commendatus ad cuſtodiendum fuerat, occurrit, eíque Hlotharius poſt aliquot dies per edictum Imperiale, quod in altera ſchedula vobis mittimus, ſedem & diœceſim, conſentientibus & cooperantibus non paucis Epiſcopis, ſicut ibidem eſt ſcriptum, reſtituit. Carolo denique à Hlothario Sequanam tranſmiſſo, Ebbo Remorum Eccleſiam recepit, & tenuit, atque epiſcopale miniſterium, ſuffraganeis Eccleſiæ Remorũ Epiſcopis præſentibus ac conniuentibus, agere cœpit: & hos fratres, de quibus agitur, Vvlfadum videlicet, & eius collegas, tempore canonico ordinauit. Qui ſicut profitentur, de excommunicatione & reſtitutione illius tunc aliud neſcierunt, niſi quoniam in Eccleſia Remenſi eum ab Epiſcopis, ſicut ipſe dicebat, regulariter reſtitutum, nullo contradicente, ſolemniter ſacrum officium & pacificè per annum circiter celebrare viderunt. Et non ſe ad ſacros ordines prouehendos importunè ingeſſerunt, ſed acclamatione & atteſtatione ipſius Eccleſiæ, vt ordinarentur obedierunt. Et hoc modo, vt diximus, per illud temporis ſpatium Ebbo Remenſem Eccleſiam tenuit, donec Carolus reſumptis viribus & copiis Sequanam tranſmeauit, & in Belgicam regionem iterum reuerſus fuit. Quod audiens Ebbo, relicta

Remenſi Eccleſia, ad Hlotharium ſeceſſit, & in eius familiaribus obſequiis, vario euentu accidente inter illum & fratres eius, manſit, & in Ciſalpinis regionibus Abbatiam S. Remacli, ſed & Abbatiam S. Columbani in Italia apud eum obtinuit. vbi rerum proprietatem pretio comparauit: & per idem tempus ipſius Imperatoris diuerſas legationes in diuerſas partes peregit, vſque dum anno Incarnationis Dominicæ DCCCXLIV. vnà cum Drogone Metenſium Epiſcopo ſub Sergio Papa Romam adiit. Quorum ſiquidem aduentum moleſtè Sergius Papa accipiens, quid in eum intulerit, ſufficienter epiſtola ſancti Apoſtolatus veſtri nobis miſſa edocuit. Demum Roma reuerſus, quodam proceſſu temporum legationem in Græciam à Hlothario ſibi iniunctam ſuſcepit, quam exequi detrectauit. Et idcirco ſibi ab eodem Imperatore abbatiis ablatis, & à ſe data ſupraſcripta proprietate Hirmingardi Imperatrici, Hludouici largitione regis Germaniæ in prouincia Moguntina, & regione Saxoniæ, non longè à vicinitate finium Nortmannorum, quibus à Paſchali Papa prædicator fuerat deſtinatus, epiſcopium Hildenesheim vacans obtinuit: vbi etiam, auctoritate cuiuſdam priuilegij nobis oſtenſi, à beato Gregorio Papa ſibi collati, cohibente ſupra memorata ſua reſtitutione, miniſterium pontificale finetenus exercuit. Huius quippe exemplar vobis in alia ſchedula mittimus, quo continetur, in tranſmigratione alterius parochiæ vt epiſcopali & prædicationis licenter fungeretur officio. Anno autem Incarnationis dominicæ DCCCXLV. Karolus Synodum Epiſcoporum regni ſui apud Belgiuacum ciuitatem prouinciæ Remenſis conuocauit. vbi inter cetera Eccleſiæ ac regni negotia neceſſaria, de Remenſi Eccleſia, quæ Fulcone Abbate ſiue presbytero illam diu tenente, & Nothone eidem in ea ſuccedente, ſicut Hlotharius Imperator in epiſtola Leoni Papæ, poſtquam cum fratre ſuo rediit in concordiam, directa demonſtrat, & Ebbone vt præmiſimus ad aliam Eccleſiam tranſmigrato, tanto tempore paſtore vacabat, cum eis tractare cœpit. Qui auctoritate Damaſi Papæ de Epiſcopis, etiam in ſtatu ſuo manentibus, & contra regulas tranſmigrantibus, ſed & Africani Concilij, quod miſſis Epiſcopis quibuſdam reſultantibus, Eccleſiæ diutino tempore pro fuga Equitij deſtitutæ iuſſit ordinari Epiſcopum; vnanimi conſenſu, neceſſitate cogente, & ratione atque auctoritate ſuadente, decreuerunt vt iàm poſt decennium, quàm idem Ebbo amotus fuerat, in Remenſi Eccleſia ordinaretur Epiſcopus. Vnde à clero & plebe ipſius Metropolis, ſed & ab Epiſcopis eiuſdem prouinciæ petitus, ſicut petitio eorumdem manibus ſubſcripta declarat, & ab Archiepiſcopo tunc ſuo Senonenſi, & proprio Epiſcopo Pariſiorum, necnon & à coepiſcopis aliis Senonenſis prouinciæ, cum conſenſu abbatis ſui, & fratrum monaſterij in quo degebat, fauente etiam domno Karolo rege glorioſo, Epiſcopis Remenſis prouinciæ, & clero ac plebi ipſius Metropolis, per canonicas literas ipſorum ſubſcriptas manibus, quas patenter nobis oſtendit, frater Hincmarus eſt traditus. Sicque de proprio iam Eccleſiæ ipſius clero effectus, cum decreto canonico eligentium manibus roborato, iudicio Metropolitanorum, & eorum qui circum circa fuerunt, ſecundum Laodicenſe Concilium, præſentia & vnanimi conſenſu omnium

Damaſus.

Conc. Afric. can. 45.

Can. 12.

ſuffraganeorum ipſius Metropolis, adſtante quoque Metropolitano ſuo, qui eum conſenſu coepiſcoporum ſuorum illis tradiderat, omnibus acclamantibus, nullo reſultante aut abdicente, canonicè, & iuxta decreta ſedis Romanæ Pontificum, veluti litteræ nobis oſtenſæ, quas Africanum Concilium ordinatum ab ordinatoribus ſuis iubet accipere, monſtrant, in ea eſt ordinatus. Qui iuxta ſanctionem Carthaginienſis Concilij, quam & auctoritas veſtra Apoſtolicis litteris ſuis inſeruit, quamque ſanctus Gregorius in epiſtola ad Galliarum Epiſcopos approbauit, mentis & corporis ad obediendum Epiſcopis & ordinatoribus ſuis colla ſuppoſuit. Emenſo autem anno poſt ordinationem eius, Hlotharius Imperator, pro contentione regni, quam erga fratrem ſuum domnum Carolum habebat, cuius obſequiis præfatus Hincmarus fideliter adhærebat, erga eum commotus, epiſtolas à Sergio Papa exegit pro refricando iudicio de Ebbonis abiectione, quaſi diſcordia eſſet in Remenſi Eccleſia pro eius ordinatione. Vnde idem Papa domno Carolo, ſed & Guntbaldo Archiepiſcopo, & eidem Hincmaro litteras miſit, vt cùm poſt diem ſanctæ Reſurrectionis miſſos ſuos in ſeruitium Imperatoris mitteret, Treuirim cum Epiſcopis ad hanc diſcordiam ſopiendam conuenire ſtuderent. Qui expectatis eiſdem Miſſis vſque ad condictum terminum, vt ab Epiſcopis illius temporis comperimus, minimè venerunt, ſicut in litteris continetur Hlotharij Imperatoris, & Caroli regis, & Epiſcoporum Ciſalpinarum regionum, quas ſanctæ memoriæ prædeceſſori veſtro Leoni directas didicimus, & in ſcrinio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſeruari credimus. Hæc ſicut veſtra iuſſit auctoritas, quæ de Ebbonis quondam Archiepiſcopi, quæ ante triginta & tres circiter annos extitit, abiectione, & poſt de ipſius reſtitutione, necnon & de fratris Vulfadi ac collegarum eius promotione, & iam dicti Ebbonis iterata repulſione, ad aliamque Eccleſiam migratione, in eorum qui iam nos ad Dominum præceſſere ſcriptis, verùm & quæ illorum qui interfuerunt veridicis, vt putamus relationibus comperimus, ſubiungentes quædam de electione reuerendi fratris & coepiſcopi noſtri Hincmari, veſtræ auctoritati deſtinamus. Scripta quoque, quæ hinc à veſtra auctoritate directa, & veſtræ ſanctitati remiſſa relegimus, ordine quo miſſa vel remiſſa fuerunt, ſecundum veſtram iuſſionem in volumine iſto congeſſimus. Et ſi fortè alia ex hoc negotio aut à vobis aut ad vos miſſa fuerunt, nos tamen non legimus. Quæ etiam frater & conſacerdos noſter Hincmarus nobis veſtræ auctoritati mittenda porrexit, ſecundum quod præcepiſtis, dicentes inter alia, *Quæcumque ſuper hac re ſcripta à nobis priùs & nunc, quàm à vobis edita reperiuntur, & quid hinc coepiſcopus Hincmarus, & illi deiecti clerici ſedi Apoſtolicæ ſuggeſſerint, atque retulerint, in volumen vnum, ordine quo miſſa ſunt redigantur, & Apoſtolicæ ſedi, vt competens eſt, vobis eorum exemplaribus reſeruatis, ſummo ſtudio dirigantur*, his ſubiuncta dirigimus. His ergo ita pro quantitate intelligentiæ noſtræ decurſis, ſummiſſæ deuotionis obſequio veſtri Apoſtolatus exoramus magnificam beatitudinem, vt ſapientiſſima indagine conſideratis vtriuſque partis relatis, more beatiſſimorum prædeceſſorum veſtrorum, quæ de ſtatu ſacri pontificalis ordinis ab eis ſtatuta & irretractabili auctoritate firmata ſunt, vt immota de cetero maneant,

mucrone Apoſtolico quorumcumque Metropolitanorum temeraria præſumptione ſuppreſſa, quin etiam reliquorum Epiſcoporum quorumcumque, ſeu quantotumcumque, audaci conniuentia penitus ſummota, priuilegia & decreta ſeruari innouata conſtitutione decernatis: ita vt nec veſtris, nec futuris temporibus, præter conſultum Romani Pontificis, de gradu ſuo quilibet Epiſcoporum deiiciatur, ſicut eorumdem ſanctorum anteceſſorum veſtrorum multiplicibus decretis & numeroſis priuilegiis ſtabilitum modis mirificis extat: videlicet ne aliqua varietate & vilitate ſummus ordo diaboli adminiſtratione nutare aut irregulariter labefactari ſinatur, domine beatiſſime, & omni orbi Papa celebrande. Veſtram denique inter hæc ſanctiſſimam & præſtantiſſimam ac piiſſimam paternitatem cum omni ſupplicationis deuotione petimus, vt conſulentes laboribus atque afflictionibus noſtris aſſiduis, & Eccleſiarum commiſſarum nobis, fratris & conſacerdotis noſtri Vulfadi ordinationem, cuius reſtitutioni & promotioni propitiari dignati fuiſtis, largitione quoque vſus pallij confirmare & condecorare dignemini, & his omnibus quæſtionibus paterna benignitate, incumbente vobis ſollicitudine totius vniuerſalis Eccleſiæ, terminum perneceſſarium ponere deliberetis. Sacri culminis veſtri Apoſtolatus proſperitatem, ad honorem & tutamentum ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, Chriſtus IESVS diutius conſeruare dignetur.

Hæc ſunt nomina Epiſcoporum, qui huic Trecaſſinæ Synodo interfuerunt.

Hincmarus Remorum Epiſcopus.
Herardus Turonum Epiſcopus.
Vvenilo Rotomagenſis Epiſcopus.
Frotarius Burdegalenſis Epiſcopus.
Hegilo Sennenſis Epiſcopus.
Vvlfadus Bituricenſis Epiſcopus.
Rorhadus Sueſſonum Epiſcopus.
Actardus Namnetis Epiſcopus.
Hildegarius Meldenſis Epiſcopus.
Æneas Pariſij Epiſcopus.
Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus.
Giſlibertus Carnotenſis Epiſcopus.
Ercanraus Catalaunenſis Epiſcopus.
Etcambertus Baiocenſis Epiſcopus.
Odo Belgiuacenſis Epiſcopus.
Folcricus Trecaſinenſis Epiſcopus.
Liudo Auguſtidunenſis Epiſcopus.
Ioannes Camaracenſis Epiſcopus.
Hilduinus Ebrocenſis Epiſcopus.
Abbo Neuernenſis Epiſcopus.

Et eorum Metropolitanorum Epiſcoporum ſigillis hoc volumen præſtantiæ veſtræ directum ſuperſigillari nobis eſt viſum. Data IV. Nonas Nouemb. Indictione prima.

CAROLI CALVI REGIS EPISTOLA, Ad Nicolaum Papam.

De Ebonis cauſa, vt Pontifex per Anſegiſum mandarat, vberrimè ſcribit. Excuſat deinde acceleratam Vulfadi promotionem, & pallium pro eo petit. Actardum etiam Epiſcopum legatum ſuum commendat.

Nunc primùm edita ex codicibus Laudunenſi & Leodienſi.

DOMINO ET REVERENTISSIMO PATRI NICOLAO, Catholicæ & Apoſtolicæ ſedis ſummo Pontifici, & vniuerſali Papæ, Karolus gratia Dei rex, & ſpiritalis filius veſter.

QVAMVIS omnium Deo miniſtrantium ſacerdotum ſint expoſcenda ſuffragia, & veneranda faſtigia, congruum decentiſſimúmque, pater ſanctiſſime, Antiſtitúmque excellentiſſime, noſtra competit liberalitas, veſtræ præ ceteris reuerentiæ pontificatus regia colla ſubmittere, veſtriſque ſaluberrimis monitis aurem cordis ad obtemperandum humillima deuotione ſubdere. Quippe quem luce clariùs cernimus, Eccleſiæ inter mundi turbulentam voraginem fluctuantem ſolidiſſimam ancoram conſtitutum, paxillúmque immobilem, in quo ſarcinam dependere noſtrorum valeamus peccaminum, Dei gratiſſima clementia credimus attributum. Tanto namque erga beneuolentiam pietatis veſtræ noſtra feruentiùs ardeſcit humanitas, quanto vos perſpicimus vnicum ad defenſionem crudelium beluarum Eccleſiam Chriſti infeſtiſſimè lacerare volentium extitiſſe. Igitur quoniam ſanctitatis veſtræ litteris Epiſcopis regni noſtri mandaſtis, vt de cauſa Ebonis vobis ſcriberent quicquid ſecundum veritatem competire poſſent: nobis verò non litteris, ſed per ſeruum veſtrum Anſigiſum monachum, quando hoc anno infirmato Egilone Archiepiſcopo ſecundò Romam ad veſtram paternitatem rediit, mandaſtis vt vobis veritatem rei ſcriberemus, & ſcripto noſtro ſignaremus. vt verò veſtræ ſanctæ paternitati in omnibus pareamus, quę de ipſo vidimus & ſcimus, fideliter vobis ſignificamus. Nam nullus Epiſcoporum iam ſupereſt, pręter Rothadum, qui tunc ipſius cauſæ interfuerit. Ac ne quid prætere pariamur intactum, primò de natalibus ipſius cenſuimus exequendum. Ipſe igitur Ebo regij fiſci familia oriondo progreſſus, regia pietate pij ac glorioſi aui noſtri Karoli ſuſceptus, palatinis negotiis non mediocriter adnutritus, libertate donatus, ob nobilitatem vehementis ingenij, in ſacris ordinibus gradatim promotus, genitori noſtro Hludouico piiſſimo Auguſto Aquitanicum regnum regenti ab eodem glorioſo eſt ad ſeruiendum deputatus. Quem ipſe ſeruitio ſtrenuum, ingenióque agilem comperiens, non poſt multum temporis Bibliothecarium conſtituit. Poſt obitum verò diuæ recordationis aui noſtri Karoli excellentiſſimi Imperatoris, genitor noſter Hludouicus piiſſimus Auguſtus, Deo donatore, paternum adeptus imperium, Remorum venit ad vrbem: vbi præceſſor veſter ſanctæ memoriæ Stephanus ſummus Pontifex ei obuiam venit, atque in imperij honorem eum Deo inſpirante conſecrauit. Eo tempore Vulfarius præfatæ vrbis venerabilis Archiepiſcopus valida vexabatur infirmitate, qua & mortuus eſt. Eo autem defuncto, & ab Imperatore, ſecundum ſacrorum canonum inſtitutionem, plebi electione conceſſa, contigit eos quendam virum, Giſlematum nomine, ad pontificatus honorem elegiſſe. Qui dum ante Epiſcopos diſcutiendus adſediſſet, oblatus eſt ei textus Euangelicus. Cùm autem ipſum aliquatenus legere, nihil tamen intelligere omnes pariter cognouiſſent, reprobatus ac velut inſipiens ab omnibus eſt deiectus. Tunc verò domno Imperatori viſum eſt, vt præfatus Ebo pro ſcientiæ capacitate, meritorúmque reuerentia, ad iam dictum promoueretur Epiſcopatum. Quod cùm plebi atque omnibus ſanè ſapientibus eſſet relatum, placere ſibi omnes vnanimiter adfirmauere: ac ſic ſecundum canonicam inſtitutionem eſt Archiepiſcopus ordinatus. Prima verò vice, quando inſtigante diabolo Francorum populus Imperatorem ſibi à Deo ordinatum,

& ab Apoſtolica ſede coronatum, ſuo ſunt multi propellere imperio, ipſe Ebo in ipſius fidelitate immobilis perſtitit, &, vt rectum erat, vſque ad recuperationem perſeuerauit. Secunda verò, cùm hurtatu & molimine Hlotharij fratris noſtri omnis populus à piæ recordationis genitore noſtro receſſit, & eum, vxore ipſius in Italiam, Tardonem ſcilicet ciuitatem, abducta, cuſtodia mancipauere, nos quoque, non adhuc decennem, quaſi multorum criminum obnoxium, pari cuſtodia Prumia monaſterio mancipandum delegauere. Abducto autem Imperatore à Hlothario Sueſſionis monaſterium S. Medardi, ipſe Ebo, cum aliis pene omnibus Epiſcopis, quibuſdam volentibus, quibuſdam inuitis, iam dictum Imperatorem nec confeſſum, nec ab aliquo conuictum, vxore & filio, & omnibus fidelibus, dignitate priuatum, ab Eccleſiæ communione remouerant. Tandem verò clementia miſerantis Dei humilitatem pij Imperatoris reſpiciens, tetigit corda quorum voluit, & vt eum cuſtodia educerent, & imperio reſtituerent, ſua inſpirauit miſericordia. Quem in Monaſterio beatiſſimorum martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij à cuſtodia reducētes, Archiepiſcopi & Epiſcopi, vt dignum erat, ſe in eum humiliter deliquiſſe confitentes, veniam ab eo ſuppliciter poſtulauerunt, Hlotharium vero ab imperiali poteſtate ſecedere hortati ſunt. Vnde ipſe, & qui cum eo erant, ab illo in alias partes receſſerunt. His Ebo compertis, dum Remis moraretur, territus Pariſiacam fugit ad vrbem ad quendam recluſum, vt ſaltem cum eo deliteſcens, Imperatoris iram euaderet. Imperator namque hoc audiens, quia non longè erat, ſtrenuos & fideles nuntios dirigens, eum comprehendi & cuſtodia mancipari iuſſit, Eccleſiam verò Remenſem Folconi venerabili Abbati commendauit. Inde Mettis ciuitatem eſt ductus, vbi in Eccleſia S. Stephani ambonem coram omnibus conſcendens, profeſſus eſt non æquum in glorioſum Imperatorem dominum ſuum intuliſſe iudicium. Ibi etiam idem piiſſimus Imperator ab omnibus Epiſcopis, clero, & populo, eſt honorabiliter coronatus, & priſtino reſtitutus imperio. Hinc iterum placito generali conuocato, præfatum Ebonem ſibi iuſſit exhiberi, & eum pro illata iniuriarum contumelia, ac nonnullis Epiſcopis præſentibus, Epiſcopi ſiquidem Imperatori ſatisfacere, & pontificalem reuerentiam ſeruare cupientes, obtinuerunt apud eundem Imperatorem, vt non coram laicis, ſed in ſacrario ipſius Ebonis cauſa diſponeretur. Ebo autem omni temporali priuatus ſubſidio, omníque humano deſtitutus ſolatio, tempori conſùlens, accerſito quodam recluſo, nomine Framegaudo, miſit per eum genetrici noſtrę Iudith glorioſæ Imperatrici anulum, quem ab ea quondam acceperat, quem etiam, quotieſcumque aliquo tangebatur incommodo, mittere ſolebat, & vt ſui miſereretur flebiliter perorauit. Eundem verò anulum genetrix noſtra in ipſo noſtræ natiuitatis articulo, quia Archiepiſcopus erat, pro ſua religione & ſanctitate, vt noſtri iugiter in ſuis orationibus memor eſſet, ei miſerat. Tunc ipſa horum reminiſcens, eiúſque lacrymabilia ſuſpiria agnoſcens, pio ſuaſu apud Epiſcopos, qui illuc conuenerant, obtinere curauit, quatenus & Imperatoris animum ſatisfaciendo leniſent, & leges diuinas tranſgrediendo nōn violarent, ne fortè vindictam ſeueritatis exercentes in eum qui in eos deliquerat, non viderentur dignam Deo reddere viciſſitudinem, qui eos à tanto periculo miſericorditer liberauerat. Statuerat enim animo, vt pro reuerentia tanti miniſterij nullatenus in depoſitionē cuiuſquam Epiſcopi præberet aſſenſū. Et ob hoc apud pium Imperatorem obtinuit, ne in eius depoſitionem ampliùs impelleret. quòd & ſecundum moderatiſſimum eiuſdem genetricis noſtræ glorioſæ Imperatricis conſilium ſatisfacerent piiſſimo Imperatori, & in eundem Ebonem non aliam ſententiam intuliſſent, niſi quam ipſe ſcripto ediderat. Hanc autem authenticam ſcriptionem à præfato Fulcone venerabili Abbate, cui tunc Eccleſia Remenſis commiſſa fuerat, Hincmarus venerabilis Archiepiſcopus accepit, & vobis eam, vt ipſe nobis retulit, tranſmiſit. Sed verum purè ac ſimpliciter vobis ſit directa ignoramus. Hoc tamen veriſſimè nouimus, quòd nullus Epiſcoporum eam propria manu ſubterfirmauerit. Nam idem Ebo, comperta ineuitabili ſui diſcriminis cauſa, protulit tres teſtes, tanquam ſuos confeſſores, Aiulfum videlicet Archiepiſcopum, Moduinum & Badaradum Epiſcopos: qui vicem illius obtinentes dicerent, ſi ita verum eſt, vt ipſe Ebo eis confitebatur, conſilium ei darent, vt à pontificali miniſterio abſtineret. Qui etiam ſibi alios tres adſciuerunt, qui eum illis confitentem viderunt, Notonem ſcilicet

Archiepiſcopum, Theudericum & Actardum Epiſcopos. Quibus expletis, reductus eſt in cuſtodiam. His autem ab Epiſcopis taliter definitis, domnus Imperator per Godefridum monaſterij S. Gregorij venerabilem Abbatem ſuæ dignitatis litteras prædeceſſori veſtro domno Gregorio venerando Papæ dirigit, eius adſenſum, ſi fieri poſſet, in depoſitione ipſius Ebonis expoſtulans. Ipſe verò per præfatum Abbatem ſuę auctoritatis litteras ei remiſit, ſed quid in ipſis inſertum fuerit, omnibus Epiſcopis, & cunctis regni noſtri ordinibus habetur incognitum. Sed ſanctitatis veſtræ ſollertia per ſcrinia dignitatis veſtræ inueſtigare poterit, quid iſdem prædeceſſor veſter ſenſerit inde. Credimus tamen, quia ſi in abiectionem prædicti Ebonis domnus Imperator ipſũ prędeceſſorem veſtrum fautorem habuiſſet, continuò vacanti Eccleſiæ illi alium Pontificem ſubrogaſſet. Quod quidem moderatiſſimo conſilio agere differens efficaci egit ſagacitate, vt & ſic audacia in huiuſmodi viris temerariis deinceps comprimeretur, & Eccleſiæ ſtatus non labefactaretur. Poſt obitum verò domni Imperatoris, præfatus Ebo ab illo qui eum cuſtodiebat fratri noſtro Hlothario ductus eſt. Quem iſdem frater noſter venerabiliter & benignè ſuſcipiens, cum Epiſcopis qui cum eo tunc iuncti erãt, quorum ipſe Ebo vſus conſilio, dudum libellum ſuæ confeſſionis, vt Imperatori ſatisfaceret, communi eorum conſenſu ſuis gradibus eſt reſtitutus. Nobis autem pro imminentibus negotiis in Aquitaniæ partes ſecedentibus, ab vniuerſo Remenſis Eccleſiæ clero & populo auidiſſimè expetitus, ſicque demum à coepiſcopis & ſuffraganeis ſuis ſedi priſtinæ eſt reſtitutus. Cui tunc omnes qui adfuerũt communicauerunt, omnéſque ſuffraganei, qui eo abſente ordinati fuerant, anulos & baculos, & ſuæ confirmationis ſcripta, more Gallicarum Eccleſiarum ab eo acceperunt. Vniuerſis autem, quibus ad eum præſtabatur acceſſus cõmunicantibus, Vulfadum & alios quoſdam ipſius Eccleſiæ filios ibi ordinauit. Hæc de Ebonis deiectione & reſtitutione breuiter prælibauimus, vt ex his veſtræ ſagacitatis decernat prudẽtia, vtrum hæc ad Vulfadi pertineant depoſitionem, necne. Si quis autem veſtrę ſanctitati intimauit, quod iſdem ad Sueſſionicã Synodum canonicè vocatus fuerit, & ſuæ damnationis litteras firmauerit, aut porrexerit, ſciatis nullatenus verum eſſe, quia nec ipſi Synodo interfuit. His ita geſtis, neceſſarium duximus nos humillimè & deuotiſſimè ante conſpectum maieſtatis veſtrę noſtris apicibus excuſabilem reddere, eo quòd ante reuerſionem Egilis reuerendi Archiepiſcopi, vel reſcriptionem veſtri præſulatus, præfato Vulfadõ ſedem Bituricenſis Archiepiſcopatus commendauimus, & cũ Epiſcopi nulla temeritate, ſed magna incumbẽte neceſſitate, fiſi de magnitudine miſericordiæ veſtræ, ad honorem Epiſcopatus prouexerunt. Ideo enim eum in illas Aquitaniæ partes ad filium & æquiuocum noſtrum direximus, & Eccleſiam illam ei commendauimus, quoniã eum in educatione alterius filij noſtri, Karlomanni ſcilicet ſerui veſtri, quem veſtrę beatitudini ſpecialiter commendauimus, & aliis vtilitatibus noſtris, experti ſumus & ingenio ſtrenuum, & moribus probum, & nobis in omnibus fideliſſimum. In qua acceleratione ſi quid veſtræ ſanctæ ſerenitatis animo diſplicuit, veſtra ſancta paternitate nobis donari depoſcimus. Et quia in eodem regno magna paganorum perſecutio graſſabatur, quos miſericors Dominus per filium noſtrum & fideles ſæpe proſtrauit, & ea occaſione non minor malorum Chriſtianorum infeſtatio latiùs efferuebat, ſicut hic noſtrarum apicum gerulus viua voce vobis indicare poteſt; ipſa vrgente neceſſitate ipſius regni excitati Epiſcopi, ne maiora mala ſupercreſcerent, & præſentia ſedarentur, & quoniam illius regionis ſedes illa principatum obtinet, vt eius prudentia & vigore, auctoritate etiam ſedis freti, faciliùs mala exorta compeſcerent, tempori conſulentes eius ordinationem maturauerunt. In cuius ordinationis maturatione quia veſtra licentia, pro iam dicto imminente periculo, expectata non eſt, veſtra benigniſſima ſanctitate petimus indulgendum. Præterea veſtram præ omnibus glorioſam & amplexabilem paternitatem ſuppliciter exoramus, vt ſi quid in ſanctis promiſſionibus veſtris conſidere audemus, hinc appareat nos apud vos plurimum poſſe, vt quicquid in prædictis dimittendum eſt dimittatis, & prædictum fideliſſimum ſeruum veſtrum Vulfadum pallio Apoſtolicæ auctoritatis exornando decoretis, & decorando confirmetis. Actardum Namneticæ quondam ſedis venerabilem Epiſcopum, exilium, vincla,

mare, dura pericula paſſum, ſed gratia Dei liberatum, Normannis nimium Brittonibúſque vicinum, ac perinde ciuitas ſibi commiſſa, olim florentiſſima, nunc exuſta & funditus diruta, redacta per decennium cernitur in eremum, fidelem legatum noſtrum veſtræ ſanctiſſimæ paternitati dirigimus, quod litteræ noſtræ minus habent, pro tempore & per ſpatium vobis placens verbo tenus ſignificandum. Cui quia nulla manet ſpes in ptopria, ſi annuit & fauet vigilantiſſima veſtræ diſcretionis ſollertia, voluntate & mente promptiſſima optamus vacantis ſedis conſtituatur in cathedra, quo poſſit iniuncta ſibi & ordinata peragere miniſteria, quoque valeat vtilitatibus Eccleſiaſticis, & obſequiis parere noſtris. Qui Romæ deſtinauit aliquas facere motas, vt aduentantibus Brittonibus poſſit coràm poſitus eos conuincens, ſuæ Eccleſiarúmque vicinarum ab eis perpetrata pandere detrimenta. Vnde Synodus Sueſſionica & Tricaſſina ſe monuerat legationem ſumere, quatenus gens temeraria, fallax, & barbara, Apoſtolico mucrone à talibus auſis exceſſibus coerceatur, & præſumptione præſenti. Huic noſtro alumno, veſtróque clientulo, ſolito more oramus pietatis veſtræ caritoſiſſima viſcera patula fore: quo valeat mens diutino quaſſata mœrore viuis ac ſalientibus reſolidari & recreari fluentis.

Cod. Lavdvn. Has proximè præcedentes epiſtolas Actardus, Namneticæ vrbis Epiſcopus, à Synodo apud Trecas habita Romam deferens, Nicolaum defunctum, & Hadrianum ordinatum loco eius inuenit, cui & epiſtolas tradidit. Ad quas iſdem Hadrianus Papa iſtas quæ ſequuntur epiſtolas reſcripſit. duas ſcilicet ad Epiſcopos, qui præfatæ Synodo interfuerunt, quarum vnam detulit Sulpicius miſſus Vulfadi, alteram Actardus, ſimul cum epiſtolis quæ ſequuntur, Karolo regi & Hincmaro Remenſi Epiſcopo miſſis.

HADRIANI II. PAPAE

EPISTOLA I.

Ad Synodum Tricaſſinam.

Probat illorum in colligendis geſtis diligentiam, & pallium concedit Vulfado. Hortatur vt Nicolai nomen ſcribant in diptychis, caueántque ne quicquam contra eius acta vel decreta tentetur.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, ſanctæ & in Chriſto diligendæ Synodo apud Trecas collectæ.

Epiſt. 12. LEGATIONIS veſtræ ſcripta, beatæ memoriæ deceſſori meo Papæ Nicolao miſſa, nos iam in ſede illius diuina dignatione locati ſuſcepimus, promptiſſimámque obedientiam veſtram, quam in colligendis geſtis ſecundum definitionem prænominati ſanctiſſimi Præſulis exhibuiſtis, laudauimus. Et licet ad ſeriem rerum geſtarum luce clariùs agnoſcendam non ſufficiant, quæ tam de Ebonis deiectione, quàm de his quæ poſtmodum acta ſunt, vnanimitas veſtra deſcripſit, & nonnulla relationi veſtræ deſint eorum quæ ſuper his geſta ſunt;

quæque iam memoratus & ſemper memorandus Pontifex Apoſtolicæ ſedi voluit ex integro referari: pium tamen laborem veſtræ ſanctitatis, & ſtudium non ſolùm laudabile, ſed & longè lateque prædicabile iudicamus. Innocentia quippe iam nunc fratris & coepiſcopi noſtri Vvlfadi, & collegarum eius, quam quidam emergens caſus per non breuis temporis intercapedinem obumbrauerat, retractatione & refricatione veſtræ ſacratæ, & Apoſtolicæ ſedis auctoritate frequenter adunatæ ſolertiæ ecce, Deo gratias, venit ad lucem, & iuſtitiæ ſuæ radios ad omnium omnino certitudinem foras quaſi ſolis ſplendor extendit. Ideóque nos veſtrum iudicium, ac veſtram ſententiam, quam Apoſtolicæ ſedis cenſura, ſicut exegit ordo, præceſſit, approbamus, admittimus & corroboramus: atque poſtulationi veſtræ, cui quicquam negari difficillimum eſt, annuentes, ad pleniorem confirmationem, vſum pallij iam dicto fratri noſtro Vvlfado Bituricenſi Antiſtiti, ſecundum priorem conſuetudinem, ad genium & decus Eccleſiæ ſibi commiſſæ, & inſtructionem ipſius concedimus. Quod etiam ſæpe memoratus deceſſor noſter iamdudum libenter annueret, ſi quæ nunc miſiſtis ipſe reciperet, vel ſi is qui hoc ſuſcipere conabatur, à Bituricenſi miſſus probaretur Eccleſia. Sed quod ille non egit, ecce nos egimus. Quin potius, quod ille perficere deliberauerat, nos ecce Deo auctore ſuppleuimus. Non quippe eſt diuerſitas operis, vbi eſt vna eadémque concordia voluntatis: præſertim cùm debeamus ei in labore ſuccedere, cui ſucceſſimus in honore. Nimirum qui ſumus, vt Pſalmiſta canit, *Pro patribus nati filij*, & conſtituti, quamuis longè meritis impares, ſuper omnem vniuerſalis ſanctæ Eccleſiæ terram. Precamur autem, & obſecramus in Domino, vt ſicuti nos vnanimis fraternitatis veſtræ precibus annuimus, & aſſenſum de cetero non ſolùm in hoc, ſed & in omnibus præbere diſponimus: ita quoque vos meis nunc votis ſatisfacere procurantes, crebrò dictum Apoſtolicæ recordationis Papam Nicolaum in codicibus vel diptychis Eccleſiarum veſtrarum ſcribi, & nomen eius inter ſacra Miſſarum ſolemnia inprætermiſſè recitari faciatis: ita vt aliis quoque fratribus, & diœceſeon veſtrarum ſacerdotibus, id ipſum agere præcipiaris. Nihilominus verò ſuadere veſtræ dilectioni curamus, & admonemus, vt tam Græcis principibus, quàm omnibus omnino clericali fungentibus ordine, contra perſonam eius, vel acta ſeu decreta ipſius, agere vel decernere quicquam tentantibus, tam verbo, quàm ſcripto viriliter obuieris, ac validiſſimè reſiſtatis. Scientes præterea, quia quæcumque hîc aduerſus eius perſonam vel decreta gerentur, me his nunquam præbiturum fore conſenſum: nec eis, à quibuſcumque vel quomodocumque fiant, meum intereſſe mentis, vel definitionis, aut diſpoſitionis affectum. Quanquam ſi quilibet Apoſtolicæ ſedis miſericordiam humiliter poſtulauerint, circa hos præmiſſa ſatisfactione mitiùs agere nullo modo velimus inflexibiles apparere. Tantùm ne huiuſmodi homines ſic innocentiam ſuam aſſerere ſtudeant, vt in accuſationem tanti Pontificis, maximéque in Dei iudicio collocati, quoquomodo prorumpere audeant: præcipuè cùm illum, dum aduixit, nemo impetere præſumpſerit, vel eum de iniuſto iudicio arguere vel tenuter auſus extiterit. niſi fortè hunc quis humiliter adiit, cui ille ſatisfactione nondum curata iure remittere non conſenſit. Eſtote igitur circa hæc vigiles, eſtote fortes, & iſta omnibus vltra

Pſal. 44. 17.

Alpes conſtitutis Epiſcopis nunciantes, vt & ipſi quoque ſuper his ſolliciti & intenti propugnatores ſint, ſalutaribus monitis incitate. Quoniam ſi ſedis Apoſtolicæ Præſul, vel ipſius decreta, deteſtationi vel abdicationi habentur, nullius veſtrûm vel nomen vel inſtitutum firmum aut ſtabile permanere valebit. Quin potius & dogmatibus, quę de ſancta & indiuidua Trinitate à Præſulibus ſedis Apoſtolicæ promulgantur, nonnulla poſſunt fieri detrimenta, ſi pręcedentium quorumque, & maximè primę ſedis, Pontificum ſtatuta vel vlli, quod dici nefas eſt, quin & ipſo auditu prorſus horrendum, à ſubſequentibus quibuſque, immo & inferioribus, abolitioni cuidam vel damnationi ſubiiciantur, vel impiæ temeritatis auſu ſaltem ſoli derogationi prodantur. Sanctam fraternitatem veſtram optamus nunc & ſemper in Chriſto bene valere. Data IV. Nonas Februarij, Indictione prima.

Iuo Part. v. cap. 34.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA II.

Ad Epiſcopos Synodi Sueſſionenſis.

Actardum Epiſcopum, pro quo ſcripſerant, Eccleſiæ quæ vacabit, etiam Metropolitanæ, incardinari iubet, eique ad afflictionum ſolatium pallij vſum concedit.

REVERENTISSIMIS ET SANCTISSIMIS confratribus & coepiſcopis noſtris, qui præterito anno apud Sueſſionicam vrbem conuenerunt.

* Epiſt. XI.

INTER cetera, quæ Apoſtolicæ ſedis auctoritate in idipſum conuenientes, de fratre iam & coepiſcopo noſtro Vulfado & collegis ipſius præterito anno ſynodicè definiſtis, etiam Apoſtolicæ ſedi cauſam venerabilis fratris noſtri Actardi, Namneticæ quondam vrbis Epiſcopi, ſeu tribulationes expoſuiſtis: ſimul etiam hunc mirificè commendantes, quo illi à tanta ſede ſubueniretur, vnanimiter ac magnopere poſtulaſtis. Quorum relationem, ſiue ſuggeſtionem, tanto gratanter, tantóque libenter nos, iam Deo auctore illius ſedis licet immeritò moderamine potiti, ſuſcepimus, quanto hanc ex fraternæ dilectionis affectu prodiiſſe luce clariùs intelleximus. Præcipuè cùm ei vobiſcum præceſſorum meorum, Leonis ſcilicet & Nicolai, ſanctiſſimorum Præſulum recenſita ſcripta non parui pendendum perhibeant teſtimonium. Igitur illi omnium qui in Concilio Tricaſſino inuenti ſunt legatione fungenti, & inſtantiùs pro hoc ſatagenti, pallium fratri & coepiſcopo noſtro Vulfado ſanctæ Bituricenſis Eccleſiæ, ſicuti iam per alia ſcripta ſignificauimus, deferendum commiſimus. Sed quia idem reuerendus Antiſtes, vt veſtra relatio manifeſtat, à propria Eccleſia diutino iam tempore paganorum perſecutione propulſus, hac illácque peregrè proficiſcitur, huc atque illuc multis iam feſſus ærumnis vagabundas incidit, valde dolemus, & ei fraterna vincti caritate compatimur. maximè cùm Apoſtolicè dictum ſit: *Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Illud ſanè præcipuè flentes, quòd tantæ ſcientię tantæque morum probitatis viro ſub huiuſcemodi pretextu va-

a Ioan. 3. 17.

cante, maximum diſpendium dominicis ouibus generetur: dum ſcilicet vtilitas, quæ per hunc Eccleſiæ Chriſti prouenire poterat, tantis iam temporibus excludatur. Qua de re ſecuti prædeceſſorum patrum inſtituta, & Apoſtolicæ ſedis exempla Pontificum, præcipuéque beati Papæ Gregorij, qui circa huiuſmodi, quæ nos nunc erga præfatum Antiſtitem Deo fauente ſtatuimus, ſæpe ſtatuiſſe dignoſcitur, decernimus hunc ſanctiſſimum crebrò iam dictum fratrem noſtrum & coepiſcopum Actardum Eccleſiæ, quæ fortè ſuo fuerit viduata rectore, penitus incardinari: quatenus in ea conſtitutus, & officia Epiſcopalia, quæ per impoſitionem manus accepit, exerceat, & paſtorale miniſterium ſolenniter agens, oues Dominicas ſapientiæ ſibi diuinitus attributæ ſale condiat, & de hac lucrum conditori ſuo ſine quolibet impedimento reportet. Si tamen eius Eccleſia, vt ipſius, & Metropolitani proprij, ac litterarum veſtrarum circumſtantia innuit, funditus diruta, & per nonnulla curricula iam in ſolitudinem redacta eſſe dinoſcitur: paganis videlicet non ſolùm tranſitum, ſed etiam ſtationem ibidem facientibus, ac per hoc depopulatis vndique locis habitatore carentibus, ſublatis etiam à Britonibus ſibi quæ remanſerunt rebus. Nec ei minorem quàm ſua fuerat dari volumus: cùm, licet hoc minimè poſtulet, ne videlicet alicuius ambitionis fama notetur, etiamſi ſe Metropolis fortaſſis obtulerit, conueniat conſequi potiorem. Nimirum qui inter cetera virtutum ſuarum inſignia barbarorum rabiem ſæpe perpeſſus, Chriſtumque confeſſus, iam nunc Deo iure dicere debeat, *ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Pro cuius rei obtinendo prorſus effectu, dilecto filio noſtro Karolo glorioſo Regi preces direximus, & ecce veſtram vnanimem caritatem, quo pietatis huius operis fauorem & ſtudium curetis indeficiens præſtare, præſentibus hortamur affatibus. Et vt noſtram vultis erga vos in opportunitatibus eſſe beneuolentiam: ita veſtra erga hunc fratrem, cui manum porrigimus, vobis quoque manum porrigentibus, donec quod decreuimus effectum capiat, promptiſſima pateſcat induſtria. Si quidem & nos, illius multiplici miſeriæ, & diutinæ peregrinationi, atque continuo mœrori compatientes, decus illi pallij ſolo miſerationis affectu contulimus. Quod non aliter illi, nec cuilibet abſque Metropolitis concederemus, niſi multoties hunc exilia, mare, vincula paſſum, etiam ad capitalem ſententiam frequenter tractum fuiſſe comperiſſemus: & niſi hoc ipſe ſuis tantis ac talibus detrimentis, quin potius meritis, pro celerrimæ conſolationis ſolatio meruiſſet, vt ſcilicet habeat pro exilio & catena pallij ornamenta, non ad Eccleſiæ, cui incardinandus eſt, perpetuum inſtitutum, ſed ad ſuum ſpecialem certíque temporis vſum. Si quidem indignum ducimus, quemquam ad Apoſtolicam ſedem, vbi ſemper catholicis ſubuenitur, accedere tribulatum, & non ex quauis parte conſolatum recedere. Debet enim noſtra compatiendi abundantia aliorum ſuppleri inopia, quo valeat eſſe mœrens cum gaudentibus gaudens, & conſolatus iam queat Deo auctore conſolari eos qui in omni preſſura ſunt, per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Pſal. 93. 19.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA III.

Ad Carolum Caluum regem.

Reſpondet litteris quas ad Nicolaum de Ebone ſcripſerat pallium Vulſado concedit, petit vt Actardo faueat ad vacantem Eccleſiam adipiſcendam.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Carolo glorioſo regi.

Epiſt. xii. ACTARDVS, venerabilis quondam Namneticæ vrbis Epiſcopus, ad Apoſtolica perueniens limina, veſtræ celſitudinis epiſtolam detulit. quam quidem vos ſanctæ memoriæ deceſſori meo Papę Nicolao deſtinaſtis: ſed nos iam vice illius in Apoſtolica ſede dignatione ac miſeratione diuinæ magnitudinis ordinati ſuſcepimus. Vnde quæ ab illo flagitata ſunt, nos pro viribus, indigni licet heredes, ſupplere, & opitulante Chriſto forte tanquam non ingrati filij paternum debitum perſoluere maturauimus. Quamdiu enim merita B. Petri Apoſtoli Deo, cui omnia viuunt, non moriuntur, nequaquam fidei ſuæ vel ſollicitudinis heredes deficient: nec deerunt prorſus qui regulam, quam circa Deum feruentiſſimæ caritatis oſtēdit, pro quantitate virium, próque capacitate diuinitus collati doni ſequantur. Ipſe namque quicquid ab indignis miniſtris negligenter agitur ſuppler. ipſe locum, quem olim delibatione proprij corporis Domino conſecrauit, quiſcumque vel qualiſcumque vicarius extet, ſuæ tamen claritatis lumine hodiéque indeficienter illuſtrat. Cui etſi deſunt merita ſucceſſoris, ſed adſunt beneficia deceſſoris, ac primi ſedis eiuſdē ſeſſoris. Itaque de Ebonis quondam Remenſis Archiepiſcopi qualiſcumque reſtitutionis negotio benignitatis veſtræ litteris ſatis edocti, obedientiam & ſtudium, quod hinc iuxta definitionem Apoſtolicæ ſedis exhibuiſtis, approbauimus, & auctori, à quo cuncta bona procedunt, immenſas gratiarum actiones perſoluimus. Verùm illa ſi eſſent, Apoſtolica ſedes de Ebone ad liquidum inuenire ſatagebat, quæ reſtituendis à fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro olim deiectis clericis poſſent aliquid generare diſcriminis. At verò cùm nec idem Ebo erroris alicuius defenſioni, quo hereticus quis efficitur, dederit operam, nec iam memorati clerici aliud in hoc niſi humilitatem & obedientiam exhibuerint, illa quæ de Ebone dici poſſunt, quia vt opinamur nihil ad vtilitatem proficiunt, iam iámque ſilentio contegantur: maximè cùm & ipſe, & omnes Epiſcopi, præter Rothadum, qui cauſæ illius notitiam habuere, deceſſerint, & præ longitudine temporis ad liquidum indubiè, quæ tunc acta ſuper hoc ſunt negotio, ſciri non poſſint, atque de his qui ad Dominum migrauerunt nobis facilè iudicare nō liceat. Cùm enim in manu iudicij Dei conſiſtant, ſi humanis diffinitionibus quidquam de his tribuatur, non ſolùm præſumptionis, ſed & damnationis eſt prorſus indicium. Ille quippe Ebo ſuo iam domino aut ſtat, aut cecidit. Quòd ſi ſtat, quis hunc conetur deiicere? ſi verò cecidit, quis nitatur erigere? niſi fortè is, qui ſua iudicia diuino iudicio præponere impia temeritate deliberat. Relinquatur ergo huiuſmodi Dei cunctarum intentionum ſcrutatoris iudicio: nimirum qui ſecundum Apoſtolum conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorū, quique iuxta fidei noſtræ ſtabile fundamētum, iudicaturus eſt viuos & mortuos. Act. 10. 42. Præterea non modicas gratias veſtræ benignitati referimus, quoniam prælatis reſtituendis clericis, quibus Apoſtolicam ſedem manum porrigere ſenſit, ipſa quoque ad laudem Dei, & reuerentiam principum Apoſtolorum, necnon & honorem ſedis ipſorum, manum porrigere alacri ſtudio procurauit. Quāobrem poſtulantibus iam vobis, vt primus eorum, Vulfadus ſcilicet frater & coepiſcopus noſter, pallij vſu more deceſſorum ſuorum noſtræ auctoritatis largitione decorari potuiſſet, meritò condeſcenſionis aures accommodauimus. Et quoniam in reſtituendis his cum ſedis Apoſtolicæ ſtudiis concordaſtis & concertaſtis, ad percipiendum quoque quod deerat, veſtrā flocci pendere dilectionem

ſatis inconueniens duximus. Innumeras nihilominus pietati veſtræ gratias rependimus, quoniam tanta compaſſionis viſcera circa prædictum fratrem noſtrum & coepiſcopum Actardum, ſicut ex relatione ipſius, & ex epiſtolæ veſtræ pio affectu datur intelligi, exhibere contendit, vt dolorum & ærumnarum ipſius maximam partem vos geſtare luce clariùs innoteſcat. Verùm nos votis excellentiæ veſtræ conſonantes, non ducimus tantum virum, & Eccleſiæ Chriſti perneceſſarium, debere tantis inuolui miſeriis, vel tantis grauari, cùm ſit etiam æraris maturitate maceratus, incommodis: præſertim cùm & ſcientia non contemnenda polleat, & hunc veſtri regni Eccleſiarum Præſulum relatio non parui pendenda commendet. Qua de re, ſi eius Eccleſia, vt ipſius, & Metropolitani proprij, ac multorum Antiſtitum, necnon & litterarum veſtrarum circumſtantia innuit, funditus diruta, & per nonnulla curricula iam in ſolitudinem redacta eſſe dinoſcitur; paganis videlicet non ſolùm tranſitum, ſed etiam ſtationem ibidem facientibus, ac per hoc depopulatis vndique locis habitatore carentibus, ſublatis etiam à Brittonibus ſi quæ remanſerant rebus, aliam ei vacantem duntaxat concedendam decreuimus. Cuius decreti neceſſario inſtituto libenter æquum more ſolito præbete pro Chriſti dilectione fauorem. Nec ei minorem, quàm ſua fuerat, dari volumus: cùm licet hoc ipſe minimè poſtuler, ne videlicet alicuius ambitionis fama notetur, conueniat conſequi potiorem. Nimirum qui inter cetera virtutum ſuarum inſignia, barbarorum rabiem ſæpe perpeſſus, Chriſtum confiteri non ſolùm coram hominibus, verùm etiam coram paganis & infidelibus non erubuit. Ei ergo, cuiuſcumque ſint numeri, meritò poſſunt oues Chriſti committi, qui ipſum Chriſtum etiam inter gladios & vincula diuerſáque pericula prædicare non renuit. Vnde & nos illius multiplici miſeriæ, & diutinæ peregrinationi, atque continuo mœrori compatientes, decus illi pallij ſolo miſerationis affectu contulimus. quod non aliter illi, nec cuilibet abſque Metropolitis concederemus, niſi multoties hunc exilia, mare, vincula paſſum, etiam ad capitalem ſententiam frequenter tractum fuiſſe comperiſſemus: & niſi hoc ipſe ſuis tantis ac talibus detrimentis, quin potius meritis, pro celetrimæ conſolationis ſolatio meruiſſet: vt ſcilicet habeat pro exilio & catena pallij ornamenta, non ad Eccleſiæ cui incardinandus eſt perpetuum inſtitutum, ſed ad ſuum ſpecialem certique temporis vſum. Potiatur igitur tanti decoris ornatu, qui inter ſacerdotum infulas præcipuum tenere locum dinoſcitur. quatenus etiam per hoc inſigne veſtra excellens admoneatur induſtria, & huius ſacrati muneris reuerentia pium cor veſtrum ſollicitiùs ac ſalubriùs vrgeatur, quo tantus vir veſtro quoque fauore vacantis, etiamſi ſe Metropolis obtulerit, Eccleſiæ moderamina conſequatur: ad excludenda videlicet cuncta contra ſe iniecta obſtacula, & peragenda diuinitus ſibi collata Epiſcopalia miniſteria. Si quidem indignum ducimus quenquam ad Apoſtolicam ſedem, vbi ſemper catholicis ſubuenitur, tribulatum accedere, & non conſolatum recedere: præſertim cùm quędam Romanorum principum, etiam à fide Chriſti extraneum, non debere quempiam ab Imperatore triſtem diſcedere perhibuiſſe quædam fateantur hiſtoriæ. Debet enim noſtra compatiendi abundantia aliorum ſuppleri inopia: quo valeat eſſe mœrens cum gaudētibus gaudens, & non in ſcabellum pedum in perſonarum acceptione cernuus, ſed conſolatus queat iam Deo auctore conſolari eos qui in omni preſſura ſunt, per Iesvm Chriſtum Dominum noſtrum. Oramus gloriam veſtram nunc & ſemper in Chriſto bene valere, dilectiſſime fili. Data vii. Kalendas Martias, Indictione prima.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA IV.
Ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem.

Laudat Hincmarum, eúmque hortatur, vt Carolum regem ad conſtantiam excitet in cauſa Lotharij, & vt Actardo vacans Eccleſia tribuatur.

Epiſt. xiii. Reverentissimo & ſanctiſſimo confratri noſtro, Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi. Licet frequens ſanctitatis tuæ fama, quæ nunquam niſi cum laude ſemper exiſtit, te nobis dudum fecerit manifeſtum; tamen vt virtutum probabiliúmque morum tuorum prędicamenta liquidiùs agnoſce-

remus, fratrum noſtrorum, videlicet Arſenij venerabilis apocriſiarij ſedis noſtræ, quin & Actardi, ſanctiſſimorum Præſulum, necnon & dilectiſſimi filij mei, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Bibliothecarij, fecit Anaſtaſij multis præconiis plena delectabiliſque relatio. Qua de re ſic animam meam tuæ dilectionis ardorem concepiſſe cognoſce, tanquam ſi millies mutuis frueremur alloquiis. Habeto ergo noſtræ repromiſſionis pignus, & in nobis, vt in noſtris anteceſſoribus, fiducia tota protſus innitere. Præterea ſanctitas tua bene nouit, quanta ſedes habuerit Apoſtolica in cauſa Hlotharij regis certamina, & per præſules ſuos, Benedictum ſcilicet & Nicolaum, quot hinc labores aſſumpſerit. Vnde & nos, habentes eumdem ſpiritum, quem & iidem patres noſtri habuiſſe probati ſunt, eadem hinc quę illi ſequimur & decernimus. Quamobrem tuæ fraternitatis induſtriam ſpecialiter admonemus, vti quod ſuper hoc olim negotio geſſiſti ſtudium nullatenus eneruari conſentias. ſed vice noſtra fretus, coram regibus & præſidibus de teſtimoniis Domini loqui non ceſſes: ita vt quod auctore Deo deſtructum eſt, nullis doloſè machinantium reædificari valeat argumentis. In quo videlicet pietatis opere, quia de regibus idem dilectus filius noſter Karolus, de ſacerdotibus verò, tu potiſſimum ſedi Apoſtolicæ ſedulè laboranti concuttiſtis & concertaſtis, tuam propriè cohortamur inſignem ſolertiam, quo & ipſa prauis viriliter obuiet, & prædictum piiſſimum regem, vti conſummet bonum quod inchoauerat, indeſinenter commoneat: quatenus & variarum virtutum veſtrarum tunica vſque ad talos pertingat, & ſacrificium boni veſtri operis Deo cum cauda oblatum holocauſtum effici mereatur: necnon & illud de vobis dicatur, quod de Iob ſancto, dum à diuinis non ceſſaret obſequiis, ſcriptis aſſeritur. videlicet vbi non legitur, quia ſic fecit Iob per *Iob. 1. 5.* aliquot dies, ſed ſic faciebat Iob cunctis diebus. Nam & ſancta animalia non poſt *Ezech. 1. 9* ſe, ſed ante ſe gradi viſa ſunt, cùm incederent. Porrò Actardum venerabilem Epiſcopum fraternæ caritatis vlnis amplectere, & in opportunitatibus pro beatorum principum Apoſtolorum amore ſemper auxiliari memento. Verùm non hæc ideo dicimus, quaſi te ille ſibi compaſſum & miſertum fuiſſe non prædicet: ſed vt quod nunc vſque proximè feciſti caritatis intuitu, nunc etiam primorum perficias Apoſtolorum, ad quorum limina feſtinauit, ac præſidium poſtulauit, dilectionis affectu. Inſta igitur opportunè, importunè, & quia propria caret, apud dilectiſſimum iam fatum filium noſtrum excellentiſſimum regem Karolum noſtra vice impetrare ſtudeto, vti ſuo quoque fauore vacans ei Epiſcopalis, etiamſi ſe Metropolis obtulerit, Eccleſia tribuatur. Fortis enim Domini bos ipſo auctore conſiſtit, & ideo plurimæ ſegeres ei ad trituram proculdubio committi debent. Nam ſcriptum oſt, *vbi plurimæ ſegetes, ibi manifeſta fortitudo bouis.* *Prou. 14.* Optamus fraternitatem tuam nunc & ſemper in Chriſto bene valere. Data VIII. Idus Martij, Indictione 1.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA V.
Ad Herardum Archiepiſcopum Turonenſem.

Vt Actardo Epiſcopo concedat Monaſterium, quod in eius diœceſi olim tenuit. Sibi curæ futurum vt Brittonibus contra ipſius Eccleſiæ priuilegia nihil concedat.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Herardo Archiepiſcopo Turonenſi.

MISERTAS & diras calamitates Actardi communis fratris & coepiſcopi non eſt exponendi tuæ reuerentiæ vlla neceſſitas. Quippe cùm ipſa, vt pote in his ſocia, & pene ſemper contigua, earum liquidiùs nobis experientiam habeat. vt ſicuti de ſanctimonia ſua credendum eſt, imo vt ipſo Antiſtite referente comperimus, eius continuis ærumnis non modicè compaſſa ſit & miſerta. Verùm quia noſtris ſæpe & apud dilectionem tuam litteris adiuuari, & Apoſtolorum principum, quorum præſidia tanto labore, tantóque

ſtudio requiſiuit, amoris intuitu ſibi quandam propriè voluit conſolationem conferri; caritatem tuam his hortamur & deprecamur apicibus, vt inter alia beneficiorum tuorum ſibi collatorum inſignia, Monaſterium illud, quod olim in diœceſi tua tenuiſſe dinoſcitur, tua nunc conſequatur ob amorem iam memoratorum Apoſtolorum largiente beneuolentia. quatenus qui ſuis valde deſtitutus eſſe comperitur, hinc ſaltem alienis ſuſtentationibus adipiſci queat ſuæ vitæ ſubſidium. Quod te negaturum profectò non credimus, ſi quàm ſit à fratre frater adiuuandus intenta mente conſideres; ſi quàm ſit indignum, vt quod à benignitate tua intuitu tantorum Apoſtolorum dilectionis depoſcitur, petitor minimè conſequatur, ſolerti, ſicut decet, perpendet induſtria. De his verò, quæ de Eccleſiæ tuæ vel diœceſeos priuilegiis idem venerabilis Actardus præcipuè ſuggeſſit, Salomoni Duci & populo Britannorum ſufficienter deſcripſimus: quod etiam in exemplari, quod ſecum idem Antiſtes deferet, experientia tua quibit agnoſcere. nihilque quod contra rationem poſtulabunt, ſi fortaſſis ad nos eorum aliqui venerint, agnoueris eos à nobis, opitulante Domino, fore penitus adepturos. Optamus fraternitatem tuam in Chriſto bene valere. Data VIII. Idus Martias, Indictione I.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA VI.
Ad Actardum Epiſcopum.

Pallij vſum Actardo conſolationis cauſa concedit.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo Actardo ſanctæ Eccleſiæ Namneticæ diebus vitæ tuæ tantummodò.

Epiſt. xv. SI SECVNDVM diuinæ pietatis viſcera circa neminem conſiſtit reprehenſibilis quantacumque miſeratio, quanto potiùs erga illos exhibenda eſt totius caritatis affectio, qui circa diuinum cultum irreprehenſibiles apparentes, diuerſarum dein tentationum exercitia pertulerunt, nec tamen in tentationibus Chriſto propitio defecerunt? Qua de re benedicimus Deo patri domini noſtri IESV Chriſti, Dei ſcilicet totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt. Tibique, frater Actarde, qui dira fatigatus & diuturna captiuitatis miſeria quaſſatus, nec inter cuneos barbarorum, nec inter enſes infidelium defeciſti, quin etiam Dei prouidentia mirabiliter erutus & liberatus, circumquaque peregrinando procul à propria Eccleſia, procul à notis & proximis, propter eorumdem rabiem barbarorum, & continuam Brittonum oppreſſionem, quibus heu nimiùm vicinus eſſe noſceris, & pene peius ab eis, quàm à piratis inſecutionem pateris, curriculis iam multis incedis, decus pallij pro Dei ſolius amore, quem inter furentium paganorum manus & gladios confeſſus es, præuidimus concedendum. Quo videlicet pallio, cùm fueris auctore Deo noſtróque decreto aliquem vacantem adeptus Epiſcopatum, ſcias à nobis eidem te ſtabiliter incardinatum: vel ſi contigerit forſan, in proprio certis valeas vti temporibus. Quod nun aliter tibi, nec cuilibet abſque Metropolitis, concederemus, niſi multoties exilia, mare, vincula paſſo, etiam ad capitalem ſententiam frequenter tracto, teſte tuo Metropolitano, qui & id nobis litteris innotuit, & tibi ſpem in ſede propria non ſupereſſe ſignificauit, huc tua ad celerrimæ conſolationis ſolatia tanta exigerent detrimenta, quin potiùs merita. vt videlicet habeas pro exilio & catena pallij ornamenta, non in tuæ Eccleſiæ perenne decretum, ſed ad tuum certo tempore vitæque præſentis ſpecialiter vſum. Vtere igitur, annuente Deo, pallio à nobis tibi ſolo miſerationis & conſolationis affectu collato: & niſi ſedis Apoſtolicæ Præſulibus ingratus extiteris, prænotato tenore illius, dum vixeris, ornare decore. Quod tamen fraternitati tuæ ad Miſſarum ſolennia tantùm celebranda concedimus: in die duntaxat ſanctæ ac venerandæ domini noſtri IESV Chriſti Reſurrectionis, ac Natiuitatis, ſeu Aſcenſionis die, & in Aſſumptione beatæ Dei genitricis ſemper virginis Mariæ, ſeu in natalitiis beatiſſimorum Apoſtolorum,

ſiue in natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ, necnon & in natali ſancti Chriſti confeſſoris Martini die, pariterque in ſolemnitatis Eccleſiæ tuæ die. verùm etiam & in ordinationis tuæ natalitio concedimus die, ſicuti à beatiſſimo prædeceſſore noſtro Gregorio, huius Apoſtolicæ ſedis Præſule, ſancitum eſt. In ſecretario verò induere tua fraternitas pallium debeat, & ita ad Miſſarum ſolennia proficiſci; & nihil ſibi ampliùs auſu temerariæ præſumptionis arrogare: ne dum in exteriori habitu inordinatè aliquid arripitur, ordinatè etiam quæ licere poterant amittantur. Si quid autem de rebus Namneticæ diœceſeos tam à depopulatione nefandæ gentis Nortmannicæ, quàm à Britannorum ſubreptione remanſit, ad tuam decernimus pertinere ſollicitudinem. Porrò cenſemus; Apoſtolicæque inſtitutionis auctoritate definimus, vt nullus Metropolitanorum Antiſtitum, vel ceterorum Epiſcoporum, in controuerſia criminis, ſi ſedem appellaueris Apoſtolicam, vel eius ſpeciali expetieris audiri vel diſcuti fortaſſis examine, præſumat de te proferre non noſtro præmiſſo decreto iudicium: ſed Apoſtolicæ ſedis tantùm reſerueris examinandus vel iudicandus incunctanter arbitrio: cuius videlicet decreto vel largitate vacanti Eccleſię incardinatus, & palliatus eſſe dinoſceris. Scriptum per manum Zachariæ notarij regionarij, & ſcriniarij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Februario, Indictione prima. Bene vale. v. Kalendas Martias, per manus Anaſtaſij Bibliothecarij ſanctæ ſummæ ſedis Apoſtolicę. Imperante domino noſtro piiſſimo PP. Auguſto Hludouico magno Imperatore anno XIX. & poſt conſulatum eius anno XVIII. Indictione prima.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA VII.

Ad Ludouicum regem Germaniæ.

De victoriis Ludouici Imp. aduerſus Sarracenos, cuius interim & Lotharij fratris quæ ſunt, tangi vetat.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Hludouico glorioſo Regi.

INTER exordiũ diuinitus ordinati, licet in indigno
Epiſt. 2. miniſtro, pontificatus mei, pacis ſtudium præ ceteris virtutibus prædicandi ſuadendique mihi neceſſitas non inconuenienrer incumbit. Nimirum cùm etiam in ipſius dominicæ Natiuitatis principio cæleſtis exercitus militiæ viſæ ſint, quæ
Luc. 2. 14. clamarent, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Vbi profectò ſolerter intuendum eſt, quia ſicut tunc paſtores, qui ſuper gregem ſuum præ ceteris vigilauerunt, tanti tripudij videre prę ceteris gaudia meruerunt: ita nos tunc proculdubio cæleſtium bonorum lętitiam adipiſci merebimur, ſi ſuper oues Dominicas ſollicitè vigilemus: ne videlicet has vel per inſidias odij ſeu diſcordiæ votax lupus inuadat, vel per cupiditatem
1. Pet. 5. 8. auidus ille leo deglutiat, qui docente Apoſtolorum principe circuit quęrens quẽ de[illegible]oret. Ideóque nunc, fili cariſſime, opportunè importunè ſuadeo, admoneo, & inſtanter adhortor, vt pacis & dilectionis vinculum, quę maior eſt omnibus virtutibus & holocauſtomatibus, inſolubiliter in omnes & in inuicem obſeruare gloria tua contendat, & inter ſubiectos medullitus cuſtodiri ſemper admoneat. In hoc enim regni veſtri ſtatus poterit incolumis tutiùs permanere, ſi vos neminem concutientes à nullo concuti dinoſcamini. Præterea nolumus ignorare celſitudinem tuam, dilectiſſimum & ſpiritalem filium noſtrum Hludouicum, piiſſimum & à Deo protectum Imperatorem, non aduerſus ſanctæ religionis filios, vt quidam, pugnare, nec contra fidei Chriſtianę domeſticos; ſed aduerſus filios Belial, & aduerſus Chriſti nominis inimicos, pro ſanctę Eccleſiæ & pręcipuè noſtra ſecuritate, próque fidelium liberatione multorum, qui pene iam finetenus apud Samnium periclitabantur, ita vt etiam fines noſtros infeſtatio iam iámque Sarracenorum inuaderet. Egreſſos à ſummo ſublimitatis proprio ſolio, & à pacatiſſimæ quietis ſuę ſundamine, nec corpori parcit, nec ęſtibus, nec algoribus, nec deni-

que vllis euentibus cedit ; ſed omnia incommoda, omnia diſcrimina pro Chriſti nomine tolerans, nihil eſt quòd pro Chriſtianorum ereptione recuſet arripere, nihil eſt quod pro fidelium quiete ac pace declinet aſſumere. Denique non modicam Eccleſiæ ſanctæ quietem per eum diuina iam pietas operata eſt, non modicę paganorum vires fortitudine ſuperna proſtratæ ſunt. Si quidem ſæpius eoſdem tanquam mures è cauernis ſuis egreſſos ad ſua latibula terga vertere compulit, & brachia contra noſtros exerta potenti virtute reſoluit. Quin & nobis omnibus, qui longè ſumus & qui propè, magnæ ſecuritatis præſidium condonauit, dum ſcilicet nonnullos eorum proſtrauit, nonnullos etiam ab eorum ſuperſtitioſo ritu conuertens, Chriſti fidei & veræ religionis itinera ſectari perdocuit. Qua de re rarum ducimus veſtram commonere magnopere celſitudinem: quo non veſtris motibus, non aliorũ ſuggeſtionibus incitati, quicquam quæ illius ſunt concutere præſumatis. Non ſolùm autem quæ illius ſunt, verùm etiam quæ fratris ipſius, Hlotharij videlicet glorioſi regis, conſiſtunt, nullo commouere patiamini prorſus inſtinctu. Qui enim tangit ea quæ fratris eius ſunt, illa quæ ipſius ſunt tangit: & qui illum liuore victus commouet, hunc proculdubio commouere dinoſcitur. Quamobrem ſuademus, & dilectionem veſtram his apicibus cohortamur, vt iniquis ſuaſionibus non cedatis, nec ſiniſtra machinantibus aures accommodetis: ſed vnuſquiſque veſtrûm ſuo iure contentus, quæ alterius ſunt vſurpare non tentet, nec inuadere quocumque modo nitatur, quod inuaſũ non modicum poteſt inuaſori generare ſine dubitatione diſcrimen. Prouideat ergo prudentia veſtra, ne iam fato deſiderabiliſſimo filio noſtro ſemper Auguſto, cauſam Dei exequenti, & hæreditatem Domini vindicanti, ac ipſius bella prælianti, quodlibet offendiculum præparetur, quo ſanctæ Dei Eccleſiæ quauis ex parte impediatur, vel profectus fidelium excludatur: ſed potiùs tela veſtra paganorum acies paueant, & iacula veſtra hi qui ſine Deo ſunt acuata reperiant. Quin penitus, ſecundum Apoſtolum, non ſit vobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinem, id eſt homines: ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Alioquin manum Apoſtolicæ ſedis cum eodem piiſſimo Principe fortiter eſſe cognoſcite, & arma noſtra illi munimina validiſſima conferentia, ſummo agonotheta nobis concertante, & beatorum principum Apoſtolorum interceſſione cooperante, præparata ſine cunctatione prænoſcite. Optamus gloriam veſtram nunc & ſemper in Chriſto valere, dilectiſſime fili. Data pridie Idus Februarias, Indictione 1.

Ephes. 6. 12.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA VIII.
Ad Lotharium Regem.

Quòd Theutbergam ſolutionem matrimonij Romæ poſtulantem ad Lotharium redire iuſſerit, donec in Synodo de ea re ſtatuat. Monet Lotharium, vt eam in conſortium recipiat, aut ſi alio in loco interim conſiſtat, promiſſas illi Abbatias ad vitæ ſubſidia concedat.

Epiſt. vi.

QVIA beato Petro Apoſtolorum principi Dominus noſter oues ſuas, totam videlicet Eccleſiam pretioſo iam ſanguine ſuo redemptam, poſt paſſionis vincula, poſt clauorum vulnera, & crucis ludibria, atque reſurrectionis gloriam, tertiò commendauit dicens: *Paſce oues meas, paſce agnos meos*, nos vice vtique Apoſtolatus illius Domino in omnibus cooperante fungentes, in virga ęquitatis & iuſtitię, in longanimitate benignæ humilitatis & patientiæ, gregem Domini pabulo ſpiritalis virę paſcendum, & cura ſolerti cuſtodiendum diuina ſuſcepimus voluntate. Os Apoſtolatus noſtri, ſeptiformis ſpiritus gratia plenum, pro regni tui ſtabilitate, felicitatéque perpetua, ſempiterna nempe vera animæ ſalute, qua nunc & in æternum beatè ſecuritérque fruaris, ô inclyte Rex Lothari, vicibus indefeſſis aperientes, excellentiam tuam paterno monemus affectu, & iure Apoſtolico exhortamur, quatenus malorum hominum conſiliis relictis, & mortiferis perſuaſionibus omnimodo ſpretis, aurem cordis tui

Ioan. 21. 14.

cælesti ſanè clauigero B. Petro in nobis loquēti aperias, omníque animoſitate, & inclyta mundi dilectione procul abiecta, ea quæ iuſtitiæ ac rectitudini maximè congruunt prædicantes toto deſiderio audias, euidentíque perficias deuotus affectu, quia non auditores, ſed factores legis Deus ſore iuſtos approbat. Vnde ſedis Apoſtolicæ ſalubrem admonitionem & correctionem venerabili ſincerâque mente ſuſcipere ſtude. Duo igitur à te carnis deuicto illecebra dudum commiſſa vidētur illicita, quæ ab anteceſſore noſtro pię memoriæ Papa Nicolao cenſura fuerant emendata canonica. Vnum videlicet, nefarium Theutbergæ legitimæ coniugis tuæ diuortium: alterum verò, ſceleſtiſſimus Vvaldradæ mœchæ concubitus: quę non ſolùm lex omnis diuina reprobat, condemnat, & fieri omnimodis vetat, ſed etiam mundana prohibent iura. De quibus nos iterum reſcribere nullatenus studeremus, niſi vos à iuſtitiæ tramite per incentiua carnis proculdubio deuiaſſe, bonúmque coniunctionis legitimæ vinculum diſſoluiſſe, & ad illicitum ac priſtinum ſtuprum incongruis reuerti velle occaſionibus agnoſceremus. Theutberga itaque illuſtriſſima regina coniux veſtra, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ad limina veniens, mentéque deuota orationis deſiderium complēs, noſtram faciem contemplari, cauſáſque ſuæ neceſſitatis nobis ore proprio exponere quæſiuit. Quæ cùm à nobis, pro amore Dei & veſtro, & ab omni noſtra Eccleſia honorificè, ſicut oportebat, ſuſcepta fuiſſet; dixit ſe propter quandam corporis ſui infirmitatem, & quia non legitimo vobis antea fuerit coniuncta connubio, à veſtro velle ſeparari conſortio, & ob amorem Dei, ſæculi dignitatem & gloriam abiicere, ac ſub leni iugo Chriſti ceruicem cordis ſubmittere. Quibus profectò auditis, & Domino auxiliante diligenter conſideratis, non modico fuimus turbati ſtupore; quòd ſe pro talibus à vobis quæreret ſeparare, cùm ſcriptum ſit dicente Domi-
Matth. 19. 6. no, *A Deo iungitur mulier viro.* & iterum: *Quod Deus iunxit, homo non ſeparet.* Et cùm
1. Cor. 7. 4. ipſa, ſicut dixit Apoſtolus, ſui corporis non habeat poteſtatem, ſed vos, cui Domini eſt voluntatē legitimo matrimonio, regalique toro coniuncta. Cui ſanè, quamuis eum veſtræ voluntatis conſenſu atque licentia hocce ſupplici nimis pace depoſceret, noſtrum in tali voluntatis ſuę deſiderio conſenſum nullomodo præbuimus. Licentiam verò illi reuertendi ad magnitudinis veſtræ conſortium, iuráque matrimonij regalis illibata cuſtodiendi præcepimus. Super his autem, quibus ſe à vobis quærit diſiungere, tam repentè, ſine multorum fratrum noſtrorum conſilio, & ingenti examine, finitiuam nunc proferre ſententiam, aut conſenſus noſtri immaturam dare licentiam iure diſtulimus. Deo autem nobis ſalutis opem vitámque præbente, tam pro his, quàm etiam pro aliis Eccleſiaſticis cauſis, Synodum facientes, & talia ſubtili examine indagantes, vt ſecundum Deum ſalui eſſe poſſitis, idonea ſatis intentione deliberabimus coram Deo Saluatore noſtro, atque finiemus. Propter quod excellentiam tuam Apoſtolicis monemus alloquiis, & hortamur in Domino, ne aurem nobilitatis tuæ conſiliis impiorum & veritati repugnantium verbis inclines; ſed potiùs Dominicis & Apoſtolicis præbens gratanter præceptis, eandem Theutbergam nobiliſſimam reginam coniugem tuam dilectionis amore in coniugale conſortium lætus recipias, & pro amore Dei & S. Petri, noſtróque ſimul, honore digno eam retinere, ſicuti corporis proprij mēbrum dilectum procures. Quod ſi ob itineris lōgitudinem & aſperitatem, vel aliquam carnis incommoditatem, ad vos vſque ipſa peruenire diſtulerit, elegeritque in aliquo proprietatis ſuæ loco ſibi vtili magis conſiſtere, interim donec Synodus vt prædiximus fiat, ſalua & incolumis ſub veſtra regali tuitione atque defenſione ſecura permaneat; habeatque in poteſtate ſua ipſas Abbatias, quas ei dare ipſe ore proprio promiſiſti: de quarum ſumptibus atque reditibus neceſſaria poſſit habere ſtipendia, dignáque ſubſidia. Sin verò quilibet veſtrûm ei aliquam fuerit molitus contrarietatem inferre, aut periculosè præſumpſerit nocere; ſciat ſe à nobis perpetui anathematis vinculo eſſe proculdubio innodandum, & ab omni Chriſtianorum conſortio ſeparandum. Te autem, ſi talibus conſenſum præbueris, omnimodis excommunicandum,

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA IX.
Ad Vvaldradam.

Vvaldradam, quia reſipuiſſe dicebatur, Ludouici Imp. rogatu, communioni Eccleſiæ reſtituit ea lege, vt ad Lotharij ſocietatem non redeat.

Epiſt. VII. NEMO planè dubitat, nullum facinus eſſe, quod Eccleſia data ſibi diuinitus poteſtate ab eo deſiſtentibus non poſſit abſoluere, & pœnitentibus relaxare, cui dicitur: *Quæcumque dimiſeritis ſuper terram, dimiſſa erunt & in cælis: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cælis.* (Matth. 18. 18. Ioan. 20. 23.) In quibuſcumque omnia ſunt, quãtacumque & qualiacumque ſint. Quod etiam in ſententia tua rationabiliter obſeruandum eſt. qua licet fueris obligata, quia tamẽ, ſicut multorũ, ſed præcipuè dilectiſſimi filij noſtri Hludouici clementiſſimi Auguſti, cui fides in omnibus adhibenda eſt, relatione didicimus, à næuo, quo tenebaris obſtricta, reſipuiſſe diceris, & ab obſtinatione, qua videbaris adnexa, diſceſſiſſe narraris, pietatis tibi viſcera noueris Apoſtolicæ ſedis aperta: & tam vinculis anathematis & excommunicationis exutam, quàm cunctorum Chriſtianorum, Dei & beatorum primorum Apoſtolorum auctoritate, ſocietati redditam, atque communioni te gaude reductam: ita vt deinceps Eccleſiam ingrediendi, & orandi, conuiuandique, ſeu cum ceteris Chriſtianis loquẽdi, ſit tibi auctore Deo data licentia: præfati duntaxat regis ſocietati, propter antiqui hoſtis verſutias, nullo pacto penitus adhærẽdi. Quod tamen beneficiũ, quanquam hoc moderatio flagitaſſet Eccleſiaſtica, quæ ſicut in correctis inflexibilis, ita correctis ſemper debet eſſe flexibilis, inſtantiam precum & incomparabilem dilectionem deſiderabilis & ſpiritualis filij noſtri iam memorati & iugiter memorandi Auguſti, tam tibi celeriter impetraſſe cognoſce. Cuius ſcilicet poſtulatio, ſicut non niſi iuſta creditur, ita quoquo modo poſtponenda non ducitur. Verùm tu ſic te de cetero ſtude munire, vt donũ ſolutionis, quod in terra percipere merueris, in cælo Deo auctore veraciter capere mereatis. Nam ſi te coram humanis oculis abſoluendam exhibes, & coram Dei conſpectibus obligata conſiſtis, nec nodo cares, nec veniam impetras: quin immo & pro ſimulatione potiori nexu ligaberis. Etenim diuino fertur oraculo, quia homo videt in faciem, Deus autẽ cor intuetur. (1. Reg. 16. 7.) Ergo ne delecteris in infimis, ſed ſuperna cordis intuere ſemper obtutibus. Caduca ſunt quæ cernuntur, quæ verò non videntur, æterna conſiſtunt. Noli rogo pro terrenis cæleſtia, pro viſibilibus gaudiis perdere gaudia, quæ quidem nec cogitari ſufficiunt. Nullus tibi blandiatur. qui enim te beatificant, ipſi te decipiunt. Denique quantiſcumque velaminibus iuſtitia & veritas occultetur, quandóque tamen ſplendorem foras ſuæ claritatis emittet, nec poterit omnino diutius nubilo fcæuæ defenſionis obduci. Quod fauente Deo tam ſedis Apoſtolicæ ſtudio, quàm rectiſſimi principis, cariſſimi videlicet filij noſtri, cui nunquam tortitudo qualibet aliquando placuit, ſed nec placere quoquo modo poterit, ſollicitudine, radios ſuos vt ſolis candor extendet.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA X.
Ad Epiſcopos Germaniæ.

Abſolutam à ſe Vvaldradam, & congruentibus monitis inſtructam ſignificat.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis in regno Hludouici glorioſi regis conſtitutis.

Epiſt. VIII. SICVT obſtinatis & incorrigibilibus debetur vindicta, ita à conuerſis atque correctis amouenda eſt vltio, & adhibenda curatio. Quapropter nos Vvaldradæ, quæ multorum vt refertur atteſtatione, à priſtinis & illicitis affectibus ad ſalutiferum correctionis iter conuerſa eſt, remedia miſerationis Apoſtolicæ ſedis exhibere conſenſiſſe, illámque vinculo excommunicationis vel ana-

thematis auctoritate Dei & principum Apoſtolorum abſoluiſſe cognoſcite: ita vt deinceps Domini Eccleſiam ingrediendi, & orandi, conuiuandique, ſeu cum ceteris Chriſtianis loquendi ſit ei auctore Deo conceſſa licentia. Cui Vvaldradæ videlicet competentia monita deſtinauimus, & quæ conueniebant litteris inculcanda præuidimus: quarum ſcilicet litterarum textum ſibi veſtra fraternitas exhiberi ſummopere poſtulet. Et quoniam ita conuenit, à vobis exigendum & agnoſcendum decernimus: quatenus per hoc ſcire valeat veſtra ſanctitas Apoſtolicæ ſedis auſteritatis & manſuetudinis, remiſſionis & refrænationis indicia, & moderantiſſimæ diſcretionis prorſus inſignia. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data pridie Idus Februarias, Indictione 1.

Anno Christi 869. Caroli Calvi Regis 29.

CONCILIVM APVD VERMERIAM.

IN QVO ACCVSATVS HINCMARVS EPISCOPVS Laudunenſis ad ſedem Apoſtolicam appellauit anno DCCCLXIX.

HINCMARO *Laudunenſi, Hincmari Remenſis nepoti, tria maximè, vt ex varijs vtriuſque ſcriptis liquet, obijci ſolebant; excommunicationes quædam immoderatæ & iniuſtæ, ſacramenta regi non obſeruata, & beneficia per vim & iniuriam quibuſdam ablata. Infenſum autem præ ceteris habuit Hincmarum patruum, tum Hincmaro inſtigante Carolum quoque regem. Quare in hac primùm Synodo accuſatus, cùm difficilem ſibi exitum fore ſentiret, ad ſedem Apoſtolicam appellauit. Romam tamen, quò etiam ab Hadriano Papa vocabatur, vt ire liceret non obtinuit. De hac itaque Synodo accipienda ſunt, quæ Hincmarus ſenior aduerſus nepotem cap.* VIII. *ſcribit his verbis*: Nam & quando principalis poteſtas, necnon & omnis præfectura totius regni ſui, inſolentia tua exigente, contrate fuerunt commoræ in Vermeria palatio, iterum inde ſcriptum quod legiſti porrexi. *Appellationis verò ſuæ apud Vermeriam, Romanæque profectionis inhibitæ, meminit Hincmarus ipſe in pitacio, quod ad patruum de ea re ſcripſit poſt Synodum Attiniacam.* Vnde vos nunc, *inquit*, pro amore Dei omnipotentis, & reuerentia S. Petri, expoſco, ſicut & in eadem Synodo in eadem Attiniaco à vobis conuocata, quod & impetrare non valui, expoſtulaui, & iam etiam per integrum efflagitaui annum, & præcipuè in Synodo apud Vermeriam palatium olim abhorno habita obſecrando declamaui, nunc quoque & obſecro, & item declamo, vt & hactenus egi; quo veſtra Archiepiſcopali auctoritate apud domni noſtri glorioſiſſimi regis Karoli clementiam obtineatis, quatenus domni & vniuerſalis Papæ Hadriani præceptis ac inſtitutionibus Eccleſiaſticis mihi, vt omnibus expedit, veluti ei qui de omni Eccleſia fas habet iudicandi, liceat obedire. videlicet vt limina ſanctorum Apoſtolorum, Petri ſcilicet ac Pauli, merear, vt deuoui, & ab eodem inſuper vocatus ſum penetrare. Alioquin me vobis abhinc, vt Archiepiſcopo coepiſcopus obtemperare debet, canonicè ſciatis obſequi non poſſe.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XI.

Ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem.

Commendat illi Eccleſiam Laudunenſem, dum Hincmarus Epiſcopus Romam venit: Nortmannum verò, niſi ablata reſtituat, excommunicari iubet.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi.

Illvstrem Hincmarum Lugdunenſem Epiſcopum, deſiderio viſendorum ſanctorum Apoſtolorum liminum anhelantem, & libenter amplectimur, & aduentum illius non ſolùm non differimus, verùm etiam ne vltra Kalendas Auguſti ſtare audeat, grauitate Apoſtolica, ſcientes illum tali voto ſpiritaliter poſſe proficere, prohibemus. Huic ergo in veniendo, ſicut auctoritas Apoſtolica, ſic faueat & Epiſcopalis humanitas: quatenus Epiſcopatus eius omni careat per veſtram ſollicitudinem detrimento, dum prædiorum ſuorum, peruersè à Nortmanno poſſeſſorum, liberalitate veſtra per interceſſionem noſtram fuerit potitus augmento. Quapropter & Nortmannum ſcito auctoritate Apoſtolica continuò ab Eccleſiaſtica communione, niſi præſentaliter ſe omnibus Lugdunenſis Eccleſiæ rebus exuerit, per tui oris officium repellendum, & venerabilem virum Hincmarum Epiſcopum, ſi propoſito Romam veniendi abuſus, quod bene vouit, reddere non ſtuduerit, tranſgreſſoris iudicio, quod Deus auerterit, puniendum. Quicumque igitur à tempore, quo Romam venire cœperit, vſque in id, quo Chriſto duce ad propria remeauerit, in quibuſlibet rebus illius Eccleſiæ quodlibet operatus fuerit detrimentum, quoniam Epiſcopatum eius ſanctitati tuæ ſpecialiter poſt regem ſeruandum committimus, tamdiu ſe nouerit ſacramento corporis & ſanguinis Domini fore priuandum, quamdiu ſanctę Lugdunenſi Eccleſiæ, & tibi, ipſiúſque Pontifici, legitimè, immo canonicè fuerit ſatisfactum. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XII.

Ad Carolum Caluum regem.

Commendat regi Eccleſiam Laudunenſem, dum eius Epiſcopus Romam venit.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Carolo excellentiſſimo Regi.

Illvstrem Hinemarum Lugdunenſem Epiſcopum, deſiderio viſendorum ſanctorum Apoſtolorum liminum anhelantem, & libenter amplectimur, & aduentum illius non ſolùm non differimus, verùm etiam ne vltra Kalendas Auguſti ſtare audeat, grauitate Apoſtolica, ſcientes illum tali voto ſpiritaliter poſſe proficere, prohibemus. Huic ergo in veniendo, ſicut auctoritas Apoſtolica, ſic faueat & humanitas regia: quatenus Epiſcopatus eius omni careat per veſtram ſollicitudinem detrimento: dum prædiorum ſuorum, peruersè à Nortmanno poſſeſſorum, liberalitate veſtra per interceſſionem noſtram fuerit potitus augmento. Sicut enim gaudemus cùm ſerenitatē tuam erga ſtatum Eccleſiaſticum, more prædeceſſorū principum, liberalem tam litteris audimus quàm vocibus: ſic nimirum, cùm eam in aliquo diſtrahentem extra conſuetudinem ſuam comperimus, tota cordis valetudine contriſtamur. Quapropter & Nortmannum ſcito auctoritate Apoſtolica continuò ab Eccleſiaſtica communione, niſi ſe præſentaliter omnibus Lugdunenſis Ec-

cleſiæ rebus exuerit, repellendum; & venerabilem virum Hincmarum Epiſcopum, ſi propoſito Romam veniendi abuſus, quod bene vouit reddere non ſtuduerit, tranſgreſſoris iudicio, quod Deus auerterit, puniendum. Quicumque igitur à tempore, quo Romam venire cœperit, vſque in id, quo Chriſto duce ad propria remeauerit, in quibuſlibet rebus illius Eccleſiæ quodlibet operatus fuerit detrimentum, quoniam Epiſcopatum eius gloriæ veſtræ ſpecialiter ſeruandum committimus, tamdiu ſe nouerit ſacramento corporis & ſanguinis Domini fore priuandum, quamdiu ſanctæ Lugdunenſi Eccleſiæ, & vobis, ipſiúſque Pontifici legitimè immo canonicè fuerit ſatisfactum. Optamus regiã excellẽtiam veſtrã ſanctæ ſedis Apoſtolicæ ſcita conſuetudinaliter obſeruantem in Chriſto ſemper valere.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XIII.
Ad Carolum Caluum regem.

De cauſa Herlefridi presbyteri.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Karolo glorioſo Regi.

QVòd præſentem presbyterum Herlefridum, poteſtate ſui Præſulis pluſquam canonica veritate perculſum, ad ſedem Apoſtolicã, vt potè caput omnium Eccleſiarum, venire paſſi eſtis, bene quidem feciſtis: ſed nunc meliùs faceretis, ſi quod in ciuili Concilio apud ſuum Epiſcopum perperam geſtum eſt, in prouinciali Synodo apud vos rationabiliter, & apud fratrem noſtrum Hincmarum Archiepiſcopum caſſaretur. Quapropter Apoſtolica dilectione gloriam veſtram hortamur, vt aut præſentaliter huic Herlefrido presbytero ſuam Eccleſiam cum omnibus ſuis, vſque ad tempus prouincialis Synodi hanc liberè poſſeſſuro, pro tempore quod ſacri canones definiere, ſolenniter reddere faciatis, aut Erpuinum Epiſcopum ſuum legatum nobis, qui hæc pleniùs veriúſque renuntiet, præſentaliter mittere cogatis: quatenus dum luce clariùs cũcta nouerimus, ſciamus in quẽ Apoſtolicæ animaduerſionis ſententiam proferamus. Deus vos incolumes cuſtodiat, dilectiſſime fili.

BERNARII EPISCOPI GRATIANOPOLITANI ordinatio.

Ludouici II. Imp. Epiſtola ad Adonem Archiepiſcopum Viennenſem.

De ordinando Bernario.

Ex Cod. S. Mariæ Anitienſis.

IN NOMINE Domini noſtri IESV Chriſti Dei æterni. LVDOVVICVS diuina ordinante prouidentia Imperator Auguſtus, ADONI venerabili Archiepiſcopo ſalutem. Amantiſſimus & deſiderantiſſimus frater noſter Lotharius noſtri deſiderij cauſa ad nos veniens, nóſque in Beneuentanorum regno noſtro requirendo viſitans, rogauit noſtram manſuetudinem, vt cuidam ſuo clerico, BERNARIO nomine, Epiſcopatum Gratianopolitanum concederemus, quod & nos benigniſſimè fecimus. Idcirco monemus ſanctitatem tuam, vt ſi dulciſſimus frater noſter eumdem prædictum clericum ad te miſerit ordinandũ, mox voluntati ipſius dulciſſimi fratris noſtri obedias, certus de noſtra conceſſione, vt in Gratianopolitana Eccleſia ordinetur Epiſcopus. Credimus enim eumdem clericum nobis fore fidelem. quippe cùm omnia noſtra fratris noſtri ſint, & omnia ipſius noſtra. Vale. II. IDVS IVL. *acceptæ.*

LOTHARII.

LOTHARII REGIS EPISTOLA,

Ad Adonem eumdem Archiepiſcopum.

De ordinando Bernario.

IN NOMINE Domini noſtri IESV Chriſti, Dei æterni. LOTHARIVS diuina ordinante prouidentia rex ADONI venerabili Archiepiſcopo fideli noſtro ſalutem. De itinere noſtro, ſcias quia proſperè ad cariſſimum Imperatorem fratrem noſtrum peruenimus, & cum Apoſtolico Hadriano noſtram cauſam tractauimus, quam ſuo tempore vobis & aliis fidelibus noſtris manifeſtabimus. Nunc interim mandamus, vt ſcias quia BERNARIO fideli noſtro, conſentienre hoc ipſum Imperatore fratre noſtro, Epiſcoparum Gratianopolitanum datum habemus. Hunc, cùm venerit ad vos, ſicuti nobis fidelem recipite, ac in Gratianopolitana ſede Epiſcopum ordinate. Iam enim vobis per venerabilem Archiepiſcopum Remigium, & inluſtrem Comitem Gerardum, de eodem ipſo clerico præceperamus, qui vos inde monerent, ac voluntatem noſtram vobis inde aperirenr. Valete, & obuiam nobis venite ad ſanctum Mauricium. *Kalend. Auguſti Viennæ accepta.* Ex eodem Codice.

CAROLI CALVI REGIS EPISTOLA,

Ad Adonem Archiepiſcopum.

De ordinando Bernario.

KAROLVS Rex Adoni venerabili Archiepiſcopo, nobíſque cariſſimo, ſalutem. Per Odonem, & alios fideles noſtros, voluntatem noſtram vobis aperuimus. Inde cùm ad nos veneritis, certiores vos reddemus. Mandamus fideliſſimæ ſanctitati veſtræ, vt ſciatis, quia cuidam clerico, diacono olim venerabilis Archiepiſcopi Remigij, & poſtmodum cari noſtri Lotharij nepotis, ita conceſſimus Gratianopoliranum Epiſcopum, vt veſtro iudicio, ſi canonicè probaueritis, ibi à veſtra ſanctitate ordinetur Epiſcopus. Non enim diu ſine Epiſcopo oportet eumdem ipſum eſſe Epiſcoparum. Vos enim ſcitis inde ſatis canonicam auctoriratem. Quicquid enim neglectum fuerit, vobis ſine dubio à Domino imputabitur, qui diſponere & ordinare, etiamſi dilectus nepos noſter in alia intendens præterit, ne populus Dei paſtore carens oberrarer, ipſum Epiſcopum, & Epiſcopatum, ac omnia ipſius Eccleſiæ debuiſtis. Vobis enim, & omnibus Epiſcopis ſuis, omnem Eccleſiam ſuam Chriſtus Deus noſter commiſit. Cui & nos in omnibus venerabiliter ſubdi oportet: vt cùm vos quæ illius ſunt impigrè perfeceritis, ſine dubio apud illum pro nobis, regnóque noſtro, fidentiùs intercedere vos non dubitemus. Valete, & in orarionibus veſtris noſtrî memores ſemper ſiris. *Accepta* VI. *Kalend. Septembris.* Ex eodem Codice.

Lotharii Regis Geſta Romæ, quando ad communionem ſuſceptus eſt ab Hadriano Papa, & obitus eiuſdem.

QVOD à Nicolao Papa multis precibus ſæpe fruſtra contenderat Lotharius, ſibi vt Romam venire, & coràm agere liceret, hoc illo mortuo ab Hadriano tandem eius ſucceſſore conſecutus eſt. Romæ autem quo pacto Eccleſiaſticæ communioni reſtitutus ab Hadriano fuerit, Regino Abbas in Chronico explicat his verbis. Anno DCCCLXIX. Lotharius Romam profectus eſt. Quò cùm perueniſſet, ab Hadriano Pontifice honorificè ſuſceptus eſt. Qui ab eodem Præſule ſciſcitatus, ſi monita pij patris domni Nicolai cum omni vigilantia hactenus obſeruata haberet, & præſtitum iuramentum inuiolato fœdere cuſtoditum. Qui ab illo deceptus qui in veritate non ſtetit, qui non ſolùm mendax, ſed etiam pater omnis mendacij, reſpondit ſe ita omnia obſeruaſſe, ac ſi diuinitus ſibi eſſent imperata. Cúmque proceres & optimates, qui cum eo venerant, eadem teſtificarentur, nec vlla oppoſita perſona inueniretur, qui aduerſus regiam auctoritatem legitimum auderet controuerſiæ inire certamen, vniuerſalis Papa talia proſequitur: Si veſtræ teſtificationis verbis veritas ſuffragatur, eum omni alacritate mentis omnipotenti Deo multiplices gratiarum actiones referimus. Reſtat ergo, fili cariſſime, vt ad Confeſſionem S. Petri accedas. Ibi Deo propitio hoſtiam ſalutatem pro tua, non tam corporis, quàm animæ incolumitate immolabimus: ex qua nobiſcum te participare oportet, vt per hanc participationem membris Chriſti, vnde abſciſſus eſſe videbaris, merearis incorporari. Finitis igitur Miſſarum ſolemnibus, inuitat ſummus Pontifex eumdem regem ad menſam Chriſti: acceptóque In manibus corpore & ſanguine Domini, ita eum alloquitur: Si innoxium te recognoſcis à prohibito atque interdicto tibi à Nicolao adulterij ſcelere, & hoc fixa mente ſtatutum habes, vt numquam diebus vitæ tuæ Vvaldradæ pellicis tuæ dudum à te repudiatæ miſcearis nefario concubitu, fiducialiter accede, & ſacramentum ſalutis æternæ tibi ad remiſſionem peccatorum profuturum percipe. Sin autem tua conſcientia te accuſat, téque lethali vulnere ſauciatum proclamat, aut iterum redire mente diſponis in mœchiæ volutabrum, nequaquam ſumere præſumas; ne fortè ad iudicium & condemnationem tibi adueniat, quod fidelibus ad remedium præparauit diuina prouidentia. Qui mente captus, obduratus, & obcæcatus, abſque retractatione communionem corporis & ſanguinis Domini de manu Pontificis ſumpſit, non expaueſcens illam ſententiam quæ dicit: *Horribile eſt incidere in manus Dei viuentis.* &, *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Hebr. 10. 31. 1. Cor. 11. 29. Deinde conuerſus idem Præſul ad ſequaces & fautores regis, vnicuique communionem obtulit in hæc verba: Si domino & regi tuo Lothario in obiecto adulterij crimine fauorem non præſtitiſti, neque conſenſum tribuiſti, & Vvaldradæ, & aliis ab hac ſede Apoſtolica excommunicatis non communicaſti, corpus & ſanguis Domini noſtri Iesv Chriſti proſit tibi in vitam æternam. Igitur quiſquis ſe læſum ſciens auſu temerario communionem ſub tali conteſtatione porrectam ſumere præſumpſit, diuino iudicio percuſſus ab hac luce ſubtractus eſt, antequam ſubſequentis anni rediret principium: perpauci, qui ſe à communione ſubtraxerunt, vix mortis periculum euaſerunt. Porrò Lotharius Roma egreſſus morbo corripitur, & Placentiam ciuitatem perueniens, diem clauſit extremum VI. Idus Auguſti.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XIV.
Ad proceres regni Lotharij.

Poſt mortem Lotharij regis, hortatur vt fideles ſint Ludouico Imp. illius fratri, cui regnum hereditario iure debeatur.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, omnibus primatibus & glorioſis Comitibus conſiſtentibus in regno domni Hlotharij, quondam magni Imperatoris, & genitoris domni Hludouici Imperatoris.

Epiſt. xv.

Rom. 12. 15.

PERFECTÆ proculdubio caritatis eſt bonum, ſecundum Apoſtolum, gaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus. Vnde quia Hlotharius quondam rex veſter diuina de hoc ſæculo iuſſione migrauit, vos de obitu ipſius valde triſtes effectos, & lugubri doloris ingentis amaritudine, vt pote viros fideles, repletos eſſe cognoſcimus, carnali que affectu eius nunc tranſitum flere. Noſter non minùs Apoſtolicus animus, vobis compatiens & condolens, non ſolùm pro æterna illius requie atque ſalute, ſed etiam pro præſenti conſolatione veſtra, pro pace, concordia, & vnitate, quam vos ex toto corde ſequi, & fideli omnino deuotione amplecti, ceu Chriſti membra nullam habentia maculam, quæ inſtantem aut futuram mortis perniciem vobis poſſit inferre, incunctanter, vt oportet, flebilibus Dominum precibus precati ſumus. Et quotidie ſuppliciter exoramus, vt & illi, qui carnali obiit conditione, vitam perpetuam, & vobis miſericordiæ largitate conſolationis, pacis, & vnanimitatis affectum & deſiderium inſpirare donaréque dignetur. Quoniam ipſe eſt, qui nos paterno more virga iuſtitiæ corripit, ac purgationis mœrore affligit, & ipſe nos in omni tribulatione noſtra clementer conſolati dignatur, vt poſſimus ſuſtinere, nunquámque deficere. Quamobrem, filij cariſſimi, Apoſtolicæ ſedis magiſterio plurimum debentes, nos, qui per ſupernam gratiam Apoſtolorum principis fungimur vice, omniúmque Eccleſiarum Dei curam & ſollicitudinem nobis à Domino præ cæteris delegatam habentes, antequam antiquus noſter aduerſarius mentes veſtras occultis & impiis nequitiæ ſuæ verſutiis corrumpat, & morbo inſanabili sauciet, armis præcincti diuinis, occurrere, ſalubribúſque vos informare præceptis debemus: quibus humiliter obedientes, ſicut omnes qui ab initio Deo placuerunt, ſalui eſſe poſſitis, dicente Domino in Euangelio: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Quapropter caritatem veſtram, ô cariſſimi in Domino filij, Apoſtolica tuba monemus, & cæleſti magiſterio exoramus, vt pro regni ſtabilitate, vos nunc in eadem fide, mentíſque ſinceritate, generaliter omnes ſatagatis conſiſtere circa dilectiſſimum ac ſpiritalem filium noſtrum, domnum Hludouicum Imperatorem Auguſtum, quam circa diuæ memoriæ quondam Hlotharium Imperatorem patrem illius mundo pectore conſeruaſtis: vt nullus mortalium, cuiuſcumque ſit dignitatis & gloriæ, vos ab Apoſtolicę ſedis præcepto monitúque ſalubri poſſit modis aut argumentis quibuſlibet reuocare, vel à via veritatis in obliquum deflectere, nec vllius præcepta magis, quàm B. Petri Apoſtoli, per os noſtrum prolata, vobíſque vtiliora, iucundis percipere auribus ſtudeatis. Quoniam ipſi & paterno & hereditario iure ſecundum legem & rationem hoc regnum debetur, & per paternæ hereditatis ſucceſſionem ſummopere pertinet: quippe cùm eum præfatus genitor illius, quondam Imperator, conſtituerit Imperatorem, regníque totius heredem præ ceteris ſublimauerit natis. Sicut Iſaac quondam Iacob filio ſuo benedicens, dominum illum Eſaii conſtituit: ita & huic ceteris prælato totum omnino eſt à patre conceſſum imperium. Quem ipſe adhuc viuens imperiali voluit & conſenſit vnâ vobiſcum ab Apoſtolica ſede diademate coronari, ſceptróque potiri ſine dubio Auguſtali permiſit. Ideo nobilitatem veſtram monemus & obteſtamur in Domino, vt nullatenus ab eodem vos ſpiritali filio noſtro Auguſto quibuſlibet promiſſionibus vel minis alicuius ſeparare, diuiderèque tentetis: ſed

Ioan. 14. 23.

Gen. 27. 37.

illi quamdiu ſuperna vixerit voluntate, in omnibus veluti proprio ſeniori, proprio Imperatori, iuſtóque heredi regni obedire, fidémque illæſam more ſolito conſeruare, ſtudióque ſagaci ſemper attendite, vt Dei omnipotentis & S. Petri gratiam, noſtrámque plenariam habere mereamini benedictionem, & Apoſtolicæ communionis conſortium. Nam quem ex vobis contraria tentare nitentem, atque Apoſtolicæ ſedis monitis in contemptum B. Petri Apoſtoli cæleſtis regni clauigeri ſpretis, ad aliam ſe partem conferre cognouerimus, velut infidelem, & Eccleſiaſticæ paci ac ſaluti contrarium, à noſtri Apoſtolatus communione nō ſolùm alienum habebimus, ſed etiam anathematis vinculo iure meritóque alligare omnino curabimus: & nos ſecundum Apoſtolicæ priuilegium dignitatis & poteſtatis, ipſum excellentiſſimum ac ſpiritalem filium noſtrum, domnum Hludouicum Imperatorem Auguſtum, regni huius prouinciæ, ſcilicet Galliæ totius, regem, dominum, & Imperatorem, ſicuti iam olim à Deo præordinatum eſſe conſtat, & ab anteceſſoribus noſtris Pontificibus ſtatutum multis videtur indiciis, habemus, & quoúſque ſuperfuerit ipſe, eum habere ſtudebimus. Quod ſanè regnum ſi tyrannus aliquis, contra diuinam & Apoſtolicam voluntatem, inuadere præſumpſerit, Apoſtolicæ ſine mora ſuſtinebit vltionis cenſuram. Optamus nobilitatem veſtram vnanimi deuotione conſiſtere, & in inſolubili caritatis vinculo manere coniunctos.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XV.
Ad proceres regni Caroli Calui.

Hortatur vt Carolum regem deterreant, ne inuadat regnum Lotharij, & vt Paulum ac Leonem legatos ſuos benignè ſuſcipiant.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, omnibus glorioſis Ducibus, Comitibus, & ceteris primatibus in regno Caroli excellentiſſimi regis conſtitutis.

Epiſt. xvi. OMNES quidem virtutes Chriſti cultoribus ſectandæ ſunt, ſed nulla vtiliùs quàm pax cū dilectione mutua inter omnes, & maximè inter ſublimiores perſonas, cuſtoditur & colitur. Quanto enim quis ſublimior, tanto ad mores ſuos quoſque trahendum conſtat eſſe facilior. Ideóque his præſentibus opportunè ac importunè moneo, ſuadeo, & exhortor apicibus, quo pacis bonum in omnes, ſed præcipuè inter ſublimiores mundi principes, ædificare & conſtruere ſatagatis. In hoc enim dilecti filij mei regis veſtri regnum citiùs poterit incolume permanere, ſi neminem ille concutiens à nullo concutiatur. Non autem ignorare vos credo, qualiter deſiderabiliſſimus & ſpiritalis filius meus Hludouicus, piiſſimus & à Deo protectus Imperator, non vt quidam aduerſus ſanctæ religionis filios, non contra fidei Chriſtianæ domeſticos, ſed aduerſus filios Belial, aduerſus Chriſti nominis inimicos, præcipuè pro noſtra ſecuritate, próque multorum liberatione fidelium, qui fine tenus apud Samnium, & circumquaque regiones, iam iámque periclitabàtur, ita vt etiam fines noſtros infeſtatio propemodum Saracenorum inuaderet, egreſſus à ſummo ſublimitatis propriæ ſolio, & à pacatiſſimæ requiei ſuæ fundamine, non corpori parcat, non æſtibus, non algoribus, non denique vllis euentibus cedat: ſed omnia incommoda, omnia diſcrimina pro Chriſti nomine tolerans, nihil eſt quod pro Chriſtianorum ereptione recuſet arripere, nihil eſt quod pro fidelium quiete ac pace declinet aſſumere. Denique non modicam Eccleſiæ ſanctæ quietem per eum diuina pietas operata eſt; nec modicæ paganorum vires fortitudine ſuperna proſtratæ ſunt. Si quidem ſæpius hoſtes, tanquam mures cauernis ſuis egreſſos, ad ſua latibula terga vertere compulit, & brachia contra noſtros exertâ potenti virtute diſſoluit. Quin & nobis omnibus, qui longè fuimus & qui prope, magnæ ſecuritatis præſidia contulit: dum ſcilicet nonnullos eorum proſtrauit, nonnullos etiam ab eorum ſuperſtitione conuertēs, Chriſti fidei & veræ religionis itinera ſectari perdocuit. Qua de re tatum ducimus, veſtram commonere dilectionem, quo præfato glorioſo Regi veſtro, & filius eius ſuggerere ſatagat, & prudēti conſilio ſuadere contendat, quatenus nec ſuis motibus, nec aliorum ſuaſionibus impulſus,

quicquam, quæ tanti principis & tam pij Auguſti ſunt, inuadere vel ſollicitare cōſentiat, eorum videlicet, quæ cùm ſint in regno glorioſæ memoriæ Hlotharij quondam regis germani ſui, ad ſe ſuffragantibus cunctis legibus, non tam pro fraterna ſucceſſione, quàm pro paterna diſpoſitione, hereditario iure pertinere probantur. Qui enim concutit fines, & ſollicitat homines, qui ſub moderamine quondam iam nominati regis erant, illa quæ Dei ſunt, & Eccleſiæ vtilitati cōueniunt, concutit, & qui hunc auaritia victus commouet, magnum proculdubio Eccleſiæ diſpergit augmentum. Iniquum præterea eſt, vt quod fratres ſibi mutuò, pro integra inter ſe ac nepotes ſuos cuſtodienda parte regnorum, quam ſinguli diſtincta ſorte perceperant, iuramentis terribilibus ſpoponderant, impia præuaricatione violetur, vel cuiuſquam cupidinis fomite temeretur: cùm potius pio conueniat affectu fratrem fratri, ac patruos nepotibus, totius præſidium conferre iuuaminis, & ſecundum promiſſam inuicem iuramento fidem, omnis auxilium præſtare ſolatij. Præcipuè iam fatum inclytum regem veſtrū, qui hunc nepotem ſuū, magnum ſcilicet Auguſtum, de patris proprij dextra, cum omnibus quæ ad eum pertinere viderentur, ad fouendum roborandúmque pro viribus veluti ſecundus pater accepiſſe dinoſcitur. Iniquum autem & inſtar ſacrilegij eſt, vt qui ſe vltro pro ſalute fidelium, & maximè pro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris ſuæ defenſione, tot periculis offert, à cœpto pietatis alicuius factione ſtimulatus recedat opere, atque ad patriam coactus vindicandam procedat hereditatem. Verùm quiſquis ſuo vitio tam ſancto labori cupiditatis æſtibus accenſus aliquod impedimentum præſtiterit, condignam profectò, Apoſtolica ſede ſanciente, luet cum ſuis fautoribus vltionem. Vnde ſi quiſquam veſtrûm huius diabolicæ ambitionis auctorem ſectatus fuerit, vel ei quoquo modo in rapinis concupiſcenti fauorem contulerit, anathematis vinculis innodabitur, ac pro hoc à regno Domini ſeparatus, cum impiorum omnium capite, quod eſt diabolus, meritò deputabitur. Attendat ergo rex prudentiſſimus, veſtris quoque probabilibus conſiliis adhortatus, ne iniquorum ſuaſionibus cedat, nec ſiniſtra machinantibus aures accommodet: ſed proprio iure contentus, quæ ſua non ſunt vſurpare non tentet, nec inuadere quocumque modo nitatur, quod inuaſum non modicum poteſt inuaſori generare diſcrimen. Ne itaque iam memorato dilectiſſimo filio meo, domino ſemper Auguſto, cauſam Dei exequenti, hereditatem Domini vindicanti, ac ipſius bella prælianti, quodlibet offendiculum præparet, quo ſanctæ Dei Eccleſiæ quauis ex parte impediatur vtilitas, vel profectus fidelium excludatur. Alioquin manum Apoſtolicæ ſedis cum eodem piiſſimo principe fortiter eſſe cōperiat, & arma noſtra illi munimina validiſſima conferentia, ſummo agonotheta nobis concertante, & beatorū principum Apoſtolorum interceſſione cooperante, præparata ſine cunctatione prænoſcat. Hos præterea Miſſos Apoſtolicæ noſtræ ſedis, Paulum & Leonem venerabiles Epiſcopos, dilectos conſiliarios noſtros, quos pro pace & concordia ſanctæ Dei Eccleſiæ illuc deſtinauimus, ob reuerentiam principum Apoſtolorum Petri & Pauli benignè ſuſcipite, & ea quæ vobis pro vtilitatibus Chriſtianæ fidei atque religionis dixerint, aure cordiſ percipientes, ad effectū perducere feſtinate. Optamus gloriam veſtram in Chriſto bene valere. Data Nonis Septembris, Indict. III.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XVI.

Ad Epiſcopos in regno Caroli Calui conſtitutos.

Vt Carolum regem deterreant ab inuadendo regno Lotharij, & Paulum ac Leonem miſſos à ſe legatos benignè ſuſcipiant.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerendiſſimis & ſanctiſſimis fratribus & coepiſcopis noſtris in regno Caroli glorioſi regis Eccleſiam Domini gubernantibus.

Epiſt. xvi. INTER exordia Pontificatus mei pacis ſtudium præ ceteris virtutibus prædicandi ſuadendique arripuiſſe me memini. Quippe qui nouerim, quòd in Dominicæ natiuitatis principio cæleſtis militiæ viſus ſit exercitus, qui clamauit: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Vbi profectò Luc. 2. 14.

ſollertet attendendum eſt, quia ſicut paſtores, qui ſuper gregem ſuum præ ceteris vigilauerunt, tanti tripudij videre præ ceteris gaudia meruerunt: ita nos, qui paſtores dicimur, tunc cæleſtium bonorum lætitiam adipiſci merebimur, ſi ſuper oues Dominicas ſollicitè vigilemus: ne videlicet has vel per inſidias odij ſeu diſcordiæ vorax lupus inuadat, vel per cupiditatem auidus ille leo degluriat, qui vt
1. Pet. 5. 8. princeps Apoſtolorum ſcribit, rugiens circuit quærens quem deuoret. Ideóque, fratres cariſſimi, nunc etiam id ipſum repeto, id ipſum oppottunè vel importunè ſuadeo, prorſus efflagito. Quamobrem vt pacis ſeu dilectionis vinculum, quę maior eſt omnibus virtutibus & holocauſtomatibus, veſtra quoque ſanctitas inſolubiliter inter omnes, ſed præcipuè inter ſublimiores perſonas obſeruari doceat, indeſinēter adhortor. Quapropter illud à vobis exigo, vt ſolliciti exiſtentes, ſi quos ſenſeritis velle filij noſtri glorioſi regis veſtri Karoli forraſſis animos ad inuadendum regnum, quod defuncto quondam inclyto rege Hlothario, ad dominum dilectiſſimum filium noſtrum piiſſimum Imperatorem redit, iuréque hereditario illi debetur, nequiter incitare; vos qui ſpirituales eſtis, hurum carnales voces, quin potius & ipſum excellentiſſimũ regem, ac filios eius, tamquam veri Epiſcopi, à tanto cōpeſcere piaculo ſtudeatis. Quinimmo ad fauorem & opem eius hunc inflammantes hortemini, atque ſicut eum in fide ſua tanquam alter pater ſuſcepit, ita foueat, & hunc vt proprium genitum amplectatur. Iniquum enim, & inſtar ſacrilegij eſt, vt qui ſe vltro pro ſalute fidelium, & maximè ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, matris ſcilicet omnium Dei Eccleſiarum, defenſione, tot mortis caſibus offert, alicuius factione ſtimularus, à cœpto pietatis recedat opere, atque ad patriam vindicandam procedat hereditatem. Non enim debet paternam hereditatem ille dimittere, qui Deo gratias non ignorat Naboth Iezrahelitam pro ſola paterna vinea, etiam contra regem impium defendenda, vſque ad mortem lapidum peruenisse. 3. Reg. 21. Verùm ſi & labor alicuius ambitione impediatur, quoniam paternum deſeri patrimonium ſurripientibus non oportet, per quem quid rale contigerit, vnà cum fautoribus & ſectatoribus ſuis, dignam parémque animaduerſionem exſoluet. Et ſi quis veſtrum tam nefariæ temeritatis auctorem vel tacendo fugerit, vel non reſiſtendo conſenſerit, non iam paſtoris, ſed mercenarij nomine ſe nouerit fore cenſendum: & quia iam non pertinebit ad eum de ouibus, non pertinebit conſequenter de paſtoralibus dignitatibus. Hos prærerea Miſſos Apoſtolicæ noſtræ ſedis, Paulum & Leonem venerabiles Epiſcopos, dilectos conſiliarios noſtros, quos pro pace & concordia Dei Eccleſiæ illuc deſtinauimus, ob reuerentiam principum Apoſtolorum Petri & Pauli benignè ſuſcipite, & ea quæ vobis pro vtilitatibus Chriſtianæ fidei atque religionis dixerint, aure cordis percipientes, ad effectum ducere feſtinate. Optamus ſanctam fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data Nonis Septembris, Indictione III.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XVII.
Ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem.

Beneuolentiam ſuam Hincmaro pollicetur, eúmque hortatur vt operam ſuam interponat, ne regnum Lotharij quiſquam inuadat. Legatos denique Paulum & Leonem commendat.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confrarri noſtro Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi.

SANCTIMONIA tua quàm fuerit Apoſtolicæ memoriæ Papæ Nicolai familiaris, non fortè dedit obliuioni. In cuius videlicet familiaritatis ſinu nos quoque te recipientes, fiduciam penes Apoſtolatum noſtrum fraternitati tuæ gratanti mente offerimus. Præterea noueris miſiſſe nos epiſtolas quaſdam in Gallicanarum partium regiones, tam reges, quàm præſules, & omnes omnino regnorum primates, ad comprimendum ambitum, & vnicuique ius proprium reſeruandum, competenter

admonentes, cohortantes, ſuadentes, conteſtantes, prohibentes, & deterrentes. Cuius rei ſollicitudinem ſanctitas tua ſpeciali quodammodò certamine ſuſcipiens, vice noſtra tam reges, quàm ceteros Dei vel mundi miniſtros, admonendo, ſuadendo, & prohibendo, à cupiditatis vel auaritiæ vitio comprimat & compeſcat. vt ſcilicet vnuſquiſque ſuis contentus alienum non ſurripiat, non ſollicitet, non vſurpet. Præcipuè vt regnum quondam regis Hlotharij, quod cariſſimo filio noſtro domino Imperatori iure debetur, vel homines in eo degentes, mortalium nullus inuadat, nullus commoueat, nullus ad ſe conetur inflectere. Quoniam ſi per huiuſcemodi temeritatem caritatē ſcindere, concordiam diuidere, inuidentię facibus inardeſcere, cupiditatis æſtibus anhelare, propinquitatem telo crudelitatis percellere, ſcandalum in Eccleſia Dei generare non pertimeſcit, non ſolùm per mediocritatis noſtræ miniſterium, Deo auctore, viribus infirmabitur, verùm etiā vinculis anathematis obligatus, nomine Chriſtianitatis priuatus, cum diabolo, quem ſuper hoc imitatur, omnino locabitur. Tua verò reuerentia, ſi in hoc ſtrenuè ſecundum datam ſibi diuinitus ſapientiam laborauerit, noſtræ ſibi, vt prætulimus, familiaritatis fiduciam non dubitet modis omnibus tribuendam, nec diffidat beneuolentiæ noſtræ benignitatem, cùm neceſſitas exegerit, ſuis opportunitatibus adfuturam. Hos præterea Miſſos Apoſtolicæ noſtræ ſedis, Paulum & Leonē venerabiles Epiſcopos, dilectos conſiliarios noſtros, quos pro pace & concordia Dei Eccleſiæ illuc deſtinauimus, ob reuerētiam principum Apoſtolorum Petri & Pauli benignè ſuſcipe, & ea quæ tibi pro vtilitatibus Chriſtianę fidei atque religionis dixerint, ore cordis percipiens, ad effectum ducere feſtina. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto benę valere. Data Nonis Septembris, Indictione III.

CAROLVS CALVVS IN REGNO LOTHARII poſt eius mortem rex coronatus.

Mortvo in Italia Lothario, Carolus à regni eius proceribus accitus, vt regnum capeſſeret, iter confeſtim ingreſſus eſt, Virdunique Hattonem Epiſcopum, Metas veniens Aduentium eius ciuitatis Præſulem, & Franconem Tungrenſem, atque alios plurimos in fidem ſuſcepit. Mox ibidem v. Idus Septembres, in Baſilica S. Stephani, ab Epiſcopis qui adfuerunt, præmiſsis adnuntiationibus quæ ſequuntur, publicè coronatus eſt.

ANNO INCARNATIONIS DOMINICAE DCCCLXIX. Indictione II. v. Idus Septembris, Metis ciuitate in Eccleſia S. Stephani martyris, hæc quæ ſequuntur Capitula Aduētius Epiſcopus ipſius ciuitatis, coram rege & Epiſcopis qui adfuerunt, publicè populo & ſcripto, & verbis denuntiauit.

Cap. I. Vos ſcitis, & multis in plurimis regnis eſt cognitum, quantos & quales euentus tempore ſenioris noſtri, quem hactenus habuimus, pro cauſis notiſſimis communiter ſuſtinuimus, & quanto dolore, quantáque anguſtia de illius infauſta morte nuper cordibus perculſi ſumus. Vnde vnicum refugium, & ſingulariter ſalubre conſilium, rege & principe noſtro deſtituti ac deſolati, nobis omnibus eſſe conſiderauimus, vt ieiuniis & orationibus ad eum nos conuerteremus, qui eſt adiutor in opportunitatibus in tribulatione, & cuius eſt conſilium, ac cuius eſt regnum, & vt ſcriptum Dan. 4. 14. eſt, cui voluerit dabit illud; & in cuius manu corda ſunt regum, & facit vnanimes habitare in domo, ſoluens medium parietem, & faciens vtraque vnum: deprecantes ipſius miſericordiam, vt daret nobis regem ac principem ſecundum cor ſuum, qui in iudicio & iuſtitia nos in omni ordine ac

profeſſione regeret, ſaluaret, atque defenderet iuxta voluntatem eius, & corda omnium noſtrorum vnanimiter in eum inclinaret atque vniret, quem ipſe ad ſalutem & profectum noſtrum præſcitum & electum atque prædeſtinatum habeat ſecundum miſericordiam ſuam.

Cap. II. Quia denique voluntatem Dei, qui voluntatem timentium ſe facit, & deprecationes eorum exaudit, in concordi vnanimitate noſtra videmus, hunc regni eius heredem eſſe legitimum, cui nos ſponte commiſimus, domnum videlicet præſentem regem ac principem noſtrum Karolum, vt nobis præſit & profit: videtur nobis, ſi vobis placet, vt ſicut poſt illius verba vobis manifeſtabimus, ſigno certiſſimo demonſtremus, quia illum à Deo electum & nobis datum principem credimus, & eidem largitori Deo ex ſuis beneficiis non ſimus ingrati; ſed gratiarum actiones illi referentes, oremus quatenus & eum nobis ad ſalutem & defenſionem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, & ad auxilium atque profectum omnium noſtrûm cum ſalute ac pace & tranquillitate nobis conſeruet diutiùs, & nos fideli deuotione illi obſequentes, atque optata ſaluatione fruentes, ſub illius adminiſtratione in ſuo gubernet ſeruitio.

Cap. III. Et ſi illi placet, dignum ipſi & neceſſarium nobis eſſe videtur, vt ex eius ore audiamus, quod à Chriſtianiſſimo rege, fideli & vnanimi in ſeruitio illius populo, vnicuique in ſuo ordine, conuenit audire, ac deuota mente ſuſcipere.

Poſthæc rex Karolus hæc quæ ſequuntur per ſe in eadem Eccleſia cunctis qui adfuerunt denuntiauit.

Qvia ſicut iſti venerabiles Epiſcopi vnius ex ipſis voce dixerunt, & certis indiciis ex veſtra vnanimitate monſtrauerunt, & vos acclamaſtis, me Dei electione, ad veſtram ſaluationem & profectum, atque regimen & gubernationem, huc aduenîſſe, ſciatis me honorem & cultum Dei atque ſanctarum Eccleſiarum, Domino adiuuante, conſeruare, & vnumquemque veſtrûm, ſecundum ſui ordinis dignitatem & perſonam, iuxta meum ſcire & poſſe honorare & ſaluare, & honoratum ac ſaluatum tenere velle, & vnicuique in ſuo ordine, ſecundum ſibi competentes leges, tam Eccleſiaſticas, quàm mundanas, legem & iuſtitiam conſeruare: in hoc vt honor regius & poteſtas, ac debita obedientia, atque adiutorium ad regnum mihi à Deo datum continendum & defenſandum, ab vnoquoque veſtrûm, ſecundum ſuum ordinem & dignitatem atque poſſibilitatem, mihi exhibeatur, ſicut veſtri anteceſſores fideliter, iuſtè, & rationabiliter meis anteceſſoribus exhibuerunt.

Et poſthæc Hihcmarus Remorum Epiſcopus hæc quæ ſequuntur Capitula, iubente ac poſtulante Aduentio ipſius ciuitatis Epiſcopo, & ceteris Epiſcopis Treuirorum prouinciæ, Attone ſcilicet Eccleſiæ Virdunenſis Epiſcopo, & Arnulfo Tullenſis ciuitatis Epiſcopo, & Francone Tungrenſis ciuitatis Epiſcopo, conhibentibus prouinciæ Remorum Epiſcopis, coram Epiſcopis & rege, cunctis qui adfuerunt in eadem Eccleſia publicè denuntiauit.

Cap. I. Ne alicui fortè videatur, incongruè ac præſumptioſè me, ac prouinciæ noſtræ venerabiles coepiſcopos facere, quoniam de altera prouincia

Stephani, cuius nomen interpretatum reſonat coronatus, per Domini ſauiencia ordinationi & cauſis huius prouinciæ nos immiſcemus: ſciat nos contra canones ſacros non agere: quoniam Remenſis & Treuerenſis Eccleſiæ in hac regione Belgica commiſſis Eccleſiis ſorores & comprouinciales habentur, ſicut auctoritas Eccleſiaſtica, & antiquiſſima demonſtrat conſuetudo. Ac per hoc vnanimi conſenſu, & Synodalia iudicia exercere, & quæ à ſanctis patribus conſtituta ſunt debent concorditer cuſtodire, hac priuilegij conditione ſeruata, vt qui prior de Remenſi & Treuerenſi Epiſcopis fuit ordinatus, prior etiam habeatur.

CAP. II. Et lex diuinitus inſpirata præcipit dicens: *Si tranſieris per meſſem amici tui colligens ſpicas, manu confricabis ad manducandum, falcem autem non mittas*, vel *falce non metas*. Meſſis eſt populus, vt Dominus monſtrat in Euangelio dicens, *Meſſis quidem eſt multa, operarij autem pauci: rogate dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.* quia vos pro nobis Epiſcopis debetis orare, vt vobis digna poſſimus loqui. Meſſis autem amici, eſt populus in prouincia alteri Metropolitano commiſſa. Vnde vos hortando, quaſi manu operis confricando, ad Dei voluntatem, & veſtram ſalutem in corpus vnitatis Eccleſiæ valemus & debemus traiicere. In parochianos autem prouinciarum aliis Metropolitanis commiſſarum falcem iudicij non mittimus: quia nec eſt vnde, nec noſtrum eſſe conſideramus.

Deut. 23.25.

Matth. 9. 37.

CAP. III. Eſt & alia cauſa: quia iſti venerabiles domini & confratres noſtri, prouinciæ iſtius Epiſcopi, non habentes Metropolitanum Epiſcopum, exiguitatem noſtram ſic in ſuis, ſicut & in ſpecialibus noſtris cauſis, nos fraterna caritate iubent & commonent agere. Eſt ita, domini fratres? Et reſponderunt ipſi Epiſcopi, Ita eſt.

CAP. IV. Præterea, quæ domnus Epiſcopus & frater noſter Aduentius vobis ex ſua & ceterorum ſuorum ac noſtrorum fratrum & venerabilium Epiſcoporum voce dixit, in hoc etiam animaduertere poteſtis voluntatem Dei eſſe, vt præſens domnus & rex noſter, qui in parte regni, quam hactenus tenet & tenuit, & nobis ac Eccleſiis noſtris, & populo ſibi commiſſo vtiliter præeſt ac præfuit, & ſalubriter prodeſt & profuit, inde ad hunc locum Domino ducente peruenerit. Quò etiam vos eius inſpiratione confluxiſtis, & ipſi vos ſponte commendaſtis, cuius inſtinctu animantia omnia in arcam Noë, ſignificantem Eccleſiæ vnitatem, nullo cogente conuenerunt. Quia ſanctæ memoriæ pater ſuus, domnus Hludouuicus pius Imperator Auguſtus, ex progenie Hludouuici regis Francorum incly͏ti, per B. Remigij Francorum Apoſtoli catholicam prædicationem cum integra gente conuerſi, & cum tribus Francorum millibus, exceptis paruulis & mulieribus, vigilia ſancti Paſchæ in Remēſi metropoli baptizati, & cliætus ſumpto chriſmate, vnde adhuc habemus, peruncti, & in regem ſacrati, exortus per B. Arnulfum, cuius carne idem Hludouuicus pius Auguſtus originem duxit carnis, & à Stephano Papa Romano, ante ſanctæ Dei genitricis & ſemper virginis Mariæ altare, Remi in Imperatorem eſt coronatus: & demum factione quorumdam terreno imperio deſtitutus, in prædictam regni partem, vnanimitate Epiſcoporum & fidelis populi, ante ſepulcrum S. Dionyſij eximij martyris, Eccleſiæ ſanctæ eſt redditus, & in hac domo, ante hoc altare protomartyris

cerdotes, acclamatione fidelis populi, ſicut vidimus qui adfuimus, corona regni eſt imperio reſtitutus. Et quia, vt in hiſtoriis ſacris legimus, reges, quando regna obtinuerunt, ſingulorum regnorum ſibi diademata impoſuerunt, non incongruum videtur iſtis venerabilibus Epiſcopis, ſi veſtræ vnanimitati placet, vt in obedientia regni, vnde vos ad illum ſponte conueniſtis, & vos ei commendaſtis, ſacerdotali miniſterio ante altare hoc coronetur, & ſacra vnctione Deo conſecretur. Quod ſi vobis placet, propriis vocibus conſonate. Et in hoc conclamantibus omnibus, dixit idem Epiſcopus: Agamus ergo vnanimiter Deo gratias, decantantes Te Deum laudamus.

ANNO CHRISTI 870. CAROLI CALVI REGIS 30.

CONCILIVM APVD ATTINIACVM.

SYNODVS DECEM PROVINCIARVM, IN QVA Hincmarus Epiſcopus Laudunenſis iterum accuſatus ad ſedem Apoſtolicam iterum appellauit, menſe Maio, anno DCCCLXX.

IN hoc conuentu primùm auditi ſunt à Carolo rege duodecim legati Ludouici regis Germaniæ, pro diuiſione regni Lotharij ab eo miſſi. Deinde, vbi Synodalia ventilari cœperunt, iterata eſt accuſatio Hincmari Laudunenſis. Poſtremò acta cauſa Carlomanni filij Caroli regis. Tria enim hæc apud Attiniacum tractata docet Aimoinus lib. v. cap. xxIV. Menſe Maio, *inquit*, Karolus rex ad Attiniacum palatium venit: vbi & duodecim legatos fratris Ludouici pro diuiſione regni accepit. *& poſt alia.* Interea poſt de multis impetitus, præcipuè autem de inſubiectione regiæ poteſtati, & inobedientia erga ſuum Archiepiſcopum, Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, vt ſe ab impetitis expediret, in Synodo Epiſcoporum decem prouinciarum libellum propria manu ſubſcriptum porrexit hæc continentem: Ego Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, amodò & deinceps domno ſeniori meo Carolo regi ſic fidelis & obediens ſecundum miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo ſeniori, & Epiſcopus per directum ſuo regi eſſe debet: ac priuilegio Hincmari Metropolitani prouinciæ Remorum Eccleſiæ ſecundum ſacros canones, & decreta ſedis Apoſtolicæ ex ſacris canonibus promulgata, pro ſcire & poſſe me obediturum profiteor. Et ſubſcripſit. Carlomannus etiam regis filius, & plurimorum monaſteriorum Abbas, reputatus quoniam inſidias erga patrem ſuum infideliter moliretur, Abbatiis priuatus, in ciuitatem Siluanectenſem eſt cuſtodia mancipatus. *Sed quod ad Hincmari Laudunenſis cauſam attinet, narrat illum Hincmarus ſenior in Epiſtola, quam recitat Flodoardus lib.* III. *cap.* XXI. *cùm ab Epiſcopis propter iniuſtas excommunicationes, à rege ob violata ſacramenta, à Nortmanno denique propter beneficia vi adempta impeteretur, vt Synodicam cenſuram euaderet, regi & ſibi*

ſupraſcriptum profeſſionis libellum dediſſe. Deinde cùm electos iudices expetiiſſet, deſignatóſque Actardum, Ragenelmum, & Ioannem Epiſcopos ſuſcepiſſet, ante Synodi definitionem fuga lapſum exceſſiſſe, tum pitaciolum, cuius in Synodo Vermeriaca mentio facta eſt, miſiſſe, quo Romam eundi licentiam poſtulabat. Qua de re Hincmarus idem in eadem epiſtola: Quod dicis, *inquit*, te in Synodo apud Vermeriam, indéque apud Attiniacum licentiam eundi Romam petiiſſe, & impetrare non potuiſſe; omnes Epiſcopi qui in eiſdem Synodis fuerunt liquidò ſciunt, quoniam cùm de tuis inſolentiis increpabaris, timens regulare iudicium, vel regis caſtigationem, licentiam eundi Romam petebas. Cùm verò videbas quia & rex & Epiſcopi erant tibi placabiles, de ipſa licentia nihil dicebas, ſicut nec modò facis, donec aliquam nouitatem, vt ſoles, quam ſemper timendo exſpecto, iterum facias, de qua compellatus ſolitam cantionem de licentia tua recantes. *At contrà Laudunenſis in Apologia nondum edita, qua ſuperiori Epiſtolæ reſpondet, ſingula refellens, & obiecta crimina diluit, & profeſſionis libellum per vim fraudémque ſibi extortum, & fugam neceſſariam fuiſſe demonſtrat, retentúmque ſe, ne ad Romanam, quam appellarat, ſedem iret vehementer conqueritur.*

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XVIII.

Ad Carolum Caluum regem.

Regem increpat quòd Lotharij regnum inuaſerit, & ſedis Apoſtolicæ legatos contempſerit, mandátque vt regno illo excedat, & alios legatos benignè ſuſcipiat, Ioannem videlicet, Petrum, Vvibbodum, ac Ioannem Epiſcopos, & Petrum presbyterum Cardinalem.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, dilecto filio Carolo glorioſo regi.

SACRORVM itaque dogmatum euidentiſſimis documentis & Apoſtolicis informamur exemplis, vt mitiùs agere debeamus cum mitibus, & ſeueriùs per iuſtitiam delinquentes corripiamus. Sed neque nos Deo placere poſſumus, ſi paſtoris vicem ſuſcipientes, non opus paſtoris, ſed mercenarij latibula præſtolamur, & veniente lupo fugimus, ne ſolatium conferamus. Super quibus illud cauere debemus, quod Dominus per prophetam loquitur dicens: *Canes muti, non valentes latrare*: & rurſum, *Væ paſtoribus*, inquit, *qui paſcebant ſemetipſos*, & reliqua. Quòd ſi cunctis paſtoribus dominici gregis Dominus pro deſidia væ generaliter dicit, tanto magis nos illam ſententiam formidare debemus, quanto præ omnibus & pro omnibus, non ſolùm honoris, ſed etiam oneris in humeris noſtris pondera quoque geſtamus. An non pro te, Rex, rationem coram Domino ponere compellemur? ſi, vt illud interim ſileamus, quòd Miſſos Apoſtolicæ ſedis more regali recipere contempſiſti, factum tuum non reprehendimus, & ſpiritali zelo redarguere deſiſtimus, quando contra diuinam, ſanctorúmque patrum auctoritatem, atque contra propriæ fidei ſponſionem, qua iureiurando pollicitus es, ne aliena

Epiſt. XVIII. — Eſa. 56. 10. — Ezech. 34. 2.

& præcipuè fratrum tuorum regna concupiſceres, aut inuaderes, regnum quondam Hlotharij Imperatoris, quod ſpiritali filio noſtro, domno Hludouico Auguſto filio eius, iuxta diuinas & humanas leges debetur, præſumpſiſti inuadere, & in reatum periurij incidere non formidaſti. Nunquid à mente excidit, quòd veſtra veſtrorúmque iuramenta ſedi Apoſtolicæ deſtinata diſcuſſimus, roborauimus, & in archiuo noſtro hodie illa recondita retinemus? Quòd ſi nec tibi iſta ſufficiunt, tunc ad maioris reprehenſionis tuæ cumulum tuis te ſpecialibus ſententiis conuenimus, & vt ad cor tuum redeas, ex oris tui profeſſionibus incitamus. Quando igitur Hludouici, fratris tui filij, ſuperatus viribus regnum perdidiſti? nunquid non epiſtolam, quam habemus præ manibus, ſedi Apoſtolicæ direxiſti? in
» qua inter cetera confeſſus fuiſti dicens: Cum fratribus noſtris poſt Fonta-
» nicum bellum in vnum conuenimus, & inter nos diuiſione regnorum fa-
» cta, pacem fecimus, & iureiurando iurauimus, quòd nemo noſtrûm regni
» alterius metas inuaderet. Nunc autem regno meo iuramentis ſpretis inua-
» ſo atque ſublato, miſereatur veſter Apoſtolatus, & ne nomen Chriſti bla-
» ſphemetur in gentibus, ſine vindicante facinus non relinquatur. Ecce qualiter aliena tibi concupiſcere minimè conuenit. ecce tibi oſtenſum eſt, quòd iuramenta publicè facta contempta ſunt. poſtremò ad fortioris tuæ reprehenſionis indicium, aliquantiſper monſtratum eſt, quòd & te impunitum dimittere non debemus. Qui quod alij facere precabaris, nunc in ſimili opere tibi facere iuſto nos oportet iudicio, & te de tuis actibus increpare: præcipuè cùm apertiùs demonſtraris, quòd labiis tantùm, & non corde, deuotum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, veluti in epiſtolis ad deceſſores noſtros & nobis à te directis continetur, te iactitares eſſe filium. & nunc adeo deuotio fidei tuæ caſſata eſt, vt iam, quia conuenientibus reſponſis Miſſos noſtros à te minimè dimiſiſti, nobíſque reſcribere callidè omiſiſti, Miſſos tuos vel epiſtolas, quas te miſſurum indicaſti, hactenus ad contemptum Apoſtolicæ ſedis non direxiſti. Quòd ſi quis alius tale tibi dedit conſilium, fidem circa te minimè veram ſeruauit: ſi autem in hoc tuo tantùm conſilio vſus es, minus regalis excellentia quàm debuit fecit. De pacis verò & concordiæ vnitate, cuius nos inter piiſſimum Cæſarem & te mediatores eſſe debere ſuggeſſeras, libentiſſimè ſuſcepimus, & agere cœpimus. Sed illi contra hoſtes Chriſtiani nominis dimicanti, pro liberatione populi Dei multis laboribus inſiſtenti, & bella Domini præliando Sarracenorum multitudinem ſuperanti, vt pax fieret, cedere noluiſti, quin potiùs non vt pacis amator, ſed vt ſcandali concitator, etiam & tyrannidis manifeſtiſſimus executor, pacis tempus non es præſtolatus: quia poſtquam hæc illi callidè mandare curaſti, domni Imperatoris regnum magis ac magis inuaſiſti, ſollicitaſti, ordinaſti, & homines ipſius regni ad tuam fidelitatem iurare feciſti. Cui talia facere pertimeſceres, niſi ipſe tantis laboribus ad perpetuam pacem ſanctæ Eccleſiæ diu noctúque pro Chriſti amore fidenter hæreret. Qui à cœptis bonis, in quibus illi te ſolamina oportebat conferre magis, quàm Chriſtianum populum contra fidem debitam perſequi, manum & opus non ſubtrahens, dubium non eſt quòd omnipotentem Dominum adhæc peragenda ſibi propitium faciet, & de hoſtibus Chriſtiani nominis triumphum citò percipiet. Sed his ſuccinctè prolatis, quo-

niam, vt prædiximus, ſicut omnium pondera in humeris noſtris geſtamus, ita omnium actus præuidere debemus, ne pro humanis fauoribus nos hæc dicere quis exiſtimet, ſi fortè accideret, vt principes noſtri, quibus à te peruaſum regnum iure debetur, ſibi illatas iniurias non vindicarent; nos vſque ad veram emendationem, quia omnes ſaluare volumus, periuria illa, atque inuaſionum tyrannides impunitas nullo pacto dimitteremus: quia non ambitione regni, ſed iuſtitia commouemur, & non terrarum ſpatia quærimus, ſed ex debito vitiis ac prauitatibus quibuſcumque reſiſtere vigilamus. Igitur vt interim perpaucis gloriam tuam conueniamus, monemus & auctoritate Apoſtolica, quibus poſſumus modis, ſpiritaliter ſuademus, paternóque affectu præcipimus, vt iam tertiò monitus ab inuaſione regni ſpiritalis filij noſtri Chriſtianiſſimi principis te penitus ſubtrahas & compeſcas, aliena non concupiſcas, & quod tibi non vis fieri, illi non facias. Noli iuſtis tuis competentibúſque tibi rebus iniuſtè captas tyrannicè ſociare, ne & iuſtè poſſeſſas amittas, & iniuſtè peruaſas iuſto Dei iudicio te ambiſſe pœniteat. Nos etenim, quoniam ſaluum te conſiſtere cupimus, & vt anima corporéque felici ſucceſſu polleas anhelamus, niſi ſaltem nunc noſtris, aliiſve ſalubribus parueris monitis, vt & priùs inobediens noſtræ ſpiritali cenſuræ conſtiteris, nullo pacto, nullóque prætermittemus ingenio, quo minus Deo iuuante, partes illas noſmetipſi petamus, & quod noſtri eſt miniſterij penitus peragamus. Poſtremò magnopere cómonemus, vt hos Apoſtolatus noſtri præcipuos Miſſos, Ioannem videlicet, atque Petrum, & Vvibbodum, & Ioannem, reuerendos Epiſcopos, necnon & Petrum religioſum preſbyterum cardinis noſtri, dilectúmque familiarem noſtrum, pro principum Apoſtolorum ab omnibus præferenda reuerentia & amore, benignè ſuſcipias, & vt poteà tanta ſede digreſſos, honorificè receptos colas. Ipſis enim, quæ pagina reticuit, tibi dicenda iniunximus: & ideo quicquid verbo tenus expoſuerint, ſine ſcrupulo prorſus admitte, & vt efficaces ad nós reuerti valeant, omnimodis vigila. Optamus gloriam tuam in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data v. Kalendas Iulij, Indictione iii.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XIX.
Ad Epiſcopos in regno Caroli conſtitutos.

Vt regem moneant, vt à regno Lotharij abſtineat, & legatos benignè ſuſcipiant.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, omnibus reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis in regno Karoli glorioſi regis conſtitutis.

Epiſt. xix. NVPER Apoſtolatus noſtri Miſſis atque epiſtolis reuerentiam veſtram ſalutiferis exhortationibus vt vobiſmetipſis conſuleretis monuimus, & iuxta quod vos oportuit, fraternitatis affectu non immeritò corripuimus. Sed tantùm Apoſtolica monita contempſiſtis, quantum nec noſtris epiſtolis reſpondiſtis, nec regem veſtrum Karolum graue facinus incurrentem proculdubio doluiſtis. An non graue ſcelus incurrit, quando, ſicut multi veſtrûm nouerunt, ſui oblitus, iuſiurandum, quod olim cum fra-

tribus ſuis pepigit, quo nemo illorum regnum alterius inuaderet vel vſurparet, vt euidentiſſimè patefactum eſt, regnum quondam Hlotharij Imperatoris, quod iure diuo Imperatori domno Hludouico filio eius ſemper Auguſto debetur, ſpretis iuramentis inuaſit, & periurij incidit crimen? Vnde valde miramur, obſtupeſcimus, & dolemus, vt ſi vos fidem illi promiſiſtis, quare voſmetipſos perditis, & nō eum modò ſuggerendo, modò illud aut illud opponendo, vt reſipiſcat circumuenitis: quin potius vobis conſentiendo, & illi, tam deteſtabilia faciendo, quod veſtri non fecere parentes, gehennam paratis. Præfatus ſiquidem Imperator, terrena regna non ambiens, pro liberatione populi Dei multis laboribus fatigatus, triumphales in Sarracenorum ceruices potiùs manus, quàm in eum regnum ſuum tollenrem extendit. Redite ergo ad vos, dilectiſſimi, & vt olim fœdera inter ſeniorem veſtrum, fratreſque illius, cum iuramentis habita, ſed modò corrupta reformētur, ſine ceſſationibus laborate. Commonete iugiter illum iuxta veſtrum miniſterium, & vt Epiſcopalis in vobis non refrigeſcat caritas prouidete. Et ſi eum ſaluum conſiſtere vultis, vt regni iura ad ſe non pertinentia deſiſtat inuadere, opportunè importunè inſiſtite. Aliena non concupiſcat, aliena non rapiat, & quod ſibi non vult fieri, alij prorſus non faciat. Reminiſcatur ſcripturæ dicentis: *Non concupiſces rem proximi tui.* & rurſum: *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.* Nos enim non tantùm regnum cuicumque augendo, quàm iuſtitiam requirendo, iſta proſequimur, & ne quis pro temporali regnum perdat æternum non indebitè conteſtamur. Quòd ſi & nunc his ſalubribus noſtris exhortationibus atque monitionibus tam iam fatus rex, quàm vos parere contempſeritis, ſcitote quia ducti paterno affectu, feruentiſſimóque zelo iuſtitiæ, ſtatim Chriſto opifice partes illas penetrabimus, & in contemptores dignam dabimus vltionem. Poſtremò magnopere commonemus, vt hos Apoſtolatus noſtri præcipuos Miſſos, Ioannem videlicet, atque Petrum, ſeu Vuibbodum & Ioannem reuerendos Epiſcopos, necnon & Petrum religioſum preſbyterum cardinis noſtri, dilectúmque noſtrum familiarem, pro principum Apoſtolorum ab omnibus præferenda reuerentia & amore, benignè ſuſcipiatis, & vt pote à tanta ſede digreſſos, honorificè receptos colatis. Ipſis enim quæ pagina reticuit vobis dicenda iniunximus: & ideo quicquid verbotenus expoſuerint, ſine ſcrupulo prorſus admittite, & vt efficaces ad nos reuerti valeant omnimodis vigilate. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data v. Kalendas Iulij, Indictione III.

Exod. 20. 17.
Matth. 7. 12.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XX.

Ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem.

Arguit Hincmarum, quòd Carolum regem à regni Lotharij peruaſione non reuocarit, litteriſque Apoſtolicis non reſcripſerit. Hortatur vt regem ab eo conſilio deterreat, & alios legatos ea de cauſa miſſos ei commendat.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo.

Ex Codice Laudun.

SI BENEFICIORVM Domini, quę ſedis Apoſtolicæ inſtantia conſecutus es, memor eſſes, aut ſi ita de proximi, ſicut de propriis, caſibus iuxta quod ſcriptum eſt condoleres, profectò aut amor Dei, aut timor gehennæ, ad paſtoralis curæ miniſterium peragendum à ſomno deſidiæ excitaret, & ad annuntiandum iniquo iniquitatem ſuam vel modicū inuitaret. Sed vt in multis cernimus, & oculo mentis noſtræ conſpicimus, abundante iniquitate, & multorum caritate refrigerante, ipſi paſtores mercenariorum morem ſequuntur, qui vident lupum venientem, & dimittunt oues, & fugiunt. Primùm tamen reminiſci debes, ſi vnquam Apoſtolicis epiſtolis nō reſcriptum ſit, & conuenientibus reſponſis de negotiis vnde agebatur Apoſtolicæ ſedi remiſſum: ſicuti tuam reuerentiam pro noſtro cōtemptu feciſſe penitus conſtat, quando nuper per noſtros Miſſos in Galliarum partes epiſtolas tam tibi, quàm

aliis deſtinauimus, & nullum inde reſponſum recepimus. Sed quia de his alio loco dicendum eſt, reſtat vt te de tuis actibus per iuſtitiam, ex caritate tamē, reprehendere non omittamus. Quis igitur meliùs te nouit, quòd filij quondam Hludouici Imperatoris in vnum conuenientes regnum inter ſe diuiſerunt, iuréque iurando ſibi inuicem promiſerunt, vt nullus eorum regnum alterius fratris ſibi vſurparet, aut omnino perualeret? & nunc Karolus rex, ſacramentis illis contemptis, regnum, quod Hlothario Imperatore defuncto domino sereniſſimo Imperatori filio eius debetur inuaſit, & fidem debitam violauit. Tu verò, quia ſiluiſti, & contra tale facinus ſaltem leuiter non inſurrexiſti, nō ſolùm conſors, ſed etiam, quod eſt deterius, huius tyrannidis auctor eſſe videris. Et ideo, ne & nos ipſi pro taciturnitatis ſilentio apud Deum, redditorem vnicuique iuxta opus ſuum, reprehenſibiles eſſe videamur, Apoſtolicis ſomnolentiam veſtram excitamus affatibus, & qui aliter non debemus, vt ad re reuertaris præcipimus. Memento quòd Dominus tales per prophetam increpet dicens: *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* Quocirca vt ab inuaſione regni ſpiritalis filij noſtri Hludouici principis rex veſter iam tertiò monitus procul recedat inſiſte, vt ampliùs periurium non incurrat inuigila, & vt pro retro culpis peractis Apoſtolatus noſtri iaculis non feriaris præcaue. Quia neque tu, qui honore & dignitate ceteris illius regni Epiſcopis es ſublimior, ſilentiis opprimi debes: neque, ſi non regi prauè agenti teſtiteris, coram nobis excuſabilis poteris inueniri. Mone igitur eum vt ſe corrigat, regnúmque quondam Lotharij Imperatoris, quod ad eum non pertinet, inuadere iam deſiſtat. Iam verò, ſi in obſtinationis ſuæ perfidia poſt veſtram conuentionem perſiſtere maluerit, quàm iuxta noſtra monita reſipiſcere, ab illius vos communione atque conſortio ſequeſtrate, & ſecundum Apoſtolum nec Aue ei dicentes, ſi noſtræ cōmunionis vultis eſſe participes, præſentiam eius modis omnibus deuitate. Nam & nos ita vniuſcuiuſque iuſtitiam volumus & exquirimus, vt ſi idem rex noſtris Apoſtolicis exhortationibus, ſalubribúſque præceptis, mox ſuſceptis his litteris non obedierit, & à tantis tyrannicis factionibus non declinauerit, adiuuante Deo, nec mora, continuò iret noſtrum noſtros ſubſequetur legatos: & quicquid de talibus tantiſque viris, Deum per nos omnino ſpernentibus, oportet peragere, præueniente gratia ſancti Spiritus, præſentialiter peragemus, nullo pacto, nullóque retractationis impedimēto, talia ſine vltione digna prætermittentes. Poſtremò magnopere commonemus, vt hos Apoſtolatus noſtri præcipuos Miſſos, Ioannem videlicet, atque Petrum, ſeu Vibbodum, & Ioannem, reuerendos Epiſcopos, necnon & Petrum religioſum presbyterum cardinis noſtri, dilectúmque noſtrū familiarēm, pro principum Apoſtolorum ab omnibus præferenda reuerentia & amore, benignè ſuſcipias, vt pote à tanta ſede digreſſos honorificè receptos colas. Ipſis enim quæ pagina reticuit tibi dicendum iniunximus. Et ideo quicquid verbo tenus expoſuerint, ſine ſcrupulo prorſus admitte, & vt efficaces ad nos reuerti valeant omnimodis vigila. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data v. Kalend. Iulij, Indictione III.

Ezech. 13. 6. — 2 Ioan. v. 10.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XXI.

Ad proceres regni Caroli Calui.

Eadem qua in epiſtola xix. ad Epiſcopos.

Epiſt. xx. HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, omnibus optimatibus regni Karoli glorioſi regis.

NVPER Apoſtolatus noſtri Miſſis atque epiſtolis reuerentiam veſtram ſalutiferis exhortationibus, vt vobiſmetipſis conſuleretis monuimus, & iuxta quod vos oportuit paternitatis affectu non immeritò corripuimus. Sed tantum Apoſtolicā monita contempſiſtis, quantū nec noſtris epiſtolis reſpondiſtis, nec regem veſtrum Carolum graue facinus incurrētem proculdubio doluiſtis. An non graue ſcelus incurrit, quando, ſicut multi veſtrûm nouerunt, ſui oblitus, iuſiurandum, quod olim cum fratribus ſuis pepi-

git, quo nemo illorum regnum fratris alterius inuaderet vel vſurparet, vt euidentiſſimè patefactum eſt, regnum quondam Hlotharij Imperatoris, quod iure diuo Imperatori domno Hludouico filio eius ſemper Auguſto debetur, ſpretis iuramentis inuaſit, & periurij incidit crimen? Vnde valde miramur, obſtupeſcimus, & dolemus, vt ſi vos fidem illi promiſiſtis, quare voſmetipſos perditis, & nō eum modò ſuggerendo, modò illud aut illud opponendo, vt reſipiſcat circumuenitis: quin potius vobis conſentiendo, & illi tam deteſtabilia faciendo, quod veſtri non fecere parentes, gehennam paratis. Præfatus ſiquidem Imperator, terrena regna non ambiens, pro liberatione populi Dei multis laboribus fatigatus, triumphales in Sarracenorum ceruices potiùs manus, quàm in eum regnum ſuum tollentem extendit. Redite ergo ad vos, dilectiſſimi, & vt olim fœdera inter ſeniorem veſtrum, fratréſque illius, cum iuramentis habita, ſed modò corrupta, reformentur, ſine ceſſationibus laborate. Et ſi eum ſaluum conſiſtere vultis, vt regni iura ad ſe non pertinentia deſiſtat inuadere, opportunè importunè inſiſtite. Aliena nō concupiſcat aliena non rapiat, & quod ſibi non vult fieri, alij prorſus non faciat. Reminiſcatur ſcripturæ dicentis: *Non concupiſces rem proximi tui.* & rurſum: *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.* Non enim tantùm regnum cuicumque augmentando, quàm iuſtitiam acquirendo, iſta proſequimur, & ne quis pro temporali regnum perdat æternum, non indebitè conteſtamur. Quòd ſi & nunc his ſalubribus noſtris exhortationibus atque monitionibus tam iam fatus rex, quam vos parere contempſeritis; ſcitote quia ducti paterno affectu, feruentiſſimóque zelo iuſtitiæ, ſtatim Chriſto opifice partes illas penetrabimus, & in contemptores dignam dabimus vltionem. Poſtremò magnopere commonemus, vt hos Apoſtolatus noſtri præcipuos Miſſos, Ioannem videlicet, &c. *vſque ad finem vt in epiſtola* XIX. *ad Epiſcopos.* Optamus induſtriam veſtram in Chriſto bene valere. Data v. Kalendas Iulij, Indictione III.

Exod. 20. 17.
Matth. 7. 12.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XXII.

Ad Ludouicum regem Germaniæ.

Commendat legatos ſuos, & Ludouici Imperatoris, propter Lotharij regnum à Karolo inuaſum miſſos. Epiſcopum Coloniæ ſine ſuo conſultu ordinatum fuiſſe conqueritur.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Hludouico glorioſo Regi.

Epiſt. XXI.

SICVT ſæpe per Miſſos & epiſtolas veſtras comperimus, de exaltatione matris veſtræ Romanæ Eccleſiæ iucundamini, & cum cariſſimo filio noſtro domino Hludouico Auguſto omnem concordiam, omnémque pacis dilectionem & fidei poſſidetis, & inſolubiliter; quemadmodum idem ſereniſſimus Imperator nobis innotuit, vos retinere multis coràm poſitis profitemini. Vnde glorioſæ veſtræ ſerenitati nonnullas grates referimus, & vt in cœptis bonis perſeueretis, Apoſtolicis affatibus, fili cariſſime, incitamus: quoniam ſcriptum eſt: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Sed & laudanda eſt planè veſtra cōſtantia, quę ſui non immemor fidem promiſſam meritò cuſtodiuit, & velut frater veſter Karolus, alterius regni iura, Hlotharij quondam ſcilicet Imperatoris, quæ iuxta diuinas atque humanas leges, eidem piiſſimo Imperatori filio eius debentur, nec inuaſit, nec concupiuit. Pro quibus ſcilicet iniquiſſimis actibus, quos idem Karolus Deo contempto peregit, & pro iuramentis quæ corrumpere non trepidauit, valde obſtupeſcimus & miramur. Quia & illorum, quos deuiare cognoſcimus, tantùm animarum pericula gemimus & dolemus, quantum pro omnibus, illi, qui nos ſuo gregi præeſſe dignatus eſt, rationes ponere proculdubio compellemur. Verumtamen Miſſos noſtri Apoſtolatus, cum eiuſdem ſpiritalis filij noſtri Auguſti legatis, tam ad vos, quàm ad eumdem Karolum, ſicut nos nuper facere propoſuimus, ecce direximus. Quos benignè ac honorificè pro amore Apoſtolorum ſuſcipientes, omnes vtilitates & opportuna in opere

Matth. 10. 22.

Auguſtum

præſenti negotia cum eis tractetis. quatenus his peractis, ſicut nos & ſæpedictus Auguſtus ſperamus, iidem Miſſi ſalui atque illæſi per veſtrum adiutorium ad prædictum Regem, duce Deo, perueniant,& regredi valeant. Iam verò, ſi idem Rex ab inuaſione illa ceſſauerit,& ſuæ tyrannidi ceſſerit, ecce bene. Sin autem, ſcitote quia per nos illuc iter veniendi accelerabimus, & velut in contemptorem Dei, ac Apoſtolicarum monitionum, vltionem debitam inferemus: ne nobis imputetur, ſi ille impunitus remanſerit, & ſi ſe à prauis actibus, periuriis ſcilicet ac cõcupiſcentiis, aliiſque nefandis ſceleribus non correxerit, venturus iudex cum de manibus noſtris requirat, & pro deſidia meritò reprehendat. Miramur præterea gloriam veſtram in præficiendo Epiſcopo Agrippinæ Coloniæ tam indiſcretè præbuiſſe conſenſum: cùm euidentiſſimè ſcires, quòd Apoſtolicæ ſedis iudicio atque conſultu ibidem debuerit ordinari Antiſtes, cuius cenſura nuper fuerat eadem Eccleſia ſuo priuata rectore. Et quidem, quòd poſt iudicium ſedis Apoſtolicæ factum eſt, durè ſuſcepimus: ſed quòd tua ſuper hoc deuotio, quam circa nos habere probaris, omnimodis tacuit, durius æſtimamus. Præcipuè quia Gunthatij dudum Archiepiſcopi cauſam, antequam in locum illius ſubſtitueretur Epiſcopus, nos iterum audituros, & vocem eius admiſſuros fore ſpopondimus. Præfatam quippe ordinationem nec confirmamus, nec ratam habere decernimus, quouſque ille qui ordinatus eſt noſtræ exhibeatur præſentiæ, & vtraque pars coram nobis diſcuſſa conuentus ſynodalis perpendatur audientia. Poſtremò magnopere commonemus, vt hos Apoſtolatus noſtri præcipuos Miſſos, Ioannem videlicet, atque Petrum, ſeu Vvibbodum, & Ioannem, reuerendos Epiſcopos, necnon & Petrum religioſum preſbyterum cardinis noſtri, dilectúmque noſtrũ familiarem, pro principũ Apoſtolorum ab omnibus præferenda reuerentia & amore, benignè ſuſcipiatis, & vt pote à tanta ſede digreſſus, honorificè receptos colatis. Ipſis enim quæ pagina reticuit vobis dicenda iniunximus. Et ideo quicquid verbo tenus expoſuerint, ſine ſcrupulo prorſus admittite, & vt efficaces ad nos reuerti valeant omnimodis vigilate. Optamus gloriam tuam in Chriſto nunc & ſemper benè valere. Data v. Kalend. Iulij, Indictione III.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XXIII.
Ad Epiſcopos in regno Ludouici conſtitutos.

Commendat legatos, monétque vt regi ſuo perpetuam pacem cum Imperatore ſuadeant.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, omnibus reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, Archiepiſcopis & Epiſcopis in regno Hludouici glorioſi regis conſtitutis ſalutem.

Epiſt. XXIII. GRATIAS agimus Deo omnipotenti pro vobis, quòd, ſicut fidelium relatione comperimus, vt inter ſereniſſimum principem noſtrum domnum Hludouicum Auguſtum, & glorioſum regem æquiuocum eius & patruum, ſeniorem ſcilicet veſtrum, firma caritas & pax perpetua maneat, vt pote fidei cuſtodes inuigilatis, & vt fœdera inter eos habita inconuulſa conſiſtant ſuadere curatis. Quocirca, dilectiſſimi, noſtris vos Apoſtolicis monitis exhortamur, vt in hoc ſemper perſeueretis, & idipſum ei ſuadere puro pectore ſtudeatis. Tameſt enim illi inuictus Auguſtus beneuolus, quantum erga omnes probatur eſſe piiſſimus. State ergo in fide, viriliter agite, & Deo odibilium facta declinate. quia non decet vos fidem veſtram corrumpere, ſicut illos, qui Karolo regi ſeniori ſuo pro humano fauore conſenſerunt, vt regnum ipſius principis noſtri peruaderet, & periurij noxam incurreret. Pro quibus vos meritò collaudamus, & vt in cœptis perſeueretis, paternitatis affectu præcipimus, quia qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Poſtremò magnopere commonemus, vt hos Apoſtolatus noſtri præcipuos Miſſos, videlicet Ioannem atque Petrum, ſeu Vvibbodum & Ioannem reuerendos Epiſcopos, necnon & Petrum religioſum preſbyterum cardinis noſtri, dilectúmque noſtrum familiarem, pro principum Apoſtolorum ab omnibus præferenda re-

uerentia & amore, benignè ſuſcipiatis: & vt pote à tanta ſede digreſſos, honorificè receptos colatis. Ipſis enim quæ paginâ reticuit vobis dicenda iniunximus. Ideo quicquid verbotenus expoſuerint, ſine ſcrupulo, prorſus admittite, & vt efficaces ad nos reuerti valeant, omnimodis vigilate. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data v. Kalendas Iulij, Indictione III.

EPISTOLA CLERI PLEBISQVE SENONENSIS, Ad Epiſcopos Senonum prouinciæ.

Pro conſecratione Anſegiſi electi Epiſcopi Senonenſis.

DOMINIS REVERENTISSIMIS AC VENERABILIBVS Senonum diœceſeos patribus & Epiſcopis, Senonum Eccleſiæ clerus, cum totis eiuſdem parochiæ plebibus ſibi coniunctis, pacem perpetuam & gloriam ſempiternam ſemper & vbique optamus in Domino.

Ex Codice S. Remigij Remenſis.

CANONICIS regulis & Apoſtolicis inſtitutionibus ſancitum eſſe recolimus, vt quoties Metropolis ciuitas pontificalis miniſterio dignitatis caruerit, proprióque vacauerit paſtore, ſuffraganei eiuſdem Metropolis conuenire debeant, & electionem futuri pontificis cum conſenſu cleri & plebis facere, ac cum decreto electionis, ſingulorum petentium manibus roborato, ſuffraganeos adire debeant pontifices, ac de ſubſtituendo in loco eius qui deceſſit paſtore petitione ſupplici commonere, quatenus & Metropolis ciuitas paſtorali ſollicitudine deſtituta proprio recuperetur pontifice, & qui ordinandus eſt gratiofiùs poſſit accedere. Quoniam cui debet ab omnibus obediri, debet vtique & ab omnibus eligi, ne ciuitas Epiſcopum non optatum, aut cōtemnat, aut oderit, & fiat minus religioſa quàm conuenit, cui non licuerit habere quem voluit: hij verò qui ordinaturi ſunt, cum in quem viderint omnium vota perpenſiùs concordare, promptiùs ac liberiùs illi poſſint manus imponere. Idcirco cum decreto electionis noſtræ, manibus ſingulorum noſtrorum roborato, ad paternitatem veſtram accedētes, Anſegiſum preſbyterum Remorum diœceſeos, Eccleſiæ autem Beluacenſium, atque abbatē monaſterij ſancti Michaëlis, quem per licentiam veſtram, patres venerandi, domino etiam Chriſtianiſſimo rege Karolo annuente, ſecundum decreta Cæleſtini Papę, ex propria eccleſia deficiente electione, pari conſenſu ac concordia, voluntate ac deuotione elegimus nobis & Eccleſiæ noſtræ Epiſcopum atque pontificem, per manum veſtram conſecrari implorantes petimus, rogamus, atque precamur. Elegimus autem eum nobis fore paſtorem, quem Apoſtolicæ formæ, qua Epiſcopum ornatum Paulus Apoſtolus eſſe debere demonſtrat, congruere, & ſacris canonibus non obuiare, Chriſti cooperante gratia credimus. Actum v. Kal. Iul. in baſilica beati Stephani protomartyris. Anno Incarnationis Domini DCCCLXXI. regni vero domni Karoli glorioſi regis XXXI. Indictione IIII.

Decret. cap. 18.

1. Tim. 3. 2. Tit. 3. 7.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XXIV.

Ad Carolum Caluum regem.

Pro Carolomanno Caroli Regis filio, qui à patre vexatus ad Pontificem per legatos ſuos & litteras confugerat.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Carolo Regi.

Epiſt. xxiii. INTER cetera exceſſuum tuorum, quibus aliena vſurpando inuaſiſſe crederis, illud quoque nihilominus obiicitur, quòd etiá beſtiarum feritatem excedens, contra propria viſcera, id eſt contra Carolomanum genitum tuum, ſæuire minimè verearis. ita vt more ſtruthionis, quod ex libro beati Iob diſcimus, obduraueris ad filium (Iob. 39. 16.) tuum, quaſi non ſit tuus: eum videlicet non ſolùm paterna gratia & beneficiis priuans, verùm etiam regni finibus eliminans, atque, quod impium eſt, vt excommunioni ſubmittatur, affectans. Verùm quia idem Carolomannus ſedem Apoſtolicam legatis ſuis, tanquam quibuſdam pedum ſuorum paſſibus, adiit, & per proprias litteras nos appellat, quin potius interpellat: primò quidem ab huiuſcemodi conatum tuum intentu auctoritate Apoſtolica refrænamus: deinde verò, ne aduerſus Apoſtolum ad iracundiam prouoces filium tuum, ſalubriter exhortamur. (Epheſ. 6. 4.) Atque ideo & gratiam ei tuam ſicut conuenit redde, & illum, vt reuera proprium filium, paternis affectibus ſuſcipe, necnon & priſtinis beneficiis ac honoribus reſtituere ſatage, donec ſaltem Apoſtolatus noſtri Miſſi ad te veniant, & ſaluo debito vtriuſque veſtrûm honore, quicquid de illo ſalubrius inuentum fuerit, competenti executione ac diſpenſatione ordinetur ac diſponatur. Ergo ne adiicias peccatum ſuper peccatum: ſed & de priſtinis inuaſionis & auaritiæ prauitatibus deprecare, & correctionis oſtenſa perfectione, veniam Eccleſiaſticam recipere totis medullis exopta, & ne fine tenus pereas, vſquequaque decerta: quatenus per hoc finis prauitatum finis animaduerſionis efficiatur, &, præſtante Deo, cum termino culpæ terminus accedat & pœnæ. Data III. Idus Iulij, Indictione IV.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XXV.

Ad proceres regni Caroli Calui, & Lotharij quondam Regis.

Prohibet ne arma capiant contra Carlomannum.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, omnibus glorioſis Comitibus, & ceteris fidelibus, in regno Caroli, & in regno quondam Lotharij regum conſtitutis.

Epiſt. xxiv. AVDITVI noſtro ſonuit, quòd Karolus Rex, etiam belluarum furorem tranſcendens, contra propria viſcera, id eſt contra Carolomannum filium ſuum ſæuierit, hunc videlicet non modò paterna gratia & beneficiis priuans, verùm etiam regni ſui metis eliminans: quin etiam conetur aduerſus illum exercitum congregare, & vos omnes aduerſus eum totis niſibus deſtinare. Vnde, quia per huiuſmodi contentionem atque conflictum ſæpe ſanguinis effuſio contigit, prouidendum ſummopere ducimus, ne tale pronefas noſtro proueniat tempore, ac per hoc nomen Dei blaſphemetur in gentibus. Ideóque pacem & non bella volentes, (nam Pſalmiſta Domino dicit: *Diſſipa gentes quæ bella volunt*) (Pſal. 67. 31.) ea quæ pacis ſunt inter genitorem & genitum, ſi poteſtis, conſtituite. Porrò ſi non pote-

ſtis, ſaltem bellis cedite, prælia diſſipate. Alioquin, quiſquis veſtrûm contra Carolomannum caſtra mouerit, arma ſuſtulerit, vel læſionis exercitia præparauerit, ac per id vt effundatur fidelium ſanguis conſtruxerit, non ſolùm excommunicationis nexibus innodabitur, verùm etiam vinculis anathemaris obligatus in gehenna cum diabolo deputabitur. Optamus vos in Chriſto bene valere. Data III. Idus Iulias Indictione IV.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XXVI.

Ad Epiſcopos in regno Caroli & quondam Lotharij conſtitutos.

Prohibet ne Carlomannum excommunicent.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, Archiepiſcopis & Epiſcopis in regno Karoli & in regno quondam Hlotharij regum Eccleſiam Domini gubernantibus.

Epiſt. xxv. PRÆSVLATVS noſtri auribus intimatum eſt, Karolum regem Carolomannum filium ſuum gratia ſua priuatum, poſt multa dira ſimul & dura crudeliter irrogata, beneficiis, & ab ipſis quoque regni ſui metis eliminaſſe: quinimo vt vos etiam in eum excommunicationis ſpicula iaceretis, ſanctimoniæ veſtræ nihilominus ſuaſiſſe. In quo quid aliud intelligi datur, ſi rei ſe ita veritas habet, niſi quòd reſti delictorum, quam multipliciter extendendo contexuit, adhuc iſtud quoque impietatis genus velit adiicere, & ſeſe talibus iniquitatum captum funiculis & conſtrictum geſtiat irretire? vnde nimirum valde dolemus, & ei affectu ſpiritali compatimur. Et quamuis exteriorem circa illum pacem ſoluamus, interiorem tamen integram conſeruamus. Nam & ideo illum percutimus, vt ſanemus: & flagella idcirco extrinſecus adhibemus, vt intrinſecus vulnera delictorum curemus. Verbera namque corrigentis ſunt, non pœnæ damnantis. Verùm quia idem Carolomannus nos miſſis ſuis, quaſi quorundam pedum ſuorum greſſibus, adiit, & per ſyllabas proprias Apoſtolicam ſedem appellat, quin potiùs interpellat: decernimus, nullam vos in eum excommunicationis iaculaturos omnino ſententiam; quouſque videlicet nos, qui ſacerdotum Domini maturа volumus eſſe iudicia, vniuerſa quæ geſta ſunt veraciter agnoſcamus. Alioqui inualidam Apoſtolicæ pondere auctoritatis futuram, contraque reuerentiam veſtram potiùs non immeritò ſæuituram. Satius autem, & ſine dubitatione præſtantius eſt, ne Karolus proprium filium ſpernat, ne domeſticos ſeminis ſui deſpiciat, ne iura propinquitatis ſolito more corrumpat, ne pacis & caritatis fœdera violet, ne caduca manſuris anteferat, ne temporalia æternis præponat. Præterea præfatus Carolomannus inſontem quidem ſe circa patrem multipliciter aſſerit. Verùm vt nos, non adſtruendo, ſed ratiocinando, quæ animaduertimus fateamur, quid mirum, ſi Carolus præcepta Dei, præfixos metis ſuis terminos transferendo, aliena inuadendo contemnens, ex ſuis repetit, qui eius voluntaribus contrairet, & de lumbis ſuis procederet, qui ipſius nutibus reſultaret: cùm non ignoremus protoplaſtum, contra Deum ſe per inobedientiam erigentem, & vetita contingentem, non ſolùm exteriora quæque rebellantia cognouiſſe, verùm etiam in ſemetipſo quæ ſibi obſiſterent inueniſſe? Quod tamen non dicimus, quaſi Carolomannum rebellem circa patrem fatentes, aut contumacem genitum erga genitorem fore docentes: ſed quid ſecreto iuſtóque diuino iudicio fieri poſſit conſiderantes, & vt hæc rex Carolus ſolerter attendat, ſalubriter admonentes. De quibus omnibus ſcitote nos ipſi regi Carolo ſcripta noſtra miſiſſe, & exhortatoria pontificatus noſtri monita direxiſſe. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data III. Idus Iulias, Indictione IV.

CONCILIVM DVZIACENSE.

IN QVO HINCMARVS EPISCOPVS LAVDVNENSIS tertiùm accuſatus Epiſcopali gradu deiectus eſt, apud Duziacum villam menſe Auguſto celebratũ, anno Chriſti DCCCLXXI. Hadriani II. Papæ anno IV. Caroli Calui regis XXXII.

TERTIA hæc Synodus contra Hincmarum Laudunenſem: nam tribus in Synodis conuictum fuiſſe Carolus rex Hadriano Papæ reſcripſit. Quo autem pacto ad Synodum hanc perductus, & quàm acerbè in ea tractatus, atque ab Epiſcopali remotus ſit officio, tum deinde in exilium miſſus, ferro vinctus, ac denique oculis cæcatus, fusè narrat Hincmarus ipſe in libello proclamationis, quem Ioanni Papæ poſtea oblatum ſuo loco reddemus in Synodo Tricaſſina. Huius verò Synodi acta, quæ ad Hadrianum Papam miſſa fuerant per Actardum, non extant: extat tamen Hadriani reſcriptum ad Synodum, in quo Hincmari depoſitionem improbat, eúmque in Vrbem iterandi iudicij gratia mitti iubet. Hadriani ergo Epiſtolæ, ad Synodum Duziacenſem, cuius pauca tantùm quædam antehac edita ſunt, exemplum in Codice S. Remigij Remenſis, atque in altero S. Mariæ Virdunenſis, eſt huiuſmodi.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XXVII.

Ad Epiſcopos Synodi Duziacenſis.

Actardum Epiſcopum à Namnetica ſede transfert ad Turonicam. Hincmari Laudunenſis depoſitionem improbat, eúmque Romam cum aduerſario ad renouandum iudicium venire iubet.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, Archiepiſcopis & Epiſcopis, qui apud Duziacenſem Remenſis prouinciæ Synodum conuenerunt.

CARITATIS veſtræ litteras per Actardum venerabilem coepiſcopum, & glorioſi Regis Karoli legatum, ſuſcepimus, & quid de eo ad ſuggeſtionem & deprecationem noſtram egeritis, non ſolùm in eis, verùm & per ipſum cognouimus. Egiſtis enim vt decebat, oſtendentes in ipſo veræ fraternitatis feruorem, & in nobis Eccleſiæ, cui licet indigni, Ex Codice S. Remigij Remenſis.

vicarij tamen digniſſimi principis Apoſtolorum præſidemus, debitum cum reuerentia honorem. De quo prout ſignificaſtis peregimus. Nam ſicut Synodus expoſtulauit, plebs & Turonicus clerus eum concorditer elegit, per noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis decretum conſtituimus Cardinalem Metropolitanum, & Archiepiſcopum Turonicæ Eccleſiæ, atque prouinciæ. quoniam dicente Anthero Papa in epiſtola ſua, quibuſdam cum de mutatione Epiſcoporum de ciuitate in ciuitatem conſulentibus: » Scitote eam communi vtilitate atque neceſſitate fieri licere, ſed non libitu cuiuſquam, aut dominatione. Petrus namque ſanctus magiſter noſter, » & princeps Apoſtolorum, de Antiochia vtilitatis cauſa tranſlatus eſt Romam, vt ibidem potiùs proficere poſſet. Euſebius quoque de quadam » parua ciuitate Apoſtolica auctoritate mutatus eſt Alexandriam. Similiter » & Felix de ciuitate, qua ordinatus erat electione ciuium, propter doctrinam & bonam vitam quam habebat, communi Epiſcoporum & reliquorum ſacerdotum ac populorum conſilio, tranſlatus eſt Epheſum. Non » enim tranſit de ciuitate in ciuitatem, qui non ſuo libitu hoc facit, aut ambitu, ſed vtilitate quadam, aut neceſſitate, aliorum hortatu & conſilio potiorum transfertur: nec transfertur de minore ciuitate ad maiorem, qui » hoc non ambitu, non propria voluntate facit, ſed aut vi à propria ſede pulſus, aut neceſſitate coactus, aut vtilitate loci, aut populi, non ſuperbè, ſed » humiliter ab aliis tranſlatus & inthronizatus eſt. quia homo videt in facie, » Deus autem in corde. Et alios nonnullos, ſicut tripertitæ Hiſtoriæ ſeries prodit, legimus pro temporis neceſſitate de vna Eccleſia fuiſſe mutatos in aliam: quia aliter tractanda eſt neceſſitatis ratio, aliter voluntatis. Vnde ſancti patres Nicæni capitulo ſecundo dicunt, quoniam plura aut per neceſſitatem, aut aliàs cogentibus hominibus, aduerſus Eccleſiaſticam facta ſunt regulam. Et S. Leo Papa cap. 44. Decretalium ſuorum dicit, omittendum eſſe, & inculpabile iudicandum, quod neceſſitas intulit. Ita tamen hoc permittentes, vt Namneticæ Eccleſię, cui fuerat ordinatus, in eo quod remanſit, quòd deſtructa habetur, iura poteſtatémve nullomodo ſubtrahamus. Interponentes paſtoralis vigoris cenſuram, vt ſi quandocumque, vel quicumque alium, ipſo ſuperſtite, in præfata Metropoli, & in iſta, vel in earum pertinentiis, locare tentauerit, aut ordinare præſumpſerit, Eccleſiaſticę duntaxat communionis conſortio careat. Sanè poſt eius deceſſum, electio canonica, & ordinatio, à ſuffraganeis Epiſcopis eiuſdem Metropoleos Turonicæ canonico celebretur ex more. Quòd ſi Namneticæ contigerit Eccleſiæ ad priorem Chriſto auxiliante ſtatum redire, nihil officiat ei hæc neceſſitatis vnitio, quam videlicet exigit paganorum vaſtatio, quominùs proprium valeat habere Pontificem. Sed vidimus eum valde triſtiſſimum propter perſecutionem paganorum. Et cùm omnes ſint pene res ipſius Eccleſiæ depopulatæ, veſtræ dirigimus fraternitati, vt fraterna eum caritate commoti viribus totis adiuuare, apud excellentiſſimum regem veſtrum humiliter intercedendo, viriliter ſatagatis: quatinus veſtro ingenti certamine Chriſti Eccleſia quieta, & ſecura, & propriis rebus ditata glorioſaque conſiſtat. Igitur de Hincmari Laudunenſis Epiſcopi depoſitione pontificio noſtro ſcripſiſtis, quatinus de eo ſecundum quod canonicum eſt vobis reſcribere iuberemus. Primò denique veſtræ reſpondemus

Epiſt. vnica in princip.

Lib. 12. cap. 8.

Epiſt. ad Nicetam Aquileien.

caritati, quia cùm clamaret in Synodo ſe ad ſedem Apoſtolicam velle incunctanter venire, atque in præſentia eius pro obiectis ſibi ab aduerſario criminibus reſpondere, damnationis in eum non erat proferenda ſententia. Tamen, ſicut ipſius Concilij actionibus legitur, quoniam ſaluo in omnibus iudicio ſedis Apoſtolicæ illum ab Epiſcopis fuiſſe iudicatum aſſeritis, Nos, non aliqua contra quoſlibet commoti inuidia, nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus & auctoritate Apoſtolica, nullius partis fauorem aut obſequium, ſed rei geſtæ veritatem magis inuenire cupientes, iubemus ipſum Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum veſtra fretum potentia ad limina ſanctorum Apoſtolorum, noſtrámque venire præſentiam. Quo ſanè veniente, veniat pariter accuſator idoneus, qui nulla poſſit auctoritate legitima reſpui. Et tunc in præſentia noſtra, & totius ſedis Romanæ ſynodali collegio, cauſa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquiſita, ſecundum Deum & ſacrorum canonum conſtitutiones ſpiritu Dei prolatas, ſine protelatione aliqua finietur. quoniam geſta Synodalia quæ nobis mandaſtis, & illius iudicantur damnatione, dicente nobis beato Gregorio ad Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum de quodam ab eo damnato Epiſcopo, idoneè ſatisfacere non videntur. Ideo temere aliquid de Epiſcopi perſona decernere nec debemus, nec poſſumus, ne quod abſit reprehenſibiles inueniamur in noſtris, quibus aliorum iure competit retractare ſententias. Item in alia epiſtola ſua Felici Sicilienſi: Nec nos, inquit, contra inauditam partem aliquid poſſumus definire. Hinc etiam ad Matinum quendam Scholaſticum ſcripſit dicens: Quia, ſicut præfati ſumus, cauſarum origo & qualitas omnino nobis ignota eſt, pronuntiare aliquid definitiuè non poſſumus: ne, quod reprehenſibile nimis eſt, de rebus non bene cognitis proferre ſententiam videamur. Vnde & ſanctus Leo, ſedis & doctrinæ Apoſtolicæ decus, dicit in epiſtola ſua Flauiano Conſtantinopolitano pro Eutychete presbytero hæretico: *Quoniam nos, qui ſacerdotum Domini matura volumus eſſe iudicia, nihil poſſumus incognitis rebus in cuiuſquam partis præiudicium definire, priuſquam vniuerſa quæ geſta ſunt, veraciter audiamus.* Hinc & beatus Iob dicit, *cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inueſtigabam.* Inde etiam in Pentateucho Dominus dicit: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt: & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. deſcendam & videbo, vtrum clamorem qui venit opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.* Ecce Dominus omnipotens, cui nihil abſconditum eſt, ſed omnia ei manifeſta ſunt etiam antequam fiant, cur & alia multa per ſe inquirere dignatus eſt, niſi vt nobis exemplum [illegible]t, ne præcipites in diſcutiendis ſeu iudicandis negotiis eſſemus, & ne [illegible] quorumquam priùs quiſquam præſumat credere, quàm probare? [illegible]s exemplo monemur, ne ad proferendam ſententiam vnquam præcipites ſimus, aut temere quoquo modo iudicemus. Quibus nimirum exemplis admoniti, aliter in præſenti de prædicto Hincmaro, niſi eum Romam [illegible]ndi, vobis mandare diſtulimus. Nam graue mentibus veſtris videri debet, in præſentia ſedis Apoſtolicæ vt illius retractetur iudicium; [v]eritas exagitata ſæpius magis ſplendeſcit in lucem, & pernicies [illegible] in iudicium grauiùs & ſine pœnitentia condemnatur. Nam fru[illegible]inus eſt, iuſtitiam ſæpius recenſeri, nullúmque bonum eſt, quod

Lib. VIII. epiſt. 10.

Lib. VII. Indict. II. epiſt. 41.

Lib. eod. epiſt. 61.

Epiſt. 2.

Iob 29. 16.

Gen. 18. 20.

non pulcriùs elucescat, ſi plurimorum fuerit ſententia comprobatum. Vnde quouſque cauſa illius, ſicut prætulimus, fuerit iterum reſticata atque finita, alter Epiſcopus in ipſa Laudunenſi Eccleſia nullatenus ordinetur. Quapropter quæ vobis ſalubri & Apoſtolica præceptione facienda mandamus, toto anniſu & fideli deuotione, ſicut filij cariſſimi, adimplere facereque debetis, ſi noſtro illibatè frui Apoſtolico ſemper deſideratis conſortio. Generalitatem veſtram optamus in Chriſto bene valere. Data VII. Kal. Ianuarij, Indictione V.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA XXVIII.
Ad Carolum Caluum regem.

Dolet regem ſedis Apoſtolicæ monita ægriùs tuliſſe. Hincmari Laudunenſis depoſitionem non probat, eùmque Romam ad retractandum iudicium mitti iubet. Actardum verò ad Eccleſiam transfert Turonenſem.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Karolo glorioſo Regi.

Epiſt. xxx. LAVDABILIS caritatis & ſapientiæ pudicæ ac pacificę vigore atque decore magnitudinem excellentiæ veſtræ, ô cariſſime in Domino fili, longè latéque florere, nitidè ſplendere audimus. Sed quia litteris veſtris, Apoſtolicæ correptionis apices membratim retexendo, aduerſum paternitatem noſtram quoddam indebitæ reprehenſionis murmur, & tumultuoſum nobis clamorem miſiſtis, nec ſanè patienter pontificij noſtri monita & correptiones audiſſe comperimus; liquidò patet vos adhuc perfectæ aliquid caritatis minus duntaxat habere. De illa enim dicit Apoſtolus, (1. Cor. 13. 4.) " *Caritas patiens eſt, benigna eſt, non inflatur,* " *non irritatur, non agit perperam, omnia ſuffert,* " *omnia ſuſtinet.* Omnia igitur, quæ vobis à ſede Apoſtolica, caſtiſſima vtique matre veſtra, cui per Dei gratiam præſidemus, directa ſunt, velut aliquo ſedulè negotio exigente mittuntur, auribus patefactis audire, alacri mente percipere, animóque grato amplecti, ſicut filius cariſſimus debes, & patris verba dilecti, non ex voto malè optantis, ſed ex radice veræ procedentia caritatis, humili ſemper debetis intentione recipere. quæ ſicut Salomon ait, (Eccleſ. 12. 11.) *quaſi ſtimuli, & ſicut claui in altũ defixi eſſe videtur*, quòd culpas delinquentiũ neſciant palpare, ſed pungere. Vnde quoniã te virum perfectum, & per omnia Deo placentem habere cupimus, ceu prudens pater, qui cariſſimum filium ſuum, etiam non delinquentem, ne quando ſecurus exiſtens flagitiis ſe audacter commiſceat illicitis, flagello ſeuero affligere non deſiſtit, quia nec propter amorem carnis diſciplinali parcendum eſſe virgæ à ſapiente monemur. Hinc etiam de ipſo Deo noſtro, quem cœtus omnium fidelium patrem quotidie vocat, legimus ſcriptum: *Quem diligit Dominus, caſtigat, & corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.* (Hebr. 12. 6.) Quapropter ſcire vos decet, quia Deo permittẽte, iuſto vtique, quamuis alto & ſecreto conſilio ſuo, pro veſtrî ſalute talia veſtræ ſerenitati à ſede Apoſtolica ſæpius monita venire videntur. Ideo magis omnipotenti Domino immenſas gratias agere, nobíſque deinde paternæ laudis gratantet debetis præbere obſequium, & non reprehenſionis vel murmurationis modicæ verba dirigere. Nam nos, nullius zelo liuoris, nullius ſubdolæ calliditatis dolo, vel etiam fauore alicuius tranſitoriæ laudis, cariſſimam veſtræ nobilitatis & magnitudinis prudentiam & dilectionem modò affabiliter monere, modò autem pro regiæ poteſtatis gloria, vobis, quoties neceſſaria temporis res, vel proximi depoſcit neceſſitas, humilis precator aſſiſtere, aliquando verò verbis ſeuerioribus fidenter corripere, vt Chriſti gratia in meliùs ſemper proficiatis, ſtudemus. Igitur de Hincmari Laudunenſis Epiſcopi depoſitione pontificio noſtro ſcripſiſtis, *& cetera quæ ſequuntur, vt in Epiſtola præcedenti, vſque ad* temere quoquo modo iudicemus.

mus. Nos in depoſitione illius, quandiu viuimus, nullatenus conſentiemus, niſi ad noſtram ipſo veniente præſentiam, cauſa eius depoſitionis noſtro fuerit examine diligenter inquiſita, atque finita. Quibus nimirum admoniti, aliter in præſenti de prędicto Hincmaro, niſi eum Romam veniendi, vobis mandare diſtulimus. Actardum denique venerabilem Antiſtitem legatum veſtrum, de quo & nos olim vobis mandauimus, & vos veſtris apicibus noſtrę clementiæ direxiſtis, ſicut & Synodus expoſtulauit, plebs & Turonicus clerus concorditer elegit, iam conſtituimus per noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis decretum cardinalem Metropolitanum & Archiepiſcopum Turonicæ prouinciæ: ſic tamen, vt Namneticæ Eccleſię, cui fuerat deſtinatus, in eo quòd remanſit, quia deſtructa habetur, iura poteſtatémve nullo modo ſubtrahamus. Interponentes paſtoralis vigoris cenſuram, vt quandocumque vel quiſcumque alium ipſo ſuperſtite in præfata Metropoli, & in iſta, vel in earum pertinentiis locare rentauerit, aut ordinare præſumpſerit, Eccleſiaſticæ communionis conſortio careat. Sanè poſt eius deceſſum electio canonica, & ordinatio à ſuffraganeis Epiſcopis eiuſdem Metropoleos Turonicæ canonicè celebretur ex more: & ſi Namneticæ cōtigerit Eccleſiæ ad priorem redire ſtatum, nihil officiat ei hęc neceſſitatis vnitio, quam exegit paganorum vaſtatio, quo minus proprium valeat habere Pontificem. Sed vidimus eum valde triſtem propter perſecutionem paganorum; & cùm omnes ſint pene res ipſius Eccleſiæ depopulatæ, precamur largiſſimam munificentiam & caritatem veſtram, ob amorē Dei & S. Petri, noſtrámque deprecationem, & hoc ſit in memoriale perpetuum, quòd cōceſſeritis nobis hoc donum, vt non patiamini tantum locum peſſum ire, & in deſolationem, præſertim cùm fuerit ex antiquo Metropolis, & meritis glorioſiſſimi confeſſoris Chriſti Martini honorabilis, ſēpérque venerabilis, & inter Gallicanas eadem vel ſecunda vel tertia prouincia Turonenſis, & multis quæ ab ea diſtractæ ſunt ditata villis, poſſeſſionibus, & Abbatiis. Et cùm aliæ, quæ ſub ea ſunt, ciuitates iam ſint pene deſtructæ, harum matrem tantam & Metropolim ne patiamini deſtrui, deſolari, & dehonorari veſtro in tempore. Quin potiùs ſtudete eam de rebus veſtris propriis, vel procul ab ea poſitis, vel tutis à paganis, ditare, continere, & extollere. Quia tunc ea vobis in æternum cōfirmatis, cùm quæ Eccleſiarum Dei obſequiis condonatis & reſeruatis omnibus ſua iura Metropolitanis. Noſtis enim, quia omne Monaſteriū in poteſtate Epiſcopi conſiſtere debet iuxta canonicam auctoritatem: & quia hoc eſt tranſgreſſum, ideo plurima Monaſteria habentur deſtructa, ſicuti monaſterium S. Medardi Turonis, in quo iacent Epiſcoporum primi Turonenſium Lidorius & Gatianus, ſicut & Monaſterium maius, ſicut etiam alia in eadem ciuitate monaſteria, quæ forſitan per Epiſcopale miniſterium, & veſtrum ſapientiſſimum conſilium, & largiſſimum donū, poterunt redire ad priorem ſtatum. Debent etiam vici omnes Eccleſiæ cuiuſlibet parochiæ in poteſtate conſiſtere præſulis, ſicut moris eſt Eccleſiis plurimis. Res etiam quæ de eadem Eccleſia noſcuntur fuiſſe, & olim ſunt abſtractæ, precamur vos eidem reſtituere, & ſicut precati iam ſumus, ad præſens de veſtris rebus propriis per præceptum veſtrum eam ditare, conſtruere, & vobis in æternum propriam facere, vt non vocetur, vt antiquitus, Cęſarodunum vlteriùs, ſed Karolidonum in perpetuum. Omnipotens Dominus ſerenitatis veſtræ regalem excellentiam ſaluam in omnibus atque incolumem in ſuî ſemper amore conſeruare dignetur.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLA·XXIX.
Ad Carolum Caluum regem.

Regem aſperioribus litteris offenſum multa de eius laudibus prædicans placare ſtudet. De Actardo ad ſedem Turonicam tranſlato. Imperium Carolo poſt Ludouici obitum promittit. Et de Hincmaro Laudunenſi.

Epiſt. xxvii. HADRIANVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectiſſimo filio & glorioſiſſimo Karolo regi, coniugique ſalutem in Chriſto. LITTERAS veſtræ nobilitatis per venerabilem filium & fratrem noſtrum Actardum Epiſcopum ſuſcepimus. in quibus multa reclamatoria, reſultatoria, & tumultuoſa perſpeximus, aliter quàm optaueramus murmurantia. Regnum Dei nullus murmu-

rans accipit, nec murmurare poterit accipiens. Audiens enim ſapiens ſapientior erit,& intelligẽs gubernacula poſſidebit. Nos verò, licet indigni, tamen ſumus illius vicarij, cui commiſit Deus Eccleſiam ſuam, dans ei poteſtatem ligandi atque ſoluendi : & qualeſcumque ſimus, illius primi ſeſſoris meritis, quamdiu merita eius in cælis non moriuntur, quod operandum eſt in Eccleſia ſibi commiſſa, ab ipſo repletur. Et quidem quia quaſi tumores & læſiones veſtras palpitare ſenſimus, has oleo conſolationis per melos dulciſſimæ caritatis, & ſanctæ dilectionis vnguentum fouere, lenire, & ad integritatis ſanitatem perducere medicaméto quo valemus optamus Cùm nouerimus omne donum optimum, & omne datum perfectum deſurſum eſſe deſcendens à patre luminum, proculdubio donum ſapientiæ diligimus diuinitus tibi collatum. Prædicatur enim de te,& longè latéque diffunditur, quòd ſis ſapiens
Prou. 1. 7. & Deum timens. Scriptum eſt enim; *principium ſapientia timor Domini*. Narratur etiam quòd ſis iuſtus, quòd congruit regiæ poteſtati, cunctiſque iudicibus, diuina prædicante ſapientia: *Diligite iuſtitiam*
Sap. 1. 1. *qui iudicatis terram*. Annuntiatur etiam à pluribus probis, permaximè à comminiſtro & fratre verbotenus noſtro, veſtróque & fratrum noſtrorum regni veſtri, Duziacenſis Synodi Archiepiſcoporum & Epiſcoporum legato, Archiepiſcopo iam à nobis conſtituto Turonenſibus Actardo, quòd ſis amator, exaltator, & illuſtrator ſpecialis in orbe terrarum, & permaximus Eccleſiarum Dei: ita vt nullus ſit Epiſcopatus, nullúmque Monaſterium in regno tuo, quod non auxeris rebus propriis, & reſtitueris ſuis perplurimùm: optaréſque feruenter & deſideratres hanc principis Apoſtolorum Petri primam ſedem exaltare, honorare, multiſque muneribus Vicarium eius, & clerum ſibi commiſſum ditare,& ab omnibus hoſtibus, prout poſſe & tempus dictauerit, defenſare, Deúmque totis viſceribus in hoc glorificare, monente Propheta ex
1. Reg. 2. perſona Domini: *Qui glorificant me, glorificabor in eis*. Quocirca ſapientia præcellentem cum timore Dei, & diligentem iuſtitiam, & glorificantem Deum, quis non diligat? quis non ambiat? quis non deſideret? quis non optet reuera, ſicut regem præcellentem, ſicut iuſtitiam moderantem, ſicut Deum glorificantem? In veritate credite nobis, quia tales virtutes ſic diligo in vobis, ſicut animam meam. Scriptum eſt enim: *Diliges proximum tuum* Leuit. 18. 19.
ſicut teipſum. & talem intelligo proximum, quem conſtat talibus virtutibus repletum: & à die illa, qua vobis per præfatum fratrem noſtrum mandaui fideles orationes & certiſſimas amicitias, nunquam alior ſum declinaui. Et ſi quædam litteræ delatæ vobis ſunt aliter ſe habentes in ſuperficie, vel ſubreptæ, vel à noſtris nobis infirmantibus extortæ, vel à qualibet perſona confictæ, duriùs aut acriùs mordaciter ſonantes: id tamen nobis fixum ſemper manſit in mente, quod vobis ſignificauimus deuotè. Nec alienum iudicauimus, iudicamus, & iudicabimus à noſtra communione mentis deuotione quem diligimus tota animi intétione, iudicantes dignum laude, propheta monente, *Rectos decet laudare*. Quem pro- Pſal. 32. 1.
fectò ſperamus, ſi nobis ſuperſtes fuerit, noſtris omnibus propinquis & amicis manum porrigere conſolationis, indolem & fidem eius cernentes in affinitatem propinquorum noſtri deceſſoris. Namque ſolet ſæpe vterque parens in progem opprobria vel maledicta congerere, quam optat ſine crimine & læſione manere. Cui ſimile ſolet ſæpè doctoribus & prædicatoribus contingere. Quapropter non ad ſonum, ſed oportet ad votum reſpicere. Præfatum veſtrum denique legatum, ſicut ſignificaſtis, & ſynodus & plebs expoſtulauit, & Turonicus clerus, iam conſtituimus cardinalem Metropolitanum & Archiepiſcopum Turonicæ prouinciæ, per ferulam, pitacium, & anulum, necnon per noſtræ auctoritatis litterale decretum. Sic tamen, vt Namneticæ Eccleſiæ, cui fuerat deſtinatus, *& cetera, vt in epiſtola præce-* Pag. 401.
denti, vſque ad Karoli donum in perpetuum. Igitur ergo integra fide,& ſincera mente, deuotáque voluntate, vt ſermo ſit ſecretior, & litteræ clandeſtinæ, nullique niſi fideliſſimis publicandæ, vobis confitemur deuouendo, & noteſcimus affirmando, ſalua fidelitate Imperatoris noſtri, quia ſi ſuperſtes ei fuerit veſtra nobilitas, vita nobis comite, ſi dederit nobis quiſlibet multorum modiorum auri cumulum, nunquam acquieſcemus, expoſcemus, aut ſponte ſuſcipiemus alium in regnum & imperium Romanum, niſi teipſum. Quem, quia prædicaris ſapiẽtia & iuſtitia, religione & virtute, nobilitate & forma, videlicet prudentia, temperantia, fortitudine atque pietate

refertus, ſi contigerit te Imperatorem noſtrum viuendo ſupergredi, te optamus omnis clerus & plebs & nobilitas totius orbis & vrbis, nō ſolùm ducem & regem, patricium & Imperatorem, ſed in præſenti Eccleſia defenſorem, & in æterna cum omnibus Sanctis participem fore. De pontifice Laudunenſi Hincmaro à præſulibus decem prouinciarum depoſito, & à Metropolitano ſuo venerabili fratre Hincmaro Archiepiſcopo, reſeruato per omnia huius primæ ſedis priuilegij iudicio, cumulata in ſynodalibus litteris, & præfati Metropolitani, & veſtris, necnon in libello reclamationis cleri & plebis Laudunenſis, ſeu in libello continenti ſeriem geſtorum Synodi, tanta turpia, tanta dictu nefanda, tantáque execranda; & auctorem ſuum damnantia referuntur, vt incredibilia ab ignorantibus videantur. Sed de his nihil audemus iudicare, quod poſſit Nicæno Concilio, & quinque cęterorum Conciliorum regulis, vel decretis noſtrorum anteceſſorum obuiare. At de his quod præfati canones & decreta decernunt, ipſique cum ipſis vnà vobiſcum congregati cum noſtro ſpiritu ſimiliter decernimus, & quod ſtatuunt ſtatuimus, & quod iudicant iudicamus. Nec in vllo deuiantes à tenore canonico, ſeruantes omnibus ſua iura Metropolitanis, & vt verbis loquamur B. Papæ Leonis: Aliter „ enim, inquit, nobis commiſſos regere non „ poſſumus, niſi hos qui ſunt perditores & „ perditi perſequamur zelo dominicæ fi„dei, & à ſanis mentibus, ne peſtis hæc la„tiùs diuulgetur, ſeueritate qua poſſumus „ abſcindamus, & quæ malè pullulaſſe no„ſcuntur radicitus euellantur, & meſſem „ dominicam nulla zizania corrumpant. „ Ita enim fructum vberem quæ ſunt ſince„ra præſtabunt, ſi ea quæ natam ſegetem „ enecare conſueuerunt diligentiùs amputentur. Sed quia non ſatis idonea videntur & matura noſtris, & huic ſanctæ ſedi condigna, donec ad hanc ſanctiſſimam & Apoſtolicam, quam appellauit, ſedem ſpatium habeat veniendi: ideo veniat, & oſtenſis ſibi litteris, quas nobis miſiſtis, & libello continenti ſeriem Synodi, libellulo etiam cleri & plebis Laudunenſis proclamationem continenti, ſi adhuc iuſtam putauerit habere proclamationem, aſſerens ſe iniuſtè damnatum: tunc electis iudicibus, non tamen eo priùs in gradu reſtituto, aut ex latere noſtro directis legatis, cum auctoritate noſtra refricentur quæ geſta ſunt, & negotia in qua orta ſūt prouincia canonicè terminentur. Quòd ſi venire detrectauerit, clareat quòd idem ipſe dederit locum damnationis in ſemetipſum. nec ſacer ordo differendo moram patiatur vel detrimentum. Qualiter autem, aut quomodo, vel quando veniat, vel adducatur, ſeu interim cuſtodiatur, præfato confratri noſtro communi legato Actardo Archiepiſcopo vobis in mandatis & alia clandeſtina commiſimus manifeſtanda. Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli interceſſione, noſtráque ſupplicatione, & pro ordine nobis à Deo collato, benedictionem mereamini, vitæ præſentis proſperitatem, regiam & imperialem dignitatem, noſtrámque & bonorum omnium communionem & ſocietatem, peccatorum omnium remiſſionem, & æternæ vitæ glorioſiſſimam reſurrectionis felicitatem. Amen.

Epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ.

Epiſt. 1. Epiſcopis Cāpaniæ.

RESCRIPTVM EPISCOPORVM SYNODI Duziacenſis ad epiſtolam XXVII. Hadriani II. Papæ.

DOMINO ſanctiſſimo ac reuerentiſſimo patri, Hadriano ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ primæ ſedis Papæ, Epiſcopi diuerſarum prouinciarum, qui in Synodo apud Duziacum prouinciæ Remenſis in nomine Chriſti conuenimus, quorum nomina & ſubſcriptiones in geſtorum eiuſdem Synodi ſerie continentur, quam per venerabilem conſacerdotem noſtrum Actardum vobis direximus, & quibus per eum paternitatis veſtræ litteras remiſiſtis. VENIENS ad nos prædictus venerabilis frater & conſacerdos noſter Actardus tradidit nobis epiſtolam à veſtra paternitate filiolitati noſtræ directam. quam cum in conuentu noſtro fecimus recenſeri, quædam in ea inuenimus, quæ ſtuporem mentibus noſtris non mediocriter induxerunt, fecerúntque nos

non modicùm dubitare, vtrum aliter putaremus, an illa ita eſſent poſita, quemadmodũ perſonabát. Quæ cùm ſæpius repeti iuſſimus, ac præfati fratris & coepiſcopi noſtri relatione impedimenta veſtrę ſanctitatis, & occupationes miniſtrorũ ſedis Apoſtolicæ pro diuerſis & maximis negotiis audiuimus, geſta Synodi, ab exiguitate noſtra ſublimitati veſtræ per eumdem fratrem noſtrum ſecundum canones ſacros directa, ab eo, cui nobis inde iuſſiſtis, ſicut ipſæ litteræ monſtrant, reſcribere, ex integro relecta non fuiſſe aduertimus. Sed & epiſtolam noſtram de eiſdem actionibus auctoritati veſtræ tranſmiſſam ſtudio neceſſario eum non relegiſſe comperimus. Scriptum eſt enim in epiſtola ſanctitatis veſtræ nobis directa hoc modo. » Igitur de Hincmari Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopi depoſitione pontificio noſtro ſcripſiſtis, quatenus de eo ſecundum quod canonicum eſt vobis reſcribere iuberemus. Primò denique veſtræ reſpondemus caritati, quia cùm clamaret in Synodo ſe ad ſedẽ Apoſtolicam velle incunctãter venire, atque in præſentia eius pro obiectis ſibi ab aduerſario criminibus reſpondere, damnationis in eum non erat proferenda ſententia. Tamen ſicut in ipſius Concilij actionibus legitur, quoniam ſaluo in omnibus iudicio ſedis Apoſtolicæ illum ab Epiſcopis fuiſſe iudicatũ aſſeritis: nos autem, non aliqua contra quoſlibet commoti inuidia, nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus & auctoritate Apoſtolica, quia nullius partis fauorem aut obſequium, ſed rei geſtę veritatem magis inuenire cupientes, iubemus ipſum Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum ad limina ſanctorum Apoſtolorum, noſtrámque venire præſentiam. Quo ſanè veniente, veniat pariter accuſator idoneus, qui nulla poſſit auctoritate legitima reſpui, & tunc in præſentia noſtra. & totius ſedis Romanæ ſynodali collegio, cauſa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquiſita, ſecundum Deum & ſacrorum canonum conſtitutiones ſpiritu Dei prolatas ſine protelatione aliqua finietur. A qua reprehenſione noſtra, quòd accuſemur, quia cùm clamaret in Synodo ſe ad ſedem Apoſtolicam velle incunctanter venire, atque in præſentia eius pro obiectis ſibi ab aduerſario criminibus reſpondere, damnationis in eum non erat proferenda ſententia, B. Petri Apoſtolorum primi pro modulo noſtro imitantes exemplum, per quem ſumpſimus religionis exordium, nos minores apud vos potiores humiliter excuſare ſatagimus: quia ille, vt in ſacra Hiſtoria legimus, reprehenſus à minoribus ſuis cur ad Gentiles intraſſet & comediſſet cum eis, & cur eos in baptiſmate recepiſſet, querelam minorum ſuorum humili ratione placauit, atque in cauſa reprehenſionis ſuæ teſtes adhibuit dicens, *venerunt autem mecum ſex fratres iſti.* Quam excuſationis noſtræ ſatisfactionem tanto vos placabiliùs acceptare confidimus, quanto nos in ea ipſius exemplum ſequi velle cognoſcetis, cuius ſedi diuino conſilio præſidetis. Vnde nunc nobis non eſſet neceſſarium excuſare, ſi is quem nobis iuſſiſtis reſcribere, ad locum in geſtorum ſynodalium ſerie legiſſet, quòd ibi antequam damnationis in Hincmarum proferretur ſententia ſcriptum eſt ita: Tunc lectæ ſunt in Synodo ab Adalgario Diacono ſententiæ canonum, ita eo dicente: Sardicenſes canones decreuerunt, vt ſi aliquis Epiſcopus iudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, vt iterum Concilium renouetur: ſi vobis placet, ſancti Petri Apoſtoli memoriam hono-

Act. 11. 12.

Conc. Sardic. can. 3

temus, vt ſcribatur ab his qui cauſam examinauerunt Iulio Romano Epiſcopo, & ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det iudices. Si autem probauerit talem cauſam eſſe, vt non refricentur ea quæ acta ſunt, quæ decreuit confirmata erunt. Et Innocentius Papa decreuit, vt ſi maiores cauſæ in medio fuerint deuolutæ, ad ſedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt iudicium Epiſcopale referatur. Et Bonifacius Papa dicit: Nos per omnes prouincias litteras dirigemus, ne excuſationem ſibi ignorationis Maximus obtendat, vt ad prouinciam venire cogatur, & illic ſe conſtituto præſentare iudicio. Quicquid autem veſtra caritas de hac cauſa duxerit decernendum, cùm ad nos relatum fuerit, noſtra, vt condecet, neceſſe eſt auctoritate firmetur. Et S. Leo Papa decreuit: Si quæ, inquiens, aliæ emerſerint cauſæ, quæ ad ſtatum Eccleſiarum, & ad concordiam pertineant ſacerdotum, illic ſub timore Domini volumina ventilentur, & de componendis atque compoſitis omnibus ad nos relatio plena mittatur, vt ea, quæ iuxta Eccleſiaſticum morem iuſtè & rationabiliter fuerint definita, noſtra quoque ſententia roborentur. *Cetera deſiderantur.*

Decret. cap. 10.

Decret. cap. 3.

Decret. cap. 49.

ANNO CHRISTI 872. 19. Kal. Ian. **IOANNES VIII. PAPA.** CAROLI CALVI REGIS 33.

ROTBERTI EPISCOPI CENOMANNICAE VRBIS Epiſtola confeſſionis, quam in ægritudine valida poſitus direxit Epiſcopis circa muros Andegauis cum Karolo principe in obſidionem Nortmannorum reſidentibus, petens ab eis abſolui.

ILLE ſolùm nomine hactenus Epiſcopus, febrium vexatione illectus, caritati veſtræ extremos apiculos, vt reor, mittere maturaui, quibus reatum meum & innumerabilia ſcelera ſapientiæ veſtræ enucleare & confiteri delegi. Si quidem comprehendi nullius hominis valet ſollertia, quibus à diebus adoleſcentiæ meæ vicibus execrabilia contraxi opera. Excedunt enim pluralitate ſui numerorum fines, quia ad comparationem meorum peccaminum nullus inuenitur iniquus. Nullum quippe genus peccati inueniri poteſt, cui me non ſubdiderim, cuiuſque faſcibus & loris non ſim circumdatus. Nunc quoque dies reſolutionis meæ inſtant, quibus hominem exire compellor. Nunc vltimum vocationis meæ diem ingemiſcens expaueſco: quia quæ malè carni conſentiens perpetraui, digna vltione puniri pertimeſco. Et niſi Dei clementia tolerarer, meritò me iam pro meis ſceleribus vltrix vindicta vlciſceretur. Idcirco feſſis artubus, diſſolutíſque corporis baſibus, omni viſcerum meorum valentia amiſſa, pietatis veſtræ miſericordiam ſingultu interpoſito implorare non ceſſo; quatenus poteſtate cælitus vobis collata vincula meorum piaculorum enoderis, & precum veſtrarum ſtudiis commiſſa mea pietis, vt cum reprobis non ducat ad tartara, quin potiùs veſtro interuentu cœleſtia me tear ſublimari ad gaudia.

Epistola absolutionis quam ei remiſerunt iidem venerabiles conſacerdotes de loco obſidionis.

Iac. 5. 2. SICVT principali ſententia conſtat, quia in multis offendimus omnes, vnde ingemiſcimus, ita principali ſententia conſolamur, quia ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, quin IESVS Chriſtus, conditor & redemptor ac ſaluator noſter, quem habemus aduocatum iuſtum apud patrem, & eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & interpellat pro nobis fideliter confitentibus nobis, dimitti nobis peccata noſtra, & emundat nos ab omni iniquitate. Quapropter, frater & conſacerdos noſter ILL. tibi peccata tua confitenti, per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, quam Dominus noſter IESVS Chriſtus tradi-
Ioan. 20. 22. dit diſcipulis & Apoſtolis ſuis dicens: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis*, & per eoſdem Apoſtolos ſuos ipſorum ſucceſſoribus, quorum vices licet indigni tenemus, etſi non merito, tamen nomine atque officij ſuſceptione, eamdem poteſtatem donauit, & in ſe
Matth. 15. 28. fideliter credenti dixit: *Fiat tibi ſecundum fidem tuam*, gratia & potenria ſua, virtute ſancti Spiritus, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſeruet in omni bono, & perducat te ad vitam æternam, & ad ſanctorum ſacerdotum conſortium. Amen.

Anno Christi 873. Caroli Calvi Regis 33.

CONCILIVM CABILONENSE.

IN ECCLESIA SANCTI LAVRENTII trans Ararim celebratum anno Chriſti DCCCLXXIII.

SYNODI huius meminit Petrus à S. Iuliano in Hiſtoria rerum Cabilonenſium, ad eámque conueniſſe narrat Remigium Lugdunenſem, & Adonem Viennenſem Archiepiſcopos, Liudonem Aeduenſem, Girboldum Cabilonenſem, & Bernardum Matiſconenſem Epiſcopos, Leuboinum item Chorepiſcopum Lugdunenſem, cum Abbatibus & clericis ac monachis permultis. Meminit & decreti ab ea conditi de Eccleſia S. Laurentij, in qua Synodus agebatur, cùm de ea quæreretur, liberáne at ſui iuris eſſet, an S. Marcelli Eccleſiæ, quod iſta contendebat, poteſtati obnoxia. Qua de re quid ſtatutum ſit à Synodo, non declarat. Decreto autem appoſitam fuiſſe notam teſtatur anni Caroli Calui regis in Lotharij nepotis ſui regno tertij, qui incidit in annum regni eius XXXIII. *Chriſti* DCCCLXXIII.

ANNO CHRISTI 873. CAROLI CALVI REGIS 33.

CONCILIVM SILVANECTENSE.

IN QVO EPISCOPI DVARVM PROVINCIARVM, Senonenſis ac Remenſis, Caroli regis iuſſu congregati, Carlomannum eius filium clericum, ob varias graſſationes & perduellionem, Diaconi gradu deiecerunt, laicæque communioni reddiderunt, anno Chriſti DCCCLXXIII.

CARLOMANNVM Caroli regis *filium, Meldenſis Eccleſiæ Diaconum, in cuſtodiam, propter rebellionem & inſidias in patrem, apud Siluanectenſem vrbem miſſum anno* DCCCLXX. *fuiſſe, ſuprà dictum eſt ex Aimoino lib.* V. *cap.* XXIV. *Eum inde deprecantibus Hadriani Papæ legatis ſolutum, patrémque in expeditione aduerſus Gerardum ſequi iuſſum, idem eſt auctor cap.* XXV. *At fuga mox elapſus in Belgicam, quòd direptionibus omnia fœdaret, patris iuſſu primum ab Epiſcopis per encyclicas litteras excommunicatus, tum deinde Synodi apud Siluanectum, vbi iterata cuſtodia tenebatur, ſententia Diaconi gradu exauctoratus, atque in laicorum ordinem reiectus eſt. Qua de re in hæc verba idem Aimoinus cap.* XXIX. Quia mulri eranr, *inquit*, in regno Karoli, & in aliis regnis, qui expectabant vt per Carlomannum filium eius adhuc rediuiua mala remergerent, Epiſcopos apud Siluanectenſem ciuirarem, in quà idem Carlomannus morabarur, conuocauir, vt ſecundum ſacros canones Epiſcopale miniſterium exequerentur. Quod ſanè ipſi fecerunr, deponenres illum ſecundum ſacras regulas ab omni gradu Eccleſiaſtico, laica ſibi communione ſeruata. *Synodi huius acta non habemus: fuiſſe aliquando conſtat in Codice ſancti Laurentij Leodicenſis, in quo hærent adhuc ſingularum Synodi partium tituli, quinque capitibus diſtincti, id eſt*

I. Proclamatio diuerſarum querimoniarum Karoli aduerſus Karlomannum, ſcripra ad Anſegiſum Archiepiſcopum, & Hildegarium Meldenſem Epiſcopum, concluſa in Capirulis XV.

II. Epiſtola eiuſdem Karoli regis de eodem Karlomanno.

III. Recapitulatio prioris Epiſtolæ, ſcilicer ad Anſegiſum & Hildegarium, ac cereros Epiſcopos ex duabus prouinciis Senonum & Remorum, qui ſacro conuentui apud Siluanectis adfuerunr.

IV. Senrenriæ iudiciariæ in Karlomannum prolaræ: ſed & ſubſcripriones Epiſcoporum ſimul inſertæ.

V. Tria capitula à rege Karolo Epiſcopis dara, vbi accuſatio aduerſus Karlomannum, & quæſirio conſilij de eo renendi conrinerur.

CONCILIVM DVZIACENSE II.

ADVERSVS INCESTA CONIVGIA, ET RERVM Eccleſiaſticarum peruaſiones, apud Duziacum villam, Idibus Iuniis, Indictione VII. celebratum, anno Chriſti DCCCLXXIV. Ioannis VIII. Papæ anno II. Caroli Calui regis XXXV.

Nunc primùm in lucem editum ex Codice S. Leodienſis.

EPISTOLA SYNODICA CONCILII ad Epiſcopos Aquitaniæ.

SANCTA Synodus plurimarũ prouinciarum, nutu diuino, & ſanctione domni Karoli regis glorioſi, apud Duziacum ſecus municipium Moſomum Remenſis parochiæ, in Dei nomine anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXIV. Indict. VII. Idibus Iuniis conuocata, dilectis fratribus & venerabilibus conſacerdotibus noſtris, in prouinciis Aquitanicæ regionis ſanctas Dei Eccleſias gubernantibus, plurimam in Saluatore ſalutem. SICVT ad humilitatem noſtram non incerta relatione atque exinde conſultatione peruentum, quamplures, & maximè carne nobiles, & honore temporali ſublimes, inter alia Deo & ſuæ ſaluti contraria, inceſtis coniunctionibus, & rerum Eccleſiaſticarum peruaſionibus, peſtilentia exitioſa in regionibus illis depereunt: aſſumentes de inceſti pollutione velamentum ſecuritatis quorundam praua & peruerſa doctrina, de hoc quòd S. Gregorius, ſanctæ catholicæ
Reſponſ. ad Interrog. VI. atque Apoſtolicæ Romanæ primæ ſedis Eccleſiæ Pontifex, Auguſtino primo Anglorum Epiſcopo interroganti vſque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis ſibi coniugio copulari, & ſi nouer-
» cis & cognatis liceat coniugio copulari, reſcripſit dicens: Quædam ter-
» rena lex in Romana republica permittit, vt ſiue fratris & ſororis, ſeu duo-
» rum fratrum germanorum, vel duarum ſororum filius & filia miſceantur.
» Sed experimento didicimus, ex tali coniugio ſobolem non poſſe ſuc-
» creſcere, & ſacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare. Vnde
» neceſſe eſt, vt iam tertia vel quarta generatio fidelium licenter ſibi iun-
» gi debeat. Nam ſecunda, quam diximus, à ſe omnimodo debet abſtinere.
» Cum nouerca autem miſceri, graue eſt facinus, quia & in lege ſcriptum
Leuit. 18. 23. » eſt: *Turpitudinem patris tui non reuelabis.* Neque enim patris turpitudi-
Gen. 2. 24. » nem filius reuelare poteſt. Sed quia ſcriptum eſt, *Erunt duo in carne vna,*
» qui turpitudinem nouercæ, quæ vna caro cum patre fuit, reuelare præſumpſerit,

„ ſumpſerit, profectò eius turpitudinem reuelauit. Cum cognata quoque „ miſceri prohibitum eſt, quia per coniunctionem priorem caro fratris „ fuerat facta. Pro qua re etiam Ioannes Baptiſta capite truncatus eſt, & ſan„ cto martyrio conſummatus. cui non eſt dictum, vt Chriſtum negaret, „ ſed pro Chriſti confeſſione occiſus eſt: & quia iſdem Dominus noſter IE„ SVS Chriſtus dixerat, *Ego ſum veritas*, quia pro veritate Ioannes occiſus „ eſt, videlicet pro Chriſto ſanguinem fudit. Quia ſunt multi in Anglorum „ gente, qui dum adhuc in infidelitate eſſent, huic nefando coniugio di„ cuntur admixti, ad fidem venientes admonendi ſunt, vt ſe abſtineant, & „ graue hoc etiam peccatum cognoſcant. Tremendum Dei iudicium ti„ meant, ne pro carnali delectatione tormenta æterni eruciatus incurrant. „ Non tamen pro hac re ſacri corporis & ſanguinis Domini communio„ ne priuandi ſunt, ne in eis illa vlciſci videantur, in quibus ſe per igno„ rantiam ante lauacrum baptiſmatis adſtrinxerunt. In hoc enim tem„ pore ſancta Eccleſia quædam per feruorem corrigit, quædam per man„ ſuetudinem tolerat, quædam per conſiderationem diſſimulat, atque „ ita portat & diſſimulat, vt ſæpe malum, quod auerſatur, portando & „ diſſimulando compeſcat. Omnes autem qui ad fidem veniunt, admo„ nendi ſunt ne tale aliquid audeant perpetrare: ſi qui autem perpetra„ uerint, corporis & ſanguinis Chriſti communione priuandi ſunt. Quia „ ſicut in his qui per ignorantiam peccauerunt, culpa aliquatenus tole„ randa eſt, ita in his fortiter inſequenda, qui non metuunt ſciendo „ peccare. Sed non eſt mirum, ſi iuxta beati Apoſtoli vocem indocti & inſtabiles hæc intellectu peruerſo deprauant, ſicut & ceteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem, & fiunt magiſtri erroris qui noluerunt fieri diſcipuli veritatis, introducentes ſectas perditionis, magiſtri mendaces, promittentes ſcientiam falſi nominis, & circa fidem excedentes. Sed & de his, qui talium doctrinam potiùs, quàm veritatem ſequi ad ſuam ſalutem diligunt, egregius prædicator dicit: *Erit*, inquiens, *tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Et item: *In nouiſſimis*, inquit, *diebus inſtabunt tempora pericu loſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, & hos deuita.* Si enim praua hinc vnde agitur exitiabiliter docentes, & libenter obaudientes, veritatem magis quàm falſitatem, & ſalutem magis quàm perditionem ſuam quærere & ſequi ſtuderent, non de ſalubri antidoto ſpiritalis medici beati Gregorij neophytis confecto potionem ſibi veneficam temperarent. legentes, & non negligentes, quæ hinc Felix Sicilienſis Epiſcopus, & B. Gregorio connutritus, ad eumdem Papam ſcripſit. Ait enim inter cetera in epiſtola ſua præfatus Felix „ ad beatum Gregorium: Perlatum eſt ad nos à quibuſdam Roma venienti„ bus, vos Auguſtino conſodali noſtro, per venerabilem ſanctitaté veſtram „ poſtmodum Epiſcopo Anglorum genti ordinato, & illuc directo, atque

Ioan. 14. 6.
Reſp. ad Interr. VII.
2. Pet. 3. 16.
2. Tim. 4. 3.
2. Tim. 3. 2.

Anglis ſcripſiſſe, quos olim ad fidem conuerſos per vos cognouimus, vt quarta progenie coniuncti non ſeparentur. Quæ conſuetudo dudum illis aut iſtis in partibus, quando vnà vobiſcum ab infantia nutritus atque edoctus fui, non erat, nec in vllis prædeceſſorum veſtrorum decretis, aut reliquorum generaliter vel ſpecialiter patrum inſtitutis legi, aut hactenus ab vllis ſapientibus eſſe conceſſum didici: ſed ſemper vſque ſeptimum originis ſuæ gradum hæc à ſanctis anteceſſoribus veſtris, & ceteris ſanctis patribus, tam & in Nicæna Synodo, quàm & in aliis ſanctis Conciliis congregatis, ſeruari debere reperi, & à rectè viuentibus ac Deum timentibus hominibus ſtudioſè prouideri cognoui. Vnde beatus Gregorius inter cetera eidem Felici reſcripſit: Quod, inquiens, ſcripſi Auguſtino Anglorum gentis Epiſcopo, alumno videlicet, vt recordatus es, tuo, de ſanguinitatis coniunctione, ipſi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono quod cœperat metuendo auſteriora recederet, ſpecialiter, & non generaliter ceteris me ſcripſiſſe cognoſcas. Vnde & mihi omnis Romana ciuitas teſtis exiſtit. Nec ea intentione hæc illis ſcriptis mandaui, vt poſtquam firma radice in fide fuerint ſolidati, ſi infra propriam conſanguinitatem inuenti fuerint, non ſeparentur, aut intra affinitatis lineam, id eſt, vſque ad ſeptimam generationem coniungantur. Sed adhuc illos neophytos exiſtentes, ſæpiſſimè eos priùs inlicita eſſe docere, & verbis & exemplis inſtruere, & quæ pòſt de talibus egerint, rationabiliter & fideliter excludere oportet. Nam iuxta Apoſtolum, qui ait: *Lac vobis potum dedi, non eſcam*, iſta illis modò, non futuris, vt præfixum eſt, temporibus tenenda indulſimus, ne bonum, quod infirma adhuc radice plantatum erat, exureretur, ſed cœptum firmaretur, & vſque ad perfectionem cuſtodiretur. Sanè ſi in his ſecus quàm debuimus aliquid egimus, non propter ipſa in futurum ſeruanda, ſed commiſerando actum eſſe cognoſcas. *& quæ ſequuntur, vſque* præmia mercedis adquirant. Et post aliqvanta. Progeniem verò ſuam vnumquemque de his qui fideliter edocti, & iam firma radice plantati ſtant inconuulſi, vſque ad ſeptimam obſeruare decernimus generationem: & quamdiu ſe cognoſcunt affinitate propinquos, ad huius copulæ non accedere ſocietatem. Nec eam, quam aliquis ex propria conſanguinitate coniugem habuit, vel aliqua inlicita pollutione maculauit, in coniugium ducere vlli profecto Chriſtianorum licet, vel licebit: quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis Deo & cunctis hominibus. Inceſtuoſos verò nullo coniugij nomine deputandos à ſanctis patribus dudum ſtatutum eſſe legimus. Ideo nolumus nos in hac re à vobis, ſiue à ceteris fidelibus reprehendi: quia quod in his Anglorum genti indulſimus, non formam dando, ſed conſideratione, ne Chriſtianitatis bonum quod cœperant imperfectum dimitterent, egimus. Paterna ergo vos dulcedine ſalutantes hortamur, vt propoſitas opportunitatis occaſiones in veſtra efficacia enixiùs elaborare debeatis, atque id modis quibus poſſibile fuerit, omni ſtudio agere contendatis, quatenus prædicabile deſiderium noſtrum in auxilium omnium adiu-

Epiſt. vltima Felici Epiſc. Meſſanæ.

1. Cor. 3. 2.

uanto Domino compleatis. Nec hoc quoque in hac ſollicitudinis parte relinquimus, quòd omnes inceſtuoſi à liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſunt ſeparandi, quo vſque per ſatisfactionem precibus ſacerdotum canonicè eidem ſanctæ Eccleſiæ catholicæ reconcilientur. *& reliqua, vſque* plures conueniunt ſacerdotes? Sic & ſancta catholica & Apoſtolica Eccleſia, ſecundum ſanctarum tramitem ſcripturarum, prædicationémque maiorum, diffiniuit, quia omnis inlicitus concubitus inceſtus ſit: multo magis concubitus cum propinquis, Deóque dicatis feminis, habetur inceſtus. Qui enim vel cum Deo ſacratis, vel cum ſanguine propinquis miſcentur, inceſti, id eſt incaſti iudicantur. Tamdiu verò, vt Chriſtiana religio & auctoritas ſanctæ Eccleſiæ ſancit, coniugia inter proximos vitanda ſunt, quamdiu neceſſitudinum nomina perſeuerant: quoniam numquam Chriſtianis conuenit, vt duæ aut tres neceſſitudines, vt beatus ait Auguſtinus, in homine vno fiant. Auctoritate quippe Dei ſancta Eccleſia, quam ab Apoſtolis ſibi traditam creditur obſeruare, cui refragari fas non eſt, & mundanæ legis cenſura, necnon & ipſius naturæ honeſtiſſimo ordine perdocetur, propinquitatis coniugia vſque vltra ſeptimum gradum differenda. Vnde S. Auguſtinus in libris de ciuitate Dei dicit, ne ipſa propinquitas longiùs abeat, & eſſe deſiſtat, hanc matrimonij vinculo rurſus colligari, & quodammodo fugienté reuocari. Iſidorus itaque de conſanguinitate ſic loquitur: Cuius ſeries ſeptem gradibus dirimitur hoc modo. Filius & filia, nepos & neptis, pronepos & proneptis, abnepos & abneptis, adnepos & adneptis, trinepos & trineptis, trinepotis filius. & trinepotis filia. Hæc conſanguinitas dum ſe paulatim propaginum ordinibus dirimens vſque ad vltimum gradum ſeſe ſubtraxerit, & propinquitas eſſe deſierit, eam rurſus lex matrimonij vinculo repetit, & quodammodo reuocat fugientem. Et arbor iuris legis Romanæ, Eccleſiaſticis concordans legibus, à præcedentibus & ſubſequentibus, dextra læuáque, vſque vltra ſeptimum gradum neminem nemini legaliter ſociari permittit: & filij, qui ex tali coniugio naſcuntur, in hereditatem ſecundum legalem cenſuram legitimè non admittuntur. Sciendum eſt etiam, quia propinqui filij vel filiæ ex parte patris agnati vocantur, ex parte autem matris cognati appellantur: & patris frater, vel ſoror, patruus & amita, patrui vel amitæ filius, patruelis, patrui vel amitæ filia, amitina, & ſic agnatio ex parte patris vſque ad ſeptimam generationem vadit. Frater matris, auunculus dicitur, ſoror matris, matertera. auunculi vel materteræ filius, conſobrinus: auunculi vel materteræ filia, conſobrina. conſobrinæ filius ſobrinus, conſobrini vel conſobrinæ filia, ſobrina, & ſic cognatio ex parte matris vſque ad ſeptimam generationem procedit. Patris pater auus, aui pater proauus, proaui pater abauus, abaui pater atauus, ataui pater tritauus, tritaui pater, pater tritaui vocatur. Matris mater auia, auiæ mater proauia, proauiæ mater abauia, abauiæ mater atauia, atauiæ mater tritauia, tritauiæ mater, mater tritauiæ dicitur. Aui frater propatruus, propatrui filius, propatruelis, & ſic ex parte aui cognatio vſque ad ſeptimam vadit generationem. Auiæ frater, maior auunculus, auiæ ſoror, matertera magna, auunculi filius, proprius ſobrinus, materteræ filia propria ſobrina, inde ſobrini & ſobrinæ, & ſic vſque ad ſeptimam gene-

De Ciuitate Dei lib. xv.

Lib. xv. cap. 16.

Iſid. lib 12. Orig. c. 6.

rationem cognatio ex parte auiæ vadit. Proinde neceſſe eſt, vt vnuſquiſque fidelis huiuſmodi inceſta coniugia caueat: ne id quod licitè poteſt cum aliis, inlicitè gerendo cum propinquis, & peccati lapſum incurrat, & Apoſtolico anathemate percellatur: ſicut beatus iunior Papa Gregorius ante corpus B. Petri ſynodali definitione ſub anathematis vinculo

Conc. Rom. ſub Gregorio II.

hæc quæ ſequuntur decreuit, dicens: Si quis preſbyteram duxerit in coniugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis diaconam duxerit in coniugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in coniugio duxerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis commatrem ſpiritalem duxerit in coniugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis fratris vxorem duxerit in coniugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis neptem duxerit in coniugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis nouercam, aut nurum ſuam duxerit in coniugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis conſobrinam duxerit in coniugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis viduam furatus fuerit in vxorem, vel conſentientes ei, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis virginem, niſi deſponſauerit, furatus fuerit in vxorem, vel conſentientes ei, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis ariolis, aruſpicibus, vel incantatoribus obſeruauerit, aut phylacteriis vſus fuerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

Can. 4.

Et ſanctum Ilerdenſe Concilium decreuit, dicens: De his qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit vt quouſque in ipſo deteſtando & inlicito carnis contubernio perſeuerant, vſque ad Miſſam tantùm catechumenorum in Eccleſia admittantur. Cum quibus etiam

1. Cor. 5. 11.

nec cibum ſumere vlli Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus iuſſit, oportet. Et

Conc. Tolet. II. can. 5.

hinc Toletanum Concilium. Nam & hæc ſalubriter præcauenda ſancimus, ne quis fidelium propinquam ſanguinis ſui, vſquequo affinitatis liniamenta generis ſucceſſione cognoſcit, in matrimonio ſibi deſideret copulari, *& cetera vſque* habeatur extraneus. Et venerabilis Synodus Aga-

Conc. Agath. can. 61.

thenſis hinc decreuit hoc modo: De inceſtis coniunctionibus nihil prorſus veniæ reſeruamus, niſi cùm adulterium ſeparatione ſanauerint. Inceſtos verò, nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt, hos eſſe cenſemus. Si quis relictam fratris, quæ pene priùs ſoror extiterat, carnali coniunctione violauerit: ſi quis fratris germanam vxorem accipiat: ſi quis nouercam duxerit: ſi quis conſobrinæ, ſobrinæue ſe ſociet. Quod ita præſenti tempore prohibemus, vt ea, quæ ſunt ante nos inſtituta, non diſſoluamus. Si quis relictæ vel filiæ auunculi miſceatur: aut patrui filiæ, vel priuignæ ſuæ coniugio polluatur. Sanè quibus coniunctio inlicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem. De his autem, qui ex huiuſmodi piaculis egerunt pœnitentiam, & eam minimè ſeruauerunt, S. Papa Siricius ad Himerium Tarraconenſem

Siric. epiſt. 1. cap. 5.

Epiſcopum ſcripſit hoc modo: De his, inquiens, qui acta pœnitentia, tam

» quam canes ac ſues ad vomitus priſtinos & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & noua coniugia, & inhibitos denuo appetiuere concubitus, quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filij prodiderunt. De quibus, quia iam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, vt ſola intra Eccleſiam fidelibus orationeiuuagantur, ſacræ myſteriorum celebritari, quamuis non merèantur, interſint, à dominicæ autem menſæ conuiuio ſegregentur: vt hac ſaltem diſtrictione correcti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcenis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam voluimus ſubueniri. Quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, ſeruandam eſſe cenſemus.

DE PERVASIONE ſi quidem rerum Eccleſiaſticarum, in Epiſtola Epiſcoporum XIV. prouinciarum, à Synodo in Dei nomine congregata in villa Tuſſiaco Tullenſis parrochiæ Aquitanis directa, ſufficienter de ſacris auctoritatibus collectum habetur. De quibus quædam hîc repetere non nobis eſt pigrum, quia experientia didicimus neceſſarium. Vnde S. Papa ANACLETVS, ab ipſo B. Petro Apoſtolo presbyter ordinatus, poſtea in ſede Romana ſucceſſor illius factus Epiſcopus, cum totius mundi ſacerdotibus iudicauit: Qui abſtulerit, inquiens, aliquid patri vel matri, homicidæ particeps eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creauit: mater verò noſtra Eccleſia, quæ nos in baptiſmo ſpiritaliter regenerauit. Ergo qui Chriſti pecunias & Eccleſiæ capit, aufert, vel fraudatur, homicida eſt, atque homicida ante conſpectum iuſti iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi ſui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam & res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & vt ſacrilegus iudicandus eſt. Item S. VRBANVS Papa & martyr: Res & facultates Eccleſiaſticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota ſunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus eſt damnationis Ananiæ & Saphiræ, & oportet huiuſmodi tradere Satanæ, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Item S. LVCIVS Papa: Rerum Eccleſiaſticarum ac facultatum raptores, *& cetera, vt ſuprà in Concilio apud Tuſſiacum vſque* ambulare cum Deo tuo. His ritè perpenſis, quicumque vult ab excommunicationis anathemate, inceſtis vel rerum Eccleſiaſticarum peruaſoribus iudicio ſancti Spiritus intentato, eſſe immunis, eis poſt Euangelicam commonitionem non communicet, donec ſeparatione & pœnitentia congrua, ab hac contagione pollutionis vel ſacrilegio ſe purificent, obaudientes Apoſtolum, immo per Apoſtolum loquentem Dominum: *Nolite*, inquit, *communicare operibus infructuoſis tenebrarum: magis autem & redarguite.* Quam ſententiam ita B. Auguſtinus exponit. Duobus, inquit, modis non te maculat malus, ſi non conſentias, & ſi redarguas. Quia enim parum erat non communicare, id eſt non conſentire operibus tenebrarum, ſi ſequeretur negligentia diſciplinæ, ait Apoſtolus, *magis autem & redarguite.* Domino item in Scriptura dicente, *Anathema in medio tui, non poteris ſtare coram inimicis tuis.* Hæc, fratres & filij, in quocumque ordine & dignitate quiſque ſit Chriſtianus, ad vos ex Domini mandato

Conc. apud Tuſſiacum.

Pag. 168. 169. 170. 171. 172.

Epheſ. 5. 11.

Ioſue 7. 13.

Ezech. 3. 17. dirigimus, qui de omnibus hominibus omni Epiſcopo dicit: *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me.* Ex me, inquit, & non ex te. Nos enim non noſtra, nec noua cudimus, vel condimus: ſed vetera per ſanctos veteres patres ſpiritu Dei condita vobis adnuntiamus. Propterea hæc ſicut Domini mandata ſuſcipite, cuius potentiæ non poteſtis, & voluntati atque mandato non debetis reſiſtere, ſi non vultis vt veſtri proprij inimici ſaluti veſtræ obſiſtere. Nos autem talia vobis tacere nec poſſumus, nec audemus: quia Dominus nobis per prophetam dicit, quod ſi non adnuntiauerimus vobis, ſanguinem veſtrum de manu noſtra requiret: & ab illis patribus & prædeceſſoribus noſtris, quorum vices tenemus in terris, coram Domino degradamur in cœlis, ſi non exequimur quæ illi ſtatuerunt regulis diuinitus inſpiratis. quoniam ſicut B. Leo Papa ſancto Spiritu inſpirante dicit, ſubditorum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quàm ad deſides negligentéſque rectores, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam. Propterea ſi vos ab his, vnde commonemini, quantocius non correxeritis, ſicut illi in cœlo, & nos in terra, vnà cum Apoſtolicæ ſedis Præſule, & omni ſacerdotum vnanimitate, vos à Chriſti & fidelium eius conſortio ſegregabimus. Quod ne nos agere compellatis, vos pro Chriſto & veſtra ſalute obnoxiùs deprecamur. Vos autem ſi mandatis dominicis obedire ſtuducritis, & veſtram ſalutem præſentem ſcilicet & futuram agetis, & gloria atque corona noſtra coram Domino eritis, qui de vobis reddemus illi in die iudicij rationes, ſicut & vos de vobis ipſis, & de omnibus vobis commiſſis rationem eſtis ſine dubio reddituri. Quod tunc erit, ſi modò à diabolicis & malis operibus, atque à peruerſis hominibus vos ſegregaueritis, vindicantes contra diabolum & vitia atque peccata honorem veſtrum, qui homines ad imaginem Dei facti eſtis. Ad hoc enim, ſicut ſcriptum eſt, vt Deum timeat & mandata eius cuſtodiat, factus eſt omnis homo, propter quem factus eſt Deus homo, qui cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ezech. 3. 18. (margin)

DIFFINITIO EIVSDEM SYNODI DE QVADAM *monacha nomine Duda ſacrilegè corrupta: ſed & dè eiuſdem ſceleri conſentientibus Berta & Erpreda.*

CAVSAM ſceleris inter Dudam monacham, partu conuincente vix tandem confeſſam ſe de Huntberto presbytero concepiſſe ac pepetiſſe, & eundem Huntbertum hoc pertinaciter ſpe denegantem, quia putat ſe iuramẽto iniquitatem ſuam poſſe abſcondere, iurando cum presbyteris complicibus ſuis, qui iuxta quod ſcriptum eſt, Iob. 40. 17. vmbra eius vmbram protegunt, videlicet defenſione illius iniquitatis, cùm de huiuſmodi fuerint interpellati, ſuam nequitiam abſcondendo ſe poſſe protegere, & inter monachas Bertam & Erpredam huic ſceleri conſentientes, quæ hinc interrogatæ facilè dicuntur fuiſſe confeſſæ, ſecundum tramitem ſcripturarum, prædicationémque maiorum, per ſacras leges ac regulas, quas coniunctim multoties in decretis ſuis ad cauſas diffiniendas B. Papa Gregorius ponit, rationabiliter diffiniri poſſe putamus.

CAP. I. Primùm quidem attendendum eſt in Huntberto presbytero, dè Eſa. 34. 15. peccato manifeſto ſe excuſante, quòd beatus Gregorius in Regula paſtorali dicit: *Ibi habuit foueam ericius.* Ericij quippe nomine impuræ mentis ſeſéque callidè defendentis duplicitas deſignatur. quia Greg. Paſt. Part. 3. c. 22.

videlicet ericius cùm apprehenditur, eius & caput cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conſpicitur: ſed mox cùm adprehenſus fuerit, ſemetipſum in ſphæram colligit, pedes introrſus ſubtrahit, caput abſcondit, & intra tenentis manus totum ſimul amittitur, quod totum ſimul antea videbatur. Sic nimirum, ſic impuræ mentes ſunt, cùm in ſuis exceſſibus comprehenduntur. Caput enim ericij cernitur, quia quo initio ad culpam peccator acceſſerit, videtur: pedes ericij conſpiciuntur, quia quibus veſtigiis nequitia ſit perpetrata, cognoſcitur: & tamen adductis repentè excuſationibus impura mens introrſus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis ſuæ veſtigia abſcondit: caput ſubtrahit, quia miris defenſionibus nec inchoaſſe ſe malum aliquod oſtendit: & quaſi ſphæra in manu tenentis remanet, quia is qui corripit, cuncta quæ iam cognouerat ſubitò amittens, inuolutum intra conſcientiam peccatorem tenet: & qui totum iam reprehendendo viderat, tergiuerſatione prauæ defenſionis inluſus totum pariter ignorat. Vnde neceſſe eſt, vt ex alia ſua actione, quam negare non poteſt, idem Huntbertus conueniatur, ſicut idem S. Gregorius in præfata Regula docet, Nonnulla, inquiens, ſunt ſubtilia occultè perſcrutanda, vt quibuſdam ſignis erumpentibus rector in ſubditorum mente omne quod clauſum latet inueniat, & interueniente correctionis articulo ex minimis maiora cognoſcat.

Ezech. 8. 8.

Vnde ecce ad Hiezechielem dicitur: *Fili hominis, fode tibi parietem.* Vbi mox iſdem propheta ſubiunxit: *Et cùm perfodiſſem parietem, apparuit oſtium vnum, & dixit ad me, Ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt.* Hic notandum itaque eſt, quia priùs foramen in pariete, ac deinde oſtium cernitur, & tunc demum occulta abominatio demonſtratur. Quia nimirum vniuſcuiuſque peccati priùs ſigna forinſecus, deinde ianua apertæ iniquitatis oſtenditur, & tunc demum omne malum, quod intus latet, aperitur.

Cap. II. Dicitur namque, quòd præfata Duda adſpirans ad regimen Abbatiſſæ, adſciuit ſibi familiarem Huntbertum presbyterum, qui ſcribebat breuiculos, quos ipſa Duda contra regulam ſuæ profeſſionis per diuerſos mittebat, vt ſatagerent quatenus Abbatiſſa fieret: decernente B. Benedicto, vt nullatenus liceat monachæ, neque à parentibus ſuis, neque à quoquam hominum, nec ſibi inuicem litteras, vel eulogias, vel quælibet munuſcula accipere, aut dare, ſine præcepto Abbatiſſæ. Quæ autem aliter præſumpſerit, diſciplinæ regulari ſubiaceat. Et adeo latẽs malum excreuit, vt ipſe Huntbertus contra Abbatiſſam, cui fidelitatem iurauit, ſed & contra Præpoſitum ſuum, falſos breues ſcripſerit, vt Abbatiſſa depoſita, Duda regimen poſſet aſſumere. Quos breues vſque ad præſentiam & inquiſitionem regiorum Miſſorum protulit, & de mendacio, ac infidelitate, ſeu periurio, exinde in præſentia illorum reuictus fuit, ac per hoc calumniatoris crimen incurrit. Vnde ſacræ leges, quibus vnà cum ſanctis regulis ſancta moderatur Eccleſia, dicunt: Calumniatores ſunt, qui falſa deferentes contra cuiuſcumque innocentis perſonam, principum animos ad iracundiam commouere præſumunt, qui omnes infames effecti in exilio detrudentur. Et item: Non eſt ratio, qua manifeſti calumniatoris ſupplicium differatur. Nec enim patimur frequentia iterari, quę conſiſtere prima accuſatione nequiuerunt, atque alienam innocentiam ſecuritatémque ſine crimine damnabili appetitione terreri. Et item: Quicumque ſcripturam in audientiam protulerit, veritatem eius probare iubeatur: quia hoc in omnibus cauſis ſtatutum eſt, vt ſcripturam prolator adfirmet. Nam ſi is qui ſcripturam protulit, eius non adſtruxerit veritatem, vt falſitatis reum eſſe retinendum. Inter decem quippe præcepta, quæ Dominus in monte Sina per famulum ſuum Moyſem Iſraëlitico populo dedit, falſum teſtimonium ſpecialiter prohibuit: *Non falſum*, inquiens, *teſtimonium dices.* Hi namque, qui contra iuſtitiam falſitatem opponunt, vt catholici doctores tradunt, ſimiles ſunt falſis teſtibus, qui in paſſione Chriſti falſum contra eum dixerunt teſtimonium. De falſis quoque teſtibus in libro Deuteronomij ita iubetur: *Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum præuaricationis, ſtabunt ambo, quorum cauſa eſt, ante Dominum in conſpectu ſacerdotum & iudicum, qui fuerint in diebus illis. Cúmque diligentiſſimè perſeuerantes inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddant ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit. Et auferes malum de medio tui, vt audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere, & non miſereberis eius.* De falſis quoque teſtibus Salomon ait: *Teſtis falſus non erit impunitus.* Et alibi, in ſex quæ ſe Deus

Interpretatio.

Cod. Th. De calumniat. l. 1.

Interpret. l. 7. Cod. Theod. De fide teſtium, &c.

Exod. 20. 13. Matth. 19. 18.

Deut. 19. 18.

Prou. 19. 5.

Prou. 6. 16. 19.

odiſſe dicit, teſtem fallacem & proferentem mendacia adnumerat. Teſtis falſidicus tribus eſt perſonis obnoxius. primùm Deo, quem peierando contemnit: ſequenter iudici, quem mentiendo fallere cupit: poſtremo innocenti, quem falſo teſtimonio lædit. In ſancta quoque ſua lege Dominus ſpetialiter falſum teſtimonium & periurium atque mendacium prohibuit. Quicumque igitur vnum ex his tranſgreſſus fuerit, dominici præcepti præuaricator ſine dubio exiſtit. Et de his tribus prefatis presbyter Huntbertus conuictus ante Miſſos regios fuiſſe dicitur. Quapropter vocem non habet, vt ſacramento de hoc ſacrilego adulterio ſe, vel ſingulariter, vel cum ſuis complicibus, valeat expurgare. Decernente hinc ſacra lege, quam probat Eccleſia:

Interpretatio. In conuictum reum, qui de obiecti criminis veritate conuincitur, ſiue torqueri poſſit, ſiue non poſſit, iudex quod ei viſum fuerit iudicabit.

Cap. 97. Et Africano decernente Concilio: Quotienſcumque clericis ab accuſatoribus multa crimina obiiciuntur, & vnum ex ipſis, de quo priùs egerit, probare non valuerit, ad cetera iam non admittatur. E contra Huntbertus presbyter, qui de præfatis comprobatus dicitur atque conuictus, ad ſe purgandum de obiecto ſacrilego adulterio, ſicut & præcedens lex manifeſtat, nõ habetur idoneus.

CAP. III. Quia verò lex dicit: Criminum diſcuſſio ibi agitanda eſt, vbi crimen admiſſum eſt. nam alibi criminum reus prohibetur audiri.

Conc. Carthag. can. 30. & Carthaginenſe Concilium dicit, vt accuſatus vel accuſator in eo loco, vnde eſt ille qui accuſatur, ſi metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum ſibi eligat proximum, quò non ſit difficile teſtes producere, vbi cauſa finiatur. Et Africanum Concilium illic iubet agitari iudicium, vbi teſtium neceſſariæ perſonæ, vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci valeant. Et quia quæ teſtificantur aduerſus eum de ſacrilego adulterio, à monaſterio rationabiliter longiùs abduci non poſſunt, Vicarij Synodi cum Miſſis regiis ad idem accedant Monaſterium, & ſubſequenti modo cauſam diffiniant.

CAP. IV. Separentur ab inuicem monachæ & ſingillatim interrogētur, ſi fortè ſuam ſententiam immutabunt, vel in eadem qua priùs permanebunt ſententia. Et interrogetur Duda de temporibus, & locis, & horis, quando hoc nefarium ſcelus cum Huntberto commiſit presbytero. Et oſtendatur ei quàm grauiter peccatum ſuper peccatum addet, ſi de alio aliquo concepit & peperit, & falsò Huntbertum de crimine ipſo inſimulat. Et allegetur ei, vt ſecundum profeſſionis ſuæ regulam veritatem ex corde & ore proferat: quia pura confeſſio etiam à morte liberat, & iuſtificationem per indulgentiam confitenti apud Deum miſericordiam impetrat, dicente ſcriptura: *Dic tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris.* Prior, inquit: quia ſi ipſa non dixerit, diabolus in iudicio coram omnibus ſanctis & peccatoribus dicet. Propterea melius illi eſt, vt hic puram confeſſionem faciat, & indulgentiam accipiat, quàm in conſpectu Angelorum & hominum omnium in futuro iudicio confundatur, & perpetuis flammis tradatur. Et ſi puriter fuerit confeſſa, leuior illi erit pœnitentia. Deinde conſentientes nequitiæ illius ſorores ſingillatim interrogentur, & ſimiliter de ſententia ſua experientia colligatur. Deinde iſdem presbyter ſecuretur, quia iuramento nec ſingulariter, nec cum aliis presbyteris, ſe poterit expurgare, quia vocem propter præmiſſa non habet, vt ſe idoneum reddere valeat. Et ſi facilè ac puriter confeſſus fuerit, veniant ſimul in conſpectu congregationis idem presbyter & complex illius Duda, & conſentientes eis, & coram omnibus ſingillatim confiteatur. Si autem idem presbyter negauerit; veniat coram ſynodi Vicariis, & Miſſis regis, ac presbyteris & clericis ipſius Monaſterij, & coram Abbatiſſa & congregatione, & veniat ipſa Duda, & conſentientes eis, & reuincant ipſum presbyterum, computantes tempora, & loca, & horas, ſecũdum quòd de crimine conſcia quæque illarum exiſtit. Et ſi ipſe presbyter ſe concrediderit; facilior ei erit pœnitentia: ſin autem in pertinacia ſua perſtiterit, conuincatur hoc modo.

CAP. V. Leges dicunt: Iudex criminoſum diſcutiens non antè ſententiam proferat capitalem, quàm aut reus ipſe fateatur, aut conuictus vel per innocentes teſtes, vel per conſcios criminis ſui, aut homicidium, aut adulteriũ, aut maleficium commiſiſſe manifeſtiùs conuincatur. Et item: In criminibus eruendis quæſtio quidem adhibetur, ſed non ſtatim à tormentis incipiendum eſt. Ideóque prius argumentis quærendum: & ſi ſuſpicione aliqua reus vrgeatur, adhibitis tormentis de ſociis & ſceleribus ſuis confiteri compellatur.

latur. Et item: Vnius facinoris plutimi rei ita audiendi ſunt, vt ab eo primùm incipiatur, qui timidiot, & teneræ ætatis eſſe videatur. Et item: Teſtes priùs quàm de cauſa intertogentut, ſacramento debere conſtringi, vt iurent nihil falſi ſe eſſe dicturos. Quia verò iuratio non niſi in neceſſitate vtenda eſt, oſtendit Dominus: Matth. 6.37. *Sit*, inquiens, *ſermo veſter eſt eſt, non non, quod amplius eſt, à malo eſt.* Id eſt, iurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid ſuades. Quæ infirmitas vtique malum eſt. Vnde quotidie nos liberari deprecamur, cùm Matth. 6.13. dicimus, *Libera nos à malo.* Ideóque non dixit, Quod amplius eſt, malum eſt, ſed à malo eſt, illius, cuius infirmitate iurare cogeris. Secundùm quod pręmiſſa lex dicit, ſuper ſacroſancta Euangelia & cetera diuina myſteria iuret priùs Duda, & poſtea illæ, quæ ſuo facinori conſenſerunt, de cauſa interrogata ſe nihil falſi eſſe dicturas. Et poſt iuramentum, proferant teſtimonia aduerſus Huntbertum preſbyterum. Poſt prolatum autem teſtimonium, quia lex dicit, quod Dominus in Euangelio approbat, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. & Apoſtolus ad Timotheum ſcribit: *Aduerſus presbyterum accuſationes noli recipere, niſi ſub duobus* 1. Tim 5.19.20. *vel tribus teſtibus. & peccantes coram omnibus argue, vt ceteri timorem habeant.* &, vt præmiſimus, leges dicunt vt criminoſus vel per innocentes teſtes, vel per conſcios criminis ſui, aut homicidium, aut adulterium, aut maleficium commiſiſſe conuincatur: & ſacri Nicæni canones diffi- Can. 2. niunt, vt ſi aliquod delictum animæ circa perſonam neophyti Epiſcopi reperiatur, & à duobus vel tribus teſtibus arguatur, à clero talis abſtineat: vel confeſſus, vel conuictus Huntbertus preſbyter, tribus teſtibus criminis ſui conſciis, auctoritate ſacrarum legum ac regulatum, ſynodali iudicio à Vicariis Synodi deponatur, & per Miſſos regios in longinquam terram ac perpetuum exilium, iuxta Imperatorum & regum antiquas & conſuetudinarias leges deducatur, & in aliquo monaſterio ipſius exilij ſub pœnitentia retrudatur, laïca tantùm ſibi communione ſeruata. De huiuſmodi enim degradatione S. Decret. c. 33. Innocentius decreuit, dicẽs: Eos qui talia perpetraſſe dicuntur, iubebitis in medio collocari, diſcuſſiſque obiectionibus, quæ ipſis preſbyteris impinguntur, ſi conuinci potuerint, à ſacerdotali remoueantur officio, quia qui ſancti non ſunt, ſancta tractare non poſſunt, atque alieni efficiantur à miniſterio, quod viuẽdo inlicitè polluerunt. De perpetuo namque exilio in longinqua terra, & ſacræ leges, & epiſtolæ Leonis atque Gregorij oſtendunt, quia longiùs à loco, quem fæce ſuæ iniquitatis infecit, amoueri debeat & abduci. De retrudẽdo autẽ eo in monaſterio ſanctus Decret. c. 16. Leo decreuit dicens: Alienum eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, vt qui in preſbyterali honore, aut diaconij gradu fuerint conſecrati, hi pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi. Quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecun- 1. Reg. 2. dùm quod ſcriptum eſt: *Sacerdos ſi peccauerit, quis orabit pro illo?* Vnde huiuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei priuata eſt expetenda ſeceſſio, vbi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fru- Lib. epiſt. ctuoſa. Et S. Gregorius ad Sabinianum Epiſcopum: Preſbyterum, inquit, de quo nos fraternitas tua latoris præſentiũ relatione cõſuluit, nulla ratione in ſacto ordine poſt lapsũ aut permanere aut reuocari poſſe cognoſcas, ſed in monaſterio ſub pœnitẽtia retrudatur. Et canones Neocæ- Can. 1. ſarienſes: Preſbyter, ſi vxorẽ acceperit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetrauerit, ampliùs pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. De nõ excommunicando autem eo à cõmunione corporis & ſanguinis Chriſti, item Apoſtol. can. 25. canones dicũt: Epiſcopus, preſbyter, aut diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus eſt, deponatur: nõ tamẽ cõmunione priuetur. Dicit enim ſcri- Naum. 1. ptura: *Non iudicabit Dominus bis in idipſum.*

Cap. VI. De Duda ſiquidem monacha ſacrilegè corrupta ſanctus Siricius Decret. cap. 6. ad Himetium diffiniuit, dicens: Præterea monachorum quoſdam atque monacharum, abiecto propoſito ſanctitatis, in tantam proteſtatis demerſos eſſe laſciuiam, vt priùs clanculò, velut ſub monaſteriorum prætextu, inlicita ac ſacrilega ſe contagione miſcuerint: poſtea verò in abruptum conſcientiæ deſperatione perducti, de inlicitis complexibus libere filios procrearint: quas & publicæ leges, & Eccleſiaſtica iura condemnant. Has igitur impudicas deteſtabiléſque perſonas à monaſteriorum cœtu, eccleſiarúmque conuentibus eliminandas eſſe mandamus: quatenus retruſæ in ſuis ergaſtulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio poſſint pœnitudinis igne decoquere: vt eis vel ad mortem

ſaltem, ſolius miſericordiæ intuitu, pet communionis gratiam poſſit indulgentia ſubueniri. Et hinc S. Innocenrius. (Decret. cap. 19.) Quæ Chriſto ſpiritaliter nubunt, & à ſacerdote velantur, ſi poſtea vel publicè nupſerinr, vel ſe clanculò corrupetint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui ſe iunxerat, de mũdo receſſerit. Si enim de hominibus hæc ratio cuſtoditur, vt quęcumque viuente viro alteti nupſetit, habeatut adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, niſi vnus ex his fuerir defunctus, quãto magis de illa tenẽda eſt, quę anteà ſe immorrali ſpõſo cõiunxerat, & poſtea ad humanas nuptias rranſmigrauit? Et S. Leo: (Decret. cap. 26.) Propoſitum monachi, proprio arbitrio aut voluntate ſuſceprũ, deſeri non poteſt abſque peccato. Quod enim quis vouit Deo, debet & reddere. Vnde qui relicta ſingularitaris profeſſione ad militiam vel nuprias deuolutus eſt, publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt: quia etſi innocens militia, aur honeſtum poteſt eſſe coniugium, electionem meliorum deſeruiſſe, rranſgreſſio eſt. Er S. Gelaſius: (Decret. cap. 20.) Virginibus ſacris temere ſe quoſdam ſociare eognouimus, & poſt dicatum Deo propoſitum inceſta fœdera ſacrilegáque miſcere. quos protinus æquum eſt à ſacra communione detrudi, & niſi per publicam probarámque pœnitentiam omnino non tecipi: aut his certè viaticum de ſæculo tranſeuntibus, ſi tamen pœnituerinr, non negerut.

Cap. VII. Hæc à ſanctis canonibus, antequam ſanctus Spirirus pet B. Benedictum eodem ſpiritu, quo & ſacri canones conditi ſunt, regulam monachorum ediderit, de huiuſmodi ſunt decrera: ſicut & ea quæ ſancti Ambroſius & Hieronymus de lapſu virginis Deo ſacratæ, & B. Auguſtinus de ſancta vitginitate & lapſu monachi ſcripſerunt. Quæ Dudæ attentiùs & ſæpius ſunt relegenda, vt intelligat quantam digniratem amiſetit, & ad quantam vilitatem deuenerit, vnde exciderit, & quò ceciderit: & agat pœnitentiam cum fletus & abiectionis humilitate, quamdiu vixerit. Quæ pœnitentia ſit illi, vt ſctiptum eſt, in velamentum oculorum, memoretúrque ſe deprehenſam. Et cùm ſermonem B. Auguſtini de lapſu monachi legerit, ſciat ſe, licèt imparem ſexu, parem profeſſione: & quæ de monacho dicit, de ſe monacha dictum intelligat. Ceterùm quoniam eadem regula, ſancto Spiritu promulgata, & laudis auctoritate B. Papæ Gregotij inter canonicas ſcriptutas, & catholicorum doctorum ſctipta, eſt teneri decreta: ſæpefata Duda ſacrilogo adulterio cortupta, ſecundum eandem regulam ea temperantia, vt cum ſacris canonibus iudicium regulare conueniat, eſt iudicanda. Quia monachus, vel monacha, iuxta eandem regulam collum non excutit de ſub iugo regulæ, ſi quod contra regulam commiſit, per regularia iudicia ſuæ profeſſionis ſtuduerit emendare. Quaptopter, quia multis modis ipſa Duda contra regulam admiſit, pro quibus grauiori vindicta, vel virgarum caſtigarione caſtigari, ſicut actiones illius produnt, & qui regulam norunt intelligunt, (quæ hîc omnia inſerere ſuperfluum dûximus) iubetur, coram Abbatiſſa ſua, vel ſorotibus, vt ceteræ metum habeant, nudo dorſo, remota virorum præſentia, virgis flagelletur, ſi ſe humiliauerit, cum miſericordia, ſicut ſctiptum eſt, *Corripiet me iuſtus in miſericordia*: (Pſal. 140. 5.) vt caro quæ delectabiliter illam traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam, & ſanguine carnis virgis eliciro, ſanguinem animæ, videlicet profuſas lacrymas, flagello producat à mente. Si autem durior fuerit, faciat Abbatiſſa ſecundum caput regulæ, in quo ſctiptum eſt: Improbas, inquiens, & duras, ac ſuperbas, vel inobedientes, verberum vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceat, ſciens ſcriptum: *Stulta verbis non corrigitur.* & iterum: (Prou. 23. 14.) *Percute filiam tuam virga, & liberabis animam eius à morte.* Et quia ſacri canones huiuſmodi pœnitentia publica iubent multati, ſecundùm capitulum xxv. regulæ, quod ſententiæ Pauli Apoſtoli, & canonum diffinitioni concordat, iudicium pro graui culpa ſuſcipiat. In quo iudicio tribus annis immoretur. & Abbatiſſa ſollicitudinem de illius pœnitentia & conſolatione ſecundum capitulum xxvii. Regulæ diligenter adhibeat. Et alios tres annos, ſecundum capitulum xlix. Regulæ, ſorotibus in oratione communicet, non tamen in choro cum ſororibus, ſed retro oſtium ſtans vel orans, ſecundum canones ſacros, ſiue in loco conſtituto ſibi à matre Monaſterij, vt ab omnibus poſſit videri, ſicut & Regula de ea dicit, quæ tardè ad diuinum venit officium, eam ſtare & ſatisfacere iubet. Septimum verò annum, ſecundum cap. xxix. Regulæ, in vltimo loco degens, in oblatione ſororibus ſecundum canones ſacros commu-

nicet. Et poſt ſeptem annos communionem corporis & ſanguinis Chriſti ſi pœnituerit dignè, percipiat. De cetero vſque ad vltimum vitæ ſuæ finem permanens in omni regulari ſubiectione. Et ſicut ipſa regula dicit, præterita peccata ſua cum lacrymis vel gemitu quotidie Domino in oratione cõfiteatur. Reducẽs ante oculos quãtos gemitus in partu habuit, quẽ cum delectatione concepit, & quanta ſuſpiria etiam ante partum emſit, timens deprehendi, ſicut & eſt deprehenſa: & hos gemitus, atque ſuſpiria, ſeu profuſas lacrymas emittat in ſceleris pœnitentia, de qua dicit Pſalmus: *Ibi dolores vt parturientis.* Ibi, id eſt in cõtriti cordis pœnitentia, ſunt dolores vt parturientis. Dolor enim pœnitẽtis, quaſi dolor eſt parturiẽtis: quia cõfitẽdo in oratione cum gemitu ac fletibus à ſe emittit, quod malè ac voluptuosè in voluntate concepit. Hinc & alius pſalmus dicit: *Introite portas eius in confeſſione, atria eius in hymnis: confitemini illi.* Cùm peccata noſtra per lacrymas confitemur, anguſtæ viæ portas ingredimur. Sed cùm poſt hæc ad æternam vitam perducimur, portæ noſtræ atria in confeſſione laudis intramus. Quia ibi iam anguſta via non erit, cùm nos lætitia æternæ ſolemnitatis adſumpſerit. Propter quam confeſſionis noſtræ anguſtiam Veritas dicit: *Intrate per anguſtam portam.* Et cùm ſe Pſalmiſta recipi in latitudine gaudij æterni præſumeret, dicebat: *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.* Quapropter prouidendum eſt his qui peccata ſuorum operum deplorant, vt conſummata mala perfecta diluant lamentatione, ne plus adſtringantur in debito perpetrati operis, & minùs ſoluant in fletibus ſatisfactionis, ſicut ſcriptum eſt: *Potum dedit nobis in lacrymis in menſura.* vt videlicet vniuſcuiuſque mẽs tãtum pęnitendo cõpunctionis ſuę bibat lacrymas, quantum ſe à Deo meminit aruiſſe per culpas. Debet ergo maiorem in ſe quiſque ſeueritatem exercere, vt à ſeipſo iudicatus peccator, vel iudicata peccatrix, non iudicetur à Domino. Quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta & Deo acceptabilis, ſi aſcenderit homo aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ, & conſtituerit ſe ante faciẽ ſuam, ne hoc ei poſtea fiat, ſicut comminatur Deus peccatori. Atque ita cõſtituto in corde iudicio adſit accuſatrix cogitatio, teſtis cõſcientia, iuſta ratio, carnifex timor. deinde ſanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. Poſtremò ab ipſa mente talis

Pſal. 47. 7.

Pſal. 99. 4.

Matth. 7. 13

Pſal. 30. 9.

Pſal. 79. 6.

ſententia proferatur, vt ſe indignum vel indignam peccator ſiue peccatrix iudicet participatione corporis & ſanguinis Domini. Verſetur ante oculos imago futuri iudicij, vt cùm alij accedũt ad altare Dei, quò ipſe vel ipſa non accedit, cogitet quàm ſit contremiſcenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alij in mortem præcipitantur æternam. Seruatis quoque, quantum humana fragilitas patitur, regularibus XI. gradibus humilitatis, iuxta XII. gradum corpore humiliatum videntibus ſe ſemper indicet. Id eſt, in opere, in oratorio, in monaſterio, in horto, in via, in agro, vel vbicumque, ſedens, orans, & ambulans vel ſtans, inclinato ſit ſemper capite, defixis in terram aſpectibus, reã ſe omni hora de peccatis ſuis exiſtimãs; iam ſe tremendo iudicio repræſentari exiſtimet. Dicens ibi in corde ſemper illud quod publicanus ille Euangelicus fixis in terram oculis dixit: Domine non ſum digna ego peccatrix leuare oculos meos ad cælum. Et item cum propheta: *Incuruata ſum, & humiliata ſum vſquequaque.* Imitans meretricem mulierem pedes Domini lacrymis rigantem, & capillis ſuis tergentem, & vnguento vngueutem: cui dimiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multùm. Geſtet denique inceſſanter fœtorem luxuriæ in naribus mentis ſuæ, & depictum ſacrilegium Deo dicati corporis ſui, & inceſtum adulterium à ſe commiſſum, quæ Chriſto ſpiritaliter nupſit, in corde ſuo dicens cum lacrymis ex viſceribus intimis: *Amplius laua me, Domine, ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Et increpante ſe rea conſcientia dicat, Peccaui Domino, vt transferat Dominus peccatũ ſuum, & non moriatur in æternũ. Sacrificiũ enim Deo ſpiritus cõtribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit, qui ſanat cõtritos corde, & alligat cõtritiones eorum, & alleuat omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Poſt lacrymas quoque, tam nocturnas, quàm diurnas, non ad inanem lætitiam, vel mortiferam triſtitiam, ſeu prauas & turpes cogitationes cor ſuum redire permittat, & lucrum compunctionis per incuriam fluxæ cogitationis perdat. Sed quotienſcumque turpes & fluxæ cogitationes illi ſubrepſerint, ſignet frontem ſuam & cor ſuum ſigno crucis Chriſti, petens vt crucifixa mundi ſalus

Luc. 18. 13.

Pſal. 118. 107.

Pſal. 50.

crucifigat carnem ſuam & mentem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis. & aſſiduè illi in memoria maneat, quòd ſancta femina Anna ideo obtinere meruit quod popoſcit, quia ſe poſt lacrymas in eodem mentis vigore ſeruauit. De qua nimitum
1.Reg.1.18. ſcriptum eſt: *Vultus eius non ſunt ampliùs in diuerſa mutati.* Quia igitur non eſt oblita quæ petiit, non eſt priuata munere quod popoſcit. Et in his omnibus ſecundum ſacros Nicęnos canones propoſitum & ſpeciem pœnitentiæ in ea conuenit explorari. Si autem antea infirmauerit, & deſperata fuerit, viatico munere non priuetur. Et ſi conualuerit poſt communionem, ſit inter eas quæ communionem orationis tantummodo conſequuntur, vſquedum decreto modo præfixos compleat annos. Meminerit autem Abbatiſſa ſecundum cap. LXIV. Regulæ, calamũ quaſſatum non conterendum, & ne quid nimis: ne dum cupit eradere æruginem, frangatur vas, ſuámque fragilitatem ſemper ſuſpecta ſit. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia, ſed prudenter, & cum caritate ea amputet, prout viderit cuique expedire.

Cap. VIII. Sicut eſt diſcretio in peccatis peccantium, & in medela eorum, ita eſt diſcretio in correctione peccantium, & in manifeſtatione ac medela peccatorum peccantium. De quibus omnibus ne prolixior ſermo legentibus ſit oneroſus, de his tantùm quæ ad hoc vnde agitur pertinent, ſuccinctè dicamus. Beatus gratia & nomine Benedictus ſancto Spiritu inſpiratus, conſona ſacris ſcripturis, & aliorum orthodoxorum patrum prædica-
Cap. 46. » tionibus, in Regula ſua dicit: Si quis in » labore quouis, vel in quocunque loco » aliquid exceſſerit, & non veniens cõtinuò » ante Abbatem vel congregationem ipſe » vltro ſatisfecerit, vel prodiderit delictum » ſuum, dum per alium cognitum fuerit, » maiori ſubiaceat emendationi. Si animæ » verò peccati cauſa fuerit latens, tantùm » Abbati, aut ſpiritualibus ſenioribus pate- » faciat, qui ſciant curare ſua, & aliena vul- » nera nõ detegere & publicare. Quæ & in monacharum cœnobiis erga ſui ſexus ſpirituales monaſterij matres oportet mona- » chas obſeruare. Ceterùm omnes tam clerici, quàm laici, vel feminæ confitentes ſecreta confeſſione ſacerdotibus peccata ſua, & ea dignæ pœnitentiæ ſatisfactione deflentes, nequaquam ſunt prodendi, & peccata eorum nullà ſacerdote quacumque ſunt ſignificatione manifeſtanda, niſi ſoli Domino in ſecreta oratione, pro quibus ſicuti & pro ſuis iugiter intercedat peccatis. De peccatis verò, quæ frater in fratrem admiſerit, Euangelicum documentum eſt prorſus ſequendum, quo dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum*, & reliqua, vſque dum dicit, *ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Matth. 18.17. Quòd autem conſcij alienorum peccatorum, niſi aut ea correxerint, aut emendationis gratia his quorum intereſt manifeſtauerint, in diſcrimen adducantur, ſancta ſcriptura tam veteris quàm noui Teſtamenti demonſtrat, dicens in Leuitico per Moyſem: *Si peccauerit*, inquit Leuit. 5.1. Dominus, *anima, & audierit vocem iurantis, teſtiſque fuerit, quòd aut ipſe viderit, aut conſcius eſt, niſi indicauerit, portabit iniquitatem eius*, ſine dubio qui aut egit aliquid, aut iurauit quod non debuit. Hoc etiam, vt maiores noſtri exponunt, iuxta hiſtoriam nos ædificat, & docet ne vnquam in peccatis alterius polluamus conſcientias noſtras, nec conſenſum malè agentibus præbeamus. Conſenſum autem, non ſolùm pariter agendo, ſed etiam quæ illicitè geſta ſunt reticendo, quæ ſecundum Euangelicam regulam manifeſtare debemus. Hinc & Paulus Apoſtolus dicit: *Nolite* Epheſ. 5.11. *communicare operibus infructuoſis tenebrarum: magis autem & redarguite.* Quam ſententiam ita B. Auguſtinus exponit: Duobus, inquiens, modis non te maculat malus: ſi non conſentias, & ſi redarguas. hoc eſt non communicare, non conſentire. Et quia parum erat non conſentire, ſi ſequeretur negligentia diſciplinæ, addidit: *Magis autem & redarguite.* Vnde ſciendum eſt, ſicut catholica tenet Eccleſia, quòd ſi quis ea videt in delicto proximi, vel proximæ ſuæ, & non indicet ſecundum regulam ſuperiùs datam, vel in teſtimonium vocatus, vel vocata, non quæ vera ſunt dixerit, peccatum quod commiſit ille vel illa, quem aut quam celat, ipſe vel ipſa ſuſcipiet, & pœna commiſſi reuoluetur ad conſcium, vel ad conſciam, proteſtante ſancto Spiritu per Pſalmiſtam: *Videbas*, inquit, *furem, & concurrebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Pſal. 49.18. Et per Apoſtolum, *Non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus mala, digni ſunt morte.* Rom. 1.32. Quapropter Berta & Ertpreda conſcientes tantæ nequitiæ, non indicantes eam, iuxta libri Leuitici, & Euangelici, & Apoſtolicæ doctrinæ regulam, ac per hoc peccatum committentium ſuſcipientes, quarum grauioris lepræ im-

Digitized by Google

munditia, ſicut & Dudæ, in apertum prorupta, iuxta legis præceptum ſacerdotali eſt purificanda iudicio, poſt menſuratam virgarum caſtigationem, quia interrogatæ dicuntur facilè fuiſſe confeſſæ, per tres annos & dimidium prætaxato Dudæ modo pœnireant. Quæ ſi infirmauerint, prætaxato modo viaticum munus ſuſcipiant, & ſi conualuerint, ordine præfinito ad perfectionem reſtitutionis perueniant, & vſque ad finem vitæ ſuæ, ſicut de Duda ſcripſimus, in omni ſubiectione & humilitate regulari, & confeſſione peccatorum ſuorum permaneant. Debuerant enim & Duda, & eius ſceleri conſentientes, duplicem annorum numerum in pœnitéria duplicare, quia & monacha cum presbytero ſacrilegum commiſit adulterium, & ſuæ complices huic ſacrilego adulterio conſenſerunt. Sed quia & ſexus eſt fragi-
2. Cor. 2. 7. lis, & Apoſtolus dicit, *Ne abundantiori triſtitia qui huiuſmodi ſunt abſorbeantur*, & patrum eſt decreta ſententia, quoniam apud Deum non eſt tam menſura temporis, quàm doloris, nec abſtinentia ciborum, quàm mortificatio vitiorum: credimus per hanc pœnitentiam, ſi tamen diſtrictè ac dignè illam egerint, eas Domino ſatiſfacere poſſe, cuius miſericordiæ, vt Leo ſcripſit, nec modum poſſumus ponere, nec tempora diffinire. apud quem nullas patitur veniæ motas vera confeſſio, dicente Dei ſpiritu per prophetam: *Mox vt ingemueris ſaluus eris.* &, *Dic tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris.* quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Sed & plagæ virgarum illis tempus pœnitendi vſque ad communionis reſtitutionem adbteniant. quia ſicut ſcriptum eſt: *Liuor vulneris abſtergit* Prou. 20. 30.
mala, & plagæ in ſecretioribus ventris. Mala, inquit Gregorius, liuor vulneris abſtergit, quia flagellorum dolor vel cogitatas vel perpetratas nequitias diluit. quia cùm exteriùs percutimur, ad peccatorum noſtrorum memoriam taciti afflictique reuocamur, atque ante oculos noſtros cuncta, quæ à nobis ſunt malè geſta, reducimus, & per hoc quod foris patimur, magis intus quod fecimus dolemus. Vnde fit vt inter aperta vulnera corporis ampliùs nos abluat plaga ſecreti ventris, id eſt mentis: quia ſanat nequitias praui operis occultum vulnus doloris. Hoc medicamentum pœnitentiæ diuerſis modis conſectatum, quaſi antidotum ex diuerſis pigmentis, contra venena diaboli, id eſt peccata, ex ſanctis ſcripturis, & canonum ac Regulæ S. Benedicti conſtitutionibus, & orthodoxorum prædicationibus confectum, pro modulo noſtro induſtriam patrum ſequentes, quoniam, vt dicit Gregorius, ars artium eſt regimen animarum, non præiudicantes maiorum ſtatutis, condidimus: quatenus & ærugo eradatur, & vaſcula non frangantur, & iuxta veritatis vocem calami quaſſati non conterantur, & quæ confracta ſunt alligentur, & quæ diaboli ſuggeſtione, & propria fragilitate abiecta ſunt, per pœnitentiæ ſatisfactionem ad ſinum matris Eccleſiæ reducantur.

CAROLVS CALVVS ITALIAE REGNVM *adeptus, Romæque Imperator coronatus exeunte anno Chriſti* DCCCLXXV.

HOc anno Carolus Rex, nuntio de obitu Ludouici Imp. nepotis ſui accepto, Septembri menſe Alpes tranſgreſſus Italiæ regnum occupauit, Ludouico interim fratre, Germaniæ rege, vna ex parte, ex altera proceribus qui à Carolo defecerant, ipſius regnum hoſtili more depopulantibus. At Carolus Romam inuitante Papa Ioanne profectus, die Natalis Domini, poſt oblata B. Petro munera, vnctus & coronatus, atque Imperator Aug. appellatus eſt. Exin Nonis Ianuariis Roma digreſſus, Papiæ conuentum habuit, ac Boſone Duce Italiæ conſtituto, ibique relicto, in Galliam rediit, Ludouico iam antè in Germaniam reuerſo. Paſchæ ſolemnibus in S. Dionyſij monaſterio peractis, ex legatorum Apoſtolicorum conſilio Synodum Pontigone celebrandam in proximum Iulium indixit. Quæ ſingula pluribus narrat Aimoinus lib. v. cap. xxxii.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA I.
Ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ.

Vices ſuas in Gallia & Germania committit Anſegiſo Archiepiſcopo Senonenſi.

IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, omnibus ſanctiſſimis Epiſcopis per Gallias & Germanias conſtitutis.

Ex Codice S. Petri Belloua.

VESTRÆ omnium innoteſcimus ſanctitati, quia pro alleuiandis multiplicibus oneribus Eccleſiaſticis, quibus quotidie ſatis abundéque deprimimur, quibus maximè ſuper negotiis ex Galliarum & Germaniarum partibus nobis aſſiduè deſtinatis artamur, conſtituimus ANSEGISVM fratrem & coepiſcopum noſtrum Sennenſis Eccleſiæ Præſulem, qui quotiens vtilitas Eccleſiaſtica dictauerit, ſiue in vocanda ſynodo, ſiue in aliis negotiis exercendis per Gallias & Germanias vice noſtra fruatur. Et volumus, vt decreta ſedis Apoſtolicæ per ipſum vobis manifeſta efficiantur; & rurſus quæ geſta fuerint eius nobis relatione, ſi neceſſe fuerit, pandantur: vt maiora negotia ac difficiliora quæque ſuggeſtione ipſius à nobis diſponenda & enucleanda quærantur. Quapropter vos huic piæ ſanctioni omnimodis intendentes, quæ ſuper hoc Apoſtolica auctoritate decernimus vnanimes admittite. Talem quippe illum agnouimus, talémque circa ſedem Apoſtolicam deuotum & in commiſſo fidelem reperimus, vt meritò ei talia committi poſſe ducamus: quin & his maiora conferri debere illi ſine cunctatione credamus, pro ſua ſcilicet ſanctitate, & fidei merito, atque diuinitus ſapientiæ dono conceſſo. Optamus vos bene valere. Data IV. Nonas Ianuarias, Indictione IX. *Recitata in Synodo Pontigonenſi.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA II.
Ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem.

Vt in locum Hincmari ordinetur Epiſcopus in Eccleſia Laudunenſi.

HADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi.

Ex Codice S. Remigij Remenſis.

QVAMVIS de ſanctitatis tuæ iudicio nihil dubitaſſemus, quia tamen cariſſimus filius noſter Carolus inuictiſſimus Imperator, à nobis diligentiſſimè percunctatus, circumſtantiam iudicij à beatitudine tua, Coepiſcopiſque ſuis, in Hincmarum dudum Laudunenſem Epiſcopum prolati Apoſtolatui noſtro retulit, agnouimus iuſtum fuiſſe omnino iudicium. Neque enim tantus princeps niſi veritate fultum quicquam poterat affirmare. Vnde nefas eſſe duximus eius relationi non præbere incunctanter auditum. Noli ergo iam nunc Eccleſiam Laudunenſem viduatam, & ſine regimine paſtorali di-

mittere: ſed indifferenter electum, & de Laudunenſis Eccleſiæ clero, virum idoneum, & in quo omnium vota conſentiant, eidem Eccleſiæ præfice prorſus Epiſcopum. Cui electioni volumus etiam Miſſum prælati piiſſimi Imperatoris intereſſe, vt ſine ſæcularium ſtrepitu omni latere talis eligatur, qui aptus ſacris canonibus eſſe modis omnibus approbetur. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. *Data eſt Romæ Theodorico, iuſſu Papæ Ioannis, & domni Caroli noui Imperatoris, per manus Anaſtaſij Bibliothecarij, in ſecretario Eccleſiæ S. Petri, anno Incarnationis dominicæ* DCCCLXXVI. *Nonis Ianuarij, Indictione* IX. *Et delata eſt ab eodem Theoderico in ciuitate Remis Hincmaro Remorum Archiepiſcopo, eodem anno, & eadem Indictione, V. Idus Martij.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA III.

Ad Epiſcopos in regno Ludouici regis Baioariæ conſtitutos.

Arguit eos quòd Ludouicum regem ab inuadendo Caroli fratris abſentis regno non cohibuerint, monétque vt legatis, quos ad examinanda inter vtroſque negotia mittit, ſatisfacere ſtudeant.

IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, omnibus reuerentiſſimis & ſanctiſſimis Archiepiſcopis & Epiſcopis, in regno Hludouici glorioſi regis Baioariæ conſtitutis.

Ex Codice S. Remigij Remenſis & Virdunenſi.

APOSTOLICÆ moderationis ordinem ſequimur, ſi Eccleſiarum Dei ſollicitudinem retinentes, pro domo ſpiritalis Iſraëlis murum correctionis opponimus, & concordantes animos, aut ſub Eccleſiaſticæ pacis vnione complectimur, aut diſcordes ad concordiæ gratiam reuocamus, aut certè inter nos, & illos, qui apoſtatæ Angeli, zizanij ſcilicet ſeminatoris, fraudibus irretiti, ſanctæ ſedi Apoſtolicæ concordare deſpiciunt, ſartaginem ferream iuxta Ezechielis prophetæ magiſterium collocamus. (Ezech. 4. 3.) Reuerſurus enim ad patrem Dominus pacis bonum diſcipulis attentiùs commendauit; eámque quaſi teſtamentum firmiſſimũ futuris heredibus dereliquit, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* (Ioan. 14. 27.) & B. Apoſtolus Paulus ait: *Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ.* (Epheſ. 4. 3.) quia videlicet ad vnam vocationis ſpem nequaquam pertingunt, ſi non ad eam cum proximis vnita mente curratur. Quapropter ſicut filij Dei, qui ex teſtamento eius ſibi per Apoſtolos derelicto pacem cuſtodiunt; ita nimirum diaboli ſunt filij, qui pacem confundunt. Ille quippe ab initio mendax fuit, & in veritate non ſtetit, eiúſque inuidia, ſicut ſcriptum eſt, mors introiuit in orbem terrarum: (Sap. 2. 24.) Nam dum protoplaſtis inuidens, deceptionis laqueum iam deceptus vtique à ſemetipſo compoſuit, mortis poculum mortalibus propinauit: & quos immortales obedientiæ merito futuros nouerat, inobedientię venenis infecit, ſicque in omnes homines mortis ſententiam vitæ hoſtis induxit. Denique iiſdem laqueis, quibus protoplaſtos deceperat, adhuc Adæ filios iugulat, & odio ſuæ ambitionis fraterna corda diſſociat. ita vt quos vnum patris femur tenuerat, iam Galliæ omnes non capiant, fraternis prouectibus frater inuideat, & quem monitis Apoſtolicis ſæpius etiam in dutiſſimis caſibus obſequentem ſequi deſpexerat, hunc à ſede Apoſtolica ſibi prælatum doleat. immo vt Cain fratris hoſtia, ſcilicet obedientia, ſtimulatus, contra fratrem frendens occurrat: fideles eius fraudibus diuerſis inficiat, ad peierandum terribilis Dei nomen impellat, pacem regni diuturno fratris ſtudio radicatam corrumpere geſtiat, & lactatus à peccatoribus, ſuis duntaxat complicibus adquieſcens, pedes ſuos ad malum currere faciat. madentibus adhuc campis Fontaneicis, quos in iuuentute ſua humano ſanguine tinxerat,

in ſenectute decrepita, minarum & cædis ſpirans, ad fundendum Chriſtianorum multorum ſanguinem pro ſua ſingulari ambitione diſcurrat. Et qui amore fratris à ſede Apoſtolica obedientiæ ſuæ merito benedictionem ſperare, ſuúmque piis operibus propagare debuerat, alterius regnum peruicaciter ſibi ſuis armis ſubiugare deſiderat: ſcilicet vt quos armis acquirit, ditione poſſideat, & colla vetuſtæ libertatis ingenua noua ſeruitute proſternat. Quis hoc, dilectiſſimi nobis, niſi antiquus humani generis aduerſarius, inter tales ac tãtos fratres, quos nos pari ſpiritus amore complectimur, per ſuos ſatellites operatur? Qui dum bonorum prouectibus inuidet, in agro ſanctæ Dei Eccleſiæ ſemper zizania ſeminare contendit. Quis hoc, cariſſimi, niſi diabolus operatur? qui Karoli virtutibus ab ineuntis ætatis principiis inuidens, eiúſque religioſum propoſitum longiùs propagari paueſcens, leuibus primò iaculis, quanquam frequentibus, laceſſiuit: deinde aduerſitatibus multis, quaſi duriſſimis arietibus ſtimulauit. fideles eius frequentiſſimè rebellare ſuaſit: in procinctu contra Nortmannos pro Eccleſię Dei liberatione pugnanti, & inimicos crucis Chriſti vſque ad vltimam deditionem conſtringere ſatagenti, ſenioris veſtri vtrimque animum ad inuaſionem relicti imperij ſuſcitauit: ipſos familiares, ipſum poſtremò filium, ad eius exſtinctionem hoſtiliter prouocauit. Et ne quandoque ad imperium, quod ei conſtat non humano collatum beneficio, licet per noſtræ mediocritatis miniſterium, ſed diuino, pertingere potuiſſet, tota fraudulentiæ ſuæ virtute prohibuit, tota conſilij ſui verſutia debellare contendit. Sed Deus omnipotens, cuius prouidentia permutabilium rerum principes mundi latitudo gubernatur & regitur, hunc flagellis erudiri voluit, deprimi penitus, ſicut vobis eſt cognitum, nunquam permiſit. Et afflictiones ſanctæ ſuæ Eccleſiæ per eum ſpecialiter, ſicut diuinitus reuelatum fuerat, & nunc veraciter credimus, tandem aliquando releuare contendens, hunc à deceſſoribus noſtris, reuerendæ ſcilicet memoriæ Nicolao & Adriano Pontificibus, diu quidem deſiderari voluit: tandem vſque ad hęc periculoſiſſima tempora, quibus à Belial filiis pene tota vallatur Italia, miſericorditer reſeruauit. Angelicis ductibus vias eius per inuia loca direxit, fruſtratis inſidiis ei compoſitus liberauit, paludes lubricas equitabiles reddidit, vada profundorum fluminum multis ſæculis incognita tranſmeabilia demonſtrauit. ei elementis contra naturam cedentibus diffidentium corda perterruit. non ſolùm ſine ſanguine, verùm etiam cum magnis honoribus, hinc inde gaudentibus populis, Italiam penetrare permiſit, & per Apoſtolicę ſedis priuilegium, cunctorum fauoribus approbatum ſceptris imperialibus ſublimauit. vt qui per tot annos, communibus peccatis merentibus, pro defectibus ſanctæ Dei Eccleſiæ diuerſis modis affligimur, per eius ſollicitudinis expertam prudentiam conſolemur, per quem Gallicanarum Eccleſiarum ſtatus, & totius religionis vigor illis in partibus plauſibiliter refloruiſſe cognoſcitur. Hæc itaque hoſtis humani generis futura proſpera præcauens, dilecti filij noſtri Hludouici glorioſi regis veſtri, ſi tamen filius dici meretur, qui Apoſtolicæ ſedis monitis per anteceſſores noſtros, pérque nos ipſos prolatis, ſemper inobedientiſſimus extitit, ſi glorioſus dici debet, cui contra Chriſticolas bella geri placuit nullos habitura triumphos, ſi rex dici poteſt, qui ſemetipſum regere noluit, quominus contra fratris abſentiam inglorius pugnauiſſet, animos incitauit, vt neque diuinum timorem præ oculis retinens, neque imminens ſibi iudicium prouectæ ſenectutis agnoſcens, neque ſanguinis affinitatem, fraternáque pacta perpendens, ſed neque Chriſtianæ religionis diſciplinam cuſtodiens, tam deceſſorum noſtrorum ſcripta, quàm recentia noſtra monita, contra morem religioſorum principum, & quod eſt mirabilius, contra conſuetudinem tyrannorum veterum, paruipendit, & indictum ſibi à nobis tempus cùm mediantibus nobis cum fratre iure paciſceretur, prætipiens, quantum in ſe fuit, per veſtram negligentiam ſiue condeſcenſionis audaciam, fratris abſentis regnum peruaſit, ac per hoc totius Eccleſiæ Dei pulcritudinem maculauit, pacem corrupit, religionem fugauit, & vt cum Terentio compendioſè dicamus, dum in alieno bonorum extortor & legum contortor apparuit, cunctis criminibus licentiam relaxauit. Nos etenim, quamuis illum, quem interim filiolitatis amore complectimur, oppidò reprehenſibilem non negemus; vos tamen multo reprehenſibiliores agnoſcimus, qui in illis partibus ſacerdotali magiſterio prædi-ti, & Apoſtolatus noſtri recentibus monitis inſtituti, dum ex officio veſtro reſti-

tiſſe

tiſſe liberè nunquã videmini, procul dubio conſenſiſſe probamini. & vos qui paſtores dicimini, gregem vobis creditum, quia non retraxiſtis, vtiq; ad præcipitium prouocaſtis. Et vbi eſt, quæſumus, quod vicemChriſti in Eccleſia fungimur, ſi pro Chriſto contra inſolentiam Principum non luctamur? præſertim cùm ſecundum
Epheſ.6.12. Apoſtolum non ſit nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinẽ, ſed aduerſus principes & poteſtates? Vbi eſt quod Epiſcopi dicimur, ſi de ſublimibus Eccleſiaſticæ diſcretionis ſpeculis gladium venientem non cernimus, cernentes vt deuitetur annuntiare diffugimus? Enimuerò ſacerdotes non ad gratiã, ſed ad pompam immeritò dici cognoſcimur, ſi quos docere debuimus ſequi contẽdimus, ſi quos corrigere debuimus, ſaltem verbis paſtoralibus non terremus. Hinc Dominus per Eſaiam propheram ſacerdotum taci-
Eſa. 56.10. turnitates increpat, dicẽs, *Canes muti, non valentes latrare.* Hinc per Ezechielem ſa-
Ezech.13.5. cerdotum negligẽtias arguit, dicens, *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* Ex aduerſo quippe aſcendere eſt, pro defenſione gregis libera voce huius mundi poteſtatibus contraire: & in die Domini in prælio ſtare, eſt prauis decertãtibus ex iuſtitiæ amore reſiſtere. Quod rurſum per eundem prophetam deterret
Ezech.3.18. inquiens, *Si non adnuntiaueris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem eius de manu tua requiram.* Quid ad hæc dicemus, fratres? Forſitan ideo vos excuſabiles creditis, quia regem non arguendum dicitis, ſed monendum. Ad hæc Apoſtolica tuba re-
Act.5.29. ſpondet, *Obedire oportet Deo magis quàm*
2.Tim.4.2. *hominibus.* & Paulus Timotheo, *Argue, obſecra, increpa, in omni patiẽtia & doctrina.*
1.Tim.6.17. Item Tito, *Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum ſuarum.* Aut perſecutionem quamlibet præcauiſtis. Sed à Domino
Matth.10.23 iuſſum eſt ita: *Cùm vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Aut mortem, quæ cunctis vltima pœna eſt, timuiſtis. Sed idem redemptor noſter in Euangelio
Matth.10.28 nos hortatus eſt dicens, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Verùm quia nihil horum, quia nec inferendum vobis ab aliquo fuerat, timuiſtis, reſtat proculdubio, quia non ſolùm ſecundùm prohibitionem ſedis Apoſtolicæ cõparticas veſtros ab inuaſione regni alterius ſacerdotaliter nõ vetuiſtis, immo cupiditati eorum veſtri fauoris conniuentiam ſociantes, quaſi puluillos ſub cubito eorum manuum conſuiſtis, & illud væ vobis propheticum maturaſtis, quo dicitur, *Væ his qui conſuunt pul-* Ezech.13.18. *uillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas.* Quaſi enim puluillo cubitus, vel ceruicalibus caput iacentis excipitur, dum correctionis duritia peccanti ſubtrahitur, eique mollities fauoris adhibetur, vt in errore molliter iaceat, quem nulla cõtradictionis aſperitas pulſat. Sed hæc rectores qui ſemetipſos diligunt, his proculdubio, iuxta quod beatus prædeceſſor noſter Gregorius meminit, exhibent, à quibus ſe minùs poſſe ſtudio gloriæ temporalis timent. Quid igitur, fratres, ſi tamen adhuc fratres dici meremini, qui ſedis Apoſtolicæ ſalubria monita contemnẽtes pro Chriſto legatione functi non eſtis, vobis agendum eſt, niſi vt tandem aliquando, cum ſancta ſede Apoſtolica ſentiẽtes, tam dilectum filium noſtrum Hludouicũ regem veſtrum, quem paternis affectibus adhuc complectendũ decernimus; quàm cunctos illius regni ſubditos, voce libera moneatis, & ab inuaſione ſiue oppreſſione imperij dilecti filij noſtri Karoli ſemper Auguſti penitus cõpeſcatis? nunquámque de reliquo, ſiue blandimentis, ſiue terroribus, conſenſum quemlibet fauorémve præſtetis ad funeſtum prælium conſerendum, & Chriſtianorum ſanguinem profundẽdum, ſi non vultis, amiſſis ſacerdotalibus infulis, ab Apoſtolica cõmunione præſentialiter ſequeſtrari, & perpetuis anathematis vinculis, quod nunquam cupimus, obligari? Nam cuiuſcumque ſit gradus, ordinis, ſublimitatis, ſiue profeſſionis, qui cum præſentibus legatis noſtris, Ioanne Siculenſi, itémque Ioanne Tuſcanenſi, venerabilibus Epiſcopis, quos vice noſtra illas in partes ad exãminanda ſimúlq; diffinienda canonicè ſiue legaliter, quæ hoc anno inter vtroſque emerſere negotia, conuenire in loco ab eis deſignato, eiſque ſatisfacere humiliter detrectauerit, auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorúmque Apoſtolorũ Petri & Pauli, noſtræque mediocritatis, veniam ſibi deinceps nouerit denegari. nec amodò communionis noſtræ, vt verbis ſanctiſſimi noſtri prædeceſſoris vtamur, futurùm eſſe conſortem, quiſquis eſſe noluerit diſciplinæ. Optamus ſanctitatem veſtram ſedis Apoſtolicæ monitis obſequẽtem ſemper in Chriſto bene valete. *Recitata in Synodo Pontigonenſi.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA IV.

Ad Comites in regno Ludouici regis Baioariæ conſtitutos.

Arguit eos, quòd Caroli regnum peruadere tentarint, monétque vt Ludouicum regem ab ea mente reuocent, & vt legatis, quos mittit, ſatisfacere non detrectent.

IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, omnibus glorioſis Comitibus in regno Hludouici regis Baioariæ conſtitutis.

[Ex Codice S. Remigij Remenſis.] MINISTERII noſtri eſt, vniuerſalis Eccleſiæ Dei ſollicitudinem, ſecundum beati Pauli Apoſtoli ſententiam, circumferre, & quid in qualibet mundi parte congruat, ſiue non congruat, cenſoria grauitate depromere: quatinus oues dominicæ, quæ vocem paſtoralis noſtræ ſollicitudinis cognoſcentes, paſtorum principem humiliter audiunt, in ouile dominicum recognitæ collocentur, & oues morbidæ, quæ peruicaciter negligunt, ab ouili dominico, ne ſanas vicini pecoris contagio lædant, quia nimirum multa corporibus tranſitione nocent, per Apoſtolicæ auctoritatis miniſterium repellantur. [Hier. 15. 19.] Scriptum quippe eſt, *Si ſeparaueris carum à vili, quaſi os meum eris.* & iterum: *Auferte malum de medio veſtri.* & Dominus in [Matth. 5. 30.] Euangelio præcipit, vt ſi oculus, pes, vel manus ſcãdalum nobis generat, abſcidatur atque proiiciatur. [Matth. 18. 17.] & illud poſt alia: *Si Eccleſiam non audierit, ſit ſicut ethnicus & publicanus.* [2. Theſſ. 3. 14.] Item Apoſtolus: *Si quis non obedierit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo.* Quibus teſtimoniis euidẽtiſſimè prouocamur, vt vos, quos contemptis Apoſtolicæ ſedis epiſtolis, regnum dilecti filij noſtri Karoli Chriſtianiſſimi Imperatoris, contra interdictum noſtrum, immo contra Dei omnipotentis timorem, peruadere, ſicut audiuimus, pacémque ſanctæ Dei Eccleſiæ corrumpere tentauiſtis, à corpore totius eiuſdem Eccleſiæ, quam per anteceſſores noſtros, pérque noſmetipſos, vos ſuis epiſtolis commonentem audire hactenus noluiſtis, ſequeſtrari præſẽrialiter debeatis. Sed quoniam ſanctæ ſedis Apoſtolicæ miſeratio vos interim filiorum dilectione complectitur, & diſſimulare peccata veſtra magis quàm punire velle cognoſcitur, has iterum caritati veſtræ ſanctæ Dei Eccleſiæ litteras deſtinamus, hortantéſque inſtamus, vt diuini iudicij memores, & fraterni fœderis recordantes, imminentémque veſtræ vocationis diem vltimum præcauentes, fraudem diabolicam, per quam mors introiuit in orbem terrarum, effugiatis: diſcordiam, quę nutrix eſt cunctorum criminum, quaſi venenum peſtiferum declinetis: ne ſimiles ei efficiamini, de quo Salomõ ait, *homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & in omni tempore iurgia ſeminat.* [Prou. 6. 12.] Pacem & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum, diligatis. quoniam ſicut pacifici ſunt à Domino non ſolùm beati, ſed etiam filij Dei vocari: ita Satanæ ſunt filij, qui pacem cõfundunt. Nam diſcordes tamdiu nullum boni operis Deo ſacrificium immolant, quamdiu à proximorum caritate diſcordant. Vnde per Matthæum præcipitur: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum.* [Matth. 5. 23.] In qua dominica præceptione penſandum eſt, quorum hoſtia reſpuitur, quàm intulerabilis culpa monſtratur. Cùm enim mala præterita bonis operibus diluantur, penſate debetis, ô prudentiſſimi Comites, quanta ſunt mala diſcordiæ, quæ niſi extincta fuerint, bonum ſacrificij ſubſequi non permittunt. Quis itaque, dilectiſſimi, vos ad tantæ diſcordiæ crimina, niſi antiquus humani generis aduerſarius, prouocauit? qui ex Angelo factus apoſtata bonæ meſſi ſemper zizania ſuperſeminare laborat. De cuius auiditate per Apoſtolũ dicitur: *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide.* [1. Pet. 5. 8.] Et certè fides ſine operibus mortua eſt. & B. Paulus, collatis multis virtutibus, caritatem, quæ multitudinem peccatorum

1.Cor.13. 8. operit, prætulit dicens: *Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur.* & infra: *Nunc autem manent fides, ſpes, caritas, tria hæc, maior autem his eſt caritas.* 1. Ioan. 4.16. Vnde beoe per Ioannem dicitur: *Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Conſtat ergo, quia qui in Deo non manet, in diabolo manet, cuius membra ſunt omnes, qui iurgia ſeminant, & Eccleſiaſticam diſciplinam recuſant, quibus veraciter dici- Ioan.8. 44. tur, *vos ex patre diabolo eſtis.* Qui videlicet Karoli virtutibus ab ineuntis ætatis principiis inuidens, eiúſque religioſum propoſitum longiùs propagari paueſcens, multis aduerſitatibus laceſſiuit: fideles eius frequentiſſimè rebellare ſuaſit, in bello contra Nortmannos pro Eccleſiæ Dei liberatione pugnanti, eóſque vſque ad vltimam deditionem compellere ſatagenti, ſenioris veſtri, parentum quoque, ſiue veſtrum animum ad inuaſionem relicti eius imperij, ſicut & modò feciſſe dinoſcitur, ſuſcitauit. Ipſos familiares, ipſum poſtremò filium, ad eius exterminium hoſtiliter prouocauit: & ne quando ad imperium, quod ei conſtat non humano collatum beneficio, licet per noſtræ mediocritatis miniſterium, ſed diuino, pertingere potuiſſet, tota fraudulentiæ ſuæ virtute prohibuit, tota conſilij ſui verſutia debellare certauit. Sed Deus omnipotens, cuius prouidentia per mutabilium rerum principes totius mundi latitudo gubernatur & regitur, hunc flagellis erudiri frequentibus voluit, deprimi penitus, ſicut à vobis crebrò probatum eſt, nunquam permiſit. vt ſcilicet futurus Imperator in regni poteſtate diſceret, quantum timere Dominum in proſperis, quantum in aduerſis Deo confidere debuiſſet. Et quidem reprehenſibilis eſſet, ſi metas ſui regni ingrediens fines alterius vſurpaſſet, ſi fideles alterius ſollicitans, ad periurium, ſicut vos feciſſe probamini, compuliſſet, ſi pacem regni, ſicut vos facitis, temeraſſet. Nunc verò, cùm diuinitus præſcitus & prædeſtinatus, non à ſemetipſo, ſed ab Eccleſiæ Dei filiis inuitatus aduenerit, ſine ſanguine, ſola ſua beneuolentia huius Italiæ fortiſſimos ſibi duces deuinxerit, Angelico munere vias ſuas per inuia loca directas inſpexerit, fruſtratis inſidiis ei compoſitis diuinitus liberatum ſe ſenſerit, paludes inuias ſibi peruias factas inuenerit, vada profundorum fluminũ, velut alter dux Iſraëliticus, exercitibus ſuis pene ſicca repererit, miramur & obſtupeſcimus, cur eum à Domino prælatum non intelligitis vos, qui ſenſibiles eſtis, quem elementa inſenſibilia ſenſiſſe videntur. Miramur & obſtupeſcimus, cur parricidalia contra eum arma ſuſtollitis, quem ab ipſa ſua infantia multis aduerſitatibus fatigatum vidiſtis, ſuperatum verò protegente Domino minimè cognouiſtis. Miramur, inquam, & obſtupeſcimus, cur eum, quem obedientiæ ſuæ merito vobis diuinitus prælatum cognoſcitis, non ſicut reuera imitabilem ſequimini, ſed ſicut deteſtabilem, quantum in vobis eſt, perſequi laboratis. Cùm ſi exemplo illius obedientiæ vos ſancta ſedes Apoſtolica ſibi aliquoties deuoriores cognoſceret, benedictionis ſuæ vos & in hoc ſæculo gratia debriaret, & in futuro ad hereditatem regni cæleſtis admitti ſuis continuis precibus impetraret. Sed quando ſanctæ ſedi Apoſtolicæ debitam vos obedientiam ſeruaturos putauimus, quos contra Dei omnipotentis ordinationem tam manifeſtis indiciis rebellare videmus? Neque enim contra Carolum eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum, cuius eſt regnum, & cui voluerit ipſe dat illud, qui etiam per Salomonem dicit: *Per me reges regnant.* item per doctorem Prou. 8. 15. gentium teſtatur dicens: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo.* & iterum: *Qui poteſtati reſiſtit,* Rom. 13. 1. 2. *Dei ordinationi reſiſtit.* Redite igitur præuaricatores ad cor, & quia mors non tardat, nolite differre de die in diem. Nolite ſocialia bella committere: nolite parricidales gladios in perniciem veſtri ſuſtollere. Nolite Fontanicum deteſtabile prælium reuocare. quia ſicut qui pro Eccleſiæ Dei defenſione moritur, ſuo ſanguine coronatur: ita qui contra Dei Eccleſiam pugnans, vt refuga Chriſtianitatis perimitur, proculdubio condemnatur. Nolite, cariſſimi, pro breuibus vitæ commodis æternæ remunerationis vobis ianuam claudere. Nolite pro rebus tranſitoriis æternorum bonorum commoda præterire. Quia iuxta beati Marci ſententiam, nihil Marc. 8. 36. prodeſt homini ſi lucretur totum mundum, animæ verò ſuę detrimentum patiatur. Huius rei gratia generalitatem veſtram, quam paterno affectu complecti volumus, his Apoſtolicæ auctoritatis litteris identidem hortamur ac obteſtamur, vt tandem aliquando nobiſcum pariter ſentientes, tam dilectum filium noſtrum Hludouicum glorioſum regem veſtrum, ſi tamen filius dici meretur, qui Apoſtolicæ ſedis monitis ſemper inobe-

dientiſſimus extitit, ſi glorioſus dici debet, qui adhuc in ſenectute decrepita Chriſtiani ſanguinis effuſionem deſiderat, ſi tex dici debet, qui neque vos, neque ſemetipſum tegere valuit, quominus abſentis fratris regni pacem corrumperet, quàm cunctos veſtri regni hamines, voce libera moneatis, & ab inuaſione ſiue oppreſſione imperij dilecti filij noſtri Caroli ſemper Auguſti funditus retrahatis: nunquàmque de reliquo, ſiue blandimentis, ſiue terroribus, aſſenſum quemlibet, fauorémve præſtetis ad funeſtum prælium inferendum, & Chriſtianorum ſanguinem, quod Dominus auerterit, effundendum. Nam cuiuſcumque ſit ſublimitatis, dignitatiſve perſona, quæ præſentibus Legatis noſtris, Ioanne Siculenſi, itémque Ioanne Tuſcanenſi, venerabilibus Epiſcopis, quos vice noſtra illas in partes, ad examinanda ſimúlque diffinienda canonicè, ſiue legaliter, quæ hoc anno inter vtroſque fratres emerſere negotia, conuenire in loco ab eis deſignato, eiſque ſatisfacere humiliter detrectauerit, auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorúmque Apoſtolorum principum Petri & Pauli, noſtræque mediocritatis, veniam ſibi deinceps nouerit denegari, nec amodò communionis noſtræ futurum fore conſortem, qui ſocius eſſe noluerit diſciplinæ. Optamus gloriam veſtram Apoſtolicis monitis obſequentem ſemper in Chriſto bene valere.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA V.

Ad Epiſcopos & Comites in regno Caroli conſtitutos.

Laudat illos, quòd in fide conſtantes erga Carolum perſtiterint: & de legatis, quos ad componenda diſſidia mittebat in Galliam.

Ex Codice S. Remigij Remenſis & Virdunenſi.

BENEDICTVS Deus & pater domini noſtri IESV Chriſti, qui veſtræ ſinceritatis fideique conſtantiam duriorem, vt ita dixerimus, adamante erga fidelitatem inuictiſſimi principis domni Karoli ſpiritalis filij noſtri, ſempérque Auguſti, hactenus non indebitè fecit perſiſtere, & quanti caloris in vobis caritas vigeat, dono gratiæ largitatis ſuæ clariùs demonſtrauit: quatenus notam faceret gentibus virtutem gloriæ ſuæ, & diuitias bonitatis ſuæ, ad profectum fidelium, & ad correctionem infidelium, omnibus reuelaret. Oſtendiſtis enim, cariſſimi, quantùm ſit erga pacis & concordiæ cultũ veſtræ beneuolẽtiæ benignus affectus, & impleſtis opere quod ipſe à vobis exigit Chriſtus, dicens in Euangelio: *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* & Apoſtolus ait, *Fides ſine operibus mortua eſt.* Matth. 7. 12. Iac. 2. 20. Vnde noſter Apoſtolatus immenſæ lætitiæ repletus tripudio, primùm quidem Deo omnipotenti ſufficientes ac laudes debitas, quia nihil ſine eo facere poſſumus, retulit, & vobis, qui ſtudioſè tanto Imperatori fidem immaculatam ſeruaſtis, multimodas gratiarum actiones agere, digniſque vos efferre laudibus non omittit. Siquidem, dilectiſſimi, ſatis vobis prudenter conſuluiſtis, quãdo aliis, quod flentes dicimus, vel ſponte, vel callidè ac fraudulenter deceptis, vos, ſicut diximus, fidei calore vtentes, & Deum præ oculis habentes, noluiſtis iniquorum vel tyrannorũ faſcibus onerari vel maculari. Quin potiùs teſtiſtiſtis, prauitatibus eorum non conſenſiſtis, & peccatis alienis minimè communicaſtis. Idcirco liberè dicere valebitis, Non adhæſit mihi cor prauum: quoniam nulla pars fidelis cum infideli, Chriſti ad Belial, iuſtitiæ ad iniquitatem, vel lucis ad tenebras. Ergo, quia ita eſt, ſtate in fide, & viriliter agite, ſeniorique veſtro domino Imperatori fidem ſpecialiter repromiſſam, ſicut cœpiſtis, inconuulſam ſeruate, & in melius confortati, eiuſdem honori ſeu profectui prouidere: ac ne pro temporalibus æterna, pro corporalibus ſpiritalia, pro terrenis cæleſtia gaudia amittatis ſummoperè decertate. Scientes quia adiuuante illo qui dicit, *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*, & poſſe vobis cælitus dabitur, & perſeuerantia rribuetur: opéque ſummæ diuinitatis veſtrum cor confortabitur, immo & ad omnes inimicorum inſidias reprimendas confortabit Dominus mentes veſtras in caritate & gratia, & tuebitur vos in ſæcula ſæculorum: vt iterum atque iterum benedicatur Dominus & pater Matth. 10. 22.

Domini noſtri IESV Chriſti, & à noſtro Pontificatu, immò ab vniuerſis Chriſti fidelibus, vobis innumeræ gratiæ referantur. Porro, ſi qui adhuc, quod minimè credimus, in aliquo læſi quicumque veſtrûm reperti fuerint, hortamur vt reſipiſcant, & dignam emendationem ſe corrigendo exhibeant. Nam cuiuſcumque ſit ſublimitatis, dignitatis, vel ordinis, qui cum præſentibus Legatis noſtris, Ioanne videlicet & Ioanne venerabilibus Epiſcopis, dilectis quoque familiaribus noſtris, quos vice noſtra illas in partes ad examinanda, ſimúlque diffinienda canonicè, ſiue legaliter, quæ hoc anno inter vtroſque fratres emerſere negotia, conuenire in loco ab eis deſignato, eiſque ſatiſfacere humiliter detrectauerit, auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorúmque Apoſtolorum principum Petri & Pauli, noſtræque mediocritatis, veniam ſibi deinceps nouerit denegari, nec amodò communionis noſtræ fururum fore conſortē, qui ſocius eſſe noluerit diſciplinæ. Optamus ſanctitatem vel gloriam veſtram in Chriſto bene valere. Data XIII. Kalendas Martias, Indictione IX. *Recitata in Synodo Pontigonenſi.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA VI.

Ad Epiſcopos, qui à Carolo deſciſcentes, Ludouico regi adhæſerant.

Increpat eorum infidelitatem, monétque vt reſipiſcant, ac legatos à ſede Apoſtolica miſſos benignè ſuſcipiant.

Ex Codice S. Remigij Remenſis.

RELATIONE vera didicimus, quòd dilecto ac ſpirituali filio noſtro Karolo glorioſiſſimo Imperatore Auguſto, ſeniore veſtro, ad limina ſanctorū Apoſtolorum Petri & Pauli principum veniente, ibique, vt Chriſtianiſſimum decet Eccleſiæ Chriſti patronū, vota ſua priſco iam tempore præoptata domino Deo humiliter exſoluēte, Auguſtaléq; diadema, ſibi diuinitus ſine dubio collatum, per humilitatis noſtræ miniſterium accipiente, fratri eius, Hludouico ſcilicet regi, ſi tamen rex iure dici debeat, qui mentis ſuæ motus in abruptum impietatis cadentes non rexit, in regnum ipſius collecta populi nefandi multitudine intranti, & paganorum more Eccleſiam Dei, populum videlicet pretioſo Chriſti cruore redemptum, in pace poſitum conturbanti, relictis veſtris conciuibus atque ſodalibus, qui Deo & ſeniori ſuo fideles proculdubio eſſe videntur, hęrere, atque cum eo aduerſus dominum, gētem, & populum veſtrum, ab ſtatu veſtræ fidelitatis, & promiſſione diuinorum ſacramentorum; contra ſacri miniſterij veſtri officium, & contra ſponſionis ac fidei veſtræ iuſiurādum, arma cum hoſtibus eleuare, pariterque nefanda & impia committere præſumpſiſtis. Heu prô dolor! quare tantæ iniquitatis ſcelus ſponte committere, quare tantæ infidelitatis malum mundo vniuerſo, ſicut Iudæ Scariothis, execrabile in exemplū oſtendere non dubitaſtis? Quæ gens hoc audiens vos non odiat? quod regnum vos exoſos fore non iudicet? quando etiam gentibus, quæ Deum verum vtique ignorant, tale committere nefas videtur incongruum. Quare pro terrenis lucris vel minis eos, quos ſocietate & vnanimitate veſtra defendere, ſaluaréque vt voſmet debuiſtis, appetere, & cum inimicis perſequi non contempſiſtis? cùm dicēte Domino, *maiorem caritatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis*, in quo ſcilicet vos eam, quæ per dilectionem operatur, caritatem, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, in qua totam legem & prophetas pendere ſcimus, nullatenus conſtet habuiſſe, quin potiùs Cain fratricidam diu mente geſſiſſe. Nonne lux mundi, & ſal terræ, Veritate adteſtante, vos eſtis, qui verbis pariter & exemplis, quaſi luminaria mundo lucere omnibus, atque inſulſas hominum mentes ſapientiæ cæleſtis ſale condire inſtantiſſimè debetis? Nonne vos poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam adquiſiuit ſanguine ſuo? Nonne magis veſtrum erat docere populum, non autem in tam peruerſis rebus aſſenſum præbere? Dolemus itaque de vobis, quaſi de membris corporis Chriſti, dicentes cum propheta: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, ſenſus cordis mei turbati ſunt.* & iterū: *Quis dabit capiti meo aquam,*

Ioan. 15. 13.

Hier. 4. 19.

Hier. 9. 1.

& oculis meis fontem lacrymarum, vt plangam populum iſtum die ac nocte? Quapropter monemus, hortamur, & ſaluti veſtræ volentes pro affectu conſulere magnopere ſuademus, vt reſipiſcentes, tantæ iniquitatis auctore ſceleſto relicto, ad Deo dilectum Imperatorē ſeniorem veſtrum Auguſtū toto animo fidelique voluntate reuerti, ac deinceps ei fideliores exiſtere omnibus modis procuretis. Nam veſtrum erat pacem adnuntiare his qui prope & his qui longè ſunt, dicente Domino: *Supra montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion. Clama ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam.* veſtrúmque erat adnuntiare populo ſceleta & peccata ſua, ne ſanguis eorum de manu veſtra à Domino requiratur, non vt dictum eſt ſequi. Et ideo contaminati eſtis ſecundum Prophetam dicentem, *Væ quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* & communicantes prauis eorum ſceleribus, infructuoſiſque operibus vos reprehenſibiles oſtendiſtis. Tamen quia ſcimus proculdubio latè patere viſcera pietatis Dei, reuertimini, & nolite de cetero iugum cum infidelibus ducere. Nolite amplius imitari eos, qui pacis ſanctæ fœdera violant, vnitatem diuidunt, & in agro dominico zizania ſuperſeminare ad propriam infelicitatem præſumunt. Reuertimini & ſectamini chariſmata meliora, nec iterum antiqui hoſtis verſutiis pateatis: ſed ſicut Dei miniſtri, Domini præcepta ſequentes, in omnibus cum iam dicto Imperatore cariſſimo filio noſtro perfectè ſtare ſatagite. Quia ſi cum præfato rege Hludouico, vel aliquo filiorum eius, ad ſcandalum & regni perturbationem manere, aut eis aliquod adiutorium modo quolibet præbere tentaueritis, & non potiùs ad eumdem dilectum filium noſtrum Cæſarem Auguſtum certiſſimè redieritis, atque cum eo aduerſus eius inimicos viribus totis fideliter non ſteteritis, ſcitote vos per auctoritatis noſtræ Legatos anathemati ſubmittendos. Præſentes autem Miſſos noſtros, Ioannem videlicet & Ioannem venerabiles Epiſcopos, dilectóſque familiares noſtros, benignè admittite, iniunctam ſibi legationem intelligenter audite, & efficaciter obaudite. vt in hoc quàm verè ſitis filij pacis, cunctis detur intelligi, & neminem poſſit latere mortalium. Pro Chriſto enim, qui eſt pax noſtra, legatione funguntur, cùm proculdubio à ſede Apoſtolica pro pace mittuntur. Optamus vos in Chriſto nunc & ſemper bene valere. *Recitata in Synodo Pontigonenſi.*

DECRETVM CLERI LAVDVNENSIS

De Hedenulfo electo Epiſcopo.

DOMINO REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO Hincmaro Archiepiſcopo, ceteríſque noſtræ Diœceſeos ſanctis patribus & Epiſcopis, clerus Laudunenſis, cum totius parœciæ plebibus, & ſibi coniunctis præſulibus, æternam in Domino IESV Chriſto ſalutem & pacem.

CANONICIS regulis & Apoſtolicis inſtitutionibus ſtatutum eſſe recolimus, vt quotiens quælibet ciuitas miniſterio pontificalis dignitatis caruerit, proprióque paſtore vacauerit, cum decreto electionis, ſingulorum petentium manibus roborato, Metropolitanum adire pontificem debeant, ac de ſubſtituendo in loco eius qui deceſſit paſtore petitione ſupplici commoneri: quatinus & ciuitas ſollicitudine paſtorali deſtituta proprio recuperetur pontifice, & qui ordinandus eſt, gratioſiùs poſſit accedere: quia cui debet ab omnibus obediri, vtique debet & ab omnibus eligi, ne ciuitas nôn optatum Epiſcopum aut contemnat aut oderit, & fiat minus religioſa quàm conuenit, cui non licuit habere quem voluit: hi verò qui ordinaturi ſunt, in quem viderint omnium vota propenſiùs concordare, protinus liberiúſque illi manus imponere poſſint. Quapropter cum decreto noſtræ electionis

manibus ſingulorum noſtrorum roborato, ad paternitatem veſtram accedentes, Hedenulfum Eccleſiæ noſtræ filium, & in Eccleſia noſtra ſuffragantibus ſtipendiorum meritis ad onus vſque ſacerdotale promotum, vita & moribus ac ſancta conuerſatione idoneum approbatum, quem per licentiam veſtram, fauente Chriſtianiſſimo Imperatore Carolo, pari conſenſu ac concordi deuotione, atque vnanima voluntate elegimus, per manus veſtras ac ceterorum veſtræ diœceſeos ſanctorum Epiſcoporum conſecrari, nobíſque & Eccleſiæ noſtræ doctorem atque Pontificem inſtitui imploramus, precamur, ac petimus. Eligimus autem eum nobis fore paſtorem, quem Apoſtolicæ formæ, qua Epiſcopum ornatum beatus Paulus eſſe debere demonſtrat, congruere, & ſacris non obuiare canonibus Chriſti gratia cooperante confidimus. Oramus ſanctam paternitatem veſtram nunc & ſemper in Chriſto bene valere. Actum v. Kalendas Apriles, in Baſilica S. Mariæ genetricis Dei & domini noſtri Iesv Chriſti, anno Incarnationis eiuſdem Domini noſtri Iesv Chriſti DCCCLXXVI. regni domni Karoli Imperatoris XXXVI. ac imperij primo, Indictione IX.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA VII.

Ad vniuerſos Gallos & Germanos.

De damnatione Formoſi Epiſcopi, Gregorij nomenclatoris, & aliorum, qui Romæ in Synodo fuerant excommunicati.

IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Sacerdotibus, cunctíſque Iudicibus, & vniuerſo populo, per omnes Gallias & Germanias conſtitutis.

Ex Codice Remenſi.

ZELO Chriſtianæ religionis Eccleſia Dei quæ penes nos eſt, inſtinctúque dilecti filij noſtri sereniſſimi Imperatoris, immo ſpiramine Spiritus ſancti commonita, pro diuerſis Eccleſiæ Dei referendis incommodis, contra Gregorium nomenculatorē, & Georgium generum eius, duo ſcilicet iniquitatis vaſa contra excelſi Dei religionem pugnantia, tam præterito menſe Februario præſentis nonæ Indictionis, per Petrum venerabilem Foroſemproniatem Epiſcopum penes præfatum ſpiritalem filium lacrymabilem ſuggeſtionem depoſuit; quàm noſtram quoque pontificalem ſuggeſtionem prid. Kal. Aprilis die contra eoſdem per ſemetipſam offerre curauit. Quapropter nos per Zachariam & Gaidericum venerabiles Epiſcopos, & Chriſtophorū ſedis Apoſtolicæ primicerium, eis ſuggeſtionum conteſtationem emiſimus, admonentes atque iubentes, vt ſi aliquid de conſcientiæ ſuæ puritate confiderent, ad condictum venire ſtuderent examen. At illi mollibus ſermonibus, & exquiſitis adinuentionibus, ſe quidem venturos, & ad voluntatem noſtram cuncta ſe emendaturos dixerunt: ſed de die in diem ſub obtentu ægritudinis tamdiu iudicij diem diſtulerunt, donec aut nos cum fidelibus Eccleſiæ Dei potuiſſent perimere, aut Sarracenos, quos iam per ſuos familiariſſimos æquè Sarracenos inuitauerant, in Romanam vrbem ad perditionem omnium intromittere valuiſſent. Cúmque nos contra vtramque fraudem iuuante Domino præparatos vidiſſent, & imminere ſibi iudicij ſtatutum diem cognoſcerent, decepti ſe cum quibuſdam ſuis complicibus, videlicet Formoſo Epiſcopo, Stephano ſecundicerio, & Sergio magiſtro militum, & Conſtantino nomenculatoris filio, quos non noſtræ conuentionis iudicium, ſed reatus propriæ conſcientiæ ſtimulabat, contra ſalutem Reip. & regni dilecti filij noſtri Karoli sereniſſimi principis, cui ſemper infideles fuerunt, & cuius prouectioni ſemper detraxerunt, conſpirantes, neſci-

mus quò profecturi, noctis ſilentio cum adulteris clauibus portas Vrbis, quę vocatur S. Pancratij, aperuerunt, & cum ſuis complicibus, cúmque omnibus theſauris ſanctæ Dei Eccleſiæ, Sarracenis vndique populantibus, diffugerunt: portáſque patentes relinquentes, multis margaritis fugiendi, & Sarracenis ingrediendi aditum, niſi nos diuina cuſtodia tueretur, proculdubio reliquerunt. Itaque obſtupeſcentes in talibus, Dominicum & Grimoldum venerabiles Epiſcopos ad euocandum eos direximus. Qui reuertentes nuntiauerunt ſibi à ſatellitibus ſuis fuiſſe reſponſum, neſcire ſe quonam profecti fuiſſent. Iudicio ſanè in diem alterum protelato, cùm eos iterum ſynodicè ſimúlque & legaliter quæreremus, & habere minimè valeremus, cum omni Dei Eccleſia in Baſilica ſanctæ Dei genitricis, quæ ad Martyres vocatur, Synodũ vocauimus. & poſt regulares allocutiones, ſententias in eos protulimus, quarum exempla ſecundum Eccleſiaſticum morẽ generalitati veſtræ direximus, ne vobis communicandi cum eis occaſionis aditus tribuatur. Quæ ſcilicet ſententia ita ſe habet. Formoſum Portuenſem Epiſcopum, qui à beatę memoriæ domno prædeceſſore noſtro Papa Nicolao in Bulgarum patriam deſtinatus, nouiter in Chriſto regenerati regis animos adeo ſuis calliditatibus vitiauit, vt terribilibus ſacramentis eum ſibi obſtrinxiſſe teſtatus ſit, ne ſe viuo quemlibet Epiſcopũ à ſede Apoſtolica ſuſcepiſſet, ſéq; eidem terribilibus nihilominus iuramentis, vt ad eum quãtocius reuerti debuiſſet, obſtrictum fuiſſe profeſſus ſit, quique à nobis proficiſcẽdi illuc licentiam, litteras, & neceſſaria adiutoria impetrauit: quoniam iam dudum per ambitionẽ à minori Eccleſia in maiorem, videlicet ſanctam ſedem Apoſtolicam, proſilire conatus, plurimos ſibi cõſolarores effecit, & nunc per repertam hypocriſim retrorſum tediẽs, ſine licentia vel conſcientia noſtra, propriã parœciam deſeruit, Vrbe diſceſſit, & contra ſalutem reip. dilectique filij noſtri Caroli à nobis electi & ordinati principis, cum ſuis fautoribus conſpirauit: niſi amodò intra diem decimum, id eſt III. Kal. Maij præſentis nonæ Indictionis, præſentiam ſuam nobis ſatisfaciẽdo monſtrauerit, auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorúmque Apoſtolorum principum Petri & Pauli, omni Eccleſiaſtica cõmunione priuatum eſſe decernimus. Decernitis & vos ita? Reſponderunt omnes, Decernimus.

& niſi poſt diem decimum quintum, id eſt IV. Nonas Maij præſentis IX. Indictionis, reſipiſcens ſatisfacturus nobis occurrerit, auctoritate & iudicio ſancti Spiritus, qui ſemper effugiet fictum, omni ſacerdotali miniſterio penitus denudatum fore iudicamus. Iudicatis & vos ita? Reſponderunt omnes, Iudicamus. Qui ſi nec huius dilationis miſeratione commotus, humiliter ſe poſt diem XX. id eſt VII. Idus eiuſdem Maij menſis, præſentiæ noſtrę reddiderit, vel ſi viris potentibus ſociatus ſeditiones vel factiones concitauerit, vel ſi in Eccleſia Dei in aliquo conturbare præſumpſerit, ſi contra hanc communem omnium noſtrûm ſentẽtiam agere vel reſultare tentauerit, anathema ſit à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, nunquámque in vlla Synodo recuperationis ſpem, aut ſatiſfactionis aditum ſibi nouerit reſeruatũ. GREGORIVM nomenculatorem, Theophylacti quondã nomenculatoris filium, qui iuſiurandum fidei ſuæ diuerſo modo corrumpens, puritatem ſanctę Dei Eccleſiæ ſuis fraudulentiis, auaritiis, rapinis, cupiditatibus, ſimúlque calliditatibus, per octo ferme annorum curricula maculans, ſummum Romanæ vrbis pontificiũ, coniurantibus ſibi dudum ſuis complicibus, factioſè præripere affectauit; & de multis palàm recitatis capitulis, tã primò penes dilectum filium noſtrum Karolum ſereniſſimum Imp. quàm poſtea penes nos ad generalitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ, per nonnulla ſuggeſtionum capitula noxius diffamatur, & pro eiſdem criminibus à nobis per Zachariam & Gaudericum venerabiles Epiſcopos, & Chriſtophorum primiceriũ ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, cum fratre & genero, ſuiſque complicibus, iuridicè conteſtatus, examini ſe præſentandum fore, & cuncta, quę Eccleſiis, vel piis locis, aliiſque hominibus abſtulerat, ſub iuriſiurandi interpoſitione reſtituturum promiſit: deinde conuentum noſtrum de die in diem fraudulenter, víſquequo nos vel fideles huius Eccleſiæ interimere, vel hoſtes Chriſtiani nominis, id eſt Sarracenos, quos per ſuos familiariſſimos Sarracenos iam inuitauerat, intra Romanam vrbem introducere potuiſſet, eluſit: & præfinitum diem, quo canonicè ſiue legaliter audiri debuiſſet, fraudulenter præripiens, cum Georgio & Sergio magiſtris militum, necnon & Stephano ſecundicerio, aliiſque ſuis complicibus, nocturno ſilentio portas huius ſacræ vrbis, Sarracenis circumquaque imminentibus, cum

clauibus

clauibus adulterinis aperuit, ſéq. contra ſalutem reip. ſimúlque quietem imperij præfati filij noſtri ſereniſſimi Auguſti, contra leges conſpirando, fraudulenter proripuit, & cum omnibus pene theſauris Eccleſiæ Romanæ, dubiũ quò profecturus exceſſit. Simúlq; Stephanum ſecundicerium, qui diuerſas Eccleſias ſpolians per auaritiam, turpiſq. lucri compendia, tributa vetera multiplicauit, & in omnib. peruerſitatibus ſuperiùs nominatis fratri complex & cõſentaneus extitit. Necnon & Georgium Gregorij primicerij filium, qui germani proprij concubinam ſubripiens, eum veneno necauit: deinde poſt execrabiles Chriſtianis inceſtus, viuente nepte ſanctiſſimæ recordationis Benedicti Papæ, cuius opibus de paupertate ſurrexerat, præfati nomençulatoris Gregorij filiæ ſe fornicario more commiſcuit. propter quam pene publicè iam dictam legitimam vxorẽ peremit. De cuius homicidio, à principibus adulterinos Miſſos eruens, adiudicante cõſcio ſocero nefandus gener impunitus exiliit. Quique poſt diuerſa homicidia, deprædationis & & malignitatis genera, tam patriarchium, quàm veſtiarium ſedis Apoſtolicæ ſibi commiſſum, non tantùm auro, argẽto, vel palliis, verùm etiam æreis ſignis, vaſiſque priuauit: & in omnibus impietatibus ſocerum ſequens, immò præueniẽs, Satracenis vndique ſæuientibus, portas vrbis cum eo fraudulenter aperuit, & cum ſibi conſpirantibus contra ſalutem reip. demigrauit. Simúlque Sergium magiſtrum militum, Theodori magiſtri militum filium, qui reuerendæ memoriæ domno Nicolao, cuius neptem in coniugium ſuſcipiens, ita ingratus ac inhumanus extiterat, vt viuente eo, & in extremis poſito, eidem theſauros ſuos ad eleemoſynas faciendum cum præfatis ſuis complicibus abnegaſſet. Quique eadem ſua coniuge, propter quam de maxima paupertate conualuerat, derelicta, cum Valuiſindula concubina, præſtito iureiurando vt eam nuptialiter ſumeret, nuper effugit, & in omnibus iniquitatibus cum nominatis ſuis complicibus conſpirauit. Sed & Conſtantinã præfati Gregorij nomenculatoris filiam, quæ primò per conſenſum patris, ſub conditione iuriſiurandi, legaliter Ceſſario Pipini potentiſſimi veſtatarii filio copulata, dein conſumptis omnibus ſoceri ſui diuitiis viuentẽ & valentem ſponſum ſuum ſine vlla legali diſquiſitione deſeruit, & ad Gratiani Gregorii magiſtri militũ filii nuptias publicè conuolauit: poſtremùm cum alio fugere geſtiens inceſtum commiſit, ex quo prægnans inuenta prædictum Gratianũ Gregorii filium maritũ ſuum relinquens, cum rapacibus, periuris, ſacrilegis, mœchis, fornicatoribus turpiter fornicatura diſceſſit. Niſi intra diem decimum, id eſt III. Kal. Maii pręſentis nonę Indictionis, pręſentiã ſuam nobis præfati, videlicet Gregorius, Stephanus, Georgius, & Sergius, ſimúlq; Conſtãtina, congruè ſatisfacientes exhibuerint, auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorúmque Apoſtolorum principũ Petri & Pauli, omni Chriſtiana communione priuatos, cum omnibus cõmunicatoribus & fautoribus ſuis permanere decernimus. Et niſi poſt diem quintum decimum, id eſt IV. Nonas Maii iam dictę præſentis Indictionis, ſimpliciter & humiliter nobis, immo Eccleſiæ Dei, ſæpedicti ſcilicet Gregorius, Stephanus, Georgius, Sergius, & Conſtantina, purificaturi occurrerint, eos auctoritate & iudicio S. Spiritus, cum cunctis ſibi communicantibus, perpetuo anathemate condemnamus. Hi verò qui ab omni ſe ſocietate remouentes ad vnitatem ſanctæ Apoſtolicę ſedis redierint, communionis & benedictionis noſtræ gratiam ſibi reddendam eſſe confidant. His itaq; auctoritate ſancti Spiritus promulgatis, omniũ veſtrûm generalitatem his Apoſtolicis literis exhortamur, vt has literas per omnes diœceſes veſtras publicè relegẽtes, & ad vicinas parœcias dirigentes, præfatorum depoſitorum, excommunicatorum, & anathematizatorum conſortia, quaſi venenum peſtiferum declinetis; neque cum eis communicantibus in cibo, potu, ſiue colloquio communicetis. ſcientes eum qui eis, ſiue communicantibus eis, ſe in oratione cibo, potu, colloquióq; miſcuerit, eadem excõmunicationis & anathematis cenſura iuxta canonicum capitulũ modis omnibus obligatum, numquámque à nobis ſine digna ſatisfactionis pœnitentia ſibi fore cõmunicandum. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data XI. Kalend. Mai. *Recitata in Synodo Pontigonenſi.*

CONCILIVM PONTIGONENSE.

IN QVO SYNODI QVOQVE TICINENSIS acta confirmata ſunt, ab Epiſcopis Ciſalpinis, præſente Carolo Caluo Imp. & legatis ſedis Apoſtolicę, celebratum menſe Iunio ac Iulio, Indictione IX. anno Chriſti DCCCLXXVI. Ioannis VIII. Papæ anno IV. Caroli eiuſdem regni anno XXXVII. Imperij primo.

INDEX EORVM QVAE AD CONCILIVM Pontigonenſe pertinent.

1. Synopſis Actorum Concilij Pontigonenſis, ex Aimoino.
2. Synodus Ticinenſis in Concilio Pontigonenſi confirmata.
3. Canones, ſeu Capitula XV. apud Ticinum edita, & apud Pontigonem iterum promulgata.
4. Actorum Concilij Pontigonenſis editio altera, ex antiquis codicibus.
5. Libellus proclamationis Eccleſiæ Remenſis oblatus Synodo aduerſus Ludouicum regem Baioariæ.
6. Definitio Synodi Pontigonenſis de Adalgaudo presbytero infamato.
7. Conſenſus Leonis Epiſcopi, Miſſi & apocriſiarij ſedis Apoſtolicæ, cùm poſt Synodum diſceſſurus eſſet.
8. Iuramentum, quod Hincmarus Archiepiſcopus edere iuſſus eſt apud Pontigonem.

I.

ACTA CONCILII PONTIGONENSIS vt ab Aimoino recitantur lib. V. cap. XXXIII.

SESSIO I. VNDECIMO Kal. Iulij, Indictione IX. Epiſcopis & ceteris quibuſque clericis veſtibus Eccleſiaſticis indutis, & domo ac ſedilibus palliis protenſis, atque in gremio Synodi & proſpectu imperialis ſedis lectorio ſuperpoſitis ſacroſanctis Euangeliis, venit domnus Imp. Carolus in veſtitu deaurato habitu Franciſco cum legatis Apoſtolicæ ſedis in Synodum, & cantoribus antiphonam Exaudi nos Domine cum verſibus & Gloria Patri cantantibus, poſt Kyrie eleiſon data oratione à Ioanne Tuſcanenſi Epiſcopo, reſedit domnus Imp. in Synodo, & legit Ioannes Tuſcanenſis Epiſcopus epiſtolas à domno Apoſtolico miſſas, cum quibus & legit epiſtolam de primatu Anſegiſi Senenſis Epiſcopi, vt quoties vtilitas Eccleſiaſtica dictauerit, ſiue in euocanda Synodo, ſiue in aliis negotiis exercendis, per Gallias & Germanias Apoſtolica vice fruatur, & decreta ſedis Apoſtolicæ per ipſum Epiſcopis manife-

ſta efficiantur: & rurſus quæ geſta fuerint eius relatione, ſi neceſſe fuerit, Apoſtolicæ ſedi pandantur. & maiora negotia ac difficiliora quæque ſuggeſtione ipſius à ſede Apoſtolica diſponenda & enucleanda quærantur. Petentibus autem Epiſcopis, vt eis permitteretur ipſam legere epiſtolam quibus erat directa, non adquieuit Imperator; ſed reſponſum quæſiuit ab eis, quid de his iuſſis Apoſtolicis reſponderent. Quorum reſponſio talis fuit, vt ſeruato ſingulis Metropolitanis iure priuilegij, ſecundum ſacros canones, & iuxta decreta ſedis Romanæ Pontificum ex eiſdem ſacris canonibus promulgata, domni Ioannis Papæ Apoſtolicis iuſſionibus obedirent. Et cùm Imperator & Legati Apoſtolici ſatagerent, vt abſolutè Archiepiſcopi reſponderent ſe obedituros de primatu Anſegiſi, ſicut Apoſtolicus ſcripſit, aliud niſi quod prædictum eſt reſponſum ab eis extorquere non potuerunt: excepto quòd Frotarius Burdegalenſis Epiſcopus, quoniam à Burdegala ad Pictauos, indéque ad Bituricum fauore principis contra regulas ſe contulit, per adulationẽ reſpondit quod Imperatori placere cognouit. Tunc motus Imperator dixit, quòd domnus Apoſtolicus ei ſuas vices commiſit in Synodo, & quod iſdem præcepit, ille exequi ſtuſterer. Et accepit ipſam epiſtolam inuolutam, vnà cum Ioanne Tuſcanenſi & Ioanne Aretino, & dedit illam Anſegiſo. Et iuſſit ſellam plectilem poni ante omnes Epiſcopos Ciſalpini regni ſui, iuxta Ioannem Tuſcanenſem, qui ad dextram illius ſedebat. Et præcepit Anſegiſo, vt ſupergrederetur omnes antè ſe ordinatos, & ſederet in eadem ſella, Remorum Archiepiſcopo reclamante, audientibus omnibus, hoc factum ſacris regulis obuiare. Imperator tamen in ſententia ſua permanſit: & petentibus Epiſcopis, vt liceret eis ſaltem exemplar ſibi de epiſtolâ directa ſumere, nec hoc vllo modo impetrauere. Et ſic ſoluta eſt Synodus in die illa.

II. Decimo Kalendas præfati menſis iterum conuenerunt Epiſcopi. In quo conuentu lectæ ſunt epiſtolæ à domno Apoſtolico laicis miſſæ: & lecta eſt electio domni Imperatoris ab Epiſcopis & ceteris Italici regni firmata. Sed & Capitula quæ in palatio Ticinenſi conſtituit, & ab omnibus confirmari fecit, quæ & Epiſcopis Ciſalpinis confirmare præcepit, & ſic ſoluta eſt Synodus in illa die.

III. Qvinto Nonas Iulij conuenerunt iterum Epiſcopi ſine Imperatore: & habitæ ſunt contentiones de preſbyteris ex diuerſis parrochiis clamantibus ad legatos Apoſtolici. & ſic ſoluta eſt Synodus in hac die.

IV. Qvarto Nonas eiuſdem menſis iterum conuenerunt Epiſcopi. & Imperator in Synodo reſidens audiuit oratores fratris ſui Ludouici regis, Vvillebertum Archiepiſcopum Coloniæ, & Adalardum ac Menigardum Comites, per quos petiit partem de regno Ludouici Imperatoris, [illegible] Lotharij fratris eorum, ſicut ei competeret ex hereditate, & illi firmarum erat ſacramento. Et legit Ioannes Tuſcanenſis epiſtolam à Ioanne Papa Epiſcopis regni Ludouici directam, & dedit exemplar Vvilleberto Archiepiſcopo, vt deferret illud præfatis Epiſcopis, & ſic ſoluta eſt præfata Synodus in illa die.

V. Sexto Idus Iulij conuenerunt Epiſcopi. & circa horam nonam venerunt Legati domni Apoſtolici, Leo Epiſcopus & apocriſiarius ac nepos Apoſtolici, atque Petrus Foriſimpronij Epiſcopus, deferentes epiſto-

las Imperatori & Imperatrici, & ſalutationes Apoſtolici ad Epiſcopos. & ſic ſoluta eſt Synodus in illa die.

VI. Qvinto Idus Iulij conuenientibus Epiſcopis, lecta eſt epiſtola Apoſtolici de damnatione Formoſi Epiſcopi, Gregorij nomenclatoris, & conſentientium eis. Et præſentata ſunt Imperatori ab Apoſtolico miſſa dona: inter quæ fuerunt præcipua, ſceptrum & baculus aureus. Sed & Imperatrici dona ſunt ab eo miſſa, pallia, & armillæ cum gemmis. & ſic ſoluta eſt Synodus in illa die.

VII. Pridie Idus Iulij conuenerunt Epiſcopi, & miſit Imperator vicarios Apoſtolici increpare duriùs Archiepiſcopos & Epiſcopos, qui pridie non venerant, ſicut præcepit. Illis autem canonicè rationabilem reddentibus rationem, ſopita eſt increpatio. Et lecta eſt à Ioanne Tuſcanenſi iterum epiſtola, iubente Imperatore, pro primatu Anſegiſi, & quæſita eſt ab Epiſcopis denuo inde reſponſio. Et reſpondentibus ſingulis Archiepiſcopis, quòd veluti ſui anteceſſores illius anteceſſoribus regulariter obedierunt, ita eius decretis vellent obedire, tunc faciliùs eſt illorum admiſſa reſpõſio, quàm fuerat in Imperatoris præſentia. Et ſic iterum, poſt multas contentiones de preſbyteris diuerſarum parrochiarum reclamantibus ad legatos Apoſtolici, lecta eſt proclamatio Frotarij Burdegalenſis Archiepiſcopi, quia non poterat conſiſtere propter infeſtationem paganorum in ciuitate ſua, vt liceret ei Bituricenſem Metropolim occupare. Cuius petitionibns vnanimitas Epiſcoporum nullatenus adquieuit.

VIII. Et iubentibus legatis Apoſtolici, vt xvii. Kalendas Auguſti conuenirent Epiſcopi, mane circa horam nonam venit Imperator Græcanico more paratus & coronatus, deducentibus eum Apoſtolicæ ſedis legatis more Romano veſtitis, ad Epiſcopos Eccleſiaſticis veſtimentis indutos, & ceteris ſecundum modum primæ horæ diei, quando inchoata eſt Synodus, præparatis. & vt priùs cantata antiphona, Exaudi nos Domine, cum verſibus & Gloria, poſt Kyrie eleiſon data oratione à Leone Epiſcopo, reſederunt omnes: & legit Ioannes Aretinus quandam ſcedulam ratione & auctoritate carentem. Poſt quam legit Odo Belgiuacorum Epiſcopus quædam capitula, à legatis Apoſtolici, & ab Anſegiſo, & eodem Odone ſine conſcientia Synodi dictata, inter ſe diſſona, & nullam vtilitatem habentia; verùm & ratione & auctoritate carentia. Et ideo hic non habentur ſubiuncta. Iterum mota eſt interrogatio de primatu Anſegiſi, & poſt multas ab Imperatore & legatis Apoſtolici contra Epiſcopos querimonias habitas, tantum in nouiſſimo quantum & in principio Synodi exinde Anſegiſus obtinuit. Poſthæc perrexit Petrus Epiſcopus Foriſimpronij, & Ioannes Tuſcanenſis ad cubiculum Imperatoris: & adduxerunt Imperatricem Richildem coronatam in Synodum. Et ſtante illa iuxta Imperatorem ſurrexerunt omnes, & ſtantes quique in gradu ſuo inceperunt laudes Leo Epiſcopus & Ioannes Tuſcanenſis Epiſcopus. Et poſt laudes actas in domnum Apoſtolicum & domnum Imperatorem & Imperatricem & ceteros, iuxta morem, data oratione à Leone Gabinenſi Epiſcopo, ſoluta eſt Synodus.

II.

SYNODVS APVD TICINVM ACTA PALATIVM anno Incarnationis dominicæ DCCCLXXVI. Indictione IX. menſe Februario, confirmata in Synodo apud Pontigonem eodem anno & Indictione, menſe Iunio.

ELECTIO KAROLI IMPERATORIS AB ITALICI regni Epiſcopis & ceteris optimatibus confirmata.

GLORIOSISSIMO & à Deo coronato magno & pacifico Imperatori, domno noſtro Karolo perpetuo Auguſto, nos quidem omnes Epiſcopi, Abbates, Comites, ac reliqui, qui nobiſcum conuenerunt, Italici regni optimates, quorum nomina generaliter ſubter habentur inſerta, perpetuam optamus proſperitatem & pacem. IAM quia diuina pietas vos, beatorum principum Apoſtolorum Petri & Pauli interuentione, per Vicarium ipſorum, domnum videlicet Ioannem ſummum Pontificem & vniuerſalem Papam ſpiritalémq; patrem veſtrum, ad profectum ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorúmque omnium inuitauit, & ad Imperiale culmen ſancti Spiritus iudicio prouexit: Nos vnanimiter vos protectorem, dominum, ac defenſorem omnium noſtrûm eligimus. Cui & gaudentes toto cordis affectu ſubdi gaudemus, & omnia, quæ ad profectum totius ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorúmque omnium ſalutem decernitis & ſancitis, totis viribus, annuente Chriſto, concordi mente & prompta voluntate obſeruare promittimus.

Et ſubſcripſerunt illi qui in Italia adfuerunt.

Anſpertus ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Ioannes ſanctæ Aretinæ Eccleſiæ humilis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ioannes Epiſcopus ſanctæ Ticinenſis Eccleſiæ ſubſcripſi.
Benedictus Cremonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Teudulfus Dertonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Adalgaudus Vercellenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Azo Eporedienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Gerardus exiguus in exigua Laudenſi Eccleſia Epiſcopus ſubſcripſi.
Hilduinus Aſtenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ratbornus ſedis Auguſtanæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Leodoinus Mutinenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Hildradus Albenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Bodo humilis ſanctæ Aquenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Sabbatinus Ienuenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Eilbertus Comenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Adelardus ſeruus ſeruorum Dei Veronenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Paulus ſanctæ Eccleſiæ Placentiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Andreas ſanctæ Florentinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Raginerius Abbas ſubſcripſi.

Iii iij

Signum Boſonis inclyti Ducis, & ſacri palatij Archiminiſtri, atque Imperialis Miſſi.

Signum Richardi Comitis.
Signum Vvalfridi Comitis.
Signum Liutfridi Comitis.
Signum Alberici Comitis.
Signum Supponis Comitis.
Signum Hardingi Comitis.
Signum Bodradi Comitis palatij.
Signum Cuniberti Comitis.
Signum Bernardi Comitis.
Signum Aitboldi Comitis.

Acta ſunt hæc in palatio Ticinenſi anno Domini DCCCLXXVI. *regni domni Imperatoris Karoli, Hludouuici Aug. piæ memoriæ filij, in Francia* XXXVI. *Imperij primo, Indictione* IX.

CONFIRMATIO CISALPINORVM apud Pontigonem.

SICVT domnus Ioannes Apoſtolicus & vniuerſalis Papa primò Romæ elegit, atque ſacra vnctione conſtituit, omnéſque Italici regni Epiſcopi, Abbates, Comites, & reliqui omnes, qui cum illis conuenerunt, domnum noſtrum glorioſum Imperatorem Karolum Auguſtum vnanimi deuotione elegerunt ſibi protectorem ac defenſorem eſſe: ita & nos, qui de Francia, Burgundia, Aquitania, Septimania, Neuſtria, ac Prouincia, pridie Kalendas Iulij, in loco qui dicitur Pontigonis, anno XXXVII. in Francia, ac Imperij primo, iuſſu eiuſdem domni & glorioſi Auguſti conuenimus, pari conſenſu ac concordi deuotione eligimus & confirmamus.

III.

INCIPIVNT CAPITVLA, QVÆ DOMNVS KAROLVS Ludouici Aug. piæ memoriæ filius, vnà cum conſenſu & ſuggeſtione venerabilium Epiſcoporum, & illuſtrium optimatum, reliquorúmque fidelium ſuorum, ad honorem ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ad pacem & profectum totius imperij ſui, fecit anno Incarnationis D. N. IESV Chriſti DCCCLXXVI. regni verò ſui in Francia XXXVI. imperij autem ſui I. Indictione IX. menſe Februario, in palatio Ticinenſi.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *Vt Romana Eccleſia ab omnibus honoretur.*
2. *Vt Ioanni Papæ honor obedientiáque ab omnibus exhibeatur.*
3. *Vt res Eccleſiæ Romanæ proprias nemo diripiat.*
4. *Vt Eccleſiaſticis honor & reuerentia præſtetur.*
5. *Vt Imperatori honor ab omnibus obſeruetur.*
6. *Vt Epiſcopi miniſterium ſuum ſine cuiuſquam impedimento & moleſtia peragant.*
7. *Vt Epiſcopi per ſe & presbyteros prædicationi inſiſtant: & fideles diebus feſtis ad publicas ſtationes occurrant, domíque ſua nullas Miſſas celebret ſine licētia Epiſcopi.*
8. *Vt Epiſcopi cum clero ſuo in clauſtris reſideant: presbyteros verò ab Eccleſiis ſuis abeſſe, aut ab eorum poteſtate diſſilire non permittant.*
9. *Vt ſacerdotes à familiaritate feminarum, itémque à venatione, armis militaribus, & habitu non decenti abſtineant.*
10. *Vt res Eccleſiaſticas nemo inuadat, & quæ cum detrimento Eccleſiæ à rectoribus diſtractæ ſunt, repetantur.*
11. *Vt decimæ abſque fraude offerantur, & à presbyteris Epiſcopi arbitrio diſpenſentur: & de baptiſmalibus Eccleſiis per earum filios reſtaurandis.*
12. *Vt Epiſcopi Comites & vaſſos regios diligant vt filios, & hi Epiſcopos honorent*

vt patres. & vt Epiſcopi in ſuis Epiſcopiis Miſſorũ dominicorũ poteſtate fungantur.

13. Vt Epiſcopi & Comites in pauperum domibus niſi rogati non diuerſentur: & vt prædas ac deuaſtationes inhibeant.

14. Vt defuncti Epiſcopi facultates nullus inuadat: ſed ſucceſſori reſeruentur, vel pro illius anima erogentur.

15. Vt infideles regi nemo celet, nec vllam eis ſuſtentationem præbeat.

CANONES.

I. *Vt Romana Eccleſia ab omnibus honoretur.*

Vt ſancta Romana Eccleſia ſicut eſt caput omnium Eccleſiarum, ita ab omnibus honoretur & veneretur. neque quiſquam contra ius & poteſtatem ipſius aliquid iniuſtè agere præſumat. ſed liceat ei debitum tenere vigorem, & pro vniuerſali Eccleſia paſtoralem exhibere curam, atque ſacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.

II. *Vt Ioanni Papæ honor, obedientiáque ab omnibus exhibeatur.*

Vt honor domno & ſpiritali patri noſtro Ioanni ſummo Pontifici & venerabili vniuerſali Papæ ab omnibus conſeruetur: & quæ ſecundum ſacrum miniſterium ſuum auctoritate Apoſtolica decreuerit, cum ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conſeruetur.

III. *Vt res Eccleſiæ Romanæ proprias nemo diripiat.*

Et licet in omnibus id obſeruare velimus, præcipuè tamen ſancimus, vt in termino beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum principum, nemo in eundo & redeundo, vel ibi morando, aliquam vaſtationem & deprædationem facere præſumat: & quæ ipſius ſanctæ Dei Eccleſiæ propria ſunt, nemo aliqua iniqua machinatione, ſine voluntate ipſius ſacri Pontificis, ſibi vindicare præſumat. Quod ſi quiſquam fecerit, reſtitutis malè præſumptis, immunitatem ipſius Eccleſiæ perſoluat, & bannum noſtrum tripliciter componat.

IV. *Vt Eccleſiaſticis honor & reuerentia præſtetur.*

Vt Eccleſiaſticus honor, & ſacerdotalis atque clericalis reuerentia, debita competentíque ſinceritatis religione ab omnibus amplectatur, & in omnibus cuſtodiatur, ſicut aui & genitoris noſtri monent edicta.

V. *Vt Imperatori honor ab omnibus obſeruetur.*

Vt Imperialis honor ab omnibus fideliter obſeruetur, & quæ ab eo, ſeu per epiſtolam, ſeu per legatos præcipiuntur, à nullo impunè audeant violari.

VI. *Vt Epiſcopi miniſterium ſuum ſine cuiuſquam impedimento & moleſtia peragant.*

Vt Epiſcopi miniſterium ſuum ſecundum ſacros & ſancto ſpiri-

tu promulgatos canones peragant. parochias ſuas abſque alicuius impedimento, prædicando, corrigendo, & confirmando circumeant. & in hoc agendo nullus eis contraire, & quod ad miniſterium illorum pertinet contradicere in ipſis parochiis audeat, vel eis exinde aliquam moleſtiam inferat: ſed adiutor, ſi opoortuerit, inuitatus à Pontifice quiſque Eccleſiæ filius exiſtat, vt liceat eis criminalia ſcelera, & alia quæque corrigenda, inquirere, diſcutere, & diiudicare canonicè. Quod qui temerare proteruè præſumpſerit, triplicem legem, & triplex bannum noſtrum perſoluat.

VII. *Vt Epiſcopi per ſe & presbyteros prædicationi inſiſtant: & fideles diebus feſtis ad publicas ſtationes occurrant, & nullus domi ſuæ Miſſas celebret ſine licentia Epiſcopi.*

Vt Epiſcopi ſecundum ſacram iuſſionem D. N. IESV Chriſti prædicationem per ſe vel per ſuos congruenter exerceant, & presbyteros ſuos vt ſimiliter faciant inſtruere procurent. Et vt ſæculares & fideles laici diebus feſtis, qui in ciuitatibus ſunt, ad publicas ſtationes occurrant: & qui in villis & poſſeſſionibus ſunt, ad publicum officium in plebem feſtinent. & nullus latibuloſa Miſſarum in ſuis domibus officia celebrare præſumat ſine ſui rationabili licentia Epiſcopi.

VIII. *Vt Epiſcopi cum clero ſuo in clauſtris reſideant: presbyteros verò ab Eccleſiis ſuis abeſſe, aut ab eorum poteſtate diſſilire non permittant.*

Vt Epiſcopi in ciuitatibus ſuis proximum Eccleſiæ ſuæ clauſtrum inſtituant, in quo ipſi cum clero ſecundum canonicam regulam Deo militent: & ſacerdotes ſuos ad hoc conſtringant, vt Eccleſias ſuas non derelinquant, & alibi habitare præſumant. Sint etiam ſubiecti Epiſcopo proprio ſecundum canonicam auctoritatem, nec per contumaciam ab eorum poteſtate diſſiliant. neque ſæculari poteſtati ad hoc eis commendare ſe liceat, aut eos quilibet recipere audeat, vt contra canonicas leges & debitam Epiſcopi poteſtatem quodammodo defenſentur. Huiuſmodi verò ſacerdotes Epiſcopalis illico cenſura diſciplinis Eccleſiaſticis ſubdat. Nec fas eſt omnium eorum ſollicitudinem Epiſcopos non gerere, quibus in committendis ſacris ordinibus dignum viſum eſt cõmunicaſſe.

IX. *Vt ſacerdotes à feminarum familiaritate, itémque à venatione, armis militaribus, & habitu non decenti abſtineant.*

Vt in domibus ſacerdotum, propter malæ opinionis famam, habitatio feminarum penitus tollatur, neque illi in domos earum intrare indiſcretè præſumant, ne nomen Dei quod abſit per illos blaſpheme-

blaſphemetur, per quos laudari piè & iugiter debet. Venationem quoque nullus tam ſacri ordinis exercere præſumat. neque arma militaria pro qualicumque ſeditione portare audeat: aut habitum quemlibet tantum apicem ſacerdotij non decentem aſſumat.

X. *Vt res Eccleſiaſticas nemo inuadat, & quæ cum detrimento Eccleſiæ à rectoribus diſtractæ ſunt, repetantur.*

Vt res Eccleſiaſticas, tam mobiles quàm & immobiles, nemo inuadere vel auferre præſumat. & quæ à rectoribus Eccleſiæ hactenus, ob timorem vel fauorem, alicui libellario vel emphyteuticario iure doloſè, vel cum damni detrimento, Eccleſiæ amiſſæ videntur, ad priſtinum ius reuertantur: quatenus liceat illis, quibus eorum cura commiſſa eſt, quieto & pacifico ordine eas tenere, & pro nobis ac regno nobis à Deo commiſſo orare, pauperibúſque debita ſtipendia erogare, familiam Eccleſiæ iuſtè & rationabiliter regere & gubernare. Tranſgreſſoribus autem indicimus, iniuſtè præſumpta reſtituere, & ſicut ſuperiùs prefixum eſt, triplicem legem & triplex bannum noſtrum perſoluere.

X I. *Vt decimæ abſque fraude offerantur, & à presbyteris Epiſcopi arbitrio diſpenſentur. Et de baptiſmalibus Eccleſiis per earum filios reſtaurandis.*

Vt decimæ conlaborationum & animalium, ſecundum ſacra præcepta, Domino abſque fraude & aliqua retractatione offerantur, & in poteſtate Epiſcopi maneat qualiter à presbyteris diſpenſentur canonicè. & vt Eccleſias baptiſmales, quas plebes appellant, ſecundum antiquam conſuetudinem Eccleſiæ filij inſtaurent.

XII. *Vt Epiſcopi Comites & vaſſos regios diligant vt filios, & hi Epiſcopos honorent vt patres: & vt Epiſcopi in ſuis Epiſcopiis Miſſorum dominicorum poteſtate fungantur.*

Vt Epiſcopi Comites & vaſſos noſtros, in parochia eorum manentes, paterno amore ſecundum Eccleſiaſticum miniſterium diligant: ipſi Comites & Vaſalli, ſeu reliqua generalitas, prædictos Epiſcopos vt ſanctos patres honorent & venerentur, & ad miniſterium illorum peragẽdum, vbicumque potuerint, eos adiuuare decertent. Si verò, quod non optamus, eis infeſti, quo minus quæ Dei ſunt exercere poſſint, reperti fuerint, aut ipſi contra leges officia ſua violauerint, & eos quos venerari debent inquietauerint, ſecundum capitulare aui & genitoris noſtri emendent. qualiter quoque presbyteros ac reliquos gradus honorent, ipſius capitularis forma doceantur. Ipſi nihilominus Epiſcopi ſinguli in ſuo Epiſcopio Miſſatici noſtri poteſtate & auctoritate fungantur.

tu promulgatos canones peragant. parochias ſuas abſque alicuius impedimento, prædicando, corrigendo, & confirmando circumeant. & in hoc agendo nullus eis contraire, & quod ad miniſterium illorum pertinet contradicere in ipſis parochiis audeat, vel eis exinde aliquam moleſtiam inferat: ſed adiutor, ſi oportuerit, inuitatus à Pontifice quiſque Eccleſiæ filius exiſtat, vt liceat eis criminalia ſcelera, & alia quæque corrigenda, inquirere, diſcutere, & diiudicare canonicè. Quod qui temerare proteruè præſumpſerit, triplicem legem, & triplex bannum noſtrum perſoluat.

VII. *Vt Epiſcopi per ſe & presbyteros prædicationi inſiſtant: & fideles diebus feſtis ad publicas ſtationes occurrant, & nullus domi ſuæ Miſſas celebret ſine licentia Epiſcopi.*

Vt Epiſcopi ſecundum ſacram iuſſionem D. N. IESV Chriſti prædicationem per ſe vel per ſuos congruenter exerceant, & presbyteros ſuos vt ſimiliter faciant inſtruere procurent. Et vt ſæculares & fideles laici diebus feſtis, qui in ciuitatibus ſunt, ad publicas ſtationes occurrant: & qui in villis & poſſeſſionibus ſunt, ad publicum officium in plebem feſtinent. & nullus latibuloſa Miſſarum in ſuis domibus officia celebrare præſumat ſine ſui rationabili licentia Epiſcopi.

VIII. *Vt Epiſcopi cum clero ſuo in clauſtris reſideant: presbyteros verò ab Eccleſiis ſuis abeſſe, aut ab eorum poteſtate diſſilire non permittant.*

Vt Epiſcopi in ciuitatibus ſuis proximum Eccleſiæ ſuæ clauſtrum inſtituant, in quo ipſi cum clero ſecundum canonicam regulam Deo militent: & ſacerdotes ſuos ad hoc conſtringant, vt Eccleſias ſuas non derelinquant, & aliubi habitare præſumant. Sint etiam ſubiecti Epiſcopo proprio ſecundum canonicam auctoritatem, nec per contumaciam ab eorum poteſtate diſſiliant. neque ſæculari poteſtati ad hoc eis commendare ſe liceat, aut eos quilibet recipere audeat, vt contra canonicas leges & debitam Epiſcopi poteſtatem quodammodo defenſentur. Huiuſmodi verò ſacerdotes Epiſcopalis illico cenſura diſciplinis Eccleſiaſticis ſubdat. Nec fas eſt omnium eorum ſollicitudinem Epiſcopos non gerere, quibus in committendis ſacris ordinibus dignum viſum eſt cõmunicaſſe.

IX. *Vt ſacerdotes à feminarum familiaritate, itémque à venatione, armis militaribus, & habitu non decenti abſtineant.*

Vt in domibus ſacerdotum, propter malæ opinionis famam, habitatio feminarum penitus tollatur, neque illi in domos earum intrare indiſcretè præſumant, ne nomen Dei quod abſit per illos blaſpheme-

blaſphemetur, per quos laudari piè & iugiter debet. Venationem quoque nullus tam ſacri ordinis exercere præſumat. neque arma militaria pro qualicumque ſeditione portare audeat: aut habitum quemlibet tantum apicem ſacerdotij non decentem aſſumat.

X. *Vt res Eccleſiaſticas nemo inuadat, & quæ cum detrimento Eccleſiæ à rectoribus diſtractæ ſunt, repetantur.*

Vt res Eccleſiaſticas, tam mobiles quàm & immobiles, nemo inuadere vel auferre præſumat. & quæ à rectoribus Eccleſiæ hactenus, ob timorem vel fauorem, alicui libellario vel emphyteuticario iure doloſè, vel cum damni detrimento, Eccleſiæ amiſſæ videntur, ad priſtinum ius reuertantur: quatenus liceat illis, quibus eorum cura commiſſa eſt, quieto & pacifico ordine eas tenere, & pro nobis ac regno nobis à Deo commiſſo orare, pauperibúſque debita ſtipendia erogare, familiam Eccleſiæ iuſtè & rationabiliter regere & gubernare. Tranſgreſſoribus autem indicimus, iniuſtè præſumpta reſtituere, & ſicut ſuperiùs præfixum eſt, triplicem legem & triplex bannum noſtrum perſoluere.

XI. *Vt decimæ abſque fraude offerantur, & à presbyteris Epiſcopi arbitrio diſpenſentur. Et de baptiſmalibus Eccleſiis per earum filios reſtaurandis.*

Vt decimæ conlaborationum & animalium, ſecundum ſacra præcepta, Domino abſque fraude & aliqua retractatione offerantur, & in poteſtate Epiſcopi maneat qualiter à presbyteris diſpenſentur canonicè. & vt Eccleſias baptiſmales, quas plebes appellant, ſecundum antiquam conſuetudinem Eccleſiæ filij inſtaurent.

XII. *Vt Epiſcopi Comites & vaſſos regios diligant vt filios, & hi Epiſcopos honorent vt patres: & vt Epiſcopi in ſuis Epiſcopiis Miſſorum dominicorum poteſtate fungantur.*

Vt Epiſcopi Comites & vaſſos noſtros, in parochia eorum manentes, paterno amore ſecundum Eccleſiaſticum miniſterium diligant: ipſi Comites & Vaſalli, ſeu reliqua generalitas, prædictos Epiſcopos vt ſanctos patres honorent & venerentur, & ad miniſterium illorum peragẽdum, vbicumque potuerint, eos adiuuare decertent. Si verò, quod non optamus, eis infeſti, quo minus quæ Dei ſunt exercere poſſint, reperti fuerint, aut ipſi contra leges officia ſua violauerint, & eos quos venerari debent inquietauerint, ſecundum capitulare aui & genitoris noſtri emendent. qualiter quoque presbyteros ac reliquos gradus honorent, ipſius capitularis forma doceantur. Ipſi nihilominus Epiſcopi ſinguli in ſuo Epiſcopio Miſſatici noſtri poteſtate & auctoritate fungantur.

XIII. *Vt Epiſcopi & Comites in pauperum domibus, niſi rogati, non diuerſentur. & vt prædas ac deuaſtationes inhibeant.*

Vt Epiſcopi & Comites in ſuis miniſteriis commorantes, in ſuis conſiſtant domibus cum ſuis vaſallis, neque præſumant occaſione hoſpitij in pauperis cuiuſpiam vicini domo niſi rogati commorari: quia ob hoc maximè deprædationes & diſcordias hactenus pullulaſſe manifeſtũm eſt. Prouideant quoque, ſecundum miniſterium vnuſquiſque ſuum, ne in poteſtate illorum prædæ & deuaſtationes fiant: & ſi aliqui hoc facere tentauerint, omni ſua virtute illis reſiſtant. Et ſi ipſi per ſe conſtringere illos ad emendationem non potuerint, conſtitutis Miſſis noſtris renuntient, vt ipſorum iudicio legaliter ſecundum capitulare aui & genitoris noſtri emendetur. Quòd ſi & ipſi hoc emendare nequiuerint, ad noſtram notitiam perducant.

XIV. *Vt defuncti Epiſcopi facultates nullus inuadat, ſed ſucceſſori reſeruentur, vel pro illius anima erogentur.*

Vt quoties diuinum iudicium Eccleſiæ præſulem à ſæculo vocauerit, nullus ad ſuimet perditionem facultates eius inuadat, diripiat, & ad ſuos vſus transferat: ſed erogatariis & eleemoſynariis Eccleſiaſticis, cum ipſius Eccleſiæ conſtituto œconomo, liberum ſit canonico more iuſtè rationabilitérque deputata ſucceſſuro reſeruare, vel quibuſcumque, ſicut expedit, pro eius ſpiritu diſtribuere. Quod qui iniqua cupiditate tranſgredi præſumpſerit, vt ſuperius prælibatum eſt, irrefragabiliter multetur.

XV. *Vt infideles regi nemo celet, nec vllam eis ſuſtentationem præbeat.*

Vt nemo fidelium noſtrorum quodammodo aliquem celet, quem noſtrum ſcierit infidelem eſſe: neque ei ſuſtentationem quamcumque præſtare pertentet, ſi eum ad noſtram fidelitatem reuocare nequiuerit. Quicumque autem contra hoc fecerit, prædeceſſorum noſtrorum & progenitorum iudicium experietur.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

IOANNES Tuſcanenſis Epiſcopus, legatus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ & domni Ioannis ſummi Pontificis, & vniuerſalis Papæ, in his quæ ſupra ſcripta interfui, conſenſi, & ſubſcripſi.

Anſegiſus Senonum Metropolis Epiſcopus, ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis per domnum Ioannem ſummum Pontificem Papam Vicarius, interfui, conſenſi, & ſubſcripſi.

Ioannes Aretinus Epiſcopus, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ legatus, interfui, conſenſi, & ſubſcripſi.

Digitized by Google

Hincmarus Remorum Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Aurelianus Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus in Chriſti nomine roboraui.
Frotarius Archiepiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Ottramnus Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Ioannes Roromagenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Bertmundus Ebredunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Ragenelmus Tornacenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvalterus humilis Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Gerboldus Cabilonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Giſlebertus Carnorenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Hildeboldus Sueſſionenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Roſtagnus ſanctæ Arelatenſis Eccleſiæ humilis Epiſcopus ſubſcripſi.
Iſaac Lingonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Lantbertus Matiſcenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ingelvvinus ſanctæ Pariſiacenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Geroldus Ambianenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Abbo Neuernenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ioannes Cameracenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Hadebertus Siluanectenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Odo Belgiuacorum Epiſcopus in Chriſti nomine ſubſcripſi.
Ratbertus Valentinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Bernarius Gratianopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Agenulfus Gabalitanenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Birico Vvapincenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Alduinus Auenionenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvido Vellauenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Hildebrannus Sagenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvillebertus humilis Catalaunorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Ragenfridus Meldenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Heirardus Lixouienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Sigenandus Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ætherius Viuarienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Erchambertus Baiocenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Hedenulfus Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Agilmarus Aruernenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Anſelmus Lemouicenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Adalbertus Morinenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvillelmus Cadurcorum Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Lupus Albienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ottulfus ſanctæ Trecaſſinæ Eccleſiæ humilis Epiſcopus ſubſcripſi.
Berardus Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Arnaldus Leucorum Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Franco Tungrenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Theodoricus Veſontionum Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Vvala Auriſiodorenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Adolgarius Auguſtidunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Hemico Dienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi,

Aimarus Ruthenenſium Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Theotarius Getundenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Hugo Abba.
Albuſtus Abbas ex monaſterio quod vocatur Bethleem, ſiue Ferratias.
Hilduinus Abbas & Bibliothecarius.
Vvlfardus Abba ſcripſit & ſubſcripſit.
Gauzlenus Abba & Archicancellarius.

IV.

ACTORVM CONCILII PONTIGONENSIS

editio altera, illa fortaſſe, quam cum legatis Apoſtolicis dictaſſe, & in Synodo legiſſe dicitur Odo Epiſcopus Bellouacenſis.

SANCTA Synodus, quæ in nomine Domini vocatione domni Ioannis ter beatiſſimi ac vniuerſalis Papæ, & iuſſione domni Karoli perpetuo Augusti congregata eſt in loco qui vocatur Pontigonis, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVI. Indictione IX. regni præfati inuictiſſimi Imperatoris XXXVII. imperij autem primo, XVII. Kalendas Auguſti, hæc Capitula quæ ſubter adnexa ſunt inſtituit.

I. Obeunte Hludouuico, qui Romani imperij iura regebat, domnus Ioannes ter beatiſſimus Papa per Gadericum Velirernenſem, Formoſum Portuenſem, Ioannem Aretinum, venerabiles Epiſcopos, domnum Karolum tunc regem ad limina beatorum Apoſtolorum inuitauit, eúmque Eccleſiæ ipſius defenſorem ac tutorem elegit, imperialſque diademate coronauit, eum præ cunctis ſolum & ſpecialem eligens qui Romani imperij ſceptra teneret. Cuius ſacris inſtitutionibus pro debito patentes, quod ipſe inſtituit inſtituimus, & quod ipſe confirmauit pari conſenſu omnes firmamus.

II. Congregata igitur in Romana vrbe ſancta Synodo, ante aduentum prædicti domni Imperatoris, miſit cum conſenſu omnium epiſtolas Hludouuico regi, filiis quoque ipſius, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, ac reliquis primoribus regni ſui, monentes eos Apoſtolica auctoritate more paterno ſeruare quæ pacis ſunt, ne videlicet aliquam inreptionem in regno præfati Auguſti facilè temptarent, vſque dum ſimul ad mutuum colloquium venirent, & ipſe inter eos & de pace conſeruanda, & de iure regnorum ſecundum ſibi à Deo miniſterium creditum decerneret pariter & diſcerneret. Quas epiſtolas per Odonem Bellouacorum venerabilem Epiſcopum ſibi deſtinatas & bis delatas omnino recipere renuerunt.

III. Ipſe verò Apoſtolica & paterna monita paruipendens, & fraterna fœdera diſrumpens, hoſtili manu tyrannico more fraternum regnum depopulando inuaſit: homicidia, ſtupra, adulteria, ſacrilegia, & innumera mala, quæ enumerari nequeunt, auctoritas facientium perpetrauit.

IV. Hæc mala audiens ter beatiſſimus Papa perpetrata eſſe in regno ſpiritalis filij ſui domni Karoli ſemper Auguſti, tactus dolore cordis accelerauit mittere Miſſos ſuos, Ioannem videlicet & Ioannem venerabiles Epiſcopos, cum aliis ſuis epiſtolis, volens eum monere, vt à tanto malo pœ-

nitudinem de præteritis ageret, & tamdem fraternum regnum inuadere deſineret. Quorum legationem ſecundò commonitus necdum recipere voluit.

V. Poſt hos deniquè miſit iterum alios legatos, Leonem ſcilicet ſanctiſſimum Gabinenſem Epiſcopum & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Miſſum & Apocriſiarium, pariterque & Petrum Foroſemproniatem venerabilem Epiſcopum, hæc eadem obſecrando, monendo proteſtans. Quorum monita vtrum recipere velit, adhuc ambiguum conſtat.

VI. Verùm quia præfatus Leo Gabinenſis reuerentiſſimus Epiſcopus, & S. R. E. Miſſus & apocriſiarius, ſeu & Petrus Foroſemproniaris Epiſcopus, pro quibuſdã vtilitatibus Eccleſiaſticis morari hîc diutiùs nequeunt, neque Epiſcopos de longinquo venientes fatigare longiùs dignum eſt, decreuerunt Ioannem Tuſcanenſem, & Ioannem Aretinum venerandos Epiſcopos, qui legationem præfatorum pariter cum priori legatione ſuſcipientes, ea quæ peragenda ſunt, cum ceteris Epiſcopis, quos communi conſenſu elegerint, vice omnium Epiſcoporum, quicquid ſeu in euocanda Synodo, ſeu in definiendo, ſeu in contemptoribus feriendo definierint, Apoſtolica auctoritate libere definiant, & quicquid ipſi deliberauerint, & domnus Apoſtolicus cum omni S. Romana Eccleſia determinabit, & in perpetuum manſurum ſtatuet & firmabit.

VII. Sicut domnus Papa Ioannes ſanxit, conniuente, & conſentiente, & condecernente domno & glorioſiſſimo Karolo Imp. ſemper Auguſto, Anſigiſum venerabilem Epiſcopum, Senonum Archiepiſcopum, ſuam vicem tenere, & primatum ei Galliæ & Germaniæ contulit in euocanda Synodo, & definiendo canonicè, ſi quælibet inſurrexerint neceſſaria, & vt grauiora ad ipſius notitiam referat: & nos vnanimiter omni deuotione laudamus, & vt ita ipſe primatum teneat Galliæ & Germaniæ, decernimus & ſancimus.

VIII. Synodum, quam domnus Ioannes Apoſtolicus & vniuerſalis Papa ſuper quorumdam depoſitionem, Formoſi ſcilicet Portuenſis Epiſcopi, & Gregorij nomenculatoris, ſeu & Stephani ſecundicerij, & Georgij veſterarij, ceterorúmque ſuorum complicum, ſicut in epiſtola ipſius ad nos miſſa continetur, nuper inſtituit, & nos ſecundum iuſſionem ipſius, in nullo à capite diſſidentes, conſentiendo decernimus, omnibúſque Apoſtolicis illius ſanctionibus per omnia parentes ſicut decet obedimus.

IX. Cenſuram verò, quam domnus Apoſtolicus ſuper nefandiſſima acta Hludouici regis, & complicum eius, niſi reſipuerint, & debitam obedientiam ſedi Apoſtolicæ exhibuerint, ſtatuit & firmauit; omnes nos, qui ad præſentem Synodum conuenimus, vnanimiter decernimus, atque firmamus.

Sequebatur poſt hæc in Codice ſancti Remigij confirmatio Synodi Ticinenſis, cum Epiſcoporum ſubſcriptionibus, vt ſuprà.

V.

LIBELLVS PROCLAMATIONIS ECCLESIAE Remenſis aduerſus Hludouicum regem Carolo Imperatori oblatus in Synodo Pontigonenſi.

PATERNIS magiſterij inſtruimur, vt ſi qua maiora negotia, vel maiores cauſæ exortæ fuerint, ad ſedem Apoſtolicam, ptout auctoritas docet, & mos antiquus obtinuit, ſemper referantur. Ideóque, quia Imperialem excellentiam veſtram Synodo præeſſe, & vicarios ſedis Apoſtolicæ præſto nobis adeſſe gaudemus, calamitates & miſerias Eccleſiæ noſtræ, ac filiorum noſtrorum, quas hoc annô ab Hludouico rege, itémque Hludouuico filio eius, & complicibus eorum, cædes videlicet, & homicidia, adulteria, fornicationes, rapinas, ſacrilegia, & cetera flagitia, quæ nullus enumerate poteſt, Eccleſia noſtra perpeſſa eſt, veſtræ ſerenitati innoteſcimus, obſecrantes vt pro Dei omnipotentis amore, & pro ingenita vobis benignitate, ac pro miniſterio impoſito, nobis & Eccleſiæ noſtræ ac filiis noſtris, ſecundum promulgatam omnibus veſtram ſapientiam, conſulatis pariter ac ſuccurratis: ne de cetero talia ac tanta mala Eccleſia noſtra ac regnum patiatur, qualia hactenus paſſum eſt.

VI.

DEFINITIO SYNODI PONTIGONENSIS de Adalgaudo presbytero infamato.

PRIDIE Idus Iulij, in loco qui vocatur Pontigonis, ita de Adalgaudo presbytero à legatis ſedis Apoſtolicæ, Leone apocriſiario ſanctæ ſedis Romanæ, Petro, Ioanne, itémque Ioanne legatis memoratæ ſanctæ ſedis, & Anſegiſo Vicario eiuſdem ſanctæ ſedis, & ab omni Concilio definitum eſt: vt illi propria Eccleſia reddatur, & à præfatis Kalendis quatuor menſium dilatio ad famam ſuam purgandam illi concedatur. Si poſt quatuor menſes purgare ſe canonicè non potuerit, nulla eius vox poſtea penitus audiatur.

VII.

CONSENSVS LEONIS EPISCOPI MISSI & apocriſiarij, cùm poſt Synodum diſceſſurus eſſet.

QVIA Dominus noſter Ioannes ſanctiſſimus & ter beatiſſimus Papa nos quidem, me ſcilicet Leonem Gabinenſem Epiſcopũ & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Miſſum & apocriſiarium, & Petrum venerabilem Foroſemproniatem Epiſcopum, ad hoc has in partes direxit, vt ceu pridem per venerabiles Epiſcopos Ioannem videlicet & Ioannem mandauerat, veſtra ſanctitate aggregata, de negotiis, quæ inter vtroſque fratres hoc anno emerſerant, determinaremus. Sed nos ob quaſdam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ vtilitates, & diutiùs morari nequimus, & veſtram beatitudinem longiùs fatigari nolumus: hos fratres noſtros, Ioannem

videlicet Tuſcanenſem, & Ioannem Aretinum, venerabiles Epiſcopos vobiſcum morari decreuimus, vſque dum res vnde agitur optatum finem diuina fauente gratia accipiat. qui quicquid ſeu in euocanda Synodo, ſeu in definiendo, ſeu in contemptoribus feriendo definierint, auctoritate Apoſtolica libere definiant. Quicquid ipſi deliberauerint, & domnus Apoſtolicus cum omni ſancta Romana Eccleſia determinabit, & in perpetuum manſurum ſtatuet & firmabit.

VIII.

IVRAMENTVM, QVOD HINCMARVS

Archiepiſcopus edere iuſſus eſt apud Pontigonem.

SIc promitto ego, quia de iſto die in antea iſti ſeniori meo, quamdiu vixero, fidelis & obediens & adiutor, quantumcumque plus & meliùs ſciero & potuero, & conſilio & auxilio ſecundum meum miniſterium in omnibus ero, abſque fraude & malo ingenio, & abſque vlla doloſitate, vel ſeductione, ſeu deceptione, & abſque reſpectu alicuius perſonæ. Et neque per me, neque per miſſum, neque per litteras, ſed neque per emiſſam vel intromiſſam perſonam, vel quocumque modo ac ſignificatione, contra ſuum honorem, & ſuam, Eccleſię, atque regni illi commiſſi quietem & tranquillitatem atque ſoliditatem machinabo, vel machinanti conſentiam. Neque vnquam aliquod ſcandalum mouebo, quod illius præſenti vel futuræ ſaluti contraria vel nociua eſſe poſſit. Si me Deus adiuuet, & iſta ſancta patrocinia.

Finis Concilij Pontigonenſis.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA VIII.

Ad Carolum Caluum Imperatorem.

Imperatoris precibus, cùm Burdigalenſis prouincia à paganis eſſet deuaſtata, Frotarium Burdigalenſem Archiepiſcopum transfert in Eccleſiam Bituricenſem.

IOANNES EPISCOPVS CAROLO IMPERATORI.

Epiſt. VIII. PETITIONEM veſtram, filiorum cariſſime, quam non abnegando, ſed diſpenſando dudum diſtulimus, nunc nos ad votum noſtrum ob id vel maximè, Chriſto præduce, perduxiſſe gaudemus, quòd & veſtram gloriam perſeuerantem teſtificatricem cognouimus, & prouincialium Præſulum conſentaneas probationes probauimus, & legatorum noſtrorum ſubtiliſſimas diſquiſitiones aduertimus. Quocirca licet nos multis canonicis teſtimoniis prouocati petitionem veſtræ deuotionis implere magnopere moliremur, & ſolius maieſtatis veſtræ teſtimonio ſuper exterminio Burdegalenſis prouinciæ credere minimè cunctaremur: tamen quia pietatis veſtræ teſtimonio comprouincialium quoque Præſulum litteras conuenire, ſicuti rebamur, nuper cognouimus, ſecundum pietatis veſtræ religioſiſſimum libitum, Burdegalenſis diœceſis Epiſcopum, fratrem ſcilicet noſtrum Frotarium, in Bituricenſem Eccleſiam cardinalem fieri decernentes, Metropolitanæ dignitatis priuilegio iteratò munire curauimus; & ſtudij veſtri ſolertiam, quo ſemper idoneos Eccleſiæ viros quadam naturalis ingenij nobilitate deligitis, admirantes, congruas litteras his, quorum intereſt, ex auctoritate ſedis noſtræ direximus, atque magnanimitatem veſtram, quam iſtius religioſi negotij circa nos incentricem cognouimus,

eam nihilominus executricem fore nec immeritò delegamus. Quatenus propter Deum, cuius filij pretioſo ſanguine tota per mundum redempta cõſiſtit Eccleſia, ſic iſtius neceſſariæ diſpenſationis inſtituta cuſtodiat, vt à paternis regulis conſtitutis antiquitùs in parte altera nunquam omnino diſcedat. Præterea, quòd filiolitatis veſtræ petit induſtria, vt quorum ſuggeſtionibus dudum veſtra ſit dilata petitio detegamus; omnino ſciatis, quia nos licet indigni ſimus, tamen quoniam per conſequentiam priorum noſtrorum Pontificum maturo cogimur eſſe iudicio, cauſam tantæ deliberationis ideo non facilè tunc deliberandã credidimus, ne diffiniſſe, quod Deus auerterit, minùs ordinabiliter videremur. At poſtquam Deus omnipotens petitionem ſerenitatis veſtræ comprouincialium Præſulum teſtimonio decorauit, immo teſtimonia Præſulum pietatis veſtræ ſuffragio confirmauit; nos religioſam petitionem veſtram compleuimus, & ſuggeſtionibus fratrum coepiſcoporúmque noſtrorum manus porreximus, & Eccleſiæ Dei tantis neceſſitatibus conſulentes, de theſauro pontificalis pectoris ita vobis protulimus, vt à doctrinis deuiaſſe veteribus nullomodo videamur. Data v. Kalendas Nouembris, Indictione x.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA IX.

Ad clerum, plebem, & ordinem Bituricenſem.

Vt Frotario ſuo deinceps Archiepiſcopo debitam ſubiectionem exhibeant.

Epiſt. xiii. IOANNES Epiſcopus clero, plebi, & ordini ſanctæ Bituricenſis Eccleſiæ. SVGGESTIONIS veſtræ relegentes epiſtolam, quod ab Apoſtolatus noſtri auctoritate de conſtatte noſtro Frotario reuerendo Archiepiſcopo poſtulant, hoc nos aliorum teſtificationibus, & præcipuè ſereniſſimi ſemper Auguſti, ſpiritalis quoque filij noſtri relatione comperimus; ſed & legatis Apoſtolicæ ſedis, Leone videlicet venerabili Epiſcopo, apocriſiario & miſſo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſeu Petro æque venerabili Epiſcopo, reuertẽtibus didicimus, pene totam prouinciam Burdegalenſi metropoli pertinentem, ſicut ab his, qui cauſam illam nouerunt, iidem noſtri legati diſcere potuerunt; ita eſſe paganorum perſecutionibus deſolatam, vt non ſolùm ipſe confrater noſter illic lucri aliquid ſubiectis conferre non poſſit, verùm etiam habitatio fidelium inde ſubtracta conſiſtat. Quapropter quia eundẽ virum Frotarium reuerendum Archiepiſcopum probis moribus, actibúſque præclaris, & ad lucrum animabus hominum cõferendum, idoneum eſſe competimus, ne talis tantúſque vir otio, quo prodeſſe aliis valeat, minimè vacet, eiuſdem ſanctæ Bituricenſis Eccleſiæ, cui ſubeſtis, ei paſtoralem curam Apoſtolica auctoritate committimus, & in ipſa eum incardinandum neceſſariò eſſe cenſemus. Cui vos ita decentem obedientiam & canonicam ſubiectionem humiliter exhibere, vt pote reuera Metropolitani iura tenenti, proprio rectori, & veſtro Antiſtiti conuenit, vt ex noſtra Apoſtolica auctoritate diffinitum aduertitis, & ecce mandatum habetis: quatenus de bono veſtræ obedientiæ nobis Deo gratias referentibus, & vobis reuerentia competenti ipſum præfatum Archiepiſcopum excolatis, & ille vobis, tanquam pro vobis rationem Domino redditurus, modeſtè præeſſe ſtudens, vt dilectos filios amplectatur. Portò ſciatis, quia ſic iſta non modica interueniente neceſſitate barbara modò concedimus, vt tali neceſſitate remota, remoueatur etiam id quod neceſſitas imperat. Data v. Kalendas Nouembris, Indictione x.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA X.

Ad Epiſcopos prouinciæ Bituricenſis.

Vt Frotario tamquam Metropolitano ſuo deinceps obediant.

IOANNES reuerentiſſimis & ſanctiſſimis fratribus noſtris Epiſcopis per Bituricenſem prouinciam conſtitutis. QVIA Burdigalenſem vrbem, ſed & totam pene prouinciam quorumdam veſtrûm litteris, ſed & Leonis Apoſtolicæ ſedis apocriſiarij expreſſa relatione didicimus, diuerſis cladibus, ſed præci-

pręcipuè incurſibus Nortmannorum deletam, & in ſolitudinem partim gladiis, partimque captiuitate deductam, neceſſaria rerum, vt cum ſancto Papa Gelaſio deceſſore noſtro dolentes gementéſque fateamur, diſpoſitione conſtringimur, & Apoſtolicæ ſedis moderamine conueniunt, ſic canonum paternorum decreta librare, & retro Præſulum deceſſorúmque noſtrorum præcepta metiri, vt quæ præſentium neceſſitas temporum pro inſtaurandis Eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri temperemus. Ecce enim, ne de ciuitate ad ciuitatem Epiſcopi transmigrent, ſancti canones prouidè ſanciunt. Sed ſi huiuſmodi ſanctiones ſine vlla diſcretione vel diſpenſatione ducimus obſeruandas, nullam compaſſionem fratribus exhibemus, quos gentilium gladios paſſos cauſa fidei Chriſtianæ ſeruandæ videmus egentes, anguſtiatos, afflictos, hac illácque palantes incedere: pręſertim cùm nonnulli eorum ita ſint Dei gratia illuſtrati, vt non ſolùm ſcientia, ſed & moribus, non ſolùm verbo, ſed & exemplo plurimos valeant erudire. De quorum numero quia Frotarius Burdegalenſis dudum Antiſtes, vt teſtatur veſtra fraternitas, extat; neceſſariò duximus eumdem virum alij Eccleſiæ præponendum & incardinandum: Bituricenſi videlicet, quæ & vacans eſſe nobis denuntiata eſt, & tanti viri digna regimine: ne per minus idoneum rectorem ſalubre ſaluandarum animarum deſit ei præſidium, & nos è contra ingentis culpæ inuoluamur annexu, ſi tanto vrgente diſcrimine, tanta minùs conſulamus Eccleſiæ, propugnatori hanc probabili minimè committentes. Prioribus itaque manentibus regulis inconuulſis, quæ vbi nec rerum, nec temporum vrget neceſſitas, iure conuenit obſeruari, vacante ſede, Frotarium fratrem & coepiſcopum noſtrum in ſede Bituricenſi præficiendum ordinauimus ſacerdotem: ita vt in ea incardinatus, & quodammodo auctoritatis Apoſtolicę priuilegio radicatus, cetera metropolitana Bituricenſis Eccleſiæ ac diœceſeos iura, tanquam Deo contemplante obtineat, diſpenſet, & ordinet, omni poſthac quętimonia inuidorum prorſus ablata. Cui vos tanquam proprio Metropolitano conuenit obedire, & competẽtem exhibere, ſecundum priſtinum morem, reuerẽtiam & honorem. Sanè latere vos nolumus, ſic nos iſta interueniente non modica barbarica neceſſitate nunc concedere, vt tali neceſſitate remota, conſuetudinariè vlterius non requiratur. quod remoueatur etiam illud, quod neceſſitas imperaret. Optamus ſanctam fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper valere. Data v. Kalendas Nouembris, Indictione x.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XI.
Ad Frotarium Archiepiſcopum.

Frotarium ab Eccleſia Burdigalenſi à paganis deuaſtata transfert ad Bituricenſem.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO CONFRATRI noſtro Frotario, dudum quidem Burdegalenſi, nunc autem Bituricenſi Archiepiſcopo.

Epiſt. xxxvii.

AD hoc nos diuina prouiſio ſupernáque moderatio Eccleſiis ſuis voluit præeſſe rectores, vt diſperſa congregare, & ſeruare cõgregata ſummo ſtudio procuremus, non ſolùm earumdem Eccleſiarum ſollicitudinem, ſed & ipſorum quoque rectorum habeamus induſtriam, & exerceamus ſollertiam. quatenus ſicut rectoribus deſtitutis Eccleſiis alios ſubrogãtes conſulimus, ita rectoribus vacantibus Eccleſias Domini committẽtes, prouidam curam nos earumdem Eccleſiarum gerere demonſtremus. maxmè his, qui cùm robuſti præliatores Domini ſint, intra otioſitatis anguſtiam arceri tenuunt, & per hoc expeditiùs contra vitia certaminum exercitia quærunt. Quia igitur Burdegalenſem Eccleſiam, totámque pene ſub eius habitam tegimine diœceſim, ita paganorum frequentes gladij prædæq; continuæ conſumpſit irruptio, vt pene omne illic Epiſcopale vacet officium; neceſſariò præuidimus, Dei omnipotẽtis auctoritate, beatorúmque Petri ac Pauli Apoſtolorum principum, fraternitatẽ tuam, cuius vacatio defectus eſt fidei, & fere virtutum omnium detrimenta, in Eccleſia Bituricenſi, quæ vacare paſtorali cura dinoſcitur, ab hac præſenti decima Indi-

ctione præferre ſimul & incardinatã præficere, habito in eadem Bituricenſi Eccleſia totius iure metropoleos ac diœceſeos priſcis temporibus à ſacris canonibus præſtituto, & in illa Eccleſia eatenus cõſeruato. ita vt paſtor eiuſdem ſanctæ Bituricenſis Eccleſiæ, rector & antiſtes ex hoc re vera dicaris, habeatis, & Chriſto propitio percolaris, ea quæ Dei ſunt iugiter agens, & vtilitati proximorum ſemper intendens. Qui verò contra huius Apoſtolici priuilegij noſtri ſtatutum, quod neceſſitate barbarica, & diſpenſatione cogente loci & temporis, exẽplo etiam maiorum protulimus, agere fortè tentauerit, diuinis myſteriis priuetur, quamdiu minimè reſipiſcens, Apoſtolico præcepto fruſtrà permanſerit inobediens. Data &c. Indictione x.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XII.
Ad Carolum Caluum Imperatorem.

Laudat eum de iudicio in Emmenum prolato, & hortatur vt cum illo clementer agat.

IOANNES EPISCOPVS CAROLO IMPERATORI.

Epiſt. xi. SVPER iudicio veſtro in Emmenum prolato, ô rectiſſime Imperator, cum cœlo tota terra lætatur. Scriptum eſt
Pſal. 57. 11. enim: *Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam*. Cur autem dicimus læ-
3. Reg 3. 28. tatur, cùm ſuper iudicio Salomonis ſcriptum ſit: *Quia audiuit omnis Iſraël iudicium quod iudicaſſet rex, & timuerunt regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum iudicium?* Super quo videlicet iudicio ſentiẽdum meritò ducimus, quia lætati quidem benigni, triſtati verò ſunt omnino maligni. Ergo & hic ita datur intelligi, quia nimirum ſuper iudicio veſtro lætantur iuſti, deterrentur iniuſti. Nam & omnipotens Deus, cuius & vos iudicium æmulamini, terribilis peccatoribus, & blandus eſt iuſtis. Quia igitur ſuper Emmeno iam exhibuiſtis ſeueritatem iudicij, quæſumus exhibere de cætero pietatis inſigne. Impoſuiſtis in humeros eius onus auſteritatis: adhibete iam nunc id remouentem digitum lenitatis. Memẽtote quia hunc vobis cum Petro Paulus dilectis ſuis, ſicut Philemoni quondam Oneſimum, remittit, implorans & Pſal. 10.
obſecrans, quatenus eum vt ſua viſcera ſuſcipiatis. Quia etſi fortaſſis ad horam aliquando quidem vobis inutilis, exemplum non bonum ceteris tribuens, viſus eſt: nunc autem & vobis, & nobis, & plurimis vtilis eſt, longanimitatis formam & patientiæ cunctis oſtendens. Rogamus ergo, vt penes vos non ſibi tam ſuus obſit exceſſus, quàm fidei & amoris erga vos habiti proſit affectus. Et quia noxam propriam & pœnam indictam ſibi confiteri non renuit, animaduerſione remota quã. metuit, patronos veſtros, ſanctos ſcilicet primos Apoſtolos ſe proficuè adiiſſe & ſalutaſſe de reliquo ſentiat, & de tanto ſibi collato munere lætetur & gaudeat: vt vbi abundauit peccatum, ſuperabundet ſecundum Apoſtolum gratia. Data Rom. 5. 20.
pridie Kalendas Nouembris, Indict. x.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XIII.
Ad Imperatorem & Imperatricem.

Pro Madelgero qui Odelricum occiderat.

IOANNES EPISCOPVS AD IMPERATOREM & Imperatricem.

Epiſt. xii. DVM non minus pro miſericordiæ intuitu delinquentibus exhibendo, quàm iudicij ſeueritate in improbos exercẽda, omnipotẽs Deus gloriam ſerenitatis veſtræ imperiali voluerit ſublimare decore, dignum profectò eſſe tãti ſumus paſtorali cura fungentes apud maieſtatis veſtræ excellentiam pro multorum ſalute, vel vitæ indulgentia, & præcipuè illorum, qui diabolico licet inſtinctu nefanda committentes, ad Apoſtolorum principum Petri & Pauli fautorum veſtrorum limina, diuina tamen pietate commoti venire feſtinant, & miſericordiam humili prece implorant, toto mentis annisu intercedere, atque pro viribus conſolationis opem in quan-

tum fas eſt petentibus impartiri clementer. Vnde pro huius viri, Madelgeti videlicet nomine, qui aduerſario incitante quendam hominem Odelricum vocabulo peremit, ſalute, membrorum omnium integritate, & totum ſuarum reſtitutione, maieſtati veſtræ ſuggeſſimus, filiorum cariſſime, & pro amore Dei & domini noſtri IESV Chriſti, ſanctorúmque Apoſtolorum, quorum limina præfatus Madelgerus adiit, noſtræque paternitatis, quam ſinceriſſimam erga nos habetis, dilectione precamur, quatenus gratiam veſtram plenariam ei reddere non dedignemini: eáque cum veſtræ ſerenitatis reſpectu accepta, pro ſuis valeat exceſſibus pœnitentiam fructuoſam accipere, qua commiſſi poſſit piaculi noxias ſordes abluere, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini de omnibus vlticem dantis vindictam. Nam pro tanti itineris labore duriſſimo, quem veniendo perpeſſus eſt, ſicut credimus, aliquantulam de peracto ſcelere indulgentiam meruit, eius vtique interceſſionibus adiutus, cui dictum à Domino conſtat, *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Math.16.19. Quod cùm ita ſit, precamur etiam, vt eum cum parentibus eius qui defunctus eſt, paciſcere iubeatis, ne maius deinceps malum, quo multorum animæ noceat, perpetretur. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XIV.
Ad Epiſcopum Carnotenſem.

Pro eodem Madelgero.

IOANNES EPISCOPVS REVERENTISSIMO GISLIBERTO Epiſcopo ſanctæ Carnotenſis Eccleſiæ.

Epiſt. xv. DILECTIONIS veſtræ reuerentiam ſpiritalibus pollere virtutibus proculdubio arbitrantes, his Apoſtolatus noſtri litteris conuenire, ac pro præſente viro Madelgero, qui ſuadente aduerſario quendam hominem Odelricum nomine gladio peremit, vnde diuina inſpiratione compunctus ad limina ſanctorum Apoſtolorum principum Petri ac Pauli, per longa itinerum ſpatia, pro ipſius delicti abolitione venire curauit, petere ſtudemus, vt pro amore Dei, & eorum ad quorum ſacratiſſimas Eccleſias venit, & pro ſuis exceſſibus Deum deprecatus eſt, necnon & pro noſtræ paternitatis dilectione, illi omnes res proprias, atque beneficiũ, cum propriis honoribus quos abſtuliſtis, cum plenaria gratia reddere non dedignemini, ſicuti dilectionis noſtræ conſortium & caritatem circa te cupis habere ſinceriter illibatam. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XV.
Ad Carolum Imperatorem.

Narrat calamitates Eccleſiæ illatas à Sarracenis, & Imperatorem precatur vt auxilium aduerſus eos mittat.

IOANNES EPISCOPVS CAROLO IMPERATORI.

Epiſt. xxi. QVANTA & qualia per impiam gentem patiamur Sarracenorum, quid dicam quia ſcribere quilibet ſtylus non ſufficit, cùm omnia ligna ſiluarum, ſi verterentur in linguas, enarrare non valeant? Quorum quia ex his quædam veſtra iam didicit excellentia, prædiſpoſuit exercitum ſuum ad hæc remouẽda cum valida manu dirigere. Quo nos audito, mox eleuatis manibus Dominum collaudauimus, eiúſque clementiam pro imperio veſtro lætantes protinus exorauimus. Sed quanto, fili cariſſime, lætati ſumus in his quæ dicta ſunt nobis, tanto heu triſtati & amaricati, quia quæ dicta ſunt, rerum non ſunt effectibus conſummata. Reuerſi quippe ſunt, vt audiuimus, & ſolis paganis gaudium, nobis autem non niſi tribulationem inenarrabilem reliquerunt. Et ecce, proh dolor! inimicis crucis Chriſti gratulantibus, ſolus fidelium cœtus magna mœſtitudine cõſumitur, Chriſtianorum ſanguis effunditur, deuotus Deo populus continua ſtrage vaſtatur. Nam qui euadit ignẽ vel gladium, præda efficitur, captiuus trahitur, & exul perpetuus conſtituitur. En ciuitates, caſtra, & villæ deſtitutæ habitatoribus perierunt, & Epiſcopi hac illácque diſperſi. Sola illis Apoſtolorum principum limina derelicta ſunt in refugium, cùm Epiſco-

pia eorum in ferarum ſint redacta cubilia, & ipſi vagi & ſine tectis inueni, non iam eis liceat prædicare, ſed mendicare. Ecce chariſſime, peruenit gladius vſque ad animam. ecce dies in qua clamamus, Beatæ ſteriles quæ non genuerunt. ecce illa periculoſa tempora Pauli voce prędicta. Liber ergo cum Hieremia clamare, *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum*, vt plangam tantam ac talem miſeriam, tale ac tātum excidium patriæ? Sed & in triſtitia, quin potiùs in ruina domina gentium, regina vrbium, mater Eccleſiarum, conſolatio triſtium, portus periclitantium. Ecce, inquam, reuera dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ. Præterito quippe anno ſeminauimus quidem, ſed non recollegimus: hoc verò anno, quia non ſeminauimus, neceſt recolligendi fiducia. Quid de paganis dicimus, cùm Chriſtiani nihil melius operentur? Quidam videlicet ex confinibus & vicinis noſtris, quos Marchiones ſolitò nuncupatis. Nam vt prophetice dicamus, *reſiduum locuſtæ comedit bruchus*. Et quid Sarracenis incredulis, qui ſūt filij ancillę, fortè relinquitur ab illis, qui per fidem liberę deberent exiſtere filij? vſque ad terram depaſcimur. Quid enim illi faciunt, & iſti peiora non faciunt? Illi terram occupant, iſti cum Petro nihil ex ciuitatibus, vel ex rure dimittunt. illi occidunt gladio: iſti ablātis omnibus fame trucidant. illi in captiuitatem ducunt: iſti ſibi in ſeruitutem redigunt. Et cùm quæritur quis aduerſus hoſtes dimicet, inueniuntur nulli: cùm ſcilicet eorum oppreſſione retenti, ad mandatum noſtrum occurrere nulli prorſus inueniantur. Sed cùm vndique anguſtati clamamus, non eſt qui audiat, non eſt qui adiuuet, non eſt qui ſaluum faciat, niſi tu, fili chariſſime, & Imperator clementiſſime, qui poſt Deum nobis factus es in refugium, & ſolatium, & auxilium. Quocirca totis præcordiis, totiſque commoti viſceribus, cum Epiſcopis & preſbyteris ac proceribus, totiſq; plebis nobis olim commiſſæ reliquiis deprecamur, iube tandem aperire aures, audire gemitum & ſingultus omnium noſtrûm, porrigere manum, & præſtare opē patriæ periclitanti, ciuitati inter multas miſerias & ærumnas iacenti, & huic Eccleſiæ matri veſtræ, à qua non ſolùm regnandi, ſed & in Dominum vnum & verum credendi exordium percepiſtis: quæque in vltimo, ſpreto bono & magno fratre, vos more Dei gratuita voluntate, tanquam alterum regem Dauid elegit & præelegit, atque ad imperialia ſceptra prouexit. Cogitate itaque, Dei cultor ſemper Auguſte, à propheta pręmoniti, ſi hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium? vel vbi relinquetis gloriam veſtram? Perpendite quia ſi hæc humiliatur, non ſolùm gloria imperij veſtri periclitabitur, ſed & ipſa profectò Chriſtianæ religionis cultura maxima ex parte peribit. Et idcirco talia ſcientes nolite, obſecro, iam differre: nolite de die in diem induciis non profuturis abuti. Cum Prouerbiatore clamo, & cum Salomone vociferor: *Ne dicatis amico veſtro, vade & reuertere, cras enim dabo tibi*. & aliàs: *Quod poteſt*, inquit, *manus tua facere, inſtanter operare*, & cætera. Neſcitis namque, vt cum venia veſtra dicam, quid ſuperuentura pariat dies. Ita ergo, fili Chriſtianiſſime, de hac Eccleſia, necnon & patria velociter & prudenter excogitate & ordinate: vt ſaltem ipſę pauciſſimæ reliquiæ ſalue ſint quæ remanſerunt, quæque quotidie cateruatim gladio & præda diſpereunt. Occurrite ſtrenuè, ſubuenite celeriter, & manu conſolationis veſtræ ab oculis noſtris tandem abſtergite lacrymas: quatenus ſuper illis & præſentialiter Deo propitio gaudeatis, & in futuro, frequenti ac laudabili relicta fama ſuperſtite, cum Chriſto perpetes in cæleſtibus imperetis. Data XVII. Kalendas Decembris, Indictione X.

Margin notes: 2. Tim. 3. 1. — Hier. 9. 1. — Ioel. 1. 4. — Eſa. 10. — Prou. 3. 28. — Eccl. 9. 10.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XVI.
Ad Carolum Imperatorem.

Laudat quòd ſedis Apoſtolicæ legatos benignè exceperit: rogátque vt Eccleſiæ Romanæ prædones, qui Miſſorum ipſius iudicium latentes effugerant, requiri & coerceri iubeat.

Epiſt. XXIII. IOANNES Epiſcopus Carolo Imperatori. INNUMERAS omnipotenti Deo grates & laudes referimus, qui cor pietatis veſtræ, quod in manu ſua conſiſtit, tanta Spiritus ſancti gratia replere dignatus eſt, quanto ſollicitiùs vos ſacras aures ad profectum Eccleſiæ nobis commiſſæ diuinitùs incli-

nantes, & Apoſtolicæ ſedis legatos, Leonem videlicet apocriſiarium & Miſſum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſeu Petrum, venerabiles Epiſcopos, noſtróſque dilectos, ea benignitate, qua ſoliti eſtis, & eo ampliùs ſuſcepiſtis: & illa quæ vobis pro ſtatu ac exaltatione ſanctæ Dei Eccleſiæ ſuggeſſerunt, ad efficacem finem prouenire iuſſiſtis. Verè enim, filiorum cariſſime, cor veſtrum in manu Dei eſt, quia eius conſulta vniuerſa diſponitis, & ſapienter imperium vobis collatum moderari ſtudetis: quia ex vtero matris creuit vobiſcum ſapientia, & rectitudo fuit dilecta veſtra amica. Et quia præconiorum veſtrorum humana lingua fari non ſufficit multitudinem, ad illa quæ de infidelibus noſtris & veſtris peracta ſunt epiſtolariter abeamus. Veſtris quidem, benigniſſime Imperator, apprimè eruditis viris & Deũ timentibus, Anſegiſo videlicet reuerendo Archiepiſcopo, & Adalgario venerabili Epiſcopo, communibus quoque fidelibus noſtris, iuxta quod petieramus, pro honore atque vtilitate ſanctæ matris veſtræ Eccleſiæ Romanæ à vobis directis, Romam peruenientibus, & quantum vobis iuſtitia placeat luce clariùs agnouimus, & de affectu filiorum, quem erga nos conſeruatis, in Domino gratulati ſumus: ſed de infidelibus ſanctæque Romanæ Eccleſiæ hoſtibus, quos pro multis ſceleribus ac prauitatibus ſuis ouile Chriſti nõ recipit, huc illúcque latitantibus, & nefandiſſimos actus ſuos tegere molientibus, non vt oportuit, neque ſicut veſtri voluerunt legati, de illis potuit adimpleri. Nam vt ita fateamur, à ſibi ſimilibus infidelibus veſtris, & inimicis noſtris, quibuſdam ſcilicet Marchionibus, quos iidem veſtri legati narrabunt, ocultati & effugati, nec ad ſe percutientes reuerſi ſunt, nec alios ſuæ malitiæ inquinamento contaminare deſiſtunt. Proinde clementiam veſtræ celſitudinis imploramus, & per futurum Dei iudicium adiuramus, vt eoſdẽ ſanctæ Dei Eccleſiæ hoſtes atque prædones, ſacrilegos quoque, ſiue tyrannos, ac per hoc à Chriſti collegio ſynodicè ſequeſtratos, ſtudioſiùs requiri iubeatis, & ad lugenda mala, quæ inprætermiſsè hactenus operati ſunt, ſicut iam decreuiſtis, exilio deputetis. Quia ſi ipſi, qui tantùm Dei Eccleſiam macularũt, impunè iam veſtram ſanctionem diffugerint, vel ſi, quod euenire non debet, in veſtro imperio quibuſcumque, quod turpe eſt dicere, contra veſtrã voluntatem eis fauorem præſtantibus, tam abſolutè diſcurrerint; totum idem veſtrum imperium coinquinabũt, & omni Chriſtianitati diſpendium generabunt: quia cùm ſint ipſi oues morbidæ, totum gregem contaminant, & erunt nouiſſima illorum peiora prioribus. Ideóque maior morbus maiori medicina curandus eſt; ne ſi non debita, vel quali decet auſteritate vulnera magnum fœtorem dantia radicitus reſecata fuerint, totum corpus Eccleſiæ tabeſiat, & nobis hæc ſuſtinentibus miniſterium noſtrum exercere nõ liceat. Non enim Stephanum & Sergium ad nos fraudulenter venientes recipere noluimus: ſed eos ad veſtram venire iuſſimus maieſtatem. Ceterùm, fili cariſſime, theſauros Eccleſiæ noſtræ, ab eiſdem nefandiſſimis raptos ac fraudatos, ita ſciatis ab ipſis etiam celatos, vt per eos qui hîc de ſuis ſatellitibus remãſerunt, inueniri non poſſint: illos verò qui nouerunt vbi eos recondiderint, ne detegi poſſent, apud ſe callidè retinent: & niſi ipſi capti fuerint, vbi ſunt occultati, nos noſtróſq; penitus latet. Verumtamen quid vel quantum ab vno & quantũ ab alio, quantúmque etiam in domibus eorum repertum ſit, veſtri iam dicti legati & ſcripto & verbis vobis ſi placet edicant. Data XVIII. Kalendas Decembris, Indictione X.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XVII.
Ad Carolum Caluum Imperatorem.

Scribit intellecturum Imperatorem ex Adalgario Epiſcopo (cui pallium concedit) cur Eccleſiæ cauſa ex voto non proceſſerit. Taxat Anſegiſum, & Adalgarij fidem commendat.

IOANNES EPISCOPVS CAROLO IMPERATORI.

Epiſt. xxiv. LAVDABILEM quidem intentionem & pium ſtudium veſtrũ pro cauſa Eccleſiæ noſtræ, matris videlicet veſtræ, fili cariſsime, viſcerabiliter habitum & bene diſpoſitum agnoſcentes, innumeras Deo gratias, qui totius boni auctor & moderator eſt, quique docet hominem iuſtitiam, geſsimus. ſed im-

pediuit nos Satanas, & ſpes noſtra fruſtrata eſt, cùm non ad vorum noſtrum & commune propoſitum finis rei proceſſerit. Qualiter autem, vel quo faciente, ita cauſa prouenerit, Adalgarius ſanctiſsimus Epiſcopus, quem nos veſtri amoris cauſa, ipſiúſque morum probitate non immeritò mori, palliatum ad vos ecce remiſimus, à maieſtate veſtra interrogatus, & per fidem, quam vobis ſe illæſam ſeruaturum pollicitus eſt, adiuratus edicet. Illud tamen nos interim ad memoriam veſtram reducimus, quod nobis olim de Anſegiſo & Lantberto ſpecialiter quodam præſagio futurorum, tamquam prouidus reuera pronuntiaſtis. Eſt enim ita geſtum vt præuidiſtis, & nil vos antè latuit, quod poſtmodum intellectus noſtri oculus non aſpexerit. Non enim rectè cum eo, ſicut Epiſcopum decuit, ambulauit: ſed per verſipelles anfractus incedens, multum à via rectitudinis deuiauit. Quod cùm exhibitum ad lucem veritatis extiterit, penitus euaſurum non credimus impunitum. Cuius ſcilicet certam rei poteritis circumſtantiam proculdubio deprehendere, ſi, vt prætulimus, idem almificus vir ſub teſtificatione vobis promiſſæ fidei adiuratus vos latere nolueris. Sanè noſſe vos volumus, quia cùm ſæpe memoratum Antiſtitem adeu cognouiſſemus vobis eſſe fidelem, vt crederemus nullis muneribus nulliſque terroribus à ſuæ fidei erga vos habitæ ſinceritate poſſe diuelli, adhæſit animæ noſtræ ſalutis filius, & idcirco inter pontificium noſtrum & imperium veſtrum mediatorem illum fore decreuimus, vt quaſi vocis vtriuſque ſit organum, referátque veſtra nobis, & quæ noſtra ſunt vobis annuntiet, vt lapis angularis habitus in Chriſto Iesv, qui eſt pax noſtra, & fecit vtraque vnum. Data xvi. Kalendas Decembris, Indictione x.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XVIII.
Ad Richildim Auguſtam.

Rogat vt Romanæ Eccleſiæ ſuffragetur.

IOANNES EPISCOPVS RICHILDI AVGVSTÆ.

Epiſt. xxvi. QVANTO amore ſpiritualis filius noſter piiſſimus Imperator erga hanc ſanctam matrē ſuam Eccleſiam flagret, ex hoc manifeſtiſſimè claret, quod cauſam illius apud ſe ſpecialiter exequendam & ordinandam in veſtris propriè manibus collocauit. Cui enim congruentiùs & præſtantiùs eam, quam præ ceteris ſpiritualiter diligit, oro, committeret, quàm vobis, quæ ab eo ſic diligi iubemini, ſicut diligi à Chriſto iubetur Eccleſia? Vnde magnopere gratulamur de vobis tot audientes præconia, & confidimus in Domino, quia onera quę portamus, tam à paganis, quam à peſſimis Chriſtianis, veſtri ſtudij humeris alleuiabitis, & eritis pro Eccleſia Chriſti apud pium coniugem more ſanctæ illius Eſther pro Iſraëlitica plebe apud maritum. (Eſther 5.) Quia verò ſæpè ad Chriſtianiſſimum coniugem veſtrum ſemper Auguſtum diuerſis pro neceſſitatibus, ſiue miſſos, ſiue apices mittimus, ex hoc iam obſecramus & petimus, vos eſtote pro nobis oſtium, lingua, & manus. immo totum pro nobis ſitis aduocatoris fungentes officiis, & omnia pro nobis in omnibus facire. Ita vt amici quidem & fideles Eccleſiæ huius per vos apud apicem veſtrum locum, apud vos inueniant aditum, & ſalubre in neceſſitatibus ſuis omnino remedium: è contra verò, inimici & infideles per vos confundantur & excludantur: quia & nos pro vobis apud omnes, & in omnibus erimus, & præcipuè apud beatiſſimos Apoſtolorum principes Petrum & Paulum amatores & protectores veſtros. ita vt paterno vos affectu ſemper fouere ſtudẽtes, & tamquam ſpiritualem filiā dilectionis noſtrę finibus collocatam in Chriſto tractare ac tegere perpetuò ſatagentes, apud eos commendare aſſiduis precibus ſtudeamus, & veſtri memoriam ad ſacroſancta corpora ipſorum ſemper deponere ſatagamus. Lætamur autem & iocundamur in Domino, quia beatam vos & felicē dicent omnes generationes; quia pio committente coniuge tam ſalutiferum miniſterium aſſumpſiſtis: per quod ſcilicet & in præſenti ſæculo nomen bonum, quod eſt ſuper diuitias multas, & cæleſte acquiretis inter Angelos, & non finiendum imperium. Data xvi. Kalendas Decembris, Indictione x.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XIX. Ad Carolum Caluum Imperatorem.

Propter imminentia tum à Sarracenis, tum à quibuſdam Chriſtianis, grauiſſima pericula, enixè petit, vt promiſſa auxilia quamprimum mittat, & deſtinatos ea de cauſa legatos commendat.

Epiſt. xxx. IOANNES Epiſcopus Carolo Imperatori. CVM nos in Ecclesiaſticis curis inſtātia quotidiana cōſtringeret, & hinc inde populi nobis commiſſi continuus dolor, qui cuncta noſtra interiora perculit, perturbaret, illud vt ita dixerim inter alia fleuimus, quòd nunc vſque tam per terram, quàm & nauigio, ad vos noſtrū Miſſum dirigere ſummo deſiderauimus ſtudio, vt nobis veſtram proſperitatem deſiderantibus & anxiè ſitientibus renuntiarentur citiſſimè ſanitates, ſed omnino nequiuimus. Hinc fateor, fili cariſſime, tanta per vtrumque iter impedimenta timuimus, quàntum & per paganos, & per iniquos Chriſtianos, ſine reſpectu diuini timoris, generari mala, quæ ætas noſtra non meminit, deploramus. Tanta enim ſunt, vt intra mœnia Vrbis reliquiæ populi innumerata paupertate affectæ conſiſtant, & omnibus forinſecus deuaſtatis ac in ſolitudinem redactis, nihil iā reſtet niſi, quod Deus auertat, ipſius Vrbis excidium. Sed & quantum nos Leo venerabilis Epiſcopus, apocriſiarius & miſſus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, communis quoque fidelis, à veſtro ſeruitio rediens, de hoc quod à vobis retulit poſt ſe veſtrum exercitum contra Agarenos mittendum, lætificauerat: tantum hucuſque eumdem nobis expectantibus, quod conſecuti non ſumus, validior mœror & ineffabilis anguſtia contriſtauit: quia tota Cāpania ab ipſis Deo odibilibus Sarracenis funditus deuaſtata, iam fluuiū qui à Tiburtina vrbe Romam decurrit furtim trāſeunt, & tam Sabinos, quàm ſibi adiacētia loca prædantur. Sanctorum quoque baſilicas & altaria deſtruxerunt, ſacerdotes & ſanctimoniales, alios quidem captiuos duxerunt, alios autem variis mortibus necauerunt, & omnem Chriſti ſanguine redemptum populum in circuitu deleuerunt. Et quid dicam? aut quid loquar? cùm peruenerit gladius vſque ad animam, & ſanguis omnium de terra clamet ad Deum? Ergo, præcellentiſſimè Cæſarum, iam iam noſtræ calamitati ſuccurrite, iam populi noſtri miſerias releuate, iam veſtræ potentiæ manum porrigite, & hanc terram, cuius vobis neceſſitates ab ipſo veſtræ vocationis initio notas fecimus, liberate, ne ſi perdita fuerit, veſtrū vileſcat imperium, & totę Chriſtianitati naſcatur diſpendium. Reminiſcimini igitur propter Deum, reminiſcimini, quia multa ſpe & fiducia freti diuinitus & humanitus ad imperij gubernacula promerenda pro vobis certamina ſumpſimus, nullíque labori pepercimus. Ideóque vicem nobis rependite, vt ſpes & labor noſter non ſit inanis in Domino: quia cùm hæc fuerit ſemper apud vos ſumma noſtræ petitionis, ſi ampliùs nobis auxilium veſtrum ſubtraxeritis, in deſperationem lapſi deficiemus, & forſitan in aliud conſilium reſumptis aliquantulis viribus neceſſariò tranſcendemus. Non enim, ſicut vos forſitan æſtimatis, mediocre malū tota noſtra Eccleſia patitur, minimis ſtatus reipublicæ damnis afficitur: ſed alia Sarracenorum incurſibus, alia autem Chriſtianorum ita ſunt exterminata & deuaſtata tyrannide, vt non noſtra ſint quæ noſtra fuerunt: quin potius ſolo nomine omnibus illis vtamur, & vel ad defenſionem patriæ, vel ad aliquam vtilitatem noſtræ Eccleſiæ, quorumlibet ſolatia nunquam inueniamus. Præcipuè autem multi, quos veſtra non ignorat maieſtas, non ſolùm nulla nobis ſolatia conferunt, verùm etiam quicquid reſiduum eſt à paganis, inpr æter miſſè ſubtrahunt, & omnē noſtram diſpoſitionem in territorio Romano ſuis violentiis calcant: adeò vt nec victualia, nec vlla quadrupedia in omnibus noſtris remaneant, nec vllum, qui nobis compatiatur, vel noſtros ſingultus aut gemitus doleat, oculi noſtri aſpiciant. Sed quia tanto Imperatori pauca ſufficiunt, & ex iſtis iam, fili cariſſime, quæ nos præ gemitu & afflictione cordis loqui non poſſumus, vniuerſa alia cognoſceris, quaſi humo proſtrati veſtram magnificentiam deprecamur, & per futurum iudicium deprecātes, cum tota noſtra Eccleſia veſtro diuinitus protecto imperio totis viribus ſuggerimus, votiſque ſupplicibus preces multas effundimus, vt contritæ & omni humano ſolatio deſtitutæ ſanctæ matri veſtræ Romanæ Eccleſiæ defenſionem, debitámque tuitionem, cunctis remotis

CONCILIVM ROMANVM.

IN QVO ELECTIO CAROLI CALVI IMPERATORIS totius Synodi ſententia & ſubſcriptionibus confirmata eſt, menſe Februario, Indictione x. anno Chriſti DCCCLXXVII.

SERMO DOMNI APOSTOLICI IOANNIS in Synodo Epiſcoporum.

OMNIBVS generationibus, immo cunctis mortalibus liquet, qualiter omnipotens & creator vniuerſorum Deus in Eccleſiæ ſuæ parte, quæ gemebunda peregrinatur in terris, per generationes & generationes electos ſuos, velut in cælorum ambitu ſidera noua produxerit, vt miro quodam modo in eiuſdem Eccleſiæ cælo fixa, diuino lumine radiantia, mœrentium animos illuſtrarent, depulſis tetræ mœſtitiæ tenebris, & diuerſarum anguſtiarum diſſipata caligine. Inter quas, tamquam clariſſimum ſidus, diebus noſtris ecce nobis Carolum Chriſtianiſſimum principem ſuperna prouidentia, præſcitum à ſe & prælectum ante mundi conſtitutionem, & prædeſtinatū, non niſi copioſiſſima miſeratione circa noſtram ſalutem mota, ſecundū placitum ſuum, iuxta quod cōgruum erat, in iſto periculoſo tempore tribuit, nepotem videlicet illius quondam magni Caroli, qui rempublicā præliis auxit, victoriis dilatauit, ſapientia decorauit. Qui cùm omnes Eccleſias ſublimaſſet, ſemper hoc ei erat in voto, ſemper in deſiderio, ſicut in geſtis quæ de eo ſcripta ſunt legitur, vt ſanctam Romanam Eccleſiam in antiquum ſtatum & ordinem reformaret. Vnde & hanc multis honoribus extulit, multis munificentiis & liberalitatibus ampliauit, adeò vt amiſſas olim vrbes ei reſtituiſſet, & ex regni quoque ſui parte alias non modicas contuliſſet. Sed pauca dicta ſunt, niſi quæ circa religionis incrementum geſſit, magna & ſublimia memorentur. Religionis quippe ſtatum, inter diuerſorum errorum & prauitarum vepres incultum inuentum, ſacris litteris erudiuit, diuina pariter & humana ſcientia perornauit, erroribus expurgauit, ratis dogmatibus ſaginauit, atque intra breuiſſimum tempus ita induſtria pietatis ſtudio egit, vt nouus quodammodo videretur mundus, magnis luminaribus venuſtatus, & variis vernantibus floribus adornatus. Cuius filius, diuæ ſcilicet recordationis Hludouuicus maximus Imperator, pater huius à Deo electi principis Caroli ſemper Auguſti, patrium ſolium adeo religione imitatus, pietate laudabiliter æmulatus eſt, vt & paterna diuini cultus vota, & erga prælatam principalem

Eccleſiam liberalitatis inſignia, pius natus æquipararet & roboraret, ſed &
vberioribus beneficiis, & dapſilibus munificentiis, vt hæres gratiſſimus
ampliaret. Verùm iſte huius præfulgidus filius, Carolus videlicet, de quo
nobis ſermo eſt, ſereniſſimus & tranquilliſſimus Imperator, qui nobis, vt
prætulimus, in quos fines ſæculorum deuenerunt, quique caligoſi tempo-
ris ex quadam parte tetras ærumnas & miſerias ſuſtinebamus, tamquam
ſplendidiſſimum aſtrum ab arce polorum illuxit, non ſolùm monumenta
progenitorum, bonitatem electæ radicis ferens in ramo, alacriter æquipa-
rauit; verùm etiam omne prorſus auitum ſtudium vicit, & vniuerſum pa-
ternum certamen in cauſa religionis atque iuſtitiæ ſuperauit: Eccleſias vi-
delicet Domini diuerſis opibus ditans, ſacerdotes eius honorans, hos ad
vtramque philoſophiam informans, illos ad virtutes ſectandas adhor-
tans, viros peritos amplectens, religioſos venerans, inopes recreans, & ad
omne bonum penitus ſubſecutus, & omne malum medullitus deteſtatus.
Quapropter & nos, cariſſimi fratres, tot ac tantarum dilectionum eius at-
que virtutum audientes inſignia, & laudabilium longè latéque diffuſa
morum eius intuentes indicia, pietatiſque illius affectus experti frequen-
tiſſimè ac multifariè viſcera, non immeritò intelleximus iſtum eſſe pro-
culdubio, qui à Deo conſtitutus eſſet ſaluator mundi, multo profectò præ-
ſtantiùs ac decentiùs ita vocatus, quàm Ioſeph, qui pene ſolam terram ſal-
uauit Ægypti. Vnde ab vniuerſa ſancta Romana plebe, voce almæ illius
Annæ, ſanctæ perſonam geſtantis Eccleſiæ, ſterilis & fœcundæ, propheti-
2.Reg 2.10. co quodammodo ſpiritu temulentæ, quotidie clamabatur, *Dominus dabit
imperium regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui*: & iterum cum Dauid ora-
Pſal. 85.16. bat, rege pariter ac propheta, *Da*, inquiens, *poteſtatem, ſiue imperium puero
tuo, & ſaluum fac filium ancillæ tuæ*, ſanctæ videlicet catholicæ & Apoſto-
licæ Eccleſiæ. Vnde nos, tantis indiciis diuinitus incumbentibus luce cla-
riùs agnitis, ſuperni ſecreti conſilium manifeſtè cognouimus. Et quia pri-
dem Apoſtolicæ memoriæ deceſſori noſtro Papæ Nicolao idipſum iam
inſpiratione cæleſti reuelatum fuiſſe comperimus, elegimus hunc meritò,
& approbauimus, vnà cum anniſu & voto omnium fratrum & coepiſco-
porum noſtrorum, atque aliorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ miniſtrorum,
ampliſque Senatus, totiuſque Romani populi, gentiſque togatæ, & ſecun-
dum priſcam conſuetudinem ſolenniter ad imperij Romani ſceptra pro-
ueximus, & Auguſtali nomine decorauimus, vngentes eum oleo extrinſe-
cus, vt interioris quoque Spiritus ſancti vnctionis monſtraremus virtu-
tem, qua vnxit eum Dominus Deus ſuus præ conſortibus ſuis, Chriſtum
hunc oleo lætitiæ delibutum extrinſecus faciens, & principem populi ſui
conſtituens: ad imitationem ſcilicet veri regis Chriſti filij ſui Domini no-
ſtri, ita vt quod ipſe poſſidet per naturam, iſte conſequeretur per gratiam.
Deinde non hic perpetuus Auguſtus ad tanta faſtigia ſe velut improbus
intulit, non tamquam importunus fraude aliqua, vel praua machinatione,
aut inhianti ambitione ad Imperialem apicem adſpirauit. Abſit. Neque
enim ſibi honorem præſumptioſè adſumpſit vt Imperator fieret: ſed tam-
quam deſideratus, optatus, poſtulatus à nobis, & à Deo vocatus, & hono-
rificatus, ad defendendam religionem, & Chriſti vtique ſeruos tuendos,
humiliter atque obedienter acceſſit, operaturus & roboraturus in impe-

rio ſummam pacem & tranquillitatem, & in Eccleſia Dei iuſtitiam & exaltationem. Niſi enim nos talem eius cognouiſſemus intentionem, nunquam animus fieret noſter tam promptus ad ipſius promotionem. Et hoc per ſacerdotum Domini manus, & miniſtrorum eius officium, ſicut Dauid & Salomon, & nonnulli alij Chriſti Domini, quos nimirum non eſſe tangendos Spiritus ſanctus per pſalmorum cantica proteſtatur. Quapropter, fratres cariſſimi, omnes vnanimes id ipſum ſentientes benedicamus Domino, & totis cordis ac corporis vocibus collaudemus, qui ſecundum quod pollicitus eſt, ſpernentes ſpreuit, & glorificantem ſe glorificauit: quique hunc tantum nobis talémque contulit, per quem mœrentium conſolatio, & paganorum contritio, & Chriſtianorum proculdubio ſperetur cita redemptio. Summámque maieſtatem eius & pietatem votis continuis obſecremus, vt confirmet hoc in eo, immo & in nobis per eum, quod operatus eſt in eo à templo ſancto ſuo, quod eſt in ſuperna Hieruſalem. Nóſque, quod iam in Romana Eccleſia, quæ eſt magiſtra, mater, & caput Eccleſiarum, auctore Deo, famulatus noſtri miniſterio geſſimus, preces benedictionis fundentes, & coronam imponentes ſceptri, & diadema imperij, etiam hîc in ſancta ac generali fraternitatis noſtræ Synodo, ad quam, Deo duce, pro innumeris neceſſitatibus & vtilitatibus ſanctæ Dei Eccleſiæ conueniſſe dinoſcimur, iteratò cordis affectibus, & oris vocibus, & manus ſubſcriptionibus roboremus. nec ſint, quod abſit, in nobis ſchiſmata, quæ Apoſtolus medullitus execratur, nec animorum alicuius diuiſionis vel diuerſitatis diſſenſio. Responsio Episcoporum.

Psal. 104. 15. 1. Reg. 2. 30. 1. Cor. 1. 10.

Ecce, beatiſſime & Apoſtolice domine Papa Ioannes, luce clariùs videmus mentem apicis veſtri gratia ſancti Spiritus illuſtratam, qui profectò quos repleuerit ardentes pariter & loquentes facit. Niſi enim ipſe cor veſtrum irradians tetigiſſet, nec ad tantæ dilectionis erga nos flagrantiam accenderet, nec ad tot mellifluos & ſalutares affectus, quibus nos proculdubio piè & aſſiduè inſtruitis, proculdubio moueretur. Spiritalem autem filium veſtrum, dominum Imperatorem Carolum, Chriſtianiſſimum & manſuetiſſimum principem, tanto iure cupimus & deſideramus Auguſtalia Romani ſceptri gubernacula inconcuſſa & immutilata, immo augmentata & ampliata, ſine tenus retinere, quanto liquidiùs non per hominem, neque ab homine ſublimatum, & ad tantum culmen poteſtatis euectum, ſuperna gratia reuelante cognouimus. qui nimirum cordi ſacratiſſimo Apoſtolatus veſtri inteiiùs inſpirauit, vt non vos priùs eligeret, ſed anteà vos eum & eligeretis, & diligeretis. Sed & nos, ô domine & coangelice Papa, veſtigia veſtra ſectantes, & ſalubria monita recipiẽtes, quem amaſtis & amamus, quem dilexiſtis diligimus, quem elegiſtis elegimus: & quod in eo, auctore omnium bonorum Deo, ſiue diuina benedictione, ſiue ſacra vnctione, ſiue coronæ imperialis impoſitione geſſiſtis, viſcerabili affectu ſequimur, & celebri laude proſequimur, & digna honorificentia veneramur, atque totius ſenſus noſtri niſibus ita permanere atque pollere ſemper optamus. Sed etſi neceſſitas fortaſſis exegerit, totis officij noſtri conatibus aduerſus aliter ſentientium molimina reſiſtere ſatagemus. Cùm enim, ſecundum Apoſtolum, non ſit poteſtas niſi à Deo, & hæc præcipuè, quæ tam pio collata eſt, haud dubium quin Dei ordinationi reſiſtat, qui iſti Rom. 13. 1.

ordinationi, quæ nobis miniſtrantibus cælitus facta eſt, obſtinata mente reſiſtit. Apoſtolico quippe culmini, docente S. Bonifacio Papa, nemo vnquam obices manus intulit, niſi qui de ſe voluit iudicari. Durum eſt autem contra ſtimulum calcitrare, vel aduerſus impetus fluminis conari.

Item svmmvs Pontifex. Quia igitur, fratres dilectiſſimi, inſpiratio diuina omnium noſtrûm corda in vnum ſenſum, & in vnum eumdémque deliberationis finem direxit, vt ſcilicet vnum ſentiamus & vnum dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata, quæ in præfato piiſſimo & tranquilliſſimo Imperatore ſpiritali filio noſtro Carolo, auctore Deo, ſiue preces benedictionis ſuper caput eius infundendo, ſiue ſacræ vnctionis oleo celſum ipſius verticem contingendo, ſiue coronam imperij conferendo geſſimus, ſententiæ prolatione, ſi vnanimi generalitati veſtræ videtur, & per manuum ſubſcriptionem, etiam in præſenti hac venerabili Synodo, ſicut iam hortati ſumus, iteratò promulgemus & roboremus.

Sancta Synodvs respondit. Placet, & valde placet, in omnibus veſtra ſacratiſſima ſectari veſtigia. neque fas eſt, vt à culmine Apoſtolatus veſtri in aliquo diſſentiamus, quem videlicet ipſe Chriſtus Dominus noſter omnium noſtrûm ad vicem ſuam in terris eſſe voluit caput. Tvnc svrgens svmmvs Pontifex sententiam protvlit dicens. Piiſſimi & sereniſſimi ſpiritalis filij noſtri Caroli magni & pacifici Imperatoris ad imperialia ſceptra electionem & promotionem, ante mundi quidem ordinem diuinitus ordinatam, nuper autem, id eſt præterita nona Indictione, per miniſterium noſtræ mediocritatis exhibitam, annuente Deo, ex tunc & nunc & in perpetuum firmam & ſtabilem decernimus permanſuram. Responderunt omnes. Placet, placet.

Item. Si quis tantæ rei diuinitus actæ proculdubio inſtitutionem ſuperbia aut auaritia, vel certè aliquo peſſimæ ambitionis inſtinctu, perturbare aut violare tentauerit, cuiuſcumque ſit ordinis, dignitatis, aut profeſſionis, tamquam Dei inimicus, & ordinationi eius tyrannide ſua reſiſtens, & Eccleſiæ Dei hoſtis, totiúſque pacis & Chriſtianitatis diſſipator, anathemate vſque ad ſatisfactionem teneatur omni tempore annexus. Responderunt, Fiat, fiat. Item svmmvs Pontifex. Patratores & incitatores peſſimi huius conſilij, qui profectò, cùm miniſtri ſint diaboli, ſua quærunt, non quæ Iesv Chriſti, & in imperium ſubintroducere ſimultates & diſcordiam moliuntur, ac fraudulentum immittere ſchiſma, ad confundendam Eccleſiæ vnitatem, regníque congruum ſtatum & ordinem, totíque publicæ vtilitatem & tranquillitatem, conantur, ſi deinceps in talibus inuenti fuerint, ſi quidem Eccleſiaſtici viri extiterint, tamquam veri ſchiſmatici, & à capite diſsidentes, omnimodis deponantur: Laici verò & monachi perpetuo anathemate feriantur. Et responderunt omnes tertio. Fiat, fiat, fiat. Subſcripſit ergo domnus Papa, & cum eo Epiſcopi qui adfuerunt.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXI.
Ad Carolum Caluum Imperatorem.

Mittit Imperatori palmam, & malis, quibus à Sarracenis prauiſque Chriſtianis vrgebatur, expoſitis auxilia petit.

IOANNES EPISCOPVS CAROLO IMPERATORI.

Epiſt. xxiii. INTER cætera, quæ vera ereſcente religione ab olim Eccleſiaſtica facta veſtræ pietati duximus intimanda, virentium vobis palmarum ecce brauium mittimus, quod Apoſtolus non omnes qui currunt, (1. Cor. 9.) ſed vnum propter vnitatem legitimè certantium accipere proteſtatur. Quapropter, fili cariſſime, quaſi præſentes incuruatis genibus & ſummiſſo capite deprecamur & obſecramus, vt itea legitimè celſitudo veſtra in huius ſæculi ſtadio pro Chriſti Eccleſia currere, ita decertare contendat, vt non ſolùm brauio victrix veſtra dextera adornetur, verùm etiam ſacratiſſimum caput diademate gloriæ decoretur: immo pro viſibilibus his & corruptibilibus, non tantùm palmam, ſed & coronam accipiat incorruptam. Sed heu, clementiſſime Imperator, ecce dum ad alia intenditis, mater veſtra, ſancta videlicet hæc Eccleſia, quę vos ſpiritualiter genuit, periclitatur, & in nouiſſimum deuenit exitium: hinc inde non ſolùm tabernaculis hæc Idumæorum & Iſmaëlitarum, & Agarenis quotidiano gladio & captiuitate in interitum impellentibus, verùm etiam falſis filiis Sarræ, quos optimè noſtis, in prædam & direptionem miſerabiliter immittentibus. ita vt & illi ſæpè vſque ad muros Vrbis quamuis clandeſtinis hotis peruenerint, ſed & Tiberinum fluuium, qui olim Albula dicebatur, iuxta Sabinorum confinia pertranſierint: & iſti, qui nobis vicini ſunt, ex altera parte ita ſęuiant & debacchentur, vt non hominem, non agrum, non iumentum, non pecus, non quicquam ex his, quæ S. Petri iuris exiſtunt, dimittere patiantur: ſed omnia quæ oculo vident, manu diripiant, & mala quæ cogitant, ſine mora perficiant. Hæc ſunt, cariſſime, de innumerabilibus pauca, quæ mater veſtra Romana, proh dolor, diebus veſtris perfert Eccleſia: quaſi non vos ſpecialiter ex omnibus, & præ omnibus amauerit, inuitauerit, & extulerit: vel quaſi nos non vos, auctore Deo, in imperium coronauerimus, & vobiſcum in omnibus, quaſi cum ſapientiſſimo Salomone, vt quondam ille fidelis Sadoch (3. Reg. 1.) ſacerdos, aduerſus alterum ad omnia minimè ſteterimus, nec cuncta, quæ pro vobis debuerimus facere, fecerimus. ad extremum quaſi non hodièque manui veſtræ ſpeciali voto & prærogatiua plenam benedictione palmam, ſicut & cernitis, deſtinemus aduerſus viſibiles hoſtes & inuiſibiles triumphantem. Optantes enim vos de cunctis aduerſatiis triumphare, nihil aptius vobis, quàm ramos palmarum, duximus offerendum, quos & pueri ſternebant in via Domino Hieroſolymam (Matth. 21.) venienti, antiquum hoſtem triumphaturo, & mundum victuro. Sed dicuntur multæ vos impedire ſollicitudines. Hoc planè nec nos ignoramus. Verùm vt cum Domino fateamur, & hæc oportuit facere, & illa non omittere. (Luc. 11. 42.) Nam vobis, qui in agone contenditis, vt ad brauium ſupernæ vocationis, & ad capeſſendam coronam incorruptam perueniatis, ab omnibus aliis abſtinendum eſt, & legitimè, vt prædiximus, decertandum. Quid autem magis legitimum, quàm vt præ omnibus & ante omnia Romanæ curam habeatis Eccleſiæ, quæ ceterarum magiſtra eſt & mater Eccleſiarum? quæ veſtro in tempore tantis ac tam immanibus ſuccumbit ſine ceſſatione periculis? Denique ſi hæc Eccleſia, quæ caput eſt, viget, cetera membra, quamuis languida, recuperandi fiduciam non amittunt. quæ nimirum omni robore carent, ſi contingat ſolum caput fortè languere: quanto potiùs, quod auertat omnipotens, ſi contingat extingui? Vnde iterum iterùmque totis ſingultibus totiſque imploramus præcordiis, & per Chriſtum Dei filium ſuppliciter adiuramus, qui vos ad tantum prouexit faſtigium & imperium, vel nunc ciratum extendite clementiæ brachium, & periclitanti patriæ, quin potiùs mundo, auxilij iam iamque porrigite dexteram. Ecce Petrus in commiſſis ouibus mergitur.

Erigite ergo eas vos à fluctibus clementiſſime. Sic vos ipſe ab exceſſuum alluuionibus erigat, & vobis cæleſtis atria regni interceſſionum ſuarum clauibus referet, & vitæ æternæ paſcua inuenienda inter Angelos ſine termino tribuat, quę oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. Data Idibus Februarij, Indictione x.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXII.

Ad Epiſcopos in regno Caroli Imp. conſtitutos.

Monet vt Imperatorem hortentur ad opem Eccleſiæ Romanæ celeriter ferendam.

IOANNES EPISCOPVS OMNIBVS ARCHIEPISCOPIS & Epiſcopis in regno Imperatoris Caroli conſtitutis.

Epiſt. xxxv. PRISTINIS attriti miſeriis, & oppreſſi calamitatibus, dilectiſſimi filij noſtri magni Imperatoris Caroli, quaſi de profundis ad Deum clamantes, tanquam ipſius Domini & Saluatoris noſtri anxij expectabamus aduentum, & vt ita dixerim, eius iteratum pro ſalute noſtra credebamus imminere deſcenſum. Sed, proh dolor! tot ac tantis circumdamur hinc inde periculis, vt tædeat nos etiam viuere. Ecce enim dominicarum ouium ab Agarenis, qui ſunt filij fornicationis, nec non & ab his qui ſolo ſunt nomine Chriſtiani, aliæ gladio trucidantur, aliæ fame pereunt, alię verò in prędam & captiuitatem ducuntur. Sed & paſtores earum, reuerendi Epiſcopi, profugiunt & vagi huc illúcque palantes omni penitus egeſtate tabeſcunt. Redacta eſt terra in ſolitudinem, & ablatis ab illa hominibus, ferarum ſaltus effecta eſt: ciuitates, caſtra, & villæ ſubuerſæ, nec vbi earum fuerint ædificia innuunt. Sed & venerabilia loca deſtruentes, altaria Domini ſuffoderunt, miniſtros & ſeruos eius occiderunt. Facti
Pſal. 43. 14. ſumus, ſecundum Pſalmiſtam, in deriſum & contemptum his qui in circuitu noſtro ſunt: dum illi aut vicinorum auxilio potiuntur, aut ſaltem pacto, ſecundum Apo-
Epheſ. 5. 16. ſtolum, tempus redimunt, quoniam dies mali sũt. Seminamus pedetentim, quamuis in lacrymis, nec recolligimus. immo iam nec ſeminandi facultas ſuppeditat. Sedet in triſtitia domina orbis, mater Eccleſiarum, magiſtra gentium, conſolatio triſtium, & non eſt qui adiuuet, non eſt qui conſoletur eam, niſi tu ſolus, ô bone Deus, & ſi non propter iniquitates no-
Rom. 5. 5. ſtras, ſed ſpe, quæ ſecundum Apoſtolum non confundit. Quæ, fratres cariſſimi, partim vobis ſignificamus, (nam ſi per ſingula ſcribere tentaſſemus, faciliùs nobis charta quàm ſermo deficeret) vt ſicut vnum corpus ſumus in capite Chriſto, & alter alterius membra, ita nobiſcum pariter condoleatis & compatiamini. quia ſi quid vnum patitur membrum, vt Do- 1. Cor. 12. 26.
ctor gentium ait, compatiuntur omnia membra: & ſi compatimur, & conregnabimus. Condolẽtes autem nobis, & compatientes, accedatis ad Chriſtianiſſimum filium noſtrum, & conſilium Domini ab eo non abſcondatis: ſuggerentes, & exhortantes, vt perpendat quis & quàm terribilis ſit ille, qui hunc ante ſæcula huic præfuturum regioni prædeſtinauerit, & quàm diſtrictè ab eo exacturus ſit quod commiſit. qui ſcilicet tam pretioſi ſanguinis fuſione quod credidit emit. Meminerit etiam, quia & nos illum præ ceteris propinquis & æmulis eius amauimus, elegimus, & prætulimus. Vnde & eum aduerſus omnes hoſtes Eccleſię non ſolùm defenſorem, ſed & patronum & aduocatum noſtrum exſtere propoſuimus: vt quod ei nos apud Deum eſſe ſatagimus, ipſe inter homines pro nobis fieri non detrectet. præcipuè vt accelerans nobis ſubueniat, & ſine mora contra perfidos Chriſtianos & infideles ſuccurrat. In quo ſanctæ fraternitati veſtræ præ omnibus laborandum eſt: pro commiſſo ſcilicet ſibi ſacerdotali officio, & quia, vt
cum propheta veridico fateamur, ſi hæc Eſa. 10. 3.
humiliatur, ad cuius confugietis auxilium, vel vbi relinquetis gloriam veſtram? Data III. Kalendas Martij, Indictione x.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXIII.
Ad Carolum Caluum Imperatorem.

Auxilium contra Sarracenos implorat, qui deuaſtata Campania, omnia Romæ ſuburbana depopulabantur.

Epiſt. xiv. IOANNES Epiſcopus ad Imperatorem. DIVINA ideo maieſtas excellentiam veſtram præ ceteris elegit Romani imperij altitudine ſublimare, Auguſtalique voluit diademate coronare, vt Deo noſtro clementer auxiliante, potentiæ veſtræ brachio triumphali, Eccleſiam Chriſti voce ſupra petrā veræ fidei fundatam tueremini ſemper, & ab immani crudelique paganorum infeſtatione, qui nos iam more latronum vndique circumdantes omnia noſtra igne gladióque deuaſtant, pio mentis defenderetis intuitu. Sed quia nobis procul exiſtentibus, tot dura & importabilia, pro quibus iam veſtram Auguſtalem implorauimus maieſtatem, ſupra modum quotidie patimur. quippe cùm tota iam depopulata Cāpania, nil habeamus, nilque nobis, aut venerabilibus Monaſteriis, ceteriſque piis locis, neque Senatui Romano, vnde corporaliter ſuſtentari poſſimus, remanſerit: omnibus etiam Romæ ſuburbanis adeo deprædatis, vt nullus in ipſis iam habitator, vel cuiuslibet ætatis incola videatur conſiſtere. Pro quibus ſanè malis innumeris ingenti mœrore afflicti, doloréque turbati, nec ſomnum oculis, nec cibum ore capere poſſumus: ſed pro requie laborem aſſiduum, & pro corporali dapium dulcedine, mentis amaritudinem patimur. Idcirco veſtram imperialem maieſtatem, totius ſapientiæ luce ſplendidè irradiatam, ſancta Romana Eccleſia, quæ religioſo vos vtero genuit, meo quidem ſermone, ſed ſuo venerabili ſuppliciter nimis precatur affectu, vt omni dilatione remota, omnique eius cura aſſumpta, nunc ad ſuam defenſionem & totius patriæ liberationem adiutor clemens, defenſor potens, & ſaluator inuictus venire dignemini. quia niſi veſtra deſiderabiliſſima nobis adfuerit præſentia, nullum defenſionis auxilium, nullumque neceſſariæ ſalutis remedium poterimus habere. Nos enim, cum omni ſedis Apoſtolicæ ordine ſacro, cum religioſis & Deum timentibus viris, pro veſtræ gloriæ proſperitate, continuáque mentis & corporis ſalute, omnipotentem Dominum, cuius eſt ſalus omnis & vita, totis deprecabimur niſibus, vt nec tēporis feruor, nec loci natura inſolita, nec moleſtia qualibet veſtro inſigni corpori nocitura contingat. Quamobrem nihil horum quæ ſine Dei proculdubio non euenient nutu dubitantes, quin potiùs in Domini miſeratione totis viribus confidentes, non ſolùm corpoream incolumitatem, verùm etiam & perpetuam animæ veſtræ merebimini adipiſci ſalutem & gloriam. Dignetur igitur piiſſima ſerenitas veſtra, clementiſſime Imperator Auguſte, pro tantæ ſedis liberatione, tantorúmque hominum Chriſti cruore redemptorum ſaluatione, noſtras & Eccleſiæ noſtræ preces audire, ſingultus proſpicere, & tanti gemitus lacrymas inceſſanter effuſas attendere: quatenus more ſolito, & ſolitæ pietatis viſcere nobis compatientes, opem conſolationis citiſſimè petentibus tribuentes, prout opportunum eſt, nos adiuuare ſatagatis. quia poſt Deum vnica ſpes ſalutis & liberationis noſtræ fiducia vos proculdubio eſtis. Ideo per voſmetipſos properantes, congruum & opportunum nobis præbere auxilium non differatis: vt & Dominus, qui elegit vos caput orbis, & dominum fecit, auxilium ſuum vobis de ſancto mittere ſemper dignetur, amantiſſime fili. Data VIII. Kalendas Iunij, Indictione x.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXIV.
Ad Archiepiſcopum Ebredunenſem.

Reprehendit quòd alium Epiſcopum, præter eum quem clerus & populus elegerat, in Venceinſi Eccleſia conſecrauerit: præcipit vt cum vtroque Romam veniat.

Epiſt. xxx. REVERENTISSIMO & ſanctiſſimo Ariberto Archiepiſcopo Ebredunenſi. SI canonica in conſecrandis Epiſcopis ſtatuta ſeruaſſes, nunquam, ſicut auditu didicimus, & de quodam Diacono, nomine Vvaldeno, ſuper tuam dilectionem reclamante, ſe canonicè à plebe & populo Venciate electo, &

à tua ſagacitate abiecto, de conſecrato controuerſia quęlibet naſceretur, qua veſtra meritò reprehenderetur fraternitas. At nunc, quia mortuo Venciensi Epiſcopo, non præfatum ſacerdotem, quem, vt dictum eſt, clerus & populus ciuitatis elegerat, piæque memoriæ Carolus Imperator ſuo conſenſu firmauerat, conſecraſti, eodem Auguſto de præſenti vita ſubtracto, alectum, non iuxta normam canonicam electum ex aduerſo venientem, nec per oſtium ſed aliunde introeuntem, tuo tantum libitu ordinaſſe accuſaris. In quo te non leuiter incurriſſe omnino videmus: quia dicente prædeceſſore noſtro

Epiſt. 1. Epiſcopis Vienn. & Narbon. Papa Cęleſtino, Nullus inuitis detur Epiſcopus, cleri, plebis, & ordinis conſenſum & deſiderium requirere debuiſtis. Cuius etiàm auctoritate clerici habent facultatem reſiſtendi, ſi ſe viderint prægrauari: vt quos ſibi ingeri ex trāſuerſo cognouerint, non timeant refutare. quoniam etſi nō debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos recturus eſt, debent habere iudiciū.

Epiſt. 95. Ruſtico Narbon. Nam & S. Leone dicente: Nulla ratio ſinit, vt inter Epiſcopos habeantur, qui nec à clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti. Vnde cùm ſæpe quæſtio de malè accepto honore naſcatur, quis ambigat nequaquam iſtis eſſe tribuendum, quod non doceatur fuiſſe collatum? Eodem etiam capitulo XXXV. canonum ſuorum iubente, Nullus, vt dictum eſt, non petentibus eſt ordinandus Antiſtes, ne ciuitas Epiſcopum non optatum aut cōtemnat, aut odiat: ac per hoc fiat minùs religioſa quàm conuenit, cui non licuit habere quem voluit. Epiſt. 88. Anaſtaſio Theſſalon. His ita ſtatutis, ne in Eccleſia Dei tibi commiſſa ſcandalum maneat vel ſchiſma exiſtat, dilectioni tuæ iubemus, vt cum eodem à te conſecrato Epiſcopo, & illo qui ſe canonicè aſſerit fuiſſe electum, de præſenti Romam venire procures, quatenus in præſentia noſtra & ſedis Apoſtolicæ tanti cauſa negotij diligenter inquiſita & examinata, legitimum Deo fauente finem percipiat. Obedire igitur te oportet huic noſtræ præceptioni pro Eccleſiæ Dei pace directæ. Nam ſi aliter feceris, ſcito quia nos talem illicitam prę́ſumptionem impunitam nullatenus relinquemus. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXV.
Ad Ludouicum Balbum regem.

Deplorat mortem Caroli Imperatoris patris eius. Hortatur vt pacem habeat cum regibus conſanguineis ſuis, & Eccleſiæ inimicos perſequatur, præcipuè Lambertum Ducem, cuius diras infeſtationes commemorat. Denique in Galliam ſe venturum, ibique Synodum celebraturum ſignificat.

LVDOVICO GLORIOSO REGI, FILIO DIVÆ memoriæ Caroli II. Imperatoris Auguſti.

Epiſt. XXCVII. QVANTO deinde amore dilectionis, pro tantorum bonorum virtutibus, & pro omnipotentis Dei quotidianis genitorem veſtrum dilexerimus cultibus, horum, Chriſto conſcientiæ noſtræ teſte, abſque lacrymarum effuſione factorum reminiſci nullatenus poſſumus. Et quamquam gaudendum ſit, quoniam eumdem, poſt felicis curſum operis, inter Angelorum cœtum paradiſi ſuſceperint præmia vitæ perennis, flendum nihilominus conuenit, quòd tantum adiutorem Eccleſiarum Domini diffuſarum in orbe præſentia corporali, heu proh dolor! amiſerimus. Præſertim cùm hoc in tempore ſancta Romana Eccleſia, mater omnium, quæ meæ mediocritati commiſſa eſt IESV æterni diſpoſitione conſilij, in quo, vt cum Apoſtolo pace quorumcumque dixerim, fines ſæculorum deuenerunt, 1. Cor. 10.11. in tot perſecutionibus atque aduerſitatibus diu laceſſita, domeſticorum debacchatione fatigetur, vt cogar cum propheta erumpēs exclamare:

exclamare: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* & rurſus: Pſal. 119. 2. *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.* Sed vos, fili cariſſime, hortor ac moneo paterno amoris affectu, eius imitari in Eccleſiarum exaltatione veſtigia vitæ ſpiritalis, cuius floris decore natus regia dignitate exiſtis. Primùm vt pacis vnitatem vinculúmque caritaris cum fratribus veſtris, nimirum Ludouici regis Baioariorum filiis, cúmque fidelibus Chriſtianis tenens, demum contra inſanientes rabie tyrannos, paterno prouocatus exemplo, virtutem roboris, Chriſti auctoritate, in defenſionem matris veſtræ, à qua & porum prædicationis in proauis, & infulam imperij accepiſtis, medullitus viriliterque effundere valeatis. Quia, quod dici ſine lacrymarum imbre nullomodo poteſt, prodiit in hoc tempore apud nos ex maſſa peccati, radix ac fomes nequiſſimæ perditionis, Lambertus Vvidonis quondam Spolerani ducis horrendus filius, fatemur membrum Antichriſti, qui aduerſatur & extollitur derogando aduerſus ortum regalis progeniei, & ſe turpis lucri cupidum clandeſtina machinatione, rapacitatis ardore, nunc huc atque illuc tergiuerſando, cum mœcha ſorore Rotilde, cúmque complice ſuo infido Adelberto Marchione, immo patriæ prædone, ad faſcem, vt vera fama volitat, impudenter, quod Deus auertat, ſuſtollere Romani imperij. & nunc, vt pote abominatio deſolationis, atque perditionis filius, caput ſcorpij & aſpidis ſurdæ, deſtruit dilapidans, pérque nequam ſuos diſperdit prædones omnem terminum S. Petri & Pauli protectorum veſtrorum, vbi & pro qua re omnes pene noſtri fideles in paupertatem ac neceſſitatem redacti videntur, ſacramentíſque vt ſibi conſpirent, & ne ad noſtram occurrant iuſſionem, omnis territorij ſanctorum Apoſtolorum homines conſtringere non omiſit. Nunc etiam Tarentum legatione directa paganis, dona que tranſmittens, atque ab eis accipiens, ſupplicitet deprecatus eſt, vt ſibi, cùm ſignificatum fuiſſet, phalangæ Agarenæ ad perniciem Chriſtiani populi quantocius deferant auxilia. Qualiter denique fraude nequitiæ, & per periurium, in ſinu Eccleſiæ noſtræ nos deceperit, vrbémque ſacram inuaſerit, hîc ea ideo prætereundo ſilemus, quia in alio opuſculo ad omnium Chriſtianorum notitiam, quos idcirco anathematis vinculis innodauimus, nonnulla conſcripta tenemus. Pro qua te, domine fili cariſſime, côtra noua & inaudita in Chriſtianis mala, nouum iam feſſus & fatigatus certaminis laborem, naualis ſcilicet periculi, fluctúſque maris, aſſumere deſiderans, metantis periculis ad vos veniens do, pro Eccleſiatū ſanctarum omnium liberatione, iuxta Apoſtolum, non faciens animam meam pretioſiorē quàm me. Act. 20. 24. Et ecce, quantum ad mei miniſterij regimen ſpectat, non recuſo pro Chriſti Domini ouium, ope eius, liberatione mori, detrimētúmque ſufferre. Vos quæſo obnixè, vos, fili cariſſime, lacrymas meas atduumque laborē aſpicire, & ad defenſionem ſanctæ matris veſtræ, veſtrū animum fideliumque veſtrorum adhortatione côtinua præparate, & mecum vnanimiter lupis rapacibus baculos redargutionis ſtudete tenete: quatenus, duce vnigeniti gratia, poſt longa temporum ſpatia, cooperatores effecti noſtri certaminis, de purpura terreni imperij ad coronam venire valeatis perpetuam. & epiſtolas reliquas, quas con fratribus veſtris, Carolomanno videlicet, & Ludouico, atque Carolo iuniori, dirigimus pro talium adhorta-

tione, precamur gloriæ veſtræ decentiam, eaſdem illis ſine mora deſtinare dignemini, omnibúſque reuerentiſſimis Archiepiſcopis, & clero totius ordinis regni veſtri, paterna peto adhortatione ſignificari præcipite, quoniam Domino miſerante apud vos Synodum celebraturi ſumus, cunctis populis Chriſtianis pernecesſariam. Quæcumque noſſe vos cupimus, ſanè deinceps ſumus acturi de negotiis Eccleſiaſticis. Te quoque, cariſſime fili, auctoritate ſancti Spiritus Dei noſtri, ad vicem genitoris veſtri domni, Caroli perpetui Imperatoris Auguſti, à ſecretis conſtituo meum conſiliatium, qui, vt dici aſſolet, pars animæ meæ fuit. & quæque agenda ſunt, coigeadunáque conſilium: quia in fonte tui cordis primùm intingendus calamus, deinde manus noſtra formabit characteris apices.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXVI.
Ad Roſtagnum Archiepiſcopum Arelatenſem.

Suas illi vices in Gallia, & pallij vſum concedit.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI Roſtagno Archiepiſcopo Arelatenſi.

Epiſt. xciv. S. Greg. lib. iv. epiſt. 50.

QVAM bona eſt caritas, quæ abſētia per imaginem, præſentia ſibimet exhibet per amorem: diuiſa vnit, confuſa ordinat, inæqualia ſociat, imperfecta conſummat. quam rectè prædicator egregius vinculum perfectionis vocat: (Coloſſ. 3. 14.) quia virtutes quidem ceteræ perfectionem generant, ſed tamen eas caritas etiam ligat, vt ab amantis mente diſſolui iam nequeant. Hac itaque virtute, frater cariſſime, plenum te eſſe teperiens, cùm pro ſanctarum Dei Eccleſiarum reſtauratione in Arelatenſium ciuitate corporalem præſentiam exhibuiſſem, ſicut mihi de te multorum teſtimoniorum fama vera longè latéque narraret. Quòd verò iuxta antiquum morem vſum pallij, ac vices ſedis Apoſtolicæ poſtulaſti, abſit ne aut tranſitoriæ poteſtatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum, in vicibus noſtris ac pallio quæſiſſe te ſuſpicer. Sed quia cunctis liquet, vnde in Galliarum regionibus fides ſancta prodierit, cùm priſcam conſuetudinem ſedis Apoſtolicæ veſtra fraternitas repetit, quid aliud quàm bona ſoboles ad ſinum matris recurrit? Libenti ergo animo poſtulata concedimus, ne aut veſtræ Eccleſiæ quicquam de debito honore ſubtrahere, aut condignam petitionem veſtrī contempſiſſe videamur. Sed iam nunc ſtudio maiore res indiget, vt cùm honor creſcit, etiam ſollicitudo proficiat, & erga ceterorum cuſtodiam vigilantia excreſcat: vitæ quoque merita ſubiectis in exemplum veniant, & nunquam ſua per ſuſcepti honoris gratiam, ſed lucra cæleſtis patriæ veſtra fraternitas exquirat. Noſtis enim quid B. Apoſtolus gemens dicat: *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt* IESV *Chriſti.* (Philipp. 2. 21.) Quibuſdam namque narrantibus agnoui, quòd in Galliarum vel Germaniarum partibus, nullus ad ſacrum ordinem ſine commodi datione perueniat. Quod ſi ita eſt, flens dico, gemens denuntio, quia cùm ſacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu ſtare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio quid redēptor noſter per ſemetipſum fecerit: (Matth. 21. 12.) quia ingreſſus templum cathedras vendentium columbas euertit. Columbas enim vendere eſt, de ſancto Spiritu, quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi per impoſitionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, vt prædixi malo iam innuitur quid ſequatur. quia qui in templo Dei columbas vendere præſumpſerunt, eorum Deo iudice cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in ſubditis cum augmento propagatur. Nam ipſe quoque qui pretio ad ſacrum ordinem perducitur, iam in ipſa prouectus ſui radice vitiatus, paratior eſt aliis venundare quod emit. Vbi eſt quod ſcriptum eſt, *Gratis accepiſtis, gratis date.* (Matth. 10. 8.) Et cum prima contra ſanctam Dei Eccleſiam Simoniaca hæreſis ſit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum, quem quis cum pretio ordinat, prouehendo agit vt hæreticus fiat? Itaque fraternitati tuæ vices noſtras

in Eccleſiis quæ ſub tegno Galliarum ſunt, iuxta antiquum morẽ, Deo auctore committimus: ſingulis quidem Metropoliris, ſecundum priſcam conſuetudinem, proprio honore ſeruaro. Pallium quoque conceſſimus, quo fraterniras rua decoretur. Sicubi aurem longiùs Epiſcoporum quiſquam pergere fortè voluerit, ſine ruæ ſanctitatis auctoritate ei ad loca alia tranſire non liceat. Si qua verò inquiſirio de fide, vel fortaſſe aliarum rerum inter Epiſcopos cauſa emerſerit, quæ diſcerni difficiliùs poſſit, collectis duodecim Epiſcopis ventiletur atque decidatur: ſin autem decidi nequiuerit, diſcuſſa veritate ad noſtrum iudicium referarur. Proh dolor: cùm in Galliæ partibus eſſemus, inrer cerera vnum valde prohibendum inuenimus. Metropolitæ, antequam pallium à ſede Apoſtolica ſuſcipiant, conſecrarionem facere præſumunr: quod anreceſſores noſtri, & nos, canonico decreto ne fieret interdiximus. Vnde frarernitatem tuam per Galliam noſtram vicem renentẽ hortamur, quatenus ſuper hoc ſollicirudinem habeas, & ne iſtud adoleat, auctoritate prohibeas: & vt ſecundum antiquum morem quęrere feſtinent, moneas, incires, arque præcipias: & ſi ipſi obedianr, nécne, noſtro Apoſtolatui ſuper omnia renunties. Si poreſt in Natiuitare Apoſtolorum, aur per vos, aut per noſtrum legatum aliquem cettis litteris intimare ne differas. Omnipotens aurem Deus ſua vos prorectione cuſtodiar, honorémque perceprum vos in moribus ſeruare concedat. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXVII.
Ad vniuerſos Epiſcopos Galliæ.

Vt Roſtagno Arelatenſi Epiſcopo, cui vices ſuas in Gallia commiſit, omnes obediant.

OMNIBVS REVERENTISSIMIS ET SANCTISSIMIS Epiſcopis & frarribus per Gallias conſtituris.

Epiſt. xcv.

AD HOC diuinæ diſpenſarionis prouiſio gradus & diuerſos conſtiruit ordines inter ſe diſrinctos, vr dum reuerenriam minores porioribus exhiberẽt, & potiores minoribus diligentiam impenderent, vna concordiæ fierer à diuerſitate conrextio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim vniuerſitas alia poterat rarione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differenriæ ordo ſeruaret. Quia verò crearura in vna eadémque æqualitate gubernari vel viuere non poreſt, cæleſtium miliriarum exempla nos inſtruunt: quia dum ſint Angeli, ſint Archangeli, liquet quia non æquales ſunr, ſed in poteſtate & ordine, ſicut noſtis, differt alrer ab altero. Si ergo inter hos, qui ſine peccaro ſunt, iſta conſtar eſſe diſtinctio, quis hominum abnuar huic ſe libenter diſpoſitioni ſubmirtere, cui nouit etiam Angelos obedire? Hinc etenim pax, & cariras mutua ſe vice complectitur, & manet firma concordiæ in alterna & Deo placita dilectione ſynceritas. Quia igirur vnumquodque tunc ſalubriter completur officium, cùm fuerit vnus, ad quem poſſit recurri, prepoſirus: idcirco opportunum eſſe perſpeximus, in Eccleſiis, quę ſub regno Galliarum ſecundum anriquam conſuetudinem ſunr, fratri noſtro Roſtagno Arelarenſis ciuitatis Epiſcopo vices noſtras rribuere: quatenus & catholicæ fidei integriras, id eſt ſanctarum quaruor Synodorum, Deo proregente, ſollicita deuotione ſeruetur; & ſi inrer frarres conſacerdotéſque noſtros aliqua euenerit forrè contentio, auctoritatis ſuæ vigore, vicibus nempe ſedis Apoſtolicæ functus, diſcreta moderatione compeſcat. Cui etiam iniunximus, vt ſi quarumdam cauſarum rale fuerit certamen exortum, in quo aliorum pręſentia opus ſir, congregaris ſibi numero competenti frarribus & coepiſcopis noſtris, ſalubriter ſeruata hoc æquitare diſcutiat, & canonica auctoritare definiat. Si quam verò conrentionem, quod longè faciat diuina potentia, de fidei cauſa euenire contigerir, aut negorium emerſerir, cuius vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine iudicio ſedis Apoſtolicæ indigeat, examinata diligentiùs veritare relarione ſua ad noſtram ſtudear perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua ſine dubio ſentenria rerminari. Cui eriam iniunximus, vt nullum Archiepiſcopum in his partibus ſine pallio à Ro-

mano Pontifice directo conſecrationem facere permittat, & facientes noſtra auctoritate arguat. Et quoniam neceſſe eſt, vt ad eum cui noſtras vices indulſimus, quoties oportere perſpexerit, pro facienda collatione aptis debeant Epiſcopi temporibus conuenire; hortamur vt nullus mandatis eius inobediens eſſe præſumat, nec communi congregationi intereſſe poſtponat, niſi aut corporis infirmitas quempiam fortaſſe vetuerit, aut cuiuſdã eum cauſæ iuſtæ excuſatio minimè venire permiſerit. Hi tamen qui prohibente aliqua neceſſitate nequiuerint in Synodum conuenire, loco ſuo presbyterum aut diaconum dirigant: quatenus quæ à noſtro Vicario, Deo auxiliante, fuerint definita, ad eum qui abſens eſt, per ipſum quem miſerit, fida relatione perueniant, vt inconuulſa firmitate ſet uentur, & nullius ea audeant occaſionis excuſatione violare. Hoc etiam vos pariter præuidimus admonendos, vt nullus veſtrûm ad longinquiora loca ſine præfati fratris & coepiſcopi noſtri Roſtagni auctoritate tentet aliquo modo proficiſci: ſcientes quia & prædeceſſorum noſtrorum, quia vices ſuas eius prædeceſſoribus conceſſerunt, ſic procul dubio mandata definiunt. Hortamur præterea, vt de officio ſuo ſit quiſque veſtrûm ſollicitus, & qui promiſſam cupit patriæ mercedem portionis accipere, commiſſum ſibi gregem ſollicitudine & oratione cuſtodiat: ne lupus inſidians oues creditas inuadendo dilaniet, & ſit in retributione pœna pro munere. Optamus igitur, fratres cariſſimi, & totis omnipotentem Dominum precibus exoramus, vt dilectionem veſtram boni amoris ſui conſtantia faciat magis magiſque ferueſcere, atque in pace Eccleſiæ & vna vos concedat manere concordia. Nuntiatum verò nobis eſt, quia per Simoniacam hæreſim ad ſacros ordines quidam adducuntur, & hoc ſancto fratri & coepiſcopo noſtro Roſtagno per omnia prohibendum mandauimus. Quod vt fraternitas veſtra cognoſcat, & ſtudioſè cuſtodiat, ipſa vobis eſt epiſtola relegenda. Data *vt ſuprà*.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXVIII.
Ad Iſaac Epiſcopum Lingonenſem.

Vt Trecas ad Synodum veniat, & Cabilonem aliquos mittat qui Pontificem eò deducant.

Epiſt. xcxvi. REVERENTISSIMO Isaac venerabili Epiſcopo Lingonenſi. Qvod ſanctitati tuæ notum eſſe non ambigimus, pro ſanctarum Eccleſiarum ſtatu ad Galliarũ partes deuenimus. Quapropter, Domino auxiliante, apud Trecas Synodum ſumus celebraturi, ad quam ſanctitatem tuam volumus omnino adeſſe. Priùs tamen venerabilitas tua nobis miſſos Cabilonum dirigere ſtudeat, qui iter noſtrum recto tramite ad prædictum dirigant locum: & per parochiam veſtram nobis congruas manſionaticas præparate, id eſt in villa Marmania, in pago Alhenſe. Data *vt ſuprà*.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXIX.

Excommunicat eos qui ſibi equos & argenteum vas furati fuerant, niſi intra tres dies reſtituant.

Epiſt. xcvii. OMNIBVS Epiſcopis, Comitibus, & cuncto populo Chriſtiano. NOTVM ſit, quia dum pro pace & vnitate ſanctarum Dei Eccleſiarum in Gallias veniſſemus, apud Cabillonem ciuitatem, ad iniuriam ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtram multam inhonorationem ſuſtinuimus. Inter quæ equi noſtri nocturno ſilentio, noſtris hominibus ſecurè quieſcentibus, à conciuibus prædictæ ciuitatis latrocinantet furati ſunt. Quapropter nos, qui ſecundum officium miniſterij noſtri pullulantia vitia gladio ſpiritali reſecare maturè debemus, hoc malum cæleſti mucrone percutimus: ita vt niſi prædicti equi, & alia furta, noſtris hominibus intra tertium diem reddita fuerint, prædictos fures, cum omnibus conſentaneis ſuis, eo quòd latronibus latebras præbeant, & excommunicabimus, & anathemati ſubmittemus. Inter

hæc Aduuardum preſbyterum, qui nobis in monaſterio Flauiniaco miniſtrauit, cuius homines ſcutellam argenteam ſancti Petri, neſcio vtrum conſenſu illius, an non, furati ſunt, pro ſacrilegio furti excommunicamus, & pari ſententia vt ſuprà, niſi eam reddiderit, conſtringimus. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXX.

Ad Epiſcopos ſuffraganeos Archiepiſcopi Arelatenſis.

Iubet vt cum Archiepiſcopo ſuo, ſimul ac vocati fuerint, ad Trecenſem Synodum veniant.

Epiſtola xcviii.

OMNIBVS venerabilibus Epiſcopis ſuffraganeis coepiſcopi & confratris noſtri Roſtagni Arelatenſis. NOTVM ſit omnium ſanctitati, quia, Domino opitulãte, pernecesſariam vniuerſalem Synodum ſumus celebraturi: ad quam, mox vos prædictus Archiepiſcopus veſter Apoſtolatus noſtri litteris conuocauerit, omni poſtpoſita occaſione, obedientiæ vicino greſſu occurrere ſatagatis: quoniam ſicut in communi cõuentu, gratia Chriſti duce, paternis patentibus iuſſis erit exaltatio; ita, quod non optamus, ſubtrahentibus ſe ab hoc magno collegio eſt ſubſecutura confuſio. Apud vrbem Lingonẽſem IV. Non. Iunias. *Similiter Otteramno Archiepiſcopo Viennenſi, Aureliano Archiepiſcopo Lugdunenſi, Rotberto Archiepiſcopo Aquenſi, Teutranno Archiepiſcopo Tarantaſienſi, Sigibodo Archiepiſcopo Narbonenſi, Ariberto Archiepiſcopo Ebredunenſi.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXXI.

Ad diuerſarum ſedium Archiepiſcopos.

Epiſt. xcix.

INCMARO Archiepiſcopo Remenſi, Anſegiſo Archiepiſcopo Senonenſi, Frotario Archiepiſcopo Bituricenſi, Ioanni Archiepiſcopo Rotomagenſi, Adalardo Archiepiſcopo Turonenſi, à paribus. CANONICA inſtituta ſeruantes, oportet nos, quotieſcumque Eccleſiæ ingerũt paſſiones, ſacerdotum collegia aggregare, vt his ſimul conuenientibus, ſalubre vniuerſæ Eccleſiæ conſilium, & totius Chriſtianitatis fidem eidem imponant, & æquitatum omnium moderamina queant congruè dilatari. Idcirco veſtram hortamur ſanctitatem, dum de Ludouici glorioſi regis aduentu audieritis, (quando ad nos venire conauerit, in eo loco celebraturi Concilium incertè tenemus, ſed vos audientes comperietis) mox vt præſentes ſuſceperitis noſtras Apoſtolicas litteras, omni mora ſepoſita, ad nos venire non differatis. Ita profectò de veſtræ vnanimitatis & pacis concordia mentis iucunditas vberiùs multiplicetur, vt cõuentus vniuerſorum, & veſtræ deuotionis concurſus, nec ſolùm ad fauorem hominum, ſed Eccleſiis ad laudem potiſſimum proficiant creatoris. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data IV. Idus Iunias, Indictione XI.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXXII.

Ad Teutrannum Tarantaſienſem Archiepiſcopum.

Monet vt cum ſuffraganeis ſuis veniat, & Adalbertum Synodo adeſſe iubeat, vt rationem reddat eorum, de quibus Bernarius Epiſcopus queſtus fuerat.

Epiſt. c.

VENERABILI Archiepiſcopo Teutranno. MIRAMVR fraternitatem tuam, cur noſtrum in has partes audiens aduentum, nos ob reuerentiam B. Petri Apoſtolorum principis, & noſtram, more ceterorum venerabilium Archiepiſcoporum minimè conſolati & occurrere ſtuduiſti. Qua admiratione iam diu ſuſpenſi, monemus fraternitatem tuam, vt nobis citiùs occurrere cum tuis ſuffraganeis, quos tecum adducere præſentialiter poteris, non differas, vt ſimul de vtilitate Eccleſiæ tuæ tractare valeamus. Innoteſcimus denique, quia venerabilis frater & coepiſcopus noſter

Bernarius, noſtram nuper adiens præſentiam, reclamauit ſe ſuper fratre Adalberto ſuffraganeo tuo, de quo iam Romę proclamauerat, & libellum ſuæ reclamationis oſtenderat. Vnde tibi, & Viennenſi Archiepiſcopo, epiſtolas direximus, vt amborum querimonias ventilantes, quæ canonum ſunt inſtituta diiudicaretis. Inſuper Arelatenſem Archiepiſcopum, Valentinenſem quoque & Viuarienſem Epiſcopos, huic aſſertioni teſtes adeſſe iuſſimus. Sed quia variis præpedientibus cauſis hactenus eorum indiſcuſſa manet cauſatio, iam præcipimus monendi auctoritate, vt vbicumque à nobis fuerit Synodus indicta, canonicè eum inibi adeſſe iubeas, paratum in omnibus ad rationem reddendam. Quòd ſi defuerit, vide ne eius in te retorqueatur ſententia: ipſe verò ſciat, à ſe de abſentia ſua lucrum non percipiendum. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXXIII.

Ad Hincmarum Remorum Archiepiſcopum.

Vt ad Synodum Trecenſem abſque mora cum ſuffraganeis ſuis veniat.

Epiſt. cı. HINCMARO venerabili Remorum Epiſcopo. FAMA tuæ fraternitatis longo exacto iam tempore bona notitia nos quoque te celeberrimè lætificauit: quantóque te deſiderio contemplari cupimus, explicare verbis nullatenus poſſumus, præſertim cùm cauſa exigendæ vtilitatis Eccleſiaſticæ petere has partes decreuerimus. Quapropter præſentiam religioſæ ſanctitatis veſtræ diu deſideratam miramur à te nobis hactenus dilatari. Vnde Apoſtolica atque paterna auctoritate monemus, ad Synodum præſentem, quam Deo auctore Trecis ſumus celebraturi, abſque mora cum cunctis ſuffraganeis diœceſeos veſtræ ſtudeatis occurrere. Ad locum prænominatum iterum iterúmque hortamur, omni poſtpoſita tarditate, quantoeius properate venire. quoniam antequam ipſe nobis carior atque vtilior veneris, ſanctarum Dei Eccleſiarum cauſas tractare differimus. Tantùm monemus, rumpe moras, & ſatage properare celerrimè, atque agiliter. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXXIV.

Ad Mironem & Huncfridum fratres.

Mironem & Huncfridum multorum ſcelerum reos ad Synodum venire iubet.

Epiſt. cıı. MIRONI & Huncfrido germano ſuo. QVANTA ad Apoſtolatum noſtrum relatione quorundam tranſgreſſionum veſtrarum mala atque peruerſa fuerunt nuntiata, hæc fateor lacrymabiliter nominamus, Apoſtolicáque auctoritate citiſſimè corrigenda iubemus, ſi ſancti Spiritus pòteſtate non vis tu, Miro, merito nequitiæ tuæ ab omni conſortio Chriſtianitatis ſeparari, & inferni flammis in perpetuum condemnari. Septimaniæ terram vniuerſam redegiſti in ſolitudinem: Eccleſias, vt aſſerunt, miniſtris exſpoliaſti: caſtella ipſius terræ callidè ac fraudulenter inuaſiſti. Qua compulſi neceſſitate homines Bernardi glorioſi Marchionis, eum multitudine hominum tuæ rabiæ occurſando, aliqua in eadem terra perperam egerunt: vt velut Ieroboam filius Nabath, qui peccauit & peccare fecit Iſraël, auctor omnium peccantium exiſtas. 3. Reg. 14. 16. Ideóque ad vniuerſalem Synodum noſtram, quam Deo auctore in proximo ſumus celebraturi, Lugdunum venire te occaſione omni poſtpoſita volumus, ſi funditus, vt dictum eſt, non vis gladio diuino mulctari. Lindoinum quoque Vicecomitem audimus poteſtate (vti horrendè denuntio) vel ſacerdotali in parochia Sigebodi Narbonẽſis Archiepiſcopi, preſbyteróſque tuos in eius exteris ſubrogare Eccleſiis. quod concitè tuæ vitæ conſulentes corrigere & emendare mandamus. Te verò Huncfridum ex Diaconatus officio, & venerabili monachico habitu, apoſtatam audimus & dolemus effectum. Quapropter vel ſera te pœnitentia per Domini miſe-

ricordiam libera, & ad Monaſterium quanto citiùs confuge: vel ſi de tua confidis conſcientia, ad Synodum noſtram de illatis tibi atque obiectis te purgandum occurre: ne ſi prætermiſeris, anathematis vinculo, vt porè apoſtata & rebellis, alligeris. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXXV.

Ad Roſtagnum Archiepiſcopum Arelatenſem.

Vt ad Synodum cum ſuffraganeis ſuis quamprimùm veniat.

Epiſt. ciii.

ROSTAGNO venerabili Archiepiſcopo Arelatenſi. QVIA omnipotentis Dei miſeratione vniuerſalem Synodum ſumus celebraturi in proximo, te, omnéſque tuos coepiſcopos ſuffraganeos, volumus, auctoritate Apoſtolica admonemus, expreſſéque mandamus, ad hanc omni poſtpoſita occaſione quantocius præſentare, exceptis eis obſtaculis, quibus remorandi licentiam ſacri canones tribuunt. Aliàs, quod non optamus, quicumque ſe à tanto hac vice collegio ſubtraxerit, particeps de reliquo noſtræ communionis eſſe nullatenus valebit. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXXVI.

Ad Frotarium Archiepiſcopum.

Vt ad Synodum cum ſuis ſuffraganeis Trecas veniat.

Epiſt. civ.

FROTARIO venerabili Archiepiſcopo Biturgenſi. AVDITIS denique deploratione atque anguſtia litteris tuæ fraternitatis, quæ vobis ab hominibus Bernardi Comitis ſunt illata, recens dolor priori eſt augmentatus, & quòd tibi ſedis tuæ aditus clauſus, mihimet ipſi id reputo. Hortamur interim dilectionem tuam patienter ſufferre, & ad Trecas cum fratrum coepiſcoporúmque noſtrorum collegio diœceſeos tuæ ad Synodum Domino cooperante celebrandam quantocius properare. Ludouici regis amantiſſimi filij noſtri aduentum præſtolamur quotidie, inhiantérque deſideramus. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXXVII.

Ad Bernardum Marchionem.

Monet vt Frotario aditum ad ſuam ſedem patere faciat.

Epiſt. cv.

DILECTISSIMO filio Bernardo nobiliſſimo Marchionum. QVIA tempore nonnullos diligimus ſpecialiùs, idcirco in his quæ nobilitatem veſtram Deum offendere cognoſcimus, vos paterno increpamus affectu: præſertim de cauſa Frotarij venerabilis Epiſcopi, cui, vt audimus, veſtri homines iter ciuitatis ſuæ, ne ad ſedem ſuam ingrederetur, temerariè clauſerunt. Epiſcoporum iudicium, fili cariſſime, ſuo tantummodo Dominus ſeruauit arbitrio, nec de Epiſcopis vult Deus laicos iudicare. Vnde monemus dilectionem tuę caritatis, vt quicquid in hac cauſa prædicti Epiſcopi deliquiſtis, ſub celeritate & legaliter emendare ſtudeatis: quia nos illud, niſi pro digna emendatione, inultum remanere nullomodo patimur officio ac miniſterio ſacerdotali: Optamus nobilitatem veſtram bene valere. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXXVIII.

Ad Archiepiſcopum Moguntinum.

Vt Ludouicum Germaniæ regem, eiúſque fratres adhortetur, vt ad Synodum veniant, aut legatos mittant.

Epiſt. cvi.

VENERABILI Archiepiſcopo Liutberto Moguntino. ECCLESIASTICA exigente vtilitate, quoniam Deo duce cauſæ, ad Galliarum partes venire commodum duximus, quapropter fraternitatem veſtram neceſſariò commonere ſtudemus, vti ſecundum cælitus ſibi ſapientiam datam, frequenti

adhortatione ſuggeras Ludouico regi, aliiſque confratribus, vt ad noſtrę mediocritatis colloquium, atque generalem Synodum, iuxta Chriſti voluntatem, apud Trecas congregatam, venire non omittat, vel ſi aliqua neceſſitate prædictus rex præpeditus fuerit, & , vt non optamus, properare diſtulerit ad locum prædictum, quo cum Ludouico rege locuturi ſumus, nomine tenus deſtinet: quatenus ſub cuncta celeritate regum filiis congregatis, totius Chriſtianitatis, Dei gratia duce, conſulere communiter valeamus vtilitati. *Similiter Vuilliberto Archiepiſcopo Agrippinæ, Vuittecherio venerabili Epiſcopo, & Bertulfo Archiepiſcopo Treuerenſi.* Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XXXIX.
Ad Matfredum Comitem.

Monet vt Boſonis Comitis filiabus hereditatem reſtituat.

Epiſt. cix. MACTEFREDO illuſtri Comiti. SVGGERENTIBVS videlicet filiabus Boſonis nuper Comitis, & Engeltrudis coniugis, proximæ veſtræ, audiuimus vt allodes ſuos vos inuadentes tenere non formidatis. Super quo miramur, cur tantæ ſapientiæ vir hoc facere non erubeſcas. Nonne ſcitis, quoniam in hæreditate ſuſcipienda omnibus cognatis præferendi ſunt filij? Illa verò mœchans alicui ſine conſenſu viri aliquid dare nequiuit omnium legum auctoritate. Vnde vos monemus, hortamur, Apoſtolicâque auctoritate iubemus, vt ipſas proprietates illis filiabus eorum reddere pro reuerentia principum Apoſtolorum, à quibus per me petiere auxilium, minimè differas: quoniam ſi aliter feceris, ſcias te canonica feriendum cenſura. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XL.
Ad Theodoricum Archiepiſcopum Biſuntinenſem.

Iubet vt quamprimum veniat, & Epiſcopum in Eccleſia Lauſanenſi, propter electorum diuiſiones, priuſquam vnà colloquantur, ordinari vetat.

Epiſt. cx. REVERENTISSIMO & ſanctiſſimo Theodorico Archiepiſcopo Biſuntinenſi confratri noſtro. IGITVR quia fraternitas tua, Apoſtolicæ & vniuerſalis Dei Eccleſię perſecutiones audiẽs, compati modis omnibus diſtulit, nóſque, pro eo & cunctis aliis laborem ſumentes, quoquo modo viſitare neglexit, ſatis miramur, & ex parte turbamur, cùm in te taliter caritatem frigere cognoſcimus. Nonne veritas ait: *Si frater fratrem adiuuerit, ambo exaltabuntur.* & Sapientia loquitur: *Frater & amicus in laboribus comprobatur.* Et prædeceſſor noſter Gelaſius Papa, terrendo in ſuis decretalibus, Epiſcopis paruipendentibus fratrum vexationes ſcribit: Cur non compaſſi eſtis? & reliqua. Quapropter monemus, vt hactenus te negligentem pernoſcas, & ad deſpectam caritatem nihilominus, poſtpoſitiſque omnibus curis, ad nos viſirandos vnà cum hoc noſtro Miſſo præſentaliter venire ſatagas. Ceterùm audiuimus, & auditu dolemus, vt in Eccleſia Lauſanenſi, quæ ſine patre nunc cernitur, ſit orta contentio, eiúſque filiorum in electione Antiſtitis ſit nefanda diuiſio. Vnde monemus, per Deum patrem & filium & ſanctum Spiritum obteſtamur, Apoſtolicâque auctoritate expreſsè iubemus, & interdicimus, vt quoad ad commune eloquium noſtrum peruenias, ibi Epiſcopum neque iuſſu regis, neque expetitu plebis conſecrare præſumas. quatenus, cùm vnà allocuti fuerimus, auxiliante Deo, cum communi conſulto, quem vtiliorem prǫuiderimus, conſecrare permittamus de more. Quæ hîc ſcribere omiſimus, huic legato noſtro Deuſdedit glorioſo Magiſtro militum, & Duci, conſiliarióque noſtro, vt verbis dicat iniunximus. quem benignè recipite, & quæ vobis ex noſtra parte tulerit, indifferenter audite. Data *vt ſuprà.*

Prou. 18. 19. Prou. 17. 17.

CONCILIVM

CONCILIVM TRICASSINVM II.

AB IOANNE VIII. PAPA ET EPISCOPIS Gallicanis, apud Tricaſſinam vrbem, præſente Ludouico II. rege, celebratum menſe Auguſtó & Septembri, anno Chriſti DCCCLXXVIII. eorumdem Ioannis Papæ anno VI. Ludouici Balbi regis primo.

Magna ex parte nunc primùm editum ex codicibus antiquis.

INDEX EORVM QVAE PERTINENT AD *Concilium Tricaſsinum II.*

1. Actorum Concilij Tricaſſini breuiarium, ex Codice Virdunenſi.
2. Adlocutio Ioannis Papæ, & reſponſio Epiſcoporum de Lantberto & Adalberto, qui Romæ fuerant excommunicati.
3. Excommunicatio Papæ & Synodi aduerſus peruaſores rerum Eccleſiaſticarum.
4. Iterata excommunicatio in Formoſum Epiſcopum, Gregorium nomenculatorem, & Georgium magiſtrum militum.
5. Statutum in eos, qui viuentibus vxoribus alias ducunt, & in Epiſcopos, qui de minore ad maiorem Eccleſiam migtant.
6. Canones ab Ioanne Papa conditi, & in Synodo probati ac recepti.
7. Lex de ſactilegis ab Ioanne Papa Gothicis legibus addita in Concilio Tricaſſino.
8. Priuilegium Eccleſiæ Pictauenſis.
9. Reclamatio & proclamatio Hincmari Epiſcopi Laudunenſis.
10. Epiſtola ad Frotarium Archiepiſcopum Burdigalenſem.
11. Confirmatio priuilegiorum Eccleſiæ Turonenſis.
12. Adlocutio Ioannis Papæ ad Epiſcopos Synodi, & ad Regem.
13. Priuilegium Monaſterij Floriacenſis.
14. Geſtorum ſynodalium Concilij Tricaſſini narratio altera, ex Aimoino.

I.

ACTORVM CONCILII TRICASSINI BREVIARIVM,
ſiue, vt eſt in Codice Virdunenſi, Ordo Synodi, qualiter celebrata eſt, & Excerptum quæ ibi facta ſunt.

REGNANTE Domino noſtro IESV Chriſto per infinita ſæcula, anno Incarnationis eius DCCCLXXVIII. Indictione XI. III. Idus Auguſti. ACTIO PRIMA in Eccleſia ſancti Petri Tricaſſina. Dum domnus Ioannes ſummus Pontifex, & vniuerſalis Papa Romanæ vrbis, pro quibuſdam oppreſſionibus Eccleſiarum in partes Galliarum deueniſſet, operæ pretium ducens pro ſubleuatione earumdem Eccleſiarum generalem Synodum Chriſto opifice aggregare, vt purgatis gratia Chriſti vnigeniti Ex Codice S. Mariæ Virdunenſ.

ſcandalis de medio, vna concordia atque votum omnium fieret toto orbe terrarum Domini ſacerdotibus & regibus orthodoxis. Adlocvtio Pontificis. Domini fratres & conſacerdotes, qualia in Romana Eccleſia, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, oppreſſionum perpeſſi ſumus à quibuſdam peruerſis hominibus, iam audítu claré percepiſtis. Quapropter vnanimiter mihi omnium veſtrûm ſanctitudo ſtudeat vigilanti cura concurrere, vt malum nouiter in Eccleſia exortum valeamus funditus eradicare. Venerabiles Epiſcopi reſponderunt: Petimus inducias, donec confratres noſtri reliqui & conſacerdotes noſtro collegio congregentur, & quod ſuperna gratia inſpirauerit generalitati noſtræ, vobis reſpondere parati erimus.

Actio II. Adlocvtio Pontificis. Iam alij fratres & conſacerdotes noſtri audierunt cauſas neceſſitatis Romanæ Eccleſiæ, volo vt vos ſimiliter audiatis. Item Interlocvtio in medio Antiſtitum locutionis, cùm de Lantberto lectio legeretur, & de crudelitate quam in Romanam geſſit Eccleſiam, ſancta Synodus reſpondit: Secundum mundanam legem mori debet: qui talia in Eccleſiaſticis committere auſus fuit rebus, Eccleſiaſtico dogmate inſolubiliter eſt feriendus. Item ſancta Synodus inducias petens ſcriptis reſpondere ſuis, delata à Pontifice Romano ſententia eſt, in qua præfixum eſt, vt per omnes Metropolitanas Eccleſias coniunctis ſuffraganeis legatur excommunicationis atque damnationis malefactorum ſententia, & ſic ad notitiam omnium Chriſtianorum perducatur. Hincmarvs Archiepiſcopus Remorum reſpondit: Secundum ſacros canones, ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, quos Apoſtolica ſedes per beatum & domnum noſtrum Papam, & ſancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum mater, priuilegio S. Petri damnat damno, quos anathematizat anathematizo, quos excommunicat excommunicatos habeo, & quos priuilegio B. Petri receperit, & ego recipio: & quod in omnibus, ſecundum ſanctarum ſcripturarum tramitem, ſacrorûmque canonum decreta, ſedes Romana tenet, per omnia & in omnibus, pro ſcire & poſſe meo, iuuante Domino, perpetuum proſequor & teneo. Avrelianvs ſimiliter dixit, & cæteri Epiſcopi ſimiliter dixerunt. Post hæc exſurgens Rodſtagnus venerabilis Epiſcopus Arelatenſis, libellum obtulit ſanctæ Synodo. Quo perlecto, inuentum eſt de ſaltu migrandi de Eccleſia ad Eccleſiam Epiſcopis vel preſbyteris, & de coniugio relicto adhuc vxore viuente, & alia ſuperducta. Vvalbertvs Epiſcopus ſanctæ Portuenſis Eccleſiæ venerabilem Synodum interrogat dicens, Quid ſuper hoc negotio nefariè in Eccleſia perpetrato collegium veſtræ ſanctitatis cenſeat edicite. Hincmarus Remorum Archiepiſcopus vice Synodi reſpondit: Poſcimus inducias, quatenus de hoc ſcripto canonica deferam capitula. Theodericvs Veſontionenſis Epiſcopus libellum obtulit ſuper quadam femina modò velata, Verſinde nomine, quæ nunc coniugium horrendè ſortita eſt.

Actio III. Vniuerſi Epiſcopi ſanctæ Synodi libellum concordiæ ac deuotionis vnanimitatiſque confectum ſummo Pontifici porrexerunt. Quem idem Præſul benignè propriis manibus ſuſcepit, & ſuum ſub breuitate ſancitum ſuper auctoritate canonica & concordia coepiſcoporum

coniunctæ Synodo dedit. Poſthæc libelli porrecti ſunt ſummo Pontifici & ſanctæ Synodo; quorum ſuper Hincmaro Remorum Archiepiſcopo vnus erat, alter verò ſuper Rotfredo Auinionenſi Epiſcopo. Hincmaro Remorum Archiepiſcopo datæ ſunt induciæ ad reſpondendum: Rotfredus ibidem non eſt inuentus.

ACTIO IV. Lecta eſt lectio conſenſus totius Synodi, & ſententia roborationis eius, data in peruaſores Eccleſiarum, & tranſgreſſores præceptorum Dei. Et ſtatutum eſt, vt ſcriptiones manibus ſingulorum roborarentur. Sancta Synodus poſt hæc petiit, vt de ſingulis neceſſitatibus Eccleſiarum denuo capitula fierent. Ad hæc Pontifex conceſſit, & iuſſit vt in craſtinum deferrentur. Summus Pontifex ſanctam Synodum alloquens, ne vltra quilibet cum excommunicatis vel abiectis communicare præſumat, ſtatuit. Deinde promiſſio regum lecta eſt, & ſacramenta, quæ Pippinus & Karolus obtulerunt B. Petro Apoſtolo, lecta ſunt. *Poſthæc lecta ſunt Capitula ſtatuta à domno Ioanne ſummo Pontifice Romano, quæ ſancta Synodus amplectenda recepit & confirmauit. Item anathematizati ſunt Formoſus quondam Epiſcopus, & Gregorius dudum Romanæ ſedis nomenculator, & Georgius magiſter militum. Item lecta ſunt Capitula de accuſatione fratrum, & repulſione Iudæorum.

SESSIO V. OTTVLFVS venerabilis Epiſcopus ſanctæ Tricaſſinæ Eccleſiæ libellum obtulit reclamationis ſuper Iſaac de villa Vendereuenſi, ſuámque dicebat eam obtinere parœciam. THEODERICVS Veſontionis item obtulit libellum ſuper ſuffraganeos ſuos, qui ſynodicè vocati audientiam præbere hactenus noluerunt. Item lecta ſunt Capitula canonica prohibentia ne Epiſcopi audeant migrare de minori ad maiorem Eccleſiam.

II.

ADLOCVTIO IOANNIS PAPAE AD SYNODVM

de Lantberti & Adalberti, aliorúmque ſequacium excommunicatione.

CARISSIMI, condolete mihi, & ſedi Apoſtolicæ, quæ caput & magiſtra eſt omnium Eccleſiarum Dei, quæ & vos religioſo vtero genuit, reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ, ſacríque confratres & conſacerdotes Dei, venerabiles Eccleſiarum Chriſti antiſtites, & totius ſacrati ordinis viri, & mecum tantas iniurias Eccleſiæ S. Petri Apoſtolorum principis, cæleſtíſque regni clauigeri, cui ligandi & ſoluendi data eſt à Deo poteſtas, ſimul flentes requirite, tantáſque inuaſiones atque contumelias ciuitati Romanæ illatas cum ingenti dolore lugete, & mecum, qui curam & ſollicitudinem omnium veſtrûm habeo, & ſecundum Domini vocem, quoties cauſa exegerit, conuerſus vos in omnibus bonis debeo confirmare, ac neceſſariæ conſolationis opem conferre, viriliter ſtate, quærentes ſimul & iudicantes tantæ patratores iniquitatis, tantæque temeritatis præſumptores, vt digna vltione temporaliter puniti, ſpiritu ſalui ſint in die Domini noſtri IESV Chriſti. quoniam eos prædictos Lantbertum & Adalbertum, ſequacéſque eorum, pro quibus tantis ſceleribus, tantíſque periuriis patefactis, in Eccleſia B. Petri Apoſtoli, vnà cum coepiſcopis & confratribus noſtris

Ex Codice Rem. & Belilouac.

Italicis, excommunicauimus, & quia in his perſeuerauerunt, Chriſtianæ communionis immunes eſſe decreuimus. Quodque decretum in prædicta B. Petri Eccleſia ſcriptum, vt ingredientes & exeuntes legant & doleant, eóſque anathematizatos teneant, poſuimus. Et vos, fratres cariſſimi, vt decreuimus, noſtræ communionis alienos tenete, & anathematizatos fautores eorum mecum facientes conſternite.

RESPONSIO EPISCOPORVM QVI ADFVERVNT APVD TRECAS, de excommunicatis, quos domnus Papa Ioannes Apoſtolicus excommunicauit.

DOMINE ſanctiſſime & reuerentiſſime pater patrum, Ioannes Catholicæ atq; Apoſtolicæ Eccleſiæ videlicet Romanæ primæ ſedis Papa, nos famuli ac diſcipuli veſtræ auctoritatis, Galliarū & Belgicarum Epiſcopi, his quæ ſuper vulnera dolorum veſtrorum maligni homines ac miniſtri diaboli addentes, in ſanctam matrem noſtram ac magiſtram omniū Eccleſiarum commiſerunt, cōpatimur, & dolori veſtro conſlentes condolemus, atque iudicium veſtræ auctoritatis, quod priuilegio B. Petri & ſedis Apoſtolicę in eos, & complices eorū, iuxta ſacros canones ſpirituDei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, & ſecundum eiuſdem Romanæ ſedis Pontificum deceſſorum veſtrorū decreta protuliſtis, voto, voce, & vnanimitate noſtra, atque auctoritate ſanctiSpiritus, cuius gratia in Epiſcopali ordine ſumus conſecrati, gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, eos interimentes perſequimur. Scilicet quos excōmunicaſtis excommunicatos tenemus, quos ab Eccleſia abieciſtis abiicimus, quos anathematizaſtis anathematizatos eſſe iudicamus, & quos regulariter ſatisfacientes veſtra au-
Exod. 12. 30. ctoritas & Apoſtolica ſedes receperit, recipiemus. Sed vt in ſacra hiſtoria de plaga Ægyptiaca dignè à Deo illata legimus, quia non erat domus, in qua non iaceret mortuus, & non erat qui alium conſolaretur, quoniam in domo ſua vnuſquiſque quod lugeret habebat, nos quoque in noſtris Eccleſiis lugenda lugemus. Et ideo veſtra auctoritate nobis ſubueniri cum omni mentis humilitate depoſcimus, petentes vt promulgetis capitulum veſtræ auctoritatis, qualiter nos erga Eccleſiarum noſtrarum per[illegible]ores agere debeamus: vt cenſura Apoſtolicæ ſedis muniti, robuſtiores & promptiores deinceps, Domino opem ferente, contra peruerſos Eccleſiaſticarum rerum ac facultatum raptores ac vaſtatores, ſacríque miniſterij Epiſcopalis contemptores, nos ſucceſſoréſque noſtri perſiſtere concordi ſententia valeamus: vt iuxta egregij prædicatoris vocem, & veſtræ auctoritatis promulgationem, traditi Satanæ ſpiritu ſalui fiant in die Domini noſtri IESV Chriſti.

III.

EXCOMMVNICATIO IOANNIS APOSTOLICI, & ceterorum Epiſcoporum qui adfuerunt apud Trecas, de peruaſoribus rerum Eccleſiaſticarum.

DE PERVASORIBVS quippe rerum Eccleſiaſticarum, quos ſacri canones, ſpiritu Dei condiri, & totius mundi reuerentia conſecrati, & decreta Pontificum ſedis Apoſtolicæ, ſub anathemate vſque ad regularem ſatisfactionem eſſe debere con-
1. Cor. 6. 10. ſtituerunt, ſed & de raptoribus, quos Apoſtolus, Chriſto in ſe loquente,

regnum Dei non poſſidere reſtatur, & cum huiuſmodi omni veraciter 1. Cor. 5. 11. Chriſtiano nec cibum ſumere præcipit, quamdiu in ipſo crimine permanent, per virtutem Chriſti, & iudicio Spiritus ſancti decernimus, vt ſi ante proximas Kalendas Nouembris eaſdem res, quas quique vſurpatores iniuſtè peruaſerunt, Eccleſiis ſuis regulariter ſatisfacientes non reſtituerint, à communione corporis & ſanguinis Chriſti, vſque ad reſtitutionem rerum Eccleſiaſticarum & ſatisfactionem, alieni habeantur, & ſacri Epiſcopalis miniſterij excommunicationis Eccleſiaſticæ contemptores, ſecundum Euangelicam & Apoſtolicam auctoritatem, ab Epiſcopis quorum intereſt Matth. 18. 17. commoniti, ſi regulariter ſatisfacientes non reſipuerint, anathematis vinculo innodati vſque ad ſatisfactionem permaneant. Et ſi in ipſa pertinacia permanentes obierint, nemo corpora illorum cum hymnis & pſalmis ſepeliat, nec memoria illorum ad ſacrum altare inter fideles mortuos habeatur, docente Apoſtolo & Euangeliſta Ioanne: *Eſt peccatum ad mortem, pro illo non dico vt quis roget.* 1. Ioan. 5. 16. Peccatum enim ad mortem eſt perſeuerantia in peccato vſque ad mortem. Et ſacri antiquorum patrum canones, de his qui ſibi mortem voluntariè inferunt, & qui pro ſuis ſceleribus puniuntur, ſancto inſpirante Spiritu decreuerunt, vt cum hymnis & pſalmis eorũ corpora non deferantur ad ſepulturã. Quorum decreta ſequentes, ea quæ præmiſimus de peruaſoribus & raptoribus rerum & facultatum Eccleſiaſticarum, ſi non reſipuerint, iudicio Spiritus ſancti decernimus, ſicut beatus decreuit Gregorius, dicens quia tales Chriſtiani non ſunt, quóſque & ego, & omnes Catholici Epiſcopi, immo & vniuerſalis Eccleſia anathematizat.

IV.

EIVSDEM IOANNIS PAPAE ITERATA *excommunicatio aduerſus Formoſum Epiſcopum, Gregorium nomenculatorem, & Georgium magiſtrum militum.*

AVCTORITATE Apoſtolica parem ſententiam iteratò damus in Formoſum nuperrimè Portuenſem Epiſcopum, & Gregorium Nomenculatorem, & Georgium magiſtrum militum, anathematis & perpetuæ obligationis. Et quia non deſinunt inquietare aures regum ac principũ, & malis prioribus, iuncti cum prædonibus & ſubuerſoribus Eccleſiarum, noua & recentia mala addere quotidie ſtudent, inſolubiliter vinculo perpetuo & irrecuperandæ ſpei, ſancti Spiritus Dei noſtri virtute damnamus, omnémq; illis ſuſpicionem obtinendę indulgentiæ inreſerabiliter excludimus, & omnes qui illis communicauerint, adiutoriúmue præbuerint, de quocumque ordine, ſiue Epiſcopali aut laicali, potentes, mediocres, ac pauperes, in eorum prolatis maledictionibus inuoluantur, quorum conſortio vti non metuant: & niſi reſipuerint, ſint anathema maranatha.

V.

STATVTVM IOANNIS PAPAE ADVERSVS *laicos, qui viuentibus vxoribus alias ducunt, & contra Epiſcopos, qui de minore ad maiorem Eccleſiam ambitus cauſa demigrant.*

INTER nonnulla neceſſitatum à ſancta Synodo reclamatum eſt, quòd laicorum quidam, ſortitis primò legaliter coniugiis, poſtpo-

ſito Dei timore, ſecundi, vel tertij, adhuc vxore viuente, coniugij copulam contrahant. De quibus Otilo quidam intra parochiam Roſtagni Arelatenſis Epiſcopi, & Eooldus intra Ottranni Viennenſis Archiepiſcopi, talia feciſſe multorum fama refertur. Ad augmentum quoque earum tranſgreſſionum, quod flebiliter dicimus, additum eſt, quòd Epiſcoporum quidam intra ſeptem prouincias Galliarum, calcato termino patrum, ſpretóque ſancitu canonicæ auctoritatis, de minori ad maiorem ambitus cauſa demigrant Epiſcopalem cathedram. Quibus canones Spiritus ſancti gratia còditi concorditer contradicunt. Nos quoque eorũ, quos veneranter imitamur atque complectimur, quorumque ſtatutis conſentimus, Eccleſiarúmque gubernationem tenemus, fulti virtute interdicimus, & inhærendo prohibemus, ne quiſquam catholicorum taliter audeat amodò & deinceps agere. & ſi vt non optamus hactenus quicquam taliter actum eſt, digna pœnitudine Eccleſiaſtica corrigatur. Denique hac auctoritate Apoſtolica virtute Dei noſtri interdicimus, vt Epiſcopi ad priſtinam ſedem ſine mora redeant, quia ſi tardauerint, continuò omni ſacerdotali honore ſpoliabuntur: & laici redeant ad primum coniugium, ſin autem, vinculo anathematis innodentur.

V I.

CANONES A IOANNE PAPA CONDITI & à Synodo Tricaſſina probati & recepti.

TITVLI CANONVM.

1. *De honore quem Epiſcopis debent ſæculi poteſtates.*
2. *Vt Eccleſiarum poſſeſſiones ab Epiſcopis non petant quibus non licet.*
3. *Vt Capitula Rauenna ſtatuta obſeruentur.*
4. *Vt Epiſcopi mutuò ſe in vexationibus adiuuent.*
5. *Vt à propriis Epiſcopis excommunicati non ſuſcipiantur ab aliis.*
6. *Vt liberum alterius hominem contra leges nemo recolligat.*
7. *Occulta fratrum accuſationes interdictæ.*

I. *De honore quem Epiſcopis debent ſæculi poteſtates.*

VT Epiſcopi cum omni reuerentia à cunctis mundi poteſtatibus debitè honorentur, atque coram eis ſedere nullatenus audeant, niſi illis præcipientibus. Et res Eccleſiaſticæ à laicis & popularibus præter præſulum eorum conſcientiam nullomodo contingantur. Quòd ſi poſt hanc noſtram definitionem quis tentauerit, prius communione Eccleſiæ repulſus, ſi non reſipuerit, anathematis vinculo innodetur.

II. *Vt Eccleſiarum poſſeſſiones ab Epiſcopis non petant quibus non licet.*

Eccleſiarum ſanctarum poſſeſſiones, id eſt monaſteria, manſa, cortes, villas, patrimonia, omniáque quæ iuriſdictionibus earumdem conueniunt, nullus ſuppetere à Romano ſeu reliquis Pontificibus præſumat, niſi perſonæ quas canonica ſancit auctoritas, vt eſt illud primo anno ordinationis noſtræ apud beatum Petrum Apoſtolum conſtitutum.

III. *Vt Capitula Rauennæ ſtatuta obſeruentur.*

Vt illa Capitula, quæ anno præcedente apud Rauennam ſtatuimus Synodali collegio, inconuulſa ab omnibus obſeruentur.

IV. *Vt Epiſcopi mutuò in vexationibus ſe adiuuent.*

Vt Epiſcopi nullomodo confratrum conſacerdotúmque ſuorum paruipendere audeant vexationes, Eccleſiarúmque preſſuras: ſed vnanimiter coniuncti, baculo paſtorali & Apoſtolica auctoritate ſuccincti, in prælio pro domo Iſraël, id eſt Chriſti Eccleſia, ſtare communiter non prætermittant.

V. *Vt à propriis Epiſcopis excommunicati ab aliis non ſuſcipiantur.*

Vt expulſi laici, vel quilibet de clero, pro quibuſdam facinoribus à propriis Epiſcopis, ab aliis iuxta canonum ſtatuta non ſuſcipiantur: vt igne pœnitudinis decocti, miſericordiam Domini, prout poterunt, lacrymis fletibúſque ſibimet ante mortis obitum adquirant.

VI. *Vt liberum alterius hominem contra leges nemo recolligat.*

Nemo alterius liberum hominem, ſicut iam in alia Synodo conſtituimus, recolligere præſumat ſine illis cauſis, quas leges mundanæ præcipiunt. Si quis deinceps contra hæc noſtra ſtatuta tentauerit, ſciat ſe ab omni ordine Eccleſiaſtico eſſe priuandum.

VII. *Occultæ fratrum accuſationes interdictæ.*

Confratrum coepiſcoporúmque accuſationes fieri occultè omni modo prohibemus: quia ſæpè contingit vt innocentes à malis huiuſmodi condemnentur. Sed ſi accuſatio ſuper perſona cuiuſlibet Epiſcopi ducitur, canonico ſancitu in publicum prætendatur, quoniam ſcriptum eſt: *Cecidit de cælo accuſator fratrum, qui accuſabat eos ante conſpectum agni.* & iterum: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt:* &, *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere?* His & talibus documentis inſtructi, ſi quis contra hoc Dei decretum tentauerit, Epiſcopus, preſbyter, & diaconus, proprio honore priuetur, laicus verò cuiuſlibet dignitatis omni Chriſtiana careat dignitate: & niſi vtrique reſipuerint, anathematis vinculo innodentur.

Apoc. 12. 10. 1. Ioan. 3. 15. 1. Ioan. 4. 20.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

IOANNES Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ primæ ſedis Epiſcopus, huic decreto à nobis promulgato ſubſcripſi.

Vvalbertus Portuenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Petrus Foroſempronij Epiſcopus ſubſcripſi.

Paſcaſius Epiſcopus ſubſcripſi.
Hincmarus Remorum metropolis Epiſcopus ſubſcripſi.
Anſegiſus Senenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Aurelianus Lugdunenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Sigebodus Narbonenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Roſtagnus Arelatenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Adalardus Turonenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Teudericus Veſontionenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Orrramnus Viennenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Iſaac Lingonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Gerboldus Cabilonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Agilmarus Aruernenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Bernerus Gratianopoliranus Epiſcopus ſubſcripſi.
Abbo Neuernenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ottulfus Auguſtæ Tricorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Giſlebertus Carnotenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvalefridus Vcetienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Hildebaldus Sueſſionenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Teutherus Gerundenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ingelvvinus Pariſiorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Edenulfus Laudunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Adebertus Siluanectenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Berno Catalaunorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Maricus Birerrenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ecfridus Pictauenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Item Abbo Magalonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Frodoinus Barcilonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Arnaldus Tullenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

VII.
LEX DE SACRILEGIS A IOANNE VIII. PAPA
Gothicis legibus addita in Concilio Tricaſſino.

Iuo Part. III. c. 91.

IOANNES Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus Epiſcopis, Comitibus, Vicecomitibus, Centenariis, Iudicibus catholicis, in Hiſpania & Gothia prouinciis degentibus, omníque populo occidentali catholico, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. NOVERITIS, dilectiſſimi filij, quia nos pro ſtatu ſanctæ Dei Eccleſiæ iuſſimus congregari Synodale Concilium apud vrbem Trecas. vbi ſedenribus nobis in corona, venir ante præſentiam noſtram filius noſter Sigebodus primæ ſedis Narbonenſis Epiſcopus, cum ſuis ſuffraganeis Epiſcopis, & detulit nobis librum Gothicę legis, vbi nihil habebatur de ſacrilegiis, & in eiſdem legibus ſcriptum erat, vt cauſæ, quas illæ leges non habent, non audirentur à iudicibus illius patriæ: atque ita ius ſanctæ Eccleſiæ ſuffocabatur ab incolis Galliæ & Hiſpaniæ prouinciis. Vnde noſtra ſereniras, cum præſcriptis Epiſcopis, inſpectis legibus Romanis, vbi habebatur de ſacrilegiis, inuenimus ibi à Iuſtiniano Imperatorę legem compoſirionis ſacrilegij conſtitutam in quinque libras auri optimi. Sed nos leniorem legem præcipimus

pimus eſſe tenendam, quæ à Katolo eſt conſtituta pio principe de compoſitione ſacrilegij, videlicet in xxx. libras examinati argenti, id eſt ſexcentorum ſolidorum ſummam argenti puriſſimi. Ideóque quiſquis inuentus fuerit reus ſacrilegij, iſtam leuiorem compoſitionem emendet Epiſcopis ipſis, vel Abbatibus, ſiue perſonis, ad quas querimonia ſacrilegij iuſtè pertinuerit: & ſi ipſe reus ſacrilegij facere noluerit, tamdiu excommunicationi ſubiaceat, vſquequo prædictam compoſitionem ſexcentorum ſolidorum perſoluat. Et ſi in hac obſtinatione mortuus fuerit, corpus eius cum pſalmis & hymnis non deferatur ad ſepulturam. Et præcipimus vt in fine Codicis legis mundanæ ſcribatur hæc lex. 17 q 4. Quiſquis inuentus.

VIII.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XLI.

Priuilegium Eccleſiæ Pictauenſi, ne quis eius bona inuadat, & vt ablata reſtituantur.

OMNIBVS fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, præſentibus ſcilicet atque futuris. DIVINO quia Romanum Pontificium largitu enitet vniuerſis, illud luce clariùs conſtat, largita defendere cunctis: quoniam indubitati iuris eſt, ſemel conceſſa perenni cultu fore tenenda. Ceterùm omnium religioſitas, orthodoxorúmque pernoſcat fidelitas, quòd, vt relatu quorundam didicimus, Pictauenſis quidem Eccleſia, quam diutinus paganorum hoſtis perſequitur, multa Chriſtianorum iniquorum incommoda patitur, quibus preſſuris nos conuenit perdolere, eamdéinque nihilominus tanto faſce leuare. Quapropter præcipimus, Apoſtolicáque auctoritate expreſsè iubemus, quòd nemo veſtrûm, tam ſacerdotali ordine perfruens, quámque militare officium tenens, ipſius Eccleſiæ Pictauenſis aliquam Eccleſiam, aliquódve Monaſterium, vel prædia ipſi quoquomodo pertinentia inuadere præſumat, vllóſve colonos, ſeruos, ancillaſve, contra ſui Epiſcopi velle tollere audeat: ſed liceat ipſius Eccleſiæ Hecfrido videlicet Epiſcopo, ſuíſque ſucceſſoribus, illa, quæ ſui anteceſſores legitimo tramite canonicæ auctoritatis habuerunt, ſub noſtra tuitione habere, & vt poſſederunt poſſidere, & vt ordinauerunt ſuo arbitrio ordinare, cum conſulto conſenſúque ſuæ Eccleſiæ canonicorum, vt priſca conſuetudo dinoſcitur, ſine veſtro veſtrorúmque obſtaculo, & omnium hactenus talia præſumentium. Inter hæc volumus quáſque cauſas prædicto Hecfrido Epiſcopo inde motas in noſtra præſentia adducendas. Si quis verò ſacerdotum, iudicum, atque ſæcularium perſonarum, hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentauerit, poteſtate honoris ſui ac dignitate percuſſus Apoſtolico anathemate careat, reúmque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat. Et niſi vel ea quæ ab illo ſunt malè ablata reſtituerit, vel præſumpta correxerit, vel digna pœnitentia illicita acta defleuerit, à ſacratiſſimo corpore Dei Domini ac redemptoris noſtri IESV Chriſti alienus fiat. Cunctis autem eidem præfatæ Eccleſiæ iura ſeruantibus ſit pax Domini noſtri IESV Chriſti: quatenus & hîc fructum bonæ operationis recipiant, & apud ſummum arbitrum præmia æternæ pacis inueniant. Data III. Kalendas Septembris, Indictione XI. Trecis. Epiſt. CXI.

IX.

RECLAMATIO ET PROCLAMATIO HINCMARI, *qui quondam præerat Eccleſiæ Laudunenſi.*

DOMINE & ſumme pater patrum, & rector pontificum, Ioannes nomine & meritis vocate, audi vocem proclamationis meæ, & exaudi vocem deprecationis meæ, compaſſus cauſæ calamitatis meæ. A Remorum Archiepiſcopo ad Synodum ſum vocatus ad Duziacum villam, quam conſtituit hebdomada prima menſis Auguſti, & monuit me de certis cauſis paratum eſſe ibidem vt reſponderem. Ad quam cùm feſtinaſſem, violentia hoſtili in medio itinere ſegregatus ſum, ab ouibus meis priuatus ſum, & ſpoliatus omnibus rebus meis perductus ſum ab eiſdem hoſtibus vſque ad præfatam villam. In qua cùm conſiſterem, iam ſtabat rex Carolus ante ipſum Archiepiſcopum meum, tenens in manu ſcripturam, reputans me eſſe periurum, quia Romam ſine ſua voluntate miſerim, & imputans quòd eum accuſauerim. Ad quæ idem Archiepiſcopus me reſpődere iuſſit. Cui ego reſpondi, quia pro his, de quibus me admonuerat in eadem Synodo eſſe paratum vt reſponderē, paratus eram ſcriptis reſpondere: quæ ſcripta præ manibus tenui, ſed ipſe non permiſit vt Synodus ſcripta mea ſuſciperet, quia ſibi dari iubebat, ſed ego ſuſpecto dare nolebam. De clerico autem meo, nomine Bertario, quem ſubitò requiſiuit, ſed requiſitus non adfuit, reſpondi quia ipſi homines mecum veniebant, qui eum comprobaturi eſſent, ſi eis venire licuiſſet. ſed idem Archiepiſcopus de his nihil me poſtea appellauit, ſed ad accuſationem regis me reſpondere iterum atque iterum præcipiebat. Et ego reclamaui, quia non docebat canonica auctoritas, nudatum & ſuis rebus ſpoliatum, inſuper & ab hoſtibus detentum, reſpondere vllatenus debere. Sed & addidi, quia non ſolùm ſuſpectum, ſed manifeſtiſſimè illum infeſtum habebam. Vnde & Apoſtolicam ſedem appellaui pro amore Dei & honore S. Petri, tam de ipſa accuſatione regis, quàm de præiudicio quod ab ipſo patiebar Archiepiſcopo. Legi manibus tenens auctoritates Iulij Papæ, & Felicis Papæ, videlicet ea quæ ipſi in eis præfigunt de appellationibus Epiſcoporum: quæ mihi ſeruari appellando ſedem Apoſtolicam proſtrato corpore expetij, ſed nihil horum mea petitio obtinuit. Sed neque litteræ Apoſtolicæ, quas mihi præſentialiter dederat, quoniam me vocabant, vt procraſtinando venire non differrem, ſi ſtatus mei iacturam ſuſtinere non vellem, quicquam præualuerunt. Iudicium præfatus Archiepiſcopus ſuper me impoſuit, vt ab Epiſcopali remouendus eſſem officio. Sed alij gemebant flebántque, inter quos nullum merebar pari inimicum. Scripta quidem ab eodem Archiepiſcopo ipſis impoſita manibus tenentes, ſed ore proferre nolentes, inuiti vix verba ſingultiebant, aditum tamen ad ſedem Apoſtolicam minimè ſperantes mihi poſſe denegari. Vnde, ſaluo per omnia ſedis Apoſtolicæ iudicio, ipſi finem lectionis terminauere. Poſt hæc tranſmiſſus ſum in exilium, in quo per duos annos ſanus, ſed aliquanto tempore ferro vinctus cuſtoditus ſum. Duobus annis ferme peractis, inſuper cæcatus ſum, & vſque modò retentus, ad vos, & ad veſtræ piiſſimæ ſerenitatis præſentiam, mox vt venire dimiſſus potui, protinus acceſſi. Nunc autem veſtram clementiam

ſupplicitet exoro à veſtra ſumma paternitate parari de me æquiratis iudicium, cui ſecundum canonicam inſtitutionem, & decreta Romanorum Pontificum, reſeruatus & reſeruandus ſum, & fuetam. Quod ob amorem Dei, & venerationem beati Petri, apud veſtræ paternitatis pietatem obtinere efflagiro, tum pro multitudine miſeriæ meæ, tum pro magnitudine pietatis veſtræ: quæ accendatur clementiſſimi redemptoris amore, qui me proprio acquiſiuit ſanguine, & qualemcumque ſancto ſuo ſacrauit munere.

X.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XLI.

Ad Frotarium Archiepiſcopum Burdigalenſem.

Vt ad Synodum veniat, & priuilegium de ſedium mutatione adferat.

FROTARIO venerabili Archiepiſcopo Burdegalenſi. AD Synodum igitur, quam Deo auctore apud Trecas celebramus, cum reliquis ſeptem Galliarum prouinciarum confratribus & coepiſcopis, fraternitatem tuam cum tuis ſuffraganeis Epiſcopis, tam viua voce, quàm litterali, admonere vt venires omni poſtpoſita occaſione cuiuſcumque occaſionis ſtuduimus, fatemur, iam tertiò, vt ſimul noſtri emergentium quæſtiones cauſarum ſtatutis canonicis determinentur, & ſacerdotū Domini vna concordia omnium fieret dilectionis. Sed cur venire diſtuleris, moleſtè cuncti ſcimus, & valde miramur. Quapropter repulſa mora præſentiam tuam cum prædictis ſuffraganeis nobis & ſanctæ Synodo citiſſimè exhibe. Sic tamen inſtructus, vt cùm de mutatione contra canones ſedium, & de aliis exceſſibus, quod non optamus, patrum regulis feriri poſſis, imperitus fueris, cauſa iuſtitiæ intercedente, inlæſus & innocens recedere valeas. Hoc reuerentiæ tuæ conſulentes damus conſilium, ne abſentiâ tuam tibi aliquid putes prodeſſe, ſed immo ſecundum patrum ſtatuta magis obeſſe. Priuilegium atque ſcripturas de ſedium mutatione, ſi qua à nobis, vel prædeceſſoribus noſtris habere ſic fatemini, vobiſcum ſine mora deferre ſtudeas. Epiſt. cxi

X I.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XLII.

Ad Adalardum Archiepiſcopum Turonenſem.

Confirmat priuilegia Eccleſiæ Turonenſi conceſſa.

REVERENTISSIMO & ſanctiſſimo Adalardo venerabili Archiepiſcopo Turonenſi, ſucceſſoribúſque tuis, nec non & omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, præſentibus ſcilicet atque futuris. DECET enim Romanam Eccleſiam, quæ mater eſt omnium Dei Eccleſiarum, vt quanta viget dignitate præclara, eò magis conſiſtat in miſericordia pia: quatenus quæ digna poſtulantur à fidelibus, ſine mora cum pietate largiri mereantur à nobis. Omnium veſtrûm religioſitatem volumus ſcire fideliter, quoniam preſbyteri diœceſis Turonici pagi ad noſtrum acceſſerunt pontificium, ſuggerentes vt firmaremus Apoſtolica auctoritate illis & Capitulare regum, & Coepiſcoporum ſcriptum, vt debeat vnaquæque Eccleſia proprium manſum habere cum mancipiis quatuor, vineas aripennos tres, prata ſimiliter, & cæ- Epiſt. cxii

meterium cum manſionibus, ſine perſonali & ciuili munere exigendo, niſi diuino ſolummodo in Eccleſiaſticis rebus obſequio, ſicuti canonum priſca auctoritas & moderna concedit: vbi verò res nominatæ antiquitus condonatæ & moderno tempore abſtractæ eſſe videntur, pontificali auctoritate & regali poteſtate ſine mora aliqua aut tarditate reſtituantur. Nos illorum precibus inclinati volumus, Apoſtolicáque auctoritate expreſsè iubemus, vt præfata ſcripta, à noſtro pontificio delata, à coepiſcopis firmata, à regibus iuſſa, ſint rata & modis omnibus obſeruanda. Si quis huius Apoſtolicæ cenſuræ temerario auſu violator extiterit, ſi ſacerdos fuerit, proprio honorē priuetur, & Chriſtiana communione caſſus anathematis vinculo innodetur, ſi laicus, ſimiliter perpetua damnatione cum Iuda traditore torqueatur: conſeruator verò perenni benedictione Apoſtolorum principum Petri & Pauli modis omnibus perfruatur.

XII.
ADLOCVTIO PONTIFICIS AD EPISCOPOS ſub finem Synodi.

Vos confratres & coepiſcopos meos volo vnanimiter mecum in defenſione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam conſtat eſſe caput omnium Eccleſiarum, conuenire, donec Deo auxiliante in ſedem beati Petri Apoſtolorum principis reuertamur, cum omnium hominum veſtrorum armata bellico apparatu manu: & de hoc, non differendo, ſed ſub omni celeritate & certitudine ſponſionis, hîc mihi quæſo abſque vlla dilatione continuò dare reſponſum.

ITEM ADLOCVTIO PONTIFICIS AD REGEM.

Vos, cariſſime fili Hludouice glorioſe Rex, precor, in defenſionem, liberationem, atque exaltationem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut prædeceſſores veſtri fecerunt, & vobis ſub atteſtatione facere mandauerunt, ſine procraſtinatione & vlla dilatione ſuccurrite: quia miniſtri Dei eſtis, vindices in ira in his qui malè agunt, & non ſine cauſa gladium portatis: ne forte, quod abſit, illa vos aut regnum veſtrum culpa conregat, quę quoſdam veteres reges inimicis & infidelibus Dei quondam parcentes damnabiliter ſtrinxit. Vel ſi aliud placet, præſentaliter in iſto loco dare, per Deum & per beatum Petrum vos coniuro, ſine mora reſponſum.

XIII.
Priuilegium Monaſterio Floriacenſi conceſſum in Synodo Tricaſſina.

IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, omnibus Epiſcopis atque aliis Dei fidelibus per Galliam conſtitutis.

Ex Cod. MS. QVONIAM ex Apoſtolica ſucceſſione ſollicitudinem omnibus Eccleſiis debemus impendere, ſic cupimus generali conſulere neceſſitati, vt etiam quorumcumque ſingulares cauſas ſine faſtidio cognoſcamus. Igitur cùm propter multiplices Eccleſiæ Dei curas Gallicanam adeuntes regionem, Trecas ciuitatem deueniſſemus, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVIII. & ad reſecanda quælibet inutilia, vel ſtatuenda Eccleſiaſtica iura, Synodum generalem

plurimorum celebraremus Epiſcoporum, inter alia ſuggeſſit auctoritati noſtræ venerabilis partium veſtrarum Abbas, nomine Theorbertus, ex cœnobio quod vocatur Floriacus in pago Aurelianenſi, quòd idem Monaſterium quidam religioſus Abba, Leodebodus nomine, monachis exſtruxerit in honore Dei & ſanctæ genetricis Mariæ, necnon beati principis Apoſtolorum Petri: quòd reuelatione diuina per monachos eiuſdem loci à Beneuentana prouincia corpus illuc S. Benedicti peruenerit olim allatum, ibíque reuerenter humatum, ſicut manifeſtiſſima conſtat veritate: & quòd propter ſtabilimentum monaſticæ religionis, piæ memoriæ glorioſus Imperator Karolus per præceptum ſuæ auctoritatis eidem loco res denominatas delegauerit, partim à regibus, partim à religioſis hominibus, pro amore Dei illic contributas, vt victum atque veſtitum monachi ibidem Domino militantes deberent habere: necnon & hoc, quòd beatæ recordationis pater eius sereniſſimus Auguſtus in ipſo loco hoſpitale nobilium, quod Porta appellatur, iuxta regularem inſtitutionem, itémque hoſpitale pauperum, in ſui parentúmque ſuorum eleemoſyna ſtatuerit, & res ad hoc opportunè agendum, necnon alias ad lumen Eccleſiæ adminiſtrandum iuſſerit deputari. Quæ omnia per iam dictos monachos hactenus ibidem comperimus obſeruari. Nunc verò tam ſeipſum, quàm vnanimem congregationem ſibi commiſſam, humiliter poſtulare, quamuis priuilegia multorum meruerint Epiſcoporum, ad reprimendam quorumlibet inlicitam cupiditatem, vt ſuper Abbate regulari ex eis eligendo etiam noſtræ auctoritatis priuilegia conſequantur. Quocirca nos poteſtatem, quam gratis à Chriſto accepimus, ſecundum Euangelicam auctoritatem gratis prodeſſe omnibus cupientes, vice B. Petri Apoſtoli decernimus, vt in ſæpè memorato loco ſerui Dei abſque inquietudine debitum ſuæ religionis perſoluere poſſint ſeruitium ſecundum regulam patris Benedicti, à propriis Abbatibus, monachis videlicet ex eodem cœnobio regulariter electis, in perpetuum gubernentur. Nec illarum rerum, quæ vel in prælibato præcepto nominatim continentur, vel à prædicto Abbate venerabili nunc eiuſdem loci Theotberto præfati monaſterij officiis deputatæ habentur, vllam ab aliquo vnquam patiantur imminutionem, & etiam rebus, quæ deinceps à quibuſlibet religioſis hominibus eodem loco peruenerint condonatæ. Quòd ſi quis hoc noſtrum beneficium irrumpere præſumpſerit, & ſtipendia ſeruorum Dei in alios vſus conuerterit, ab Apoſtolica communione anathematis animaduerſione illum ſeparamus, vt niſi admonitus è veſtigio ſe correxerit, cùm rapacibus à regno Dei excluſus quæ meretur tormenta perſoluat. Vt autem hoc priuilegium certam obtineat fidem, & Dei famulis in iam dicto Floriacenſi cœnobio ſecuritatem conferat, quamdiu Deus & Dominus noſter Eccleſiam ſuam durare voluerit, noſtra id ſubſcriptione roborauimus. Scriptum per manus Georgij ſcriniarij ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, in menſe Auguſto, Indictione xi. Bene valere. Data Nonis Septembris per manum Vvalberti humillimi Epiſcopi ſanctæ Portuenſis Eccleſiæ, anno Deo propitio pontificatus domini noſtri Ioannis ſummi Pontificis, & vniuerſalis Papæ, in ſacratiſſima ſede beati Petri Apoſtoli ſexto, Indictione xi.

XIV.

GESTORVM SYNODALIVM CONCILII Tricaſsini breuis altera narratio, quam habet Aimoinus, lib. v. cap. XXXVII.

INTEREA Ioannes Papa generalem Synodum cum Epiſcopis Galliarum & Belgicarum prouinciarum agens, qualiter Lambertum & Adalbertum, Formoſum quoque, & Gregorium nomenclatorem, ac complices illorum Romæ excommunicauerit, relegi fecit in Synodo, & conſenſum Epiſcoporum in eadem excommunicatione quæſiuit. Vnde qui adfuerunt Epiſcopi petierunt, vt ſicut ipſe excommunicationem, quam fecerat, per ſcripturæ rationem recitari fecit in Synodo, ita & eis concederet, vt per ſcripturam illi ſuam conſenſionem proferrent. Et concedente ita fieri Papa Ioanne, in craſtinum Epiſcopi hoc quod ſequitur diploma Papæ in Synodo porrexerunt: *Domine ſanctiſſime ac reuerentiſſime pater patrũ Ioannes*, &c. Quod diploma Ioannes Papa ſuæ excommunicationi adſcribi fecit: & ſua manu confirmans ab omnibus Epiſcopis in Synodo ſubſcribi fecit. Deinde ipſo iubente lecti ſunt in Synodo canones Sardicenſis Concilij, & & decretum Papæ Leonis, de Epiſcopis ſedes ſuas mutantibus. Sed & Africani Canones, vt non fiant Epiſcoporum trãſlationes, ſicut nec rebaptizationes, vel reordinationes, pro Frotario Burdegalenſi Epiſcopo, qui à Burdegala Pictauos, indéque ad Bituricenſem ciuitatem exiliiſſe dicebatur. Et poſt hæc coronatus Ludouicus à Papa Ioanne, VII. Idus Septembris, inuitauit eumdẽ Papam in domum ſuam: & opiparè paſcens, honorauit eum multis donis ipſe & vxor ſua, & remiſit ad Trecas ciuitatem. Et poſtea per oratores ſuos orauit eumdem Papam, vt vxorem illius in reginam coronaret, ſed obtinére non potuit. Frotarius autem & Adalgarius Epiſcopi attulerunt in conuentum Epiſcoporum Papæ Ioanni præceptum, per quod pater ſuus Ludouico regnum tradiderat, petentes ex ipſius parte, vt priuilegio ſuo ipſum priuilegium confirmaret. Tunc Papa Ioannes protulit exemplar quaſi facti, præcepti à Carolo Imperatore de donanda Abbatia ſancti Dionyſij Romanæ Eccleſiæ. Quod compilatum in conſilio præfatorum Epiſcoporum, & aliorum conſiliariorum Ludouici regis, à plurimis credebatur, vt à Gozlino ipſam Abbatiam, velut ex ratione, tollere & ſibi habere poſſet. Et dicebat Papa Ioannes, vt ſi vellet Ludouicus rex, vt ſuper illius præceptum priuilegium faceret, ſuo præcepto illud patris ſui pręceptum firmaret. Quod argumentum, ſicut facto, & non ratio, imperfectum remanſit. Quarto Idus denique præfati menſis, Ludouicus rex quorumdam primorum compulſus petitionibus, venit ad Apoſtolicã manſionem; & cum eo familiariter locutus, vnà cum illo reuerſus eſt ad conuentum Epiſcoporum in hexedram iuxta manſionem Apoſtolici. Et poſt excommunicationem Hugonis, Lotharij filij, & Immonis, ac complicum eorum, vim facientibus quibuſdam Epiſcopis, & conſentiente rege, dixit Papa Ioannes, vt Hedenulfus, ſua auctoritate ordinatus Epiſcopus, ſedem ſuã teneret, & Epiſcopale miniſterium ageret, & Hincmarus cæcus, ſi vellet, Miſſam cantaret, & partem de rebus Epiſcopij Laudunenſis haberet. Et cùm Hedenulfus apud eumdem Papam peteret, vt eum ab illa ſede abſolueret, dicens ſe eſſe infirmum, & velle intrare monaſterium, obtinere non potuit: ſed præceptum eſt illi ab eo, conſentiente rege atque Epiſcopis Hincmari fautoribus, vt ſedem ſuam teneret, & Epiſcopale miniſterium ageret. Qui fautores Hincmari audientes quòd Papa Ioannes dixerit, vt ſi vellet Hincmarus cæcus Miſſam cantaret, & rex conſenſerit vt partem de Epiſcopio Laudunenſi haberet, inſperatè aliarum prouinciarum Epiſcopi, ſed & aliarum regionum Metropolitani, ſine præceptione Papæ, Hincmarum veſtimentis ſacerdotalibus indutum in præſentiam ipſius Papæ adduxerunt, indéque ſublatum cantãtes in Eccleſiam illum duxerunt, & ſignum benedictionis ſuper populum dari fecerunt. Sicque Synodus illa ſoluta eſt.

Finis Concilij Tricaſsini II.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XLIII.
Ad Bernardum Comitem.

Iubet vt ipſe cum aliis quibuſdam ad Synodum veniat, in qua Frotarius Bituricenſis Epiſcopus de obiecto ſibi infidelitatis crimine purgare ſe volebat.

BERNARDO COMITI.

Epiſt. cxv. RELATV videlicet hominis pontificio noſtro nuntiatum eſt, quòd Frotarius venerabilis Epiſcopus ciuitatem Biturigam inimicis veſtri ſenioris domini Ludouici glorioſi regis tradere maluerit: ideo illuc ipſe contendere ſtudueras. Ecce enim idem iam dictus Epiſcopus nobis, noſtro & filio præfato Regi glorioſiſſimo, ſuper hoc reclamare ſtuduit, dicens ſe velle in omnibus tibi & tuis, de vniuerſis obiectis contra tui & ſui ſenioris infidelitatem, iuſtitiam facere. Quapropter hortantes mittimus, Apoſtolicáque auctoritate iubemus, vt ad hoc placitum, ad húncque conuentum præſentaliter venire ſatagas, adducens tecum Girardum Vicecomitem; Vmbertum, Aguuarnum, Ingelbertum, ſuper quos ipſe reclamat: quatenus nunc coram nobis, & coram ſæpedicto glorioſo rege, tam canonica cenſura, quámque humanæ legis ſancitu, inter vos, quidquid contra fas & ius factum fuerit, nihilominus finiatur. Data *vt ſuprà*.

BERNARDI COMITIS EXCOMMVNICATIO.

Epiſt. cxx. BERNARDVM ſacrilegum, filium Bernardi & Belihildis, ſacrarum rerum Eccleſiaſticarum peruaſorem, regiæque à Deo ordinatæ poteſtati contradictorē, à proprio Archiepiſcopo Frotario, cui & ciuitatem, & omnia quæ habuit ſuſtulit, tertiò vocatū, à noſtra autem Apoſtolica auctoritate bis, & à regia ſublimitate ſemel reuocatum, venire nolentem, & in pertinacia ſua permanentem: qui etiam ab hominibus ſuis ſacramentum damnabile, & damnandum, blanditiis & terroribus tyrannicè contra diuina & humana iura extorſit, à corpore & ſanguine Domini noſtri IESV Chriſti alienum decernimus, & ab omni Chriſtianorum ſocietate ſeparamus, vſque dum ad condignam ſatisfactionem emendaturus accedat. Quòd ſi nec hoc emendauerit, & ea quæ reus adeo communi iudicio ſuorum fidelium abſtulit, violenter tenere, & fidelibus ſuis in hoc refragare tentauerit, anathematis vinculo ſancti Spiritus innodamus. Quicumque autem ei contra hanc excommunicationem communicauerint, aut conſenſerint, nos prohibere non poſſumus, vt qui excommunicatis communicauerint, non pari excommunicationi ſubiaceant.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XLIV.
Ad diuerſos Epiſcopos.

Vt inuaſores bonorum Eccleſiæ Turonenſis cogant reddere, & nonas ac decimas ſoluere.

Epiſt. cxxi. REVERENDISSIMIS & ſanctiſſimis Frotario Archiepiſcopo Biturigenſi, & Anſelmo Lemouicenſi, Hecfrido Pictauenſi, Dodoni Andecauenſi, Rotberto Cenomanenſi, Hildeprando Sagienſi Epiſcopis, necnon & aliis omnibus Epiſcopis & Comitibus, aliiſque perſonis illuſtribus, ſanctæ Dei Eccleſię fidelibus, in quorum parochiis S. Mauricij Turonenſis Eccleſię prædia eſſe videtur. QVORVM omnium religioſitas, ſeu vniuerſorum pernoſcat fidelitas, quoniam narrante Adalardo venerabili Archiepiſcopo, pontificium noſtrum didicit, qualiter quidam, abſque legum omnium auctoritate, tam Comites, quámque ſubditi eorum, S. Mauricij Turonenſis Eccleſiæ res inuaſas auſu temerario teneant. Vnde mandamus, noſtráque Apoſtolica auctoritate expreſsè iubemus, vt eos inuaſores primitus moneatis, vt ipſas res, omni occaſione remota, ipſi præfatæ Eccleſiæ reddere ſatagant: & ſi ipſi fortè audire noluerint, vos vnanimes omnes, vnóque conuentu pro poſſe collecti, noſtra cenſura illos excommunicare debeatis, vſquequo ipſas res ab eis iniuſtè tentas reddant.

Et ſi, quod non credimus, his cēſuris inobedientes fuerint, & ad ſatisfactionem venire diſtulerint, & iuſtitiam de perpetratis facere noluerint, ab omni Chriſtiana communione illos noſtra auctoritate iudicate eſſe immunes. Inter hæc etiam illos monete, vt nonas & decimas, ſecundum antiquam conſuetudinem, quibus dare debent, poſtpoſitis illicitis occaſionibus, dare minimè differant. Demum indicimus, vt omnes res præfatæ Eccleſię ſancti Mauritij, quæ in veſtris exiſtunt parochiis, defendere ab omnibus Inimicis debeatis: quoniam ſi aliter feceritis, & noſtræ cenſuræ non obedieritis, canonico ſancitu feriemini.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XLV.

Ad Arelatenſem & Narbonenſem Archiepiſcopos.

Vt cauſam inter Vceticenſem & Aueniouenſem Epiſcopos canonicè definiant.

Epiſt. cxxii. ROSTAGNO venerabili Archiepiſcopo Arelatenſi, & Sigebodo Narbonenſi. SANCTITATI veſtrę notum eſt, qualiter Walefredus Vceticenſis Eccleſiæ Epiſcopus ad Synodum, quam Deo auctore apud Trecas celebrauimus, reclamationis libellum obtulit ſuper Ractefredo Auinionenſe Epiſcopo, quòd ei quandam villam ad ſuam ſedem, ſiue parochiam, pertinentem abſtuliſſet. Sed quia Ractefredus, de quo querela erat, Synodo defuit, idcirco fraternitati veſtrę Apoſtolica auctoritate mandamus, vt coadunato numero Epiſcoporum, eorum cauſam canonico iudicio finiatis, ita diſcutiendo & determinando tantæ præſumptionis inuaſionem, vt nemo Epiſcoporum veſtrorum contra canonica præcepta vlteriùs inſurgere ſine ſuo periculo tentet. Vos quoque præſentialiter cum veſtris iſtud determinate iudicium. Capitula quædam vobis patrum auctoritate collecta mittimus, ſecundum quæ iudicare abſque dilatione debeatis, ne quærendo aſſumatis laborem pro tali negotio. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere.

EXCOMMVNICATIO HVGONIS, ET EMMONIS.

HVGONEM Lotharij regis quondam filium, non legitimum, ſed naturalem adulterina copula genitum, qui poſt præſtitum ſacramentum dilecto filio Ludouico regi Francorum mentitus eſſe videtur, & inquietare pacificum regnum prædicti regis: & Emmonem, Bernardi Comitis germanum, complicem in exceſſibus, niſi intra dies xxx. ad prædictum ſeniorem ſuum redierint, & ab inquietudine regni reſipuerint, omni Chriſtiana cōmunione priuamus. Poſtmodum ſi perſeuerauerint, ſciant ſe anathematis vinculis innodandos. Data &c.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XLVI.

Ad Epiſcopos Britanniæ.

Arguit eos, quòd à Turonenſis Archiepiſcopi iuriſdictione ſe ſubtraxerint, eiúſque bona inuaſerint: præcipit vt ei deinceps pareant, & delictorum ab illo veniam petant.

Epiſt. cxxiv. MAHEN Dolenſi Epiſcopo, nec non & omnibus Epiſcopis Britannicis, ſeu vniuerſis ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus. SANCTITATEM ſeu fidelitatem omnium noſſe volumus, quia dum Trecis Synodum celebraremus, ſuggeſtione Adalardi Archiepiſcopi conſacerdotis noſtri audiuimus, quòd vos matrem veſtram Turonenſem Eccleſiam deſpicientes, ſecundum antiquam conſuetudinem illi obedire differtis, & priuilegium à B. Petro Apoſtolo illi ſupra vos conceſſum frangere conamini, debitúmque honorem ipſi Archiepiſcopo veſtro obſeruare negligitis, & malum ſupra malum addentes, prædicto capiti veſtro prædia auferre non formidatis. Inter hęc etiam, & præfato Antiſtite narrante, & aliis coepiſcopis ſimiliter conferentibus, audiuimus vt vos non antiquo more à veſtro Metropolitano conſecrati fuiſſetis, ſed expulſis legitimis Epiſcopis de ſedibus, ſola potentia Ducis veſtri alter ab altero conſecratus fuit. Quod mirati fuimus,

fuimus, &, ſi ita eſt, tantum nefas delebimus, & vindictam, niſi ſatisfeceritis, nihilominus dabimus: quia non paſtores, ſed inuaſores fuiſſe cernimini. Quapropter monemus, Apoſtolicáque auctoritate expreſsè præcipimus, vt ad cor redeuntes ad matrem veſtram ſanctam Turonenſem Eccleſiam reuertamini, & ſecundum antiquam conſuetudinem illi obedire ſatagatis, & do perpetrato hactenus ipſi veſtro Archiepiſcopo Adalardo miſericordiam quæratis, quatenus ſuper omnibus negligentiis apud ſummum arbitrum veniam habere poſſitis. Quoniam ſi aliter feceritis, canonica auctoritate eritis nihilominus feriendi, & à noſtra communione modis omnibus alienandi, & omnis veſtra ordinatio à ſumma ſede Apoſtolica ſcilicet reſpuenda. Data *vt ſuprà*.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XLVII. Ad Ludouicum Balbum regem.

Boſonis Comitis, & Agilmari Epiſcopi, à quibus in Italiam deductus fuerat, ſtudium erga ſe operámque commendat.

Epiſt. 125. DILECTISSIMO filio Ludouico glorioſiſſimo Regi, diuæ memoriæ Caroli Imperatoris filio. QVANTO vos amore diligimus, quantúmque caritatis affectum erga vos tenemus, paucis explicare verbis minimè poſſumus: hoc tamen gloriam excellentiæ veſtræ ſcire cupimus, quod deuotionem ardorémque caritatis, ſicut polliciti ſumus, erga vos indeficientem perpetuò retinemus. Interea millenas ſerenitati veſtræ de Boſone dilecto & communi filio ac fideles gratias referimus, qui tam prudenter communibus obtemperans iuſſis, parere in omnibus ita nobis ſtuduit, vt etiam velut veræ Chriſtianæ religionis cultor, animæ & vitæ ſuæ non pepercerit, ſed pro ſanctæ Eccleſiæ & communi fidelitate vltro ſe morti tradere non dubitauit, & vſque Ticinum, annuente Deo, ſecuriùs nos perduxit. Propterea, dilectiſſime fili, ac porphyretice Rex, obſecramus excellentiæ veſtræ culmen, vt ſi res exegerit, ſicut nobis veſtra dignata eſt repromittere ſublimitas, ei adiutoriũ ad debellandos hoſtes noſtros virorum bellatorum adminiculum præbeatis: quoniam dignum eſt, vt ſoli omnes adiutorium præbeant, qui ſolus pro cunctis deſudare non ceſſat. Præſentem itaque huius latorem epiſtolæ, Agilmarum venerabilem Epiſcopum, excellentiæ veſtræ plurimùm cõmendamus: quatenus idem, ſuáque Eccleſia creſcat augmento perfectionis, qui in omnibus opportunitatibus noſtris nulli ſecundus extitit, & vobis fideliſſimum in cunctis, quæ cognouerit, veriſſimè comprobauimus. Inter hæc Epiſcopos, quos ſerenitas veſtra in noſtrum iuſſit venire adiutorium, ſcias præter Agilmarum nullum veniſſe. Quapropter regalis cenſura culminis veſtri ſua auctoritate compellat eos quantocius hoſtiliter Romam venire, vt de cetero diſcãt Apoſtolico culmini & regali excellentiæ congruenter præbere obedientiam.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XLVIII. Ad Hugonem, Theodericum, & Bernardum Comites.

Vt amicitiæ, caritatiſque fœdus cum Boſone ictum ſeruent.

Epiſt. 137. HVGONI, Theoderico, & Bernardo, illuſtriſſimis regni Frãcorum. FRETVS veſtra ingenuiſſima nobilitate, atque obedientia, quam propter Deum nobis condignè debetis, dilectiſſimum filium noſtrum Boſonem, veſtrum vnanimem fratrem & amiciſſimum, vt inſolubile vinculum caritatis, fœdúſque amicitiæ, quod coram Deo viciſſim colligaſtis, moneo, hortor, nulla hominum malè loquentium lingua, nullo cuiuſlibet fraudis ingenio, vel in modico quoquo modo poſſit auelli: ſed Domino auxiliante dilecti filij noſtri Hludouici regis animum erga eum immobilem & tranquillum ſemper ſeruetis, & omnia ſua ſalua atque pacifica conſeruate. quoniam pro his ab omnipotente Deo, & beato Petro Apoſtolo, futuræ vitæ mercedem, & à nobis & ab illo fideliſſimas amicitiarum recipietis ſine dubio retributiones. Data *vt ſuprà*.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA XLIX.
Ad Vvlgarium monachum.

Vt Vviperto Epiſcopo obediet, qui eum per dimiſſoriam atquiſiuit.

Epiſt. 138. Vvlgario monacho. Denique Trecis poſiti per noſmetipſos cognouimus, qualiter Valpertus Epiſcopus, deuotus filius noſter, te à proprio Epiſcopo, atque Abbate, per dimiſſoriam acquiſiuit, tua potius interueniente petitione. Quapropter conuenit tibi ex die illo, & deinceps, tanquam proprio obedire, eúmque vt proprium paſtorem ſequi non prætermittas. quia, quod non optamus, ſi aliter feceris, vinculum excommunicationis ſuper te rationabiliter extendemus. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA L.
Ad Epiſcopos in regno Ludouici conſtitutis.

Reſcribit de indulgentia eorum qui contra paganos pugnantes occubuerant.

Epiſt. 144. Omnibus reuerendiſſimis & ſanctiſſimis venerabilibus Coepiſcopis per totum regnum cariſſimi filij mei Hludouici. Qvia veneranda fraternitas veſtra modeſta interrogatione ſciſcitans quæſiuit, vtrum hi, qui pro defenſione ſanctæ Dei Eccleſiæ, & pro ſtatu Chriſtianæ religionis ac reipublicæ in bello nuper ceciderant, aut de reliquo pro ea re caſuri ſunt, indulgentiam poſſint conſequi delictorum: audenter Chriſti Dei noſtri pietate reſpondemus, quoniam illi, qui cum pietate Chriſtianæ religionis in belli certamine cadunt, requies eos æternæ vitæ ſuſcipiet, contra paganos atque infideles ſtrenuè dimicantes, eo quòd Dominus per prophetam dignatus eſt dicere: *Peccator quacumque hora conuerſus fuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor amplius*: & venerabilis ille latro in vna confeſſionis voce de cruce meruit paradiſum. Manaſſes quoque impuriſſimus quondam rex captus, carceríque arctiſſimo religatus, ibi pœnitentiam agens, cum perfectione indulgentię, etiam regni priſtini, propter Domini miſericordiam, quia immenſa eſt circa genus humanum, adeptus eſt ſolium. Noſtra præfatos mediocritate, interceſſione beati Petri Apoſtoli, cuius poteſtas ligandi atque ſoluendi eſt in cælo & in terra, quantum fas eſt, abſoluimus, preeibúſque illos Domino commendamus. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data *vt ſuprà.* Ezech. 18. Luc. 23. 2. Paral. 33.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LI.
Ad Vvifredum Epiſcopum Vencienſem.

Epiſcopum, qui cum excommunicatis communicarat, Miſſarum celebratione prohibet.

Epiſt. 145. Vvifredo venerabili Epiſcopo ſanctæ Vencienſis Eccleſiæ. Avctoritate Domini noſtri Iesv Chriſti, & ſancti Petri Apoſtolorum principis, noſtrique Apoſtolatus, quia cum excommunicatis communicaſti, vt litteræ tuæ manifeſtant, omni te Miſſarum celebratione priuamus, donec in noſtram eum eiſdem hominibus occurras præſentiam: & ſi, quod non optamus, ampliùs præſumptor extiteris, denuntiamus te omni ſacerdotio fore nudatum. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LII.
Ad Odonem Epiſcopum Bellouacenſem.

Decernit impuberes, qui alium occiderant, poſt peractam pœnitentiā ordinari poſſe.

Epiſt. 146. Odoni venerabili Epiſcopo Beluacenſi. Relatv didicimus quorumdam monachorum ſancti Dionyſij cœnobij, quod quibuſdam pueris impuberi adhuc ætate inter ſe rixantibus, hominum illorum inſtigatione vnus ex illis eſt interemptus. Quapropter mandamus, vt ſi inculpabiles poſt peta-

ctam pœnitentiam legitimi vigoris ſecundum canones reperti fuerint, gradatim ad Eccleſiaſticos ordines eos prouehere non differas, ſeruatis in omnibus patrum regulis, & canonum inſtitutis. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LIII.
Ad Aimarum & Vvidonem Epiſcopos.

Vt Roſtagni vxorem ad ſe venire iubeant, illiúſque adiutores, niſi reſipuerint, communione priuent.

Epiſt. 147. AImaro & Vvidoni reuerendiſſimis Epiſcopis. Hortamvr ſanctitatis veſtræ fraternitatem, ſacerdotalémque zelum veſtri vigoris Apoſtolica auctoritate incitamus. Bertildi Roſtagni illuſtris viri coniugi, quæ ſpreto Dei timore, ac lege tori, fugabunda per veſtras parochias incedens multotiens ab Epiſcopis & Synodo vocata, ſurda aure venire diſtulit, omnem neceſſitatem imponite veniendi coram noſtra præſentia, vt eius cauſa legaliter finem accipiat. Illiúſque in tam peruerſo opere adiutoribus aditum atque communionem totius ſanctæ Eccleſiæ tamdiu intercludite, donec ab omni ſe ſequeſtrẽt prædictæ Bertildis conſortio. Inter quos Achetium mœchum cura ſpiritali priuate, veſtróque zelo percutite. Quæſo, moneo, hortor, fratres cariſſimi, citiſſimè amplectendam exhibete præſentiam. iterum iterúmque iubemus, omni poſtpoſita occaſione, ad nos feſtinanter venite: quatenus Chriſto Domino miſerante, in hoc & aliis negotiis, communi conſilio terminum ſalubriter imponere valeamus. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LIV.
Ad Vvalam Epiſcopum Metenſem.

Ne cogatur ſponſus vxorem ducere ab alio corruptam.

Epiſt. 148. REuerendiſſimo & ſanctiſſimo Vvaleno venerabili Epiſcopo Metenſi. Præſentivm portitor litterarum, Alpertus nomine, lacrymabiliter coram nobis veniens queſtus eſt deſponſam ſuam, nomine Vvalatam, adhuc in parentum domo manentem, adulterino concubitu à presbytero quodam prægnantem repertam. Quæ confeſſa de crimine, libenter ab eo ſe vult diſſociare; ſed tua fraternitas pro quadam parentelæ affinitate, coactè eum cogit eamdem ſumere in coniugium, cõtra regulas patrum, atque inſtitutionem. Quapropter, ſi ita eſt, requiſitis ſuper his legum & canonum inſtitutis, quid de talibus præcipiant promulgate abſque perſonarum acceptione. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LV.
Ad Aginulfum Epiſcopum Gabalitanum.

Vt præſentium latoribus ablata reſtituenda cures.

Epiſt. 150. IOannes Aginulfo venerabili Epiſcopo Gebaldanenſi. Præſentivm latores queſti ſunt ab hac ſede plebem ſuam eiſdem ſublatam. Quapropter Apoſtolica auctoritate tuæ fraternitati præcipimus, vt inquiſita rei veritate, quod iuſtũ eſt, vnicuique reddere ſacerdotali ſollicitudine perueſtiget: & quæ ipſe diffinire non poteris, [referre ad nos] modis omnibus nõ prætermittas.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LVI.
Ad Biſuntinenſem Archiepiſcopum.

Significat ſe Fulcardum, eiúſque coniugem ſub excommunicatione abſoluiſſe.

Epiſt. 151. THeodorico venerabili Epiſcopo Biſuntinenſi. Notvm ſit ſanctitati veſtræ, quia Fulcardum, & Berclindam vxorem eiuſdem, ab excommunicationis vinculo abſoluimus, donec canonica regula exactè reperiamus iudicium. Vndè à vobis in communionem eos recipi mandamus. Optamus fraternitatem veſtram bene valere. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LVII.

Ad tres Archiepiſcopos, eorúmque ſuffraganeos.

Ne Bicbertinum ante cauſæ diſcuſsionem excommunicent.

Epiſt. 163. REVERENTISSIMIS & ſanctiſſimis confratribus noſtris, Auteliano, & Otteramno, nec non & Theoderico, & vniuerſis coepiſcopis veſtris. OMNIVM veſtrûm ſanctitati notum eſſe volumus, veniſſe Bicbertinum deſerentem Imperatoris præceptum, & commurarionis chartulam de rebus quas chariùs cum Amulo Archiepiſcopo dudum celebrauerunt. Inſuper noſtro Apoſtolatui intimauit, vt eum ſine ratione diſcuſſa excommunicare vultis. Quapropter Apoſtolica auctoritate iubemus, vt nemo veſtrûm eum excommunicet, antequam ad legis examen proueniat. Scitore, quemadmodum in centeſimo capitulo Africani Concilij legirur, ſimilirer in ſecundo Nouellarum Iuſtiniani libro, vt nemo Epiſcopus aut preſbyter aliquem excommunicet, antequam cauſa probetur. Qui excommunicatus maiorem ſacerdotem adeat, & ille qui iniuſtè excommunicauit, ab ipſo iuſtè patiatur. Et nemo veſtrûm, aut quilibet laicorum, præfati res ante legis ſanctionem inuadere audear. Nam, quod non credimus, ſi quis contra hanc noſtram Apoſtolicam auctoritatem ire tentauerit, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum. Data *vt ſuprà.*

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LVIII.

Ad Anſelmum Epiſcopum Lemouicenſem.

Non ſeparandum virum ab vxore, qui filium ſuum neceſsitate vrgente baptizauit.

Epiſt. 188. 30. q. 1. Ad limina. ANSELMO Epiſcopo Lemouicinæ Eccleſiæ. AD limina bearorũ Petri & Pauli Apoſtolorum principum hic præſens homo, nomine Stephanus, orationis cauſa veniẽs, noſtro præſulatui ſuggerendo innotuit, quòd filium ſuum in extremo vitæ poſitum, nec baptiſmatis vnda lotum, abſentia ſcilicet ſacerdotum neceſſitate cogente baptizaſſet, eumque ipſe propriis manibus tenendo ſuſcepiſſet; atque pro huius rei negotio notitiæ tuæ patefacto, reuerentia tua, quaſi zelo rectitudinis flagrans, præfatum hominem à ſua iudicauerit coniuge ſeparandum. Quod fieri nullatenus Prou. 19. 14. iuxta LXX. debet, dicente ſcriptura à Deo iunctam viro eſſe vxorem, &, quod Deus coniun- Matth. 19. 6. xit homo non ſeparet. Vnde & Dominus Matth. 19. 9. in Euangelio neminem poſſe dimittere vxorem ſuam, niſi cauſa fornicationis apertiſſimè iubet. Quapropter & nos, tantæ auctoritatis iuſſione præcipuè freti, dicimus omirrendum eſſe, & inculpabile iudicandum, quod neceſſiras intulit. Nam baptizandi hoc opus etiam laicis fidelibus, iuxta canonicam ſanctionem, ſi neceſſe fuerit, facere liberè conceditur. Vnde ſi prædictus genitor filium ſuum corpore morientem aſpiciens, ne animam morte perpetua pereuntem dimitteret, ſacri baptiſmatis vnda lauit, vt cum de poteſtate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Chriſti iam regeneratum indubitanter mitteret, benè feciſſe laudatur. Et idcirco cum ſua vxore ſibi iam olim legitimè ſociata impune, quamdiu vixerint, iudicamus manere coniunctum, nec ob hoc contra præfatas auctoritates diuinas aliquatenus ſeparari debere. Data VII. die menſis Iunij, Indictione XII.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LIX.

Ad tres Archiepiſcopos.

Vt Nemauſenſem Epiſcopum à Monaſterij cuiuſdam iniqua inuaſione remoueant, & ſi non paruerit, excommunicent.

Epiſt. 191. ROSTAGNO Archiepiſcopo Arelatenſi, Sigibodo Archiepiſcopo Narbonenſi, Rotberto Archiepiſcopo Aquenſi, à patibus. VERACIVM relatione comperimus, Gibertum Nemauſenſem venerabilem Epiſcopum, quòd quoddam Monaſterium noſtrum, quod ſuper eumdem Epiſcopum acquiſi-

uimus, ipſe Gibertus temere inuaſerit, omnéſque res ipſius Monaſterij per ſuos homines diſtribuerit, & illius monachos inde cõtra ſacras regulas omnino expulerit. Quod tantum nobis diſplicuit, quantum, ſicut ipſe nobiſcum aduertis, calcata reuerẽtia venerandorum canonum, contra priuilegium Apoſtolicæ ſedis eum feciſſe non ambigis. Quapropter fraternitati tuæ dirigimus, vt vice noſtra cum cõfratribus & coepiſcopis noſtris iunctus, eumdem Nemauſenſem Epiſcopum ad commune colloquium conuocetis, & ex auctoritate noſtra conuenientis, vt ab omni inuaſione ipſius Monaſterij tã ſe quàm ſuos remoueat, & vlteriùs nec res eius, nec monachos illic Domino famulantes moleſtare præſumat. Quòd ſi ipſe ſurda aure, quod abſit, per vos monita noſtra audierit, tunc ex auctoritate B. Petri Apoſtoli cui idem Monaſterium pertinet, ſimul & noſtra, illum à miniſterio ſacerdotali excommunicãdo ſuſpende: quouſque dum aut ab ipſa inuaſione ſe ſubtrahat, aut ad ſedem Apoſtolicam, vel ad noſtram præſentiam nobis ſatisfacturus occurrat. Agat in his ſanctimonia tua ſicut illam agere decet, vt & nos Deo laudes, & tibi gratias referamus. Data XVIII. Kalendas Iulias, Indictione XII.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LX.
Ad Airardum Archiepiſcopum Auſcenſem, eiúſque ſuffraganeos.

Hortatur ad deprauatos populi mores corrigendos, præcipuè inceſta matrimonia, ne quis relicta vxore aliam ducat, aut ſimul cum vxore concubinam habeat, vt res immobiles Eccleſiæ nemo ſibi vſurpet, & vt clerici ſub Epiſcopi ſint poteſtate.

Epiſt. 198. Reverentissimis & ſanctiſſimis, Airardo Archiepiſcopo, & Inuolato Conuenenſi, Vvainardo Conſerano Sarſtono Bigorrenſi Epiſcopis. Mvltas præuaricationes contra totius Chriſtianitatis religionem, atque ſanctorum Patrum venerabiles ſãctiones, his veſtris in partibus à prauis fieri Chriſtianis veridica multorum relatione didicimus. Quos verò nec piæ admonitionis veſtræ blandimento, nec debitæ excõmunicationis vinculo, nec etiam Apoſtolicæ conſtitutionis verbo, aliquatenus à tantorum malorum operũ infeſtatione ac perpetratione prohibere, nec penitus valetis compeſcere. Et ideo dolemus pariter vobiſcum, fratres mei, ſuper temeritate populi talia præſumentis, & nullam ex his pœnitudinem fructuoſam in præſenti agere volentis, veſtrámque ſalubrem correptionem pro nihilo ducentis. Igitur quia noſtro Apoſtolatui humiliter ſuggeſſiſtis, vt Apoſtolica fulti auctoritate, populum grauem & plenum iniquitate liberè poſſetis corrigere; quando ex diuino elogio Luc. 22.32. docemur; vt aliquando conuerſi fratres noſtros aliqua ſæculi fluctuatione inefficaces cõfirmare debeamus; vos cum Do- 1. Theſſ. 5.14. ctore gentium conuenimus dicẽtes, Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, arguite peccantes, obſecrate proteruos, & increpate iniquè agentes, cum omni imperio. Vobis namque populus ipſe, ſicut grex ouium Domini paſtoribus eſt commiſſus: & niſi eos ita nunc temporali increpatione correxeritis, vt ſpiritu ſalui ſint, in die Domini noſtri Iesv Chriſti, ſanguis eorum de veſtris proculdubio manibus requiretur. Sin autem vobis annuntiantibus non obedierint; ipſi in ſuis iniquitatibus deficient, vos verò animas veſtras liberaſtis. Præterea vnum valdè illicitum & execrabile malum contra venerabilia ſãctorum patrum decreta eoſdem veſtros parochianos cõmittere audimus: hoc eſt vt nulla generis conſanguinitate cuſtodita, nulla propinquitatis parentela obſeruata, vnuſquiſque ſuam propinquã in quocũque fuerint gradu, accipiat vxorem, atque inceſto & nefario ſe coniugio copulent. Quod licitum facere Chriſtianis non eſt, dum vſque ſe generatio cognouerit. Vnde ſanctiſſimi prædeceſſores noſtri, Stephanus videlicet, Eugenius, atque Leo, ſynodali decreto tale nefandum coniugium fieri prohibuerunt, dicentes vt conſobrinam neptem, nouercam, fratris vxorem, vel etiam quamlibet de propria cognatione, nullus præſumat ſibi in coniugio copulare: quia ſcriptum eſt in lege Leuit. 18.7. Domini, turpitudinem vxoris patris, ſiue vxoris fratris, atque ſororis tuæ non reuelabis. turpitudo enim tua eſt. Et ſi Deus Hebraico populo ante incarnationem vnigeniti filij ſui hæc ſeruanda mandauit,

quanto amplius nos, qui Chriſtianæ religionis documenta tenemus, ab illicitis connubiis obſeruare debemus, ne demerſi in voraginem ignis æterni concrememur incendio? Si quis verò in hoc nefario coniugio inuentus in eo permanere voluerit, aut nunc ab vxore ſolutus hoc agere tentauerit, ſciat ſe auctoritate Apoſtolica anathematis vinculo eſſe innodatum, & nullus ſacerdos illi tribuat communionem; & ſi inclinatus ab illicita ſe copula diuiſerit, pœnitentiæ ſubmittatur, vt ſacerdos loci cõſiderauerit. Hoc etiam cum illis pariter iubemus, vt nullus propriam relinquat vxorem, & illa viuente alteram ſibi ſociare præſumat; nec liceat ei vno tempore duas habere vxores, vxorémve & concubinam. Iubemus etiam, vt nulli ſacerdotũ, nullique laicorum liceat res immobiles ſub qualibet occaſione à piis & venerabilibus locis ſubtrahere, & in proprio vſu habere. Qui verò præſumpſerit, canonicis ſubiaceat correctionibus. Statuimus etiã, vt omnes preſbyteri & clerici ſub proprij poteſtate conſiſtant Epiſcopi, & nihil ſine ipſius conſciẽtia gerant, ſecundum regulam à patribus conſtitutam. Si quis ſanè ſacerdotum aut clericorum aliter agere præſumpſerit, à ſuo canonicè redarguatur Epiſcopo: laicus quoque, ſi de poteſtate Epiſcopi clericum quemlibet ſubtrahere præſumpſerit, excommunicatus exiſtat. Hæc fratres cariſſimi, pro veſtra ſupplicatione & honorificẽtia in auctoritatẽ habenda deſcripſimus vobis: quatenus his noſtræ conſtitutionis muniti præceptis, digna Deo noſtro poſſitis ſecuriter deferre obſequia, debitáſque perſoluere laudes. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto benè valere. Data Idibus Iuniis, Indictione XII.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXI.

Ad monachos Pultarienſis cœnobij.

Dolet de eorum calamitatibus, & ſignificat ſe ipſorum cauſa Boſoni principi, atque Hugoni Abbati ſcripſiſſe, vt eos tutentur: exemplar etiam teſtamenti Gerardi fundatoris Anſegiſo Archiepiſcopo & Conrado Comiti miſiſſe.

SANCTÆ CONGREGATIONI SVMMI Apoſtolorum principis Petri, cœnobij noſtri Pultarienſis.

Epiſt. 110. COGNOSCAT pro certo fraternitas veſtra, nos relectis litteris veſtris, pro tantis aduerſitatibus, quas ab iniquis quotidie ſuſtinetis hominibus, valde triſtes exiſtere: quoniam ſicut de veſtra proſperitate gaudemus, ita quoque & de veſtra tribulatione triſtamur. Vnde volentes ſanctam congregationem veſtram, vt pote dominicum gregem in ipſo Apoſtolorum principe nobis commiſſum, ſaluam & quietam habere, direximus ſecundum petitionem veſtram noſtras Apoſtolicas litteras Boſoni glorioſo Principi, & Hugoni nobiliſſimo Abbati, petentes quatenus pro Dei ſanctorúmque Apoſtolorum principum Petri ac Pauli amore, noſtráque dilectione, ſuæ defenſionis auxilium vobis impendant, & contra Dei atque omnes veſtros aduerſarios manum ſuæ potentiæ extendant, vt quietè ac ſecuriter degentes, debitas Domino laudes perſoluere, ac pro nobis & omni populo Chriſtiano valeatis omnipotentem Dominum deprecari, & res ſancti noſtri Monaſterij tranquilla mente diſponere, regere, ac ſecundum Dominum diſpenſare poſſitis. Porrò exemplar ipſius teſtamenti, per quod Gerardus bonæ memoriæ Comes, vnà cum Berra quondam coniuge ſua, ipſas res principibus Apoſtolorum Petro & Paulo tradidit, bulla nominis noſtri munitum, Anſegiſo Archiepiſcopo, & Chonrado Comiti, in cuius Comitatu ipſæ res continentur, per præſentem nuntium veſtrum direximus. Vos itaque, videte, ſi de bis omnibus adiuti fueritis, aut non, & nobis renuntiate, vt quali conſilio meliori potuerimus, vos libentiſſimè adiuuare curemus. Fraternitatem veſtram orantem pro nobis Dominus dignetur conſeruare incolumem.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXII.
Ad Hugonem Abbatem.
Vt Monaſterium Pultarienſe tueatur.

DILECTO FILIO HVGONI NOBILISSIMO ABBATI.

Epiſt. 111. QVANTA vos dilectione, quantóque noſtræ paternitatis quaſi vnicum filium dilexerimus affectu, ex eo quo veſtram ſublimitatem cognouimus, ſagacitatem, & gloriam, ipſi abundanter recolitis: quoniam & veſtra nos excellentia, veluti patrem ſpiritalem, in omnibus colere & honorare animo tranquillo curauit. Quo videlicet mutuæ dilectionis fœdere illibato conſiſi, monaſterium S. Petri, quod appellatur Pultarienſe, & Gerardus quondam Comes de rebus ſuis perfecit, atque dotauit, & ſancto Petro tradidit, petimus vt veſtra in omnibus tuitione adiuuetur: quia fratres qui nunc in eo conſiſtunt, & ſedulas Deo laudes perſoluunt, orantes pro ſalute omnium in Chriſto credentium, ab inimicis vicinis perturbantur, omniſque illorum, immo noſtra familia crudeliter aſſiduè vexatur, & opprimitur. Ita ſanè vt neque arare, neque cetera quæ ad terræ culturam pertinent, poſſit exercere. Quapropter & veſtrum auxilium eidem ſancto lôco impendatis, & contra Dei atque eius aduerſarios manum veſtræ potentiæ, pro amore Dei, & ſanctorum Apoſtolorum Petri ac Pauli, noſtrâque dilectione, extendatis, quatenus veſtro potenti brachio freti, ſalui in omnibus & ſecuri conſiſtant: vt & in præſenti dignas à nobis retributiones, & in futuro multiplicem à Domino valeatis mercedem cum ſanctis recipere.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXIII.
Ad Hugonem & Radulfum.
Quòd Vendoaram villam S. Petri Pultarienſis nulli conceſſerit, & Arembertum qui à Boſone eam accepit, excommunicari iuſſerit, niſi ab ea abſtineat.

Epiſt. 112. HVGONI & Radulfo fidelibus noſtris. COGNOSCAT pro certo fidelitas veſtra, quia nos ipſam villam noſtram Vendoaram, quam dicitis eſſe inuaſam à Boſone Comite, quaſi nos eam eum illo commutaſſemus accipientes alteram ab eo, neque beneficiali more, neque alicuius commutationis tenore, neque alio quocumque modo, cum eodem Boſone, vel alio quocumque homine, dedimus, neque commutauimus. Ideo in fidelitate & ſeruitio ſanctorum Apoſtolorum Petri ac Pauli deuota mente permanentes, ipſam villam ſub noſtro iure tenete, defendite, & cum Domini auxilio gubernate, nec alicui homini credatis nos aliquãdo præfatam villam quolibet modo daturos. Direximus verò, pro noſtro adiutorio ac defenſionis auxilio, litteras noſtras iam dicto Boſoni Comiti, vt pro amore Dei, & S. Petri, ac noſtro, & ſuos homines inde remoueat, & ipſam villam nullatenus inuadere, nec inuaſam retinere præſumat: quin potius ſuo vos brachio tueatur, & ab omnibus erga vos malè agentibus dignetur defendere, ſi gratiam Dei & principis Apoſtolorum cupit habere. Arembertum autem vaſallum eius, cui ipſam villam beneficio dederat, omni Eccleſiaſtica communione per Iſaac venerabilem Epiſcopum iuſſimus eſſe priuatum, ſi in eadem villa vlterius temere intrare, aut aliquam ibi contrarietatem facere præſumpſerit.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXIV.
Ad Boſonem Comitem.
Vt Arembertum & quoſuis alios à Vendoara villa remoueat, eámque Pultarienſibus reſtituat, & monaſterium ipſum tueatur.

Epiſt. 113. DILECTO filio Boſoni glorioſo principi. QVANTA vos dilectione, quantóque noſtræ paternitatis dilexerimus affectu, ex eo quo veſtram ſublimem cognouetimus gloriam, ipſi abundanter recolitis: quoniam & veſtra nos excellẽtia, veluti patrem ſpiritalẽ, in omnibus colere & honorare animo

tranquillo curauit. Quo videlicet mutuæ dilectionis fœdere confiſi, ea quæ ſub iure ſanctorum Apoſtolorum principum Petri ac Pauli per totius Galliæ prouincias immobilia loca conſiſtunt, cum hominibus, omnibúſque ſibi pertinentibus, vt veſtro potenti brachio defenſa manerent rogauimus, veſtróque auxilio ſecura conſiſterent. quod vos pro amore Dei & S. Petri, noſtróque honore, nobis libenter facere promiſiſtis. Nunc autem, ſicut audiuimus, villam noſtram Vendoaram abſque noſtro conſenſu & voluntate occupatis, & vni veſtro vaſſallo, nomine Aremberto, in beneficium dediſtis, &, ſi verum eſt, non bene, ſicut vos decebat, egiſtis. Ideo rogamus, fili cariſſime, celſitudinem tuam, vt propter amorem Domini, & S. Petri cæleſtis regni clauigeri, ipſam villam noſtris, qui ibidem reſident, hominibus ſub noſtro iure, ſicut nos eam ordinauimus, liceat habere ſecuriter: omnéſque veſtros, vel alienos homines ab eiuſdem villæ habitatione vel dominatu remoueatis: nec veſtris diebus aliquam à quocumque homine contrarietatem patiamur. Simili etiam modo petimus, vt Monaſterium S. Petri, quod appellatur Pultarienſe, & Gerardus quondam Comes de rebus ſuis perfecit, atque dotauit, & ſancto Petro tradidit, veſtra in omnibus tuitione adiuuetur: quia fratres qui in eo conſiſtunt, & ſedulas Deo laudes perſoluunt, orantes pro ſalute omnium in Chriſto credentium, ab inimicis vicinis perturbantur, omníſque illorum, immo noſtra familia crudeliter aſſiduè vexatur & opprimitur, ita ſanè vt neque arare, neque cetera, quæ ad terræ culturam pertinent, poſſint exercere. Quapropter & veſtrum auxilium eidem ſancto loco impendatis, & contra Dei atque eius aduerſarios manum veſtræ potentiæ, pro amore Dei, & ſanctorum Apoſtolorum Petri ac Pauli, noſtráque dilectione extendatis, quatenus veſtro potenti brachio freti, ſalui in omnibus & ſecuri conſiſtant, vt & in præſenti dignæ à nobis retributiones, & in futuro multiplicem à Domino valeatis mercedem recipere.

ANNO CHRISTI 879. LVDOVICI & CARLOMANNI REGVM I.

CONCILIVM MANTALENSE.

IN QVO REGIS NOMEN BOSONI AB ARELATENSIS regni Epiſcopis proceribúſque delatum eſt Idibus Octobris, anno Chriſti DCCCLXXIX. Ioannis VIII. Papæ anno VII. Ludouici & Carlomanni regum primo.

ELECTIO BOSONIS REGIS.

CVM conueniſſent ſancti patres in nomine Domini ſaluatoris noſtri, conuentum celebraturi apud Mantalam territorij Viennenſis, de multis Eccleſiæ negotiis tractaturi, & ſanctæ ſollicitudinis ſecretarium penetraturi, multis emergentibus, & ſuimet conſideratione cogentibus, ſacerdotalis affectus ex antiquo patrum cordibus infuſus euidenter dictauit ei perſonæ curam gerere, cuius adminiculo tam in veteri Teſtamento, quàm & in nouo, conſueuit populo condignum regimen exhiberi. Et quoniam iam olim eiuſdem perſonæ præſidiis tam ipſi patres, quos gratia diuina Epiſcopos vocari conceſſit, quàm principes, & totum vulgus carentes, nullis compatientis fulciebantur vel iuuabantur auxiliis, præſertim cùm rege communi morte recepto, nullus in eos ſua viſcera per caritatis largitatem extenderit, anxiari plurimùm compulſi ſunt, quia non ſolùm in internis per inuiſibilem inimicum, ſed etiam in apertis per viſibiles inimicos, etiam ex his, quos ipſa Chriſti peperit ſancta mater Eccleſia, peſſundari funditus videbantur. Itaque dum mentis aciem vſquequaque verterent, & ſimul cum nobilioribus ad hanc

neceſſitatem

neceſſitatem ſubmouendam, idoneas perſonas conſiderarent, non inuenientes qui ſuî conſultationi reſpondere vellent, vt pote negligentibus cunctis tantum laborem ob honorem Dei & ſanctorum eius & matris Eccleſiæ ſumere, omnes inflammati Deum omnium principem pro hac anguſtia medullitus exorauerunt, vt is qui curam ſingularem habet mortalium, & cuius diſpoſitio curricula vergit omnium ſæculorum, & rectum daret conſilium, & euidens conſilij promeret indicium. Denique cui patet omne cor, & omnis voluntas loquitur, fatigatos maiorum & minorum inſpiciens animos, quoddam clareſcere fecit ſolatium, & quodammodo præſentauit ſuffragium. Sanè omnibus vnum ſapientibus, & per diuinam viſitationem idem indiuiſibiliter ambientibus, cordi fuit exhibitus homo, iamdudum in principatu domni Caroli defenſor & adiutor neceſſarius: cuius poſt ſe filius eiuſdem Imperatoris, cernens eius inſignem prudentiam, amplificate delegerat domnus rex Ludouicus. Ipſe etiam non tantùm in Galliis, ſed & in Italia cunctis enituit, vt domnus Apoſtolicus Ioannes Romenſis, inſtar filij complexus, eiuſdem ſinceritatem multis præconiis extulerit, & ad ſuam tutelam reuertens ad ſedem propriam delegerit. Ergo nutu Dei, per ſuffragia ſanctorum, ob inſtantem neceſſitatem, & eam, quam in eo compererunt, expetibilem vtilitatem, & prudentiſſimam atque prouidentiſſimam ſagacitatē, communi animo, pari que voto, & vno conſenſu, clariſſimum principem dominum Bosonem, Chriſto præduce, ad hoc regale negotium petierunt, & vnanimiter elegerunt. Qui etſi conſideratione tanti laboris renuerit, & abdixerit, oppoſitis his quæ Dei ſunt, & eius Eccleſiæ, tandem obedienter colla promittendo ſubmiſit. Electus autem Deo ſtatuitur, preces funduntur, Domini noſtri Iesv Chriſti gratia, quæ præceſſit in velle, in certo perfecto ſatis efficax poſtulatur. Et vt hæc electio præſentibus & futuris certiùs innoteſcat, omnium Epiſcoporum ſubſcriptio luce clariùs indicat. Actum apud Mantalam publicè, anno Incarnationis Dominicæ dccclxxix. Idibus Octobris.

Et svbscripservnt Episcopi, Ottramnus Archiepiſcopus Viennenſis, Aurelianus Archiepiſcopus Lugdunenſis, Teutrannus Archiepiſcopus Tarantaſienſis, Rotbertus Archiepiſcopus Aquenſis, Radbertus Epiſcopus Valentiæ, Bernarius Epiſcopus Gratianopolitanus, Helias Epiſcopus Vaſionenſis, Hemico Epiſcopus Dienſis, Adalbertus Epiſcopus Mauriennæ, Biraco Epiſcopus Vvapicenſis, Euſtorgius Epiſcopus Tolonenſis, Girbaldus Epiſcopus Cabilonenſis, Hieronymus Epiſcopus Lauſanenſis, Richardus Epiſcopus Agathenſis, Guntardus Epiſcopus Matiſconenſis, Roſtagnus Archiepiſcopus Arelatenſis, Theodericus Archiepiſcopus Veſontionenſis, Ætherius Epiſcopus Viuarienſis, Leodoinus Epiſcopus Maſſilienſis, Germardus Epiſcopus Arauſicenſis, Ratfridus Epiſcopus Auenionenſis, Vvalefridus Epiſc. Vceticenſis, Edoldus Epiſc. Regienſis.

SYNODI AD BOSONEM REGEM *deſignatum legatio.*

Sacra Synodus Mantalenſis, territorij Viennenſis, in nomine Domini noſtri congregata, ſimul cum primoribus, inſpirante diuinitate ſummæ maieſtatis, ſinceta deuotione veſtram prudentiam, clariſſime

princeps, adit, petens addiſcere veſtra certiſſima reſponſione, qualem vos velitis in principatu, quo vos ſublimari per diuinã miſericordiã optamus, omnibus oſtendere. Si videlicet honorem Dei omnipotentis, & dilectionem in fide catholica veraciter quæſituri eſtis, & Eccleſiam illius pro viribus exaltaturi. Si vultis omnibus, ſicut boni principes qui vos præceſſerunt, & quorum formam literis & fama noſtis, legem, iuſtitiam, & rectum concedere & ſeruare: tenentes humilitatem, quæ eſt fundamentum virtutum, cum patientia, & animo ſereno, humillimo, ad damnandum incondito, ſed in omnibus iuſtè promiſſis ſtabili, & certo, bene per Dei gratiam præparato & ornato, ſobrietate competenti venuſto. Qui ſitis acceſſibiles omnibus recta ſuggerentibus, & pro aliis intercedentibus, quærentes magis prodeſſe, quàm præeſſe, ſequentes veſtigia ſanctorum principum, calcantes iram, ſæuitiam, duritiam, auaritiam, cupiditatem, indignationem, & ſuperbiam. Iuſtus patricius veſtris maioribus & minoribus apparentes, veritatem ore & opere præferentes, ſalubre conſilium libenter audientes, monſtra vitiorum declinantes & perſequentes, virtutes amantes, defenſionem & mamburgium ſingulis exhibentes. vt neque eadem ſancta Synodus, & primates veſtri cum ea ſentientes nunc de vobis in bonitate maledicantur, vel detrahantur in futuro, neque ſacro veſtro principatui, nobis, vt credimus, profuturo iuſtè derogetur: ſed ſit pax & veritas ſanctorum ſuffragiis, per diuinam gratiam, prælatis & ſubditis, ſacerdotibus & illis commiſſis primatibus, dum eis auctoritatem Euangelicam & Apoſtolicam cum iuſta lege humana conſenſeritis & obſeruaueritis, vt per omnia & in omnibus benedicatur Deus. Precatur etiam ſacerdotalis & laicalis fidelitas, vt faciat veſtra prudentia vnumquemque in veſtra domo ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore.

BOSONIS REGIS ELECTI AD Synodum reſponſio.

SACRATISSIMÆ Synodo, & cunctis primoribus noſtris fidelibus, humilis Chriſti vernaculus Boſo. Primùm veſtræ ſinceriſſimæ deuotioni gratiarum actiones corde & ore rependo, quòd licet immeritò, ſola veſtra beneuolentia, per incommutabilem Dei gratiam, amplecti me viſceribus veſtris ad liquidum comperio. Pariter quoque, quòd feruor veſtræ caritatis ad id officium me promoueri diuinitus optat, vt mea paruitas matri meæ, quæ Eccleſia Dei viui eſt, ob immortalem remunerationem decertare valeat. Ego autem, conſcius meæ conditionis & figmenti fragilis, imparem me iudicans tanto negotio, omnimodis abnuiſſem, niſi per Dei nutum vobis cor vnum datum & animam vnam in vnum conſenſum aduertiſſem. Obediendum itaque pro certo cognoſcens inſpiratis à Deo tam ſacerdotibus, quàm noſtris amicis & fidelibus, non reluctor, nec audeo, veſtris iuſſionibus. Quòd verò requiſiſtis, qualem me præbere vellem in committendo per Dei miſericordiam in regimine futuro, & ſimul oſtẽdiſtis normam, & inſtruxiſtis dogmate ſacro, libentiſſimè ſuſcipio. Amplector Catholicam fidem, in qua & nutritus ſum, quam puriſſimo corde teneo, ore veraciſſimo pronuntio, pro qua paratus ſum impendi & ſuperimpendi, ſi ſic placuerit Domino Deo noſtro. Eccleſiarum pri-

uilegia, iuuante Domino noſtro IESV Chriſto, reſtaurare & conſeruare, & iuſtitiam per veſtrum commune conſilium curabo. Omnibus, vt monuiſtis, legem, iuſtitiam, & rectum mamburgium, auxiliante Deo, cóſeruabo, & impendere curabo: quo ſequens præcedentium bonorum principum veſtigia, tam ſacris ordinibus, quàm vobis noſtris fidelibus, conſulere certem æquitatem ſeruando. De moribus meis, licet me peccatorem præ omnibus ſciam, voluntatem meam hanc eſſe veraciter aſſero, vt per omnia morigerum bonorum, & in nullo malorum oſtendam. Si autem, quoniam homo ſum, contra quemlibet animo exceſſero, ſecundum veſtrum conſilium corrigere curabo. In quo precor reuerenter, vt quod iuſtius & rationabilius inueneritis, mihi congruè pro tempore & loco ſuggerentes, vos ipſos in me honoretis: quoniam & ego, ſi quis veſtrûm in me deliquerit, emendationem rationabiliter acceſſibilis factus expectabo. Euangelicam & Apoſtolicam auctoritatem cum iuſta lege ſequar humana, vt ipſo præduce & comite, per omnia & in omnibus benedicatur Deus. De domo noſtra, ſicut me monuiſtis, quia Deus in ſanctis habitat, ſollicitudinem adhibebo, & vt decéter quiſque incedat, ſtudioſiſſimè procurabo. Igitur, domini mei, ſacroſancti Pontifices, Eccleſiæ ſummi Dei noſtri Præſules, & vos omnes noſtri fideles, primates & ſubprimates, confiſus de Dei gratia & auxilio, per ſanctorum eius ſuffragia, quia veſtris iuſſionibus faueo, precor vos & obſecro, vt per ipſum, & cum ipſo, tam piis ad ipſum interuentibus, in tanto ſubeundo labore meam neceſſitatem & humilitatem iuuetis, quàm etiam humanis adminiculis & auxiliis pro poſſe ſuffragari mihi certetis. Quod ſi cui diſplicet, & aliter animo tenet, quæſo patenter edicat, & ſe nobiſcum in nullo decipiat. Simúlque precor per caritatem, qua feruetis, vt communi fauentes vtilitati, triduanis ſolemniter precibus Dominum Deum noſtrum cum plebibus vobis commiſſis exoretis, vt propter peccata mea, vel leuitatem meam, vos, aut me ad déceptionem populi ſui nequaquam errare permittat, ſed ſuam ex hoc voluntatem miſericorditer oſtendat.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXV. Ad Carolum Craſſum regem Italiæ.

Rogat regem, vt Hieronymum Epiſcopatum Lauſanenſem pacificè retinere permittat, & Hubonem res Eccleſiæ Biſuntinæ ablatas reddere iubeat.

Epiſt. 143. DILECTO ac ſpiritali filio Carolo glorioſo Regi. MAGNITVDINEM veſtram ingenti nobis amore dilectam noſſe volumus, quia Hieronymus ſanctæ Lauſanenſis Eccleſiæ Epiſcopus, apud B. Petrum Apoſtolorum principem, noſtrúmque pontificium veniens, humilitatis deuotione petiit, quatenus Lauſanenſem Eccleſiam, quam iam olim regendam ſuſceperat, ei deinceps vobis fauentibus habere liceret. Nos autem eius precibus moti, iuxta quod omnium Eccleſiarum Dei curam habemus commiſſam. & quia noſtra exhortatione illum vobis fidelē in omnibus, propriúmque, ſicut cęteri regni veſtri Epiſcopi exiſtunt, eſſe cupientes agnouimus, his Apoſtolatus noſtri litteris excellentiæ veſtræ ſuggerimus, vt eum pro amore Dei & ſancti Petri, & noſtro, & benignè recipiatis, & iam dictum Epiſcopatum Lauſanenſem, ſibi diuinitus conceſſum, noſtráque Apoſtolica etiam auctoritate cōmiſſum, ſub omni integritate recipere, habereque ſecuriter permittatis: ne ampliùs eadem

Eccleſia contra ſtatuta patrum ſine proprio rectore conſiſtat. Nam regulariter illum electum, & proprio Archiepiſcopo cauſa infirmitatis præbente conſenſum, & Epiſcopos conſecratores illius litteris, quas nobis oſtendit, rogante, conſecratum fuiſſe iam dictę Eccleſię Epiſcopum, incunctanter agnoſcimus. Et idcirco volumus & rogamus, vt abſque temporis protelatione, vel aliqua contradictione, ſuum, vt diximus, epiſcopatum habeat, teneat, atque cum Dei reuerentia diſponat: quoniam nos in alterius hominis electione vel conſecratione iſto viuente conſentire nullo modo patiemur, eo quòd præcipua ſanctorum patrum auctoritas iubeat, duos ſimul in vna ciuitate non debere eſſe Epiſcopos. Quamobrem, cariſſime fili, hortamur nihilominus & obſecramus regiam gloriam veſtram, vt Deo auxiliante ipſa Eccleſia, proprio nunc recepto paſtore, ſub veſtrę clementiæ tutamine pacifica iam & quieta conſiſtat: vt eius precibus adiuti, poſt hoc regnum terrenum vobis conceſſum, ſempiternum percipere mereamini. Præterea & Theodericus, ſanctæ Chryſopolitanæ ſedis Archiepiſcopus, multas noſtris Apoſtolicis auribus ſuper Hubonem fidelem veſtrum querelas direxit, eo quòd res Eccleſiæ illius inuaſerit. Pro quo etiam precamur, vt eaſdem res Eccleſiaſticas iam dicto Archiepiſcopo ſub integritate reddere faciatis pro amore Dei & noſtro, & nulla deinceps ei permittatis aduerſa vel contraria inferre. Data xx. die menſis Iunij, Indictione XIII.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXVI.
Ad Liutuuardum Epiſcopum Vercellenſem.

Vt Hieronymi Epiſcopi Lauſanenſis cauſam apud Carolum regem procuret.

Epiſt. 244. REVERENTISSIMO & ſanctiſſimo Liutvvardo Epiſcopo ſanctæ Eccleſiæ Vercellenſis. DILECTIONI veſtræ familiari quodammodo, piòque affectu, velut fideliſſimo nobis, mandantes committimus, vt recipientes hanc noſtri Apoſtolatus epiſtolam, legatione noſtra dilecto ac ſpiritali filio noſtro Carolo excellentiſſimo regi, pro Hieronymo videlicet Lauſanenſi Epiſcopo directa fungamini: veſtròque ingenti certamine, prudentique conſilio, ipſius regis magnitudinem admonere atque exhortari magnopere ſtudeatis, quatenus eumdem Lauſanenſem Epiſcopatum, illi iam olim diuinitus conceſſum, pro amore Dei & noſtro, de pręſenti reddere, & ſecuriter quaſi ſuo fideli habere permittat. Nam eo viuente in alterius electione, vel Epiſcopali conſecratione, aſſenſum nullo modo præbebimus: quin potius Apoſtolica hoc fieri auctoritate modis omnibus inhibebimus, ne contra ſtatuta patrum duo in vna videantur ciuitate eſſe Epiſcopi. Quapropter nobis iuſta mandantibus omni annìſu & voluntate fauere nullo modo prætermittatis, quo minus noſtræ voluntatis legatio apud ſereniſſimum regem ſalutis & pacis Eccleſiaſticæ per veſtrum certamen effectum obtineat: quatenus eadem Eccleſia Dei, proprio recepto paſtore, ſalua in omnibus & quieta conſiſtat. Data xx. die Iunij menſis, Indictione XIII.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXVII.
Ad Theodericum Archiepiſcopum Biſuntinenſem.

Significat ſe de ipſius cauſa Carolo regi ſcripſiſſe, ac de Hieronymo Epiſcopo Lauſanenſi hortatur, vt adiuuare illum ſtudeat.

Epiſt. 245. REVERENTISSIMO & ſanctiſſimo Theodorico Archiepiſcopo Chryſopolitanæ Eccleſiæ. PRO tot & tantis perturbationibus, & calamitatibus, quas ab iniquis & Deum non timentibus viris Eccleſiam tibi commiſſam quotidie pati veſtris litteris referentibus agnoſcimus, plurimùm condolemus, & congruum cupimus, Deo fauente, vobis præbere ſolatium, quatenus ſedis veſtræ vigorem priſtinum indiminuto iure feliciter obtineatis. Nam dilecto ac ſpiritali filio noſtro Carolo glorioſo regi pro tuæ cauſa vtilitatis, próque veſtræ plebis ſalute ſuggeſſimus, vt pro amore Dei, & noſtro, ſuo vos auxilio & defenſione in omnibus tueatur, & de his, qui res

Digitized by Google

Eccleſię veſtræ inuadere præſumpſerunt, iuſtitiam facere dignetur, réſque ipſas ſub integritate vobis teſtitui iubeat. Vos tamen, more boni paſtoris, ſicut in proſperis humiles, ita quoque in aduerſis fortes exiſtite, vt populum Domini tibi commiſſum pro malorum infeſtatione, quam patimini, ſtrenuè regere non omittatis. Pro ipſo etiam Hieronymo Epiſcopo eidem regi direximus, vt Lauſanenſem epiſcopatum illi diuinitus conceſſum, & noſtra Apoſtolica auctoritate largitum, ſecuriter amodò retinere permittat. Et ideò veſtra fraternitas eum in hoc adiuuare pro viribus non prætermittat. Data xx. die menſis Iunij, Indictione xiii.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXVIII.

Ad Ludouicum & Carlomannum reges.

Rogat vt cum Carolo Imperatore conſentiant de reuocanda & Romam mittenda Angelberga: vbi eam ita ſe cuſtoditurum pollicetur, vt contra ipſos moliri nihil poſſit.

LVDOVICO ET CARLOMANNO REGIBVS, & Hugoni Abbati.

Epiſt. 269.

NOSSE volumus veſtram dilectionem, quia ſpiritalem filium noſtrum Carolum ſereniſſimum Imperatorem Romæ nobiſcum degẽtem rogauimus, vt ſpiritalem filiam noſtram Angelbergam Deo deuotam, quæ ſe ſancto Petro Apoſtolo, & nobis, cum ſuis omnibus commendauerat, quam etiam coniunx illius, diuę memorię, Ludouicus Auguſtus adhuc viuens noſtræ tuitioni ſpecialiter ſubmiſerat, ab exulatu reduceret, & apud nos eam Romam, vbi nulla iam de illa ſiniſtra ſuſpicio oriri poſſet, pro amore Dei, & Chriſti clauigeri ipſius beati Petri Apoſtoli, ſimúlque noſtro dirigeret. Quod ille libenter ſe facturum promittens, quantum comperimus, veſtrum ſuper hoc præſtolatur aſſenſum. Et quidẽ nos de cõmuni dilectione & pace ſiue cõcordia veſtra gaudemus, & Deo pro hoc innumeras grates referimus. Sed tantum de ipſius ſpiritalis filiæ noſtræ recuperatione & reditu vos deprecamur, quãtum, ſi ipſa ad nos reducta fuerit, vt nihil penitus iam, vel contra eumdem Imperatorem, vel contra vos agere poſſit, noſtris vos atteſtationibus certiſſimos reddimus. Ideirco iuncta veſtra deuotio cum eiuſdem Auguſti obedientia, abſque omni protelatione, iam dictam Deo deuotam feminam, quam ad limina Apoſtolorum, à quorum confeſſione altarium noſtro ſemper tuendam præſidio ſuſcepimus, pro amore Dei & noſtro remittere, quantum in vobis eſt, non omittatis. Quia ſi hîc apud nos rediens habitauerit, tanta cuſtodia circumſpecta, nobis credite, erit, vt nec Boſoni, nec alij homini, ad perturbationem imperij, ſiue regni, quodlibet adiutorium vel auxilium verbis aut ſcriptis præbere quoquomodo valeat. Verumtamen vnum eſt, quod vobis veraciter, & vnde occaſionem vos ad nos contemnendum non poſſitis aſſumere, hoc ecce proponimus: ſcilicet, ſi eandem Angelbergam vel in modico contra imperialem aut veſtram voluntatem aduerſi quippiam moliri aut velle manifeſtis cognouerimus indiciis, præſentialiter illam reddere ac remittere imperialibus ſaragemus obtutibus: quatenus quę diſciplinam fortè recipere, quod nec optamus, diſtulerit, non ſolùm mundana veſtra iudicia non euadat, verùm etiam nec noſtram miſerationem, quæ delinquentibus partecere conſueuit, inueniat. Ideóque, cariſſime fili, eſtote in hoc noſtri cooperatores & adiutores, & audiat nos continuò excellentia magnitudinis veſtræ, vt & vos à Domino exaudiri mereamini, & per felicia tempora regni gubernacula moderantes, cum Chriſto regnum, quod finis nullus anguſtat, intercedentibus beatis Apoſtolis, capeſſere valeatis. Data iv. Idus Martias, Indictione xiv.

CONCILIVM APVD S. MACRAM.

SYNODVS QVÆ FVIT ACTA APVD ſanctam Macram, in loco qui dicitur Finibus Remenſis parochiæ, tempore Ludouici regis, filij Ludouici Karoli filij, die IV. Nonas Apriles, anno Chriſti DCCCXXCI. Ioannis VIII. Papæ anno IX. Ludouici eiuſdem regis anno II.

Nunc primùm in lucem edita ex Codice S. Mariæ Laudunenſis.

TITVLI CAPITVM.

1. Quòd diſtincta ſint poteſtas regia & auctoritas pontificum.
2. Increpatio torporis & negligentia ſacerdotum, ex ſancto Gregorio.
3. De honore, cultúque Dei & Eccleſiarum.
4. De ſuſcipienda cura Monaſteriorum.
5. De rapinis compeſcendis, & pace reſtituenda.
6. Admonitio ad regem, & miniſtros reipublica.
7. De præſtanda per pœnitentiam emendatione.
8. Ad regem, vt bonos deligas conſiliarios.

PRÆFATIO.

DIVERSARVM prouinciarum Epiſcopi, quorum nomina tenentur ſubter adſcripta, qui antè nequiuimus, diuerſis occupationibus, tam paganorum infeſtationibus, quàm prauorum Chriſtianorum inſectationibus præpediti, nunc anno Incarnationis dominicæ DCCCLXXXI. Indictione XIV. IV. Nonas Apriles, maxima neceſſitate compulſi, apud Martyrium ſanctæ Macræ, in loco qui dicitur Finibus Remenſis parochiæ, in nomine Chriſti conuenimus. Ab omnibus, qui iuſtè & piè in communione Catholicæ Eccleſiæ, quæ Chriſti eſt corpus, viuere volunt, ea quæ ſequuntur, Domino mediante, obſeruari decernimus, non noua condentes, ſed quæ à maioribus noſtris ſecundum tramitem ſanctarum ſcripturarum ſtatuta, & à Chriſtianis Imperatoribus ac Regibus promulgata, & vſque ad hæc periculoſa noſtræ infelicitatis tempora fuere ſeruata, quaſi lumina in malignorum operum tenebras, quæ excæcant diffidentiæ filios, deuocamus: vt falce ſancti Spiritus, per diuinum miniſterium noſtri officij, pérque regiæ ſollicitudinis poteſtatem, ac miniſtros reipublicæ, malè pullulantia recidantur, & fructuoſa Chriſtianis mentibus inſerantur.

Cap. I. *Quòd diſtincta ſint poteſtas regia, & auctoritas pontificum.*

Gelaſius epiſt. 10.

HÆC namque ſunt ſacerdotalis officij, & regij miniſterij. quia ſicut in ſacris legimus litteris, duo ſunt, quibus principaliter mundus hic regitur,

auctoritas ſacra pontificum, & regia poteſtas. Solus enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus verè fieri potuit rex & ſacerdos. Poſt incarnationem verò, & reſurrectionem, & aſcenſionem eius in cælum, nec rex pontificis dignitatem, nec pontifex regiam poteſtatem ſibi vſurpare præſumpſit. ſic actionibus propriis dignitatibúſque ab eo diſtinctis, vt & Chriſtiani reges pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro temporalium rerum curſu regum diſpoſitionibus vterentur: quatenus ſpiritalis actio à carnalibus diſtaret incurſibus, & ideo militans Deo minimè ſe negotiis ſecularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus. Et tanto eſt dignitas pontificum maior quàm regum, quia reges in culmen regium ſacrantur à pontificibus, pontifices autem à regibus conſecrari non poſſunt: & tanto grauius pondus eſt ſacerdotum, quàm regum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in diuino reddituri ſunt examine rationem: & tanto in humanis rebus regum cura eſt propenſior, quàm ſacerdotum, quanto pro honore & defenſione ac quiete ſanctæ Eccleſiæ, ac rectorum & miniſtrorum ipſius, & leges promulgando, ac militando, à rege regum eſt eis curæ onus impoſitum. Et legimus in ſacris hiſtoriis, quia cùm ſacerdotes in regimine regni reges vngebant, & diademata capitibus illorum imponebant, legem in manibus eis dabant; vt diſcerent & ſcirent qualiter ſe & ſubiectos ſibi regere, & ſacerdotes Domini honorare debent. Legimus etiam in ſacra hiſtoria, quia Ozias rex præſumpſit incenſum ponere, (quod non regij, ſed ſacerdotalis erat miniſterij) lepra eſt à Deo percuſſus, & de templo à ſacerdotibus eiectus, & in domo ſua eſt vſque ad mortem recluſus. Deut. 17. 18. 2. Paral. 26.

II. *De torpore & negligentia ſacerdotum.*

Denique ſi pro ſalute regis ac reipublicæ miniſtrórum, & pro miniſterio indignitati noſtræ commiſſo, in proceſſu aliqua dixerimus, quæ carnalibus animis valeant diſplicere, (quia medicus ſæpè, quos leni vnguento medicare non poteſt, per amarum poculum confectionis reducit ad hilaritatem ſanitatis) ne dicant de nobis, quod dictum legimus de ſedentibus in cathedra Moyſi: *Imponunt onera grauia & importabilia in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere*, Nos prius verbis ſancti Gregorij, ex homilia quam de euangelio tractauit tempore Synodi epiſcoporum, accuſamus: quoniam ad exteriora negotia, partim neceſſitate barbarici timoris, partim negligentia noſtri temporis, dilapſi ſumus, & aliud ex honore ſuſcepimus, atque aliud officio actionis exhibemus. Miniſterium prædicationis relinquimus, & ad pœnam noſtram, vt video, Epiſcopi vocamur, qui honoris nomen non virtutem tenemus. Relinquunt namque Deum hi qui nobis commiſſi ſunt, & tacemus: in prauis actibus iacent, & correctionis manum non tendimus: quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere neglegenter videmus. Sed quando nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus noſtram? Curis enim ſæcularibus intenti, tanto inſenſibiliores intus efficimur, quanto ad ea quæ foris ſunt ſtudioſiores videmur. Vſu quippe curæ terrenæ à cæleſti deſiderio obdureſcit animus, & dum ipſo ſuo vſu durus efficitur per actionem ſæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad caritatem Dei: quia dum extraneis Matth. 23. 4.

actionibus implicamur, miniſterium actionis noſtræ negligimus. Dei cauſam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum eſt in nobis profectò quod ſcriptum eſt: *& erit ſicut populus, ſic ſacerdos.* Sacerdos enim non diſtat à populo, quando nullo vitæ ſuæ merito vulgi tranſcendit actionem. Ecce iam pene nulla eſt ſæculi actio, quam non ſacerdotes adminiſtrent. Quanto autem mũdus gladio feriatur adſpicimus, quibus quotidie percuſſionibus intereat populus, videmus. Cuius hoc niſi noſtro præcipuè peccato agitur? Ecce depopulatæ vrbes, euerſa caſtra, Eccleſiæ ac monaſteria destructa, in ſolitudinem agri redacti ſunt: ſed nos pereunti populo auctores mortis exiſtimus, qui eſſe debuimus duces ad vitam. Ex noſtro etenim peccato populi turba proſtrata eſt, quia faciente noſtra negligentia ad vitam erudita non eſt. Penſemus ergo, qui vnquam per linguam noſtram conuerſi de peruerſo ſuo opere, noſtra increpatione correpti pœnitentiam egerunt, quis luxuriam ex noſtra eruditione deſeruit, quis auaritiam, quis ſuperbiam declinauit. Hîc paſtores vocati ſumus, & cùm ante æterni paſtoris oculos venerimus, ibi gregem noſtra prædicatione conuerſum non ducemus. Sed vtinam, ſi ad prædicationis virtutem non ſufficimus, loci noſtri officium in innocentia vitæ teneamus!

Eſa. 24. 1. Oſee. 4. 8.

III. *De honore, cultúque Dei, & Eccleſiarum.*

De honore & cultu Dei, atque ſanctarum Eccleſiarum, quæ auctore Deo ſub ditione & tuitione regiminis regis noſtri conſiſtunt, communiter verbis eius qui dixit diſcipulis & Apoſtolis ſuis, quorum licet indigni vicibus in Eccleſia ſanguine Chriſti redempta fungimur, *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis,* domnum noſtrũ regem monemus, vt ſicut tẽpore anteceſſorum ſuorum Imperatorum ac regum excultæ & honoratæ, atque rebus ampliatæ fuerunt, ſalua æquitatis ratione ita permaneant; & quæ ſua liberalitate honoratæ atque ditatæ fuerunt, de cetero ſub integritate ſui ſeruentur. Et ſacerdotes, ac ſerui & ancillæ Dei, vigorem Eccleſiaſticum, & debita priuilegia, iuxta reuerendam auctoritatem obtineant: eiſque regalis poteſtas, & illuſtrium virorum ſtrenuitas, ſeu reipublicæ adminiſtratores, vt ſuum miniſterium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & iuſtè concurrant.

Luc. 10. 16.

IV. *De ſuſcipienda cura Monaſteriorum.*

Vt miſſi regij per ciuitates, & ſingula monaſteria tam canonicorum, quàm monachorum, ſiue ſanctimonialium, vnà cum Epiſcopo parrochiæ vniuſcuiuſcumque in qua conſiſtunt, cum conſilio etiam & conſenſu ipſius qui monaſterium retinet, vitam ibi degentium & conuerſationem inquirant, & vbi neceſſe eſt corrigant, & vbi deſunt congruas officinas conſtruere iubeant, & vbi factæ & per negligentiam ſunt deſtructæ, inſtaurari præcipiant, & victum ac potum & veſtitum, atque cetera neceſſaria, pro qualitate & poſſibilitate loci, & inhabitantium neceſſitate ordinẽt, & hoſpitalitatem ſuperuenientium hoſpitum, & receptionẽ pauperum ibidem diſponant & ordinent: & theſaurum, ac veſtimenta, ſeu libros diligenter inbreuient, & breues regi reportent. Inbreuient quid vnuſquiſque Eccleſiarum

ſiarum prælatus, quando prælationem Eccleſiæ ſuſcepit, ibi inuenerit, & quid modo exinde minus ſit, vel quid & quantum ſit ſuperadditum. Numerum etiam canonicorum, & monachorum, ſiue ſanctimonialium, vniuſcuiuſque loci deſcribant, & regi referant: vt ſecundum qualitatem & quantitatem loci, cum conſilio epiſcoporum & fidelium ſuorum, vbi minor numerus fuerit, regia auctoritate addatur: vbi verò indiſcretione prælatorum ſuperfuerit, ad menſuram redigatur. Et qualiter Abbatiarum prælati, & in locis ſacris inhabitantes, de his quæ Miſſi regij præceperint, obedierint, regi diligentiſſimè & capitulatim referre procurent.

V. *De rapinis compeſcendis, & pace reſtituenda.*

Raptores autem, non noſtris verbis, ſed Chriſti & ſanctorum eius, qui cum illo in cælo regnant, & in terris miraculis coruſcant, auctoritate ipſius qui nobis licet indignis in Apoſtolis ſuis dixit: *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæ ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*, monemus, & eis verba ipſius Domini inculcamus, quæ niſi ſe correxerint, in extremo iudicio audient: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare*, & cetera, quibus dicit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* Hinc ergo colligendum eſt, quanta damnatione plectendi ſunt qui aliena rapiunt, ſi tanta animaduerſione feriuntur qui ſua indiſcretè tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, ſi tali ſubicit pœnæ non tradita. perpẽdant quid meretur iniuſtitia illata, ſi tãta percuſſione digna eſt pietas non impenſa. Audiãt raptores: *Væ ei qui multiplicat non ſua vſquequo, & adgrauat contra ſe denſum lutum.* Denſum lutum contra ſe adgrauare, eſt terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Audiant quid Chriſtus dicat: *Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum fiat?* id eſt, quid prodeſt homini, ſi totum quod extra ſe eſt congregat, ſi hoc ſolum quod ipſe eſt damnat? Audiant quòd illa quæ rapiunt in hoc ſæculo deficient, aut in ſæculo dimittent, ſed ſecum ad iudicium cauſas rapinæ, id eſt damnationem ſecum fierent. Audiant quid propheta Eſaias dicit: *Rapina pauperis in domo veſtra, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos.* &, *Non deſpiciet Dominus preces pupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt vſque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* Audiant quia in cuius domo rapina eſt, ſiue in domo corporis, ſiue in domo manſionis, non habitat in illa domo Spiritus ſanctus, ſed ſpiritus malignus: & ſi accedit ad communionem corporis & ſanguinis Chriſti ante dignam ſatisfactionem, non mundatur per illam communionem à peccato, ſed plenius, ſicut Iudas, quando in cœna plenus rapina & iniquitate communicare præſumpſit de manu Chriſti, poſſeſſus eſt à diabolo. Vnde & ſuſpenſus crepuit medius, & abiit in locum ſuum, id eſt ſuis meritis adquiſitum, videlicet in ignem æternum. quia cùm intrauit ſanctus panis in plenum de iniquitate ventrem, intrauit hoſtis antiquus, qui dicitur diabolus & ſatanas, in crudelem & impiam mentem. Et ille enim, ſicut Iudas tradidit Chriſtum peccatoribus Iudæis, ita plenus rapinis & iniquitate tradit Chriſtum peccatoribus membris ſuis, qui illud inæſtimabile Domini cor-

Matth. 18. 18.
Matth. 26. 41. 42.
Habac. 2. 6.
Matth. 16. 26.
Eſa. 3. 14.
Eccli. 35. 18. & 19.

pus violare præſumit. Et væ illi homini, qui ad menſam domini malignus accedit, qui inſidiis mente conditis, qui præcordiis rapina aut aliquo ſcelere pollutis, myſteriotum Chriſti ſecretis participare non metuit. Væ illi homini, de quo Ieſus, qui altaribus ſacroſanctis inter immolandum, vt pote propoſita conſecraturus munera, adeſſe non dubitatur, adſtantibus
Luc. 22. 21. ſibi miniſtris cæleſtibus queri cogitur, quod in cœna diſcipulis de Iuda dixit: *Ecce*, inquiens, *manus tradentis me mecum eſt in menſa.* Et væ illi, de quo
1. Cor. 11. 19. dicit Paulus Apoſtolus quod quaſi ſpeciali priuilegio in cœna Domini quando hæc ſunt tradita legimus: *Quicumque manducat panem hunc, aut calicem Domini bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans*, id eſt non diſcernens à cibis ceteris, *corpus Domini*: ſed ſic ad menſam Domini accedit ſine reuerentia & timore de peccatis ſuis, ſicut lætus accedit,
1. Cor. 11. 30. quando ſocius ſuus illum plena menſa paſcit de rapinis ſuis. Et quod idem dicit Apoſtolus: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt*, id eſt moriuntur, *multi.* Hoc monſtratur in exemplo de infirmitatibus & mortibus corporalibus aliquorum, quod fit in anima in ſpiritalibus infirmitatibus atque mortibus omnium irreuerendorum. Hoc enim paſcha, quod tunc Dominus in nouo myſterio egit, cotidie celebramus quotienſcumque Miſſam agimus: ſicut ipſe tunc omnibus Epiſcopis & presbyteris,
Ibid. 25. ac ceteris fidelibus, celebrantibus atque adſtantibus ad hoc terribile ſacramentum, in Apoſtolis ſuis dixit: *Hæc quotienſcumque feceritis, in meam memoriam facietis.* Et poteſt fieri, vt quidam audientes tale periculum eſſe communicare corpori & ſanguini Domini, qui non volunt à malis recedere, & de præteritis pœnitentiam agere, dicant, Abſtinebimus nos ab illa communione, quia non retrahimus nos à mala operatione. Vnde audiant quibuſcumque diabolus iſta ſuſurrat, quoniã ſicut Dominus dixit de baptiſ-
Ioan. 6. 53. mo, quòd nullus poteſt fieri ſaluus, niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto: ita de hac ſancta communione dixit: *Niſi manducaueritis carnem*
Marc. 16. 16. *filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et ſicut dixit, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* id eſt, ſicut promiſit in baptiſmate, diabolo & eius operibus abrenuntiando, & in Deum fide quę per dilectionem operatur credendo, hoc eſt vt in fide & bonis operibus permaneat, & ſi poſt baptiſmum peccauerit, per confeſſionem & dignam pœnitentiam, illis qui in eum peccauerunt dimittẽdo, & bonis operibus inſiſtendo, hoc quod malè fecit emẽdet: ita etiam de hac ſancta communione
Ioan. 6. 57. 52. 55. 58. dixit: *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meũ, in me manet, & ego in eo.* & , *ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* & , *ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.* & , *ſicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem.* & , *qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Audiãt rapaces & prædatores, quid ite-
Eſa. 33. 1. rũ Dominus per prophetam dicat: *Qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Videlicet quia ille qui prædatur res pauperum & Eccleſiarum ac ſeruorũ Dei, prædatur à diabolo, & præda illius fit. Audiant quid S. Paulus Apoſtolus dicat, per quem locutus eſt Chriſtus, & qui raptus fuit vſque ad tertium cælum, & qui raptus fuit in paradiſum, & audiuit talia ſecreta verba, quæ non licebat homini loqui. Ait namque quia *neque rapaces, neque homi-*
1. Cor. 6. 10. *cidæ, neque adulteri regnum Dei poſſidebunt.* Vnde intendant quale quantúmque peccatum eſt rapina, quam cum adulterio & homicidio ſanctus

comparauit Apoſtolus. Item ipſe dicit: *Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax, aut homicida eſt, cum huiuſmodi nec cibum ſumere* Christi diſcipulo, id eſt Chriſtiano, licet ante ſatisfactionem, id eſt correctionem, ac emendationem & dignam pœnitentiam. Audiant quòd ſanctus Ioannes Apoſtolus, electus & dilectus Chriſti, qui in cœna ſuper pectus eius recubuit, talem hominem ſalutare vetat dicens: *Nec aue ei dixeritis, neque in domum receperitis.* Audiant quid per propheram Dominus dicit ad eos qui in medio taliũ immorantur: *Exite*, inquiens, *de medio eorum, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & habitabo inter vos, & ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in filios & filias.* Nihil enim eſt aliud quod iſti raptores faciunt, niſi præcurſio exercitus antichriſti, cuius voce dictum eſt: *Non mouebor à generatione & generationem ſine malo.* id eſt tanta mala faciam in vno loco, vt antequam ad alium locum veniam, aduentum meum ibi habitantes timeant: ſed & poſtea ſentient. Et Ioannes Apoſtolus: *Nunc*, inquit, *antichriſti multi ſunt.* Vnde timendum nobis eſt, quod omnis propter hoc deprecatur Eccleſia: *Exſurge Domine Deus, exaltetur manus tua*, id eſt ad vindictam, *non obliuiſcaris pauperem populum.* & Dominus, qui non mentitur, repromittit dicens: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus*, id eſt iam iamque in proximo vindictam exercebo. Audiant raptores, quid de talibus ſacri canones decernunt: Si quis, inquiunt, de potentibus clericum, aut quemlibet pauperem, aut religioſum exſpoliauerit, & mandauerit ad ipſum Epiſcopus vt eum audiat, & is contempſerit: inuicem mox ſcripta percurrant per omnes prouinciæ Epiſcopos, & quoſcumque adire potuerit, vt excommunicatus habeatur, donec audiat & reddat aliena. Ecce de pauperum raptoribus. Audiant raptores & prædones rerum Eccleſiaſticarum, quid ſanctus Anacletus Papa, ab ipſo beato Petro Apoſtolo preſbyter ordinatus, cum totius mundi ſacerdotibus iudicauit. Dicit namque: Qui abſtulerit aliquid patri vel matri, homicidæ particeps eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creauit, mater verò noſtra Eccleſia, quæ nos in baptiſmo ſpiritaliter regenerauit. Ergo qui Chriſti pecunias & Eccleſiæ rapit, aut aufert, vel fraudatur, homicida eſt, atque homicida ante conſpectum iuſti iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi ſui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & vt ſacrilegus iudicandus eſt. Et ſanctus Vrbanus Papa & martyr: Res, inquit, & facultates Eccleſiaſticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota ſunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum: ſi quis illa rapuerit, reus eſt damnationis Ananiæ & Saphiræ, & oportet huiuſmodi tradere ſatanæ, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Et ſanctus Lucius Papa: Rerum, inquit, Eccleſiaſticarum & facultatum raptores à liminibus ſanctæ Eccleſiæ anathematizatos Apoſtolica auctoritate pellimus & damnamus, atque ſacrilegos eſſe iudicamus: & non ſolum eos, ſed & omnes conſentientes eis: quia non ſolùm qui faciunt rei iudicantur, ſed etiam qui facientibus conſentiunt. Par enim pœna & agentes & conſentientes comprehendit. Et ſanctus Auguſtinus in ſermone Euangelij ſancti Ioannis ita dicit: Fur ſacrilegus loculorum ſacrorum & dominicorum eſt Iudas, & qui aliquid de Eccleſia furatur & rapit, Iudæ perdito comparatur. Item in ſacris canonibus Spiritu

Ibid. 5. 11. — 2. Ioan. 10. — 2. Cor. 6. 17. — Hier. 31. 9. — Pſal. 10. 6. — 1. Ioan. 2. 18. — Pſal. 10. 12. — Pſal. 11. 6. — Conc. Tolet. 1. can. 11. — Epiſt. 2. — Epiſt. 1. — Tract. 50. in Ioannem.

Conc. Gigs. can. 7. ſancto dictatis, & Chriſti ſanguine confirmatis, ſcriptum eſt: Si quis oblationes Eccleſiæ extra Eccleſiam accipere vel dare voluerit, præter conſcientiam Epiſcopi vel eius cui huiuſmodi officia commiſſa ſunt, nec cum eius voluerit agere conſilio, anathema ſit. Epiſcopus autem omnibus ſe audientibus dicere debet quid ſit anathema, id eſt alienatio à Chriſto & eius corpore, quæ eſt ſancta Eccleſia. Et ne deſperent tales homines, & in peccato permaneant, oſtendere debet Epiſcopus quamdiu duret anathema, id eſt quamdiu quiſque errorem non corrigit, & digna ſatisfactione non emendat, vt reconciliationem & indulgentiam valeat promereri. Si quis verò ante ſatisfactionem, & reconciliationis indulgentiam, in peccatis ſuis perſeuerans mortuus fuerit, iam anathema perpetuum illi erit, & peccatum ad mortem, pro quo non dicit Apoſtolus vt oretur. 1. Ioan. 5. 16.

VI. *Admonitio ad regem, & miniſtros reipublicæ.*

Regiam verò dignitatem, & miniſtros reipublicæ, ac cooperatores regij miniſterij, Epiſcopali auctoritate & Domini voce monemus, vt ſemetipſos coram Deo & coram hominibus tales exhibeant, vt adiutores Dei fieri, & ab ipſo & in præſenti ſæculo & in futuro adiuuari mereantur: & nulla quælibet cauſa, aut munerum acceptio, aut amicitia cuiuſlibet, vel odium, aut timor, aut gratia, ab ſtatu rectitudinis eos deuiare compellat, quin inter proximum & proximum iuſtè iudicent: pupillorum verò, & viduarum, & ceterorum pauperum adiutores ac defenſores, & ſanctæ Eccleſiæ vel ſeruorum illius honoratores iuxta ſuam poſſibilitatem fiant: illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrociniis, ſiue rapinis, communem pacem populi perturbare moliuntur, ſuo ſtudio & correctione ſicut decet compeſcant. Vnde quædam capitula, à præcedentibus Imperatoribus & regibus ſtatuta, in vnum collecta ſubiungere dignum duximus, quæ ita ſe habent.

EX CAPITVLIS IMPERATORVM ET REGVM.

Lib. II. cap. 14. DE pace in exercitali itinere ſeruanda vſque ad marcham, hoc omnibus notum fieri volumus, quòd quicumque auctorem damni ſibi præterito anno illati nominatim cognoſcit, vt iuſtitiam de illo quærat, & accipiat. Ibid. cap. 15. Deinceps tamen omnibus denuntiare volumus, vt vnuſquiſque cognoſcat omnes, qui in ſuo obſequio in tali itinere pergunt, ſiue ſui ſint, ſiue alieni, vt ille de eorum factis rationem ſe ſciat redditurum: & quicquid in pace violanda deliquerint, ad ipſius debet periculum pertinere. ea ſcilicet conditione, vt pacis violator primùm iuxta facinoris qualitatem, ſiue coram nobis, ſiue coram Miſſo noſtro, dignas pœnas perſoluat: & ſenior, qui ſecum talem duxerit, quem aut conſtringere noluit, aut non potuit, vt noſtram iuſſionem ſeruaret, & inſuper in regnu noſtro prædas facere non timeret, pro illius negligentia, ſi antè eum de his non admonuerit, & poſtquam negligentia contemptoris ad eius notitiam peruenerit, eum corrigere ſicut decet neglexerit, honore ſuo priuetur, vt ſcilicet neuter illorum ſine iuſta vindicta remaneat.

Si quis in exercitu infra regnum, ſine iuſſione dominica, per vim hoſtilem aliquid prædare voluerit, aut fœnū tollere, aut granum, ſiue pecora maiora vel minora, domóſque infringere, vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quòd ſi ab aliquo præſumptioſo factum fuerit, ſexaginta ſolidos ſi liber eſt ſit culpabilis, & omnia ſimilia reſtituat, aut cum duodecim reſtibus ſe purget. Si verò ſeruus hoc fecerit, capitali crimini ſubiaceat, & dominus omnia ſimilia reſtituat, quia ſeruum ſuum non correxit, nec cuſtodiuit, vt talia non perpetraret. Quoniam ſi nosipſos comedimus, citò deficiemus. Lib. V. ca. 159.

Vnuſquiſque tamen cuſtodiat exercitum ſuum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat.

Lib. iii. c. 65. Si quis domum alienam cuiuſlibet infregerit, quicquid exinde per vim abſtulerit, aut rapuerit, vel furauerit, ſecundum legem illi, cuius domus fuerit infracta & ſpoliata, in triplum componat, & inſuper bannũ dominicum ſoluat. Si ſeruus hoc fecerit, ſententiam ſuperiorem accipiat, & inſuper ſecundum ſuam legem compoſitionem faciat. Si quis liber homo aliquod tale damnum alicui fecerit, pro quo plenam compoſitionem facere non valeat, ſemetipſum in vuadio pro ſeruo dare ſtudeat, vſque dum plenam compoſitionem adimpleat.

Lib. iii. ca. 1. De pace admonemus, vt omnes qui per aliqua ſceleta rebelles ſunt conſtringantur.

Ibid. cap. 66. Si quis meſſes aut annonas in hoſte ſuper bannum dominicum rapuerit, vel pauerit, aut furauerit, aut cum caballis vaſtauerit, æſtimato damno ſecundum legem in triplum componat: & ſi liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur. Seruus verò ſecundum legem tripla compoſitione damnum in loco reſtituat, & pro damno diſciplinæ corporali ſubiaceat.

Lib. vi. ca. 96. Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam noſtro fideli, eiúſque homini, aliquid vi abſtulerit, in triplo cui aliquid abſtulit legibus componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt ſexaginta ſolidos, nobis perſoluat. Poſtmodum verò à Comite ante nos adducatur, vt in baſtonico retruſus vſque dum nobis placuerit pœnas luat. Nam ſi publicè actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam iuxta ſacrorum canonum ſanctionem. Si verò occultè, ſacerdotum conſilio ex hoc agat
1. Cor. 6. 10. pœnitentiam: quoniam raptores, vt ait Apoſtolus, niſi veram egerint pœnitẽtiam, regnum Dei non poſſidebunt. Qui verò de rebus Eccleſiarum aliquid abſtulerint, grauiùs inde iudicentur: quia ſacratum rerum ablatio ſacrilegium eſt, & ſacrilegus vocatur, qui ex eis aliquid abſtulerit aut rapuerit. Extorres namque à liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ tales perſonæ vſque ad ſatisfactionem Eccleſiæ quam læſerint, ſunt habendæ, atque firmiter denotandæ.

Caroli Calui Tit. xxi. c. 13. Vnuſquiſque Miſſus in ſuo miſſarico prouiſionem habeat, vt ſi aliquis de noſtris fidelibus per miſſaticum ſuum tranſierit, aut ibi conſiſtens, vel commanens, rapinas, vel deprædationes, aut talia illicita fecerit, de quibus Deus offendi ſolet, & populus pro oppreſſione gemere, quatenus hoc ſubtiliter & veraciter inueſtiger, & nobis renuntiet, qualiter inde nos ſic ordinemus, vt nec ipſum, nec alium hoc agere delectet.

Vt Miſſi in illorum miſſaticis curam habeant, ne homines noſtri, aut alii quilibet, vicinos ſuos maiores vel minores tempore æſtatis, quando ad herbam ſuos caballos mittunt, vel tempore hyemis, quando mareſcalcos illorum ad fodrum dirigunt, vicinos maiores vel minores deprædẽtur: & ſi egerint, hoc etiam, vt prædiximus, veraciter Miſſi noſtri inueſtigẽt, & nobis renuntient, vt in ſeniore hoc ſic emendemus. quatenus homines ſuos in poteſtate habeat, & contenti ſint debitis, & indebita iniuſte non appetant. Ibid. cap. 15.

Volumus vt res Eccleſiarum, in cuiuſcumque regno caput fuerit, tam de Epiſcopatibus, quam de Abbatiis, ſine vlla contradictione rectores ipſarum Eccleſiarum, ſicut tempore domni ac genitoris noſtri fecerunt, illas poſſideant. Et quia per vagos, & tyrannica conſuetudine inreuerentes homines, pax & quies perturbari ſolet, volumus vt ad quemcumque noſtrûm talis venerit, vt de his quæ egit rationem & iuſtitiam ſubterfugere poſſit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat, vel retineat, niſi vt ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. Et ſi rationem rectam ſubterfugerit, omnes in commune, in cuius regnum venerit, illum perſequamur, donec aut ad rationẽ perducatur, aut de regno deleatur. Ludouici Balbi Tit. iii. cap. 7. & 8.

Similiter & de eo agendum eſt, qui pro aliquo capitali & publico crimine à quolibet Epiſcopo corripitur vel excommunicatur, aut ante excommunicationem crimen faciens, regnum & regis regimen mutat, ne debitam pœnitentiam ſuſcipiat, aut ſuſceptam legitimè peragat. Caroli Calui Tit. xxvi. cap. 3.

Denuntiandum eſt omnibus, & à Miſſis noſtris ordinandum, vt omnes Eccleſiæ & presbyteri ſub immunitate ac priuilegio, & ordinatione atque diſpoſitione Epiſcoporum ſingularum parrochiarum, in quibus conſiſtunt, ſecundum auctoritatem canonicam, & capitularia domni Karoli Imperatoris & pii Auguſti Hludouuici permaneant. Caroli Calui Tit. ix. cap 4.

Vt Miſſi noſtri diligenter inueſtigent cum Epiſcopo, & prælatis monaſteriorũ, & per fideles & ſtrenuos viros in vnaquaque parrochia, de rebus Eccleſiaſticis in Ibid cap. 5.

alodem datis. & ſicut euidentibus & veris indiciis ac auctoritatibus compererint, diligenter à quo & quibus datæ ſint, & quantum exinde ſit deſcribant, & nobis renuntient, vt cum conſilio fidelium noſtrorum hoc ſacrilegium emendare curemus.

Ibid. cap. 6. Vt Miſſi noſtri expreſsè, & cum omni diligentia, cum Epiſcopo & prælatis monaſteriorum, per ſingulas parrochias requirant de rebus Eccleſiaſticis, vnde nonæ & decimæ ſolui debẽt, & non ſoluuntur, vt perſolui ab eaſdem res retinẽtibus faciant. Et ſi aliqua contradictio, quæ rationabilis videatur, oborta fuerit, deſcribatur: & prælatus ipſius caſæ Dei, vnde res eſſe noſcuntur, & ille qui eas detinet, & nonam ac decimam ſoluere detrectat, ſimul cum Miſſis noſtris ad noſtram iubeatur venire præſentiam, vt tunc veritate comperta, & diffinitione decreta, quod rationabiliter inuenerimus inde præcipiamus.

Ibid. Volumus etiam, vt inueſtigent Miſſi noſtri, qualiter illi, qui eaſdem res Eccleſiaſticas, vnde decimæ dantur, ſiue non dantur, illas ſaluas habeant, & in caſticiis & in ſiluis cuſtoditis, vel ſi terræ ac mancipia inde perdita ſint, vel aliquid huiuſmodi, aut ſi familia oppreſſa ſit contra legem, & omnia per breues renuntient Miſſi noſtri.

Ibid. cap. 7. Vt Miſſi noſtri per ſingulas parrochias Comitibus & reipublicæ miniſtris ex bãno noſtro pręcipiant, ne malla vel placita in exitibus & atriis Eccleſiarum, & preſbyterorum manſionibus, neque in Dominico, vel feſtiuis diebus, tenere præſumant: ſed Comes conuenientem locum conſideret & inueniat, vbi ſtationem ad mallum tenendum conſtituat: quia nefas eſt ibi reos puniri, vbi reſpectu diuinæ reuerentiæ miſericordiam conſenſu fidelium & decreto prædeceſſorum noſtrorum conſequuntur.

Ibid. cap. 8. Vt Miſſi noſtri Comitibus, & omnibus reipublicæ miniſtris, firmiter ex verbo noſtro denuntient, atque præcipiant, vt a quarta feria ante initium quadrageſimæ, nec in ipſa quarta feria, vſque poſt octauas paſchæ, mallum vel placitum publicum, niſi de concordia & pacificatione diſcordantium, tenere præſumant. Similiter etiam à quarta feria ante natiuitatem Domini, vſque poſt conſecratos dies obſeruent: necnon in ieiuniis quatuor temporum, & in rogationibus, ſimili obſeruatione eoſdem feriatos dies venerari omnimodis ſtudeant.

Vt Miſſi noſtri omnibus per ſingulas parrochias denuntiẽt, quia ſi Epiſcopus, aut miniſtri Epiſcoporum, pro criminibus colonos flagellauerint cum virgis, propter metum aliorum, & vt ipſi crimino ſi corrigantur, cum tali diſcretione ſine vlla occaſione indebita, ſicut in Synodo collocutum eſt, & vel inuiti pœnitentiam temporaliter & corporaliter agant, ne ęternaliter pereant: ſi ſeniores ipſorum colonorũ indignè tulerint, & aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eoſdẽ colonos ne diſtringantur continere præſumpſerint, ſciant quia & bannum noſtrum component, & ſimul cum excommunicatione Eccleſiaſtica noſtram harmiſcaram ſuſtinebunt. Ibid. cap 9.

Vt Miſſi noſtri omnibus reipublicæ miniſtris denuntient, vt Comes, vel reipublicę miniſtri, ſimul cum Epiſcopo vniuſcuiuſque parrochiæ ſint in miniſteriis illorum, quando idem Epiſcopus ſuam parrochiam circumierit, cùm Epiſcopus eis notum fecerit: & quos per excommunicationem Epiſcopus adducere non potuerit, ipſi regia auctoritate & poteſtate ad pœnitentiam vel rationem atque ſatisfactionem adducant. Ibid. cap. 10.

Sciant etiam fideles noſtri, quia conceſſimus in Synodo venerabilibus Epiſcopis, ne ſuper beneficia Eccleſiaſtica, vel præſtarias, etiamſi quilibet monaſteriorum prælatus irrationabiliter petierit, præcepta confirmationis noſtræ vllo modo faciamus. Et ideo ab irrationabili petitione ſe vnuſquiſque compeſcat. Ibid. cap. 11.

De vno manſo ſecundum capitulare Auguſtorum & prædeceſſorum noſtrorũ ad Eccleſiam dato, nullus cenſus, neque caballi paſtus, à ſenioribus de preſbyteris requiratur, ſicut in præfato capitulari cõtinetur. Sed neque de terrulis ac vineolis pro loco ſepulturæ ad eaſdem Eccleſias datis, neque de decimis, ſicut in canonibus, & in præfatis capitularibus continetur. Et vbi inuentum fuerit à Miſſis noſtris, quòd ſeniores ſine conſcientia Epiſcoporum preſbyteros de Eccleſiis eiciũt, vel in Eccleſiis ſtatuunt, Miſſi noſtri, ſicut in præfatis capitularibus continetur, inde faciant, & Epiſcopi de clericis hominum noſtrorum ita faciant, ſicut in eiſdem capitularibus continetur. Caroli Calui Tit. xxxii. cap. 11.

Hoc Miſſi noſtri notum faciant Comitibus & populo, quòd nos in omni hebdomada vnum diem ad cauſas audiendas & iudicandas ſedere volumus. Comites

autem & Miſſi noſtri magnum ſtudium habeant, ne fortè propter eorum neglegentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, ſi noſtram gratiam habere volunt. Populo autem dicatur, vt caueat de aliis cauſis ſe ad nos reclamare, niſi de quibus aut Miſſi noſtri, aut Comites, eis iuſtitias noluerint facere.

Caroli Calui Tit. xxxiv. cap. 3. Vt noſtri fideles, vnuſquiſque in ſuo ordine & ſtatu, veraciter ſint de nobis ſecuri, quia nullum abhinc in antè contra legem & iuſtitiam, vel auctoritatem ac iuſtam rationem, aut damnabimus, aut deshonorabimus, aut opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus: & illo- Tit xliii. ſub finem cap. 2. rum, ſcilicet veraciter nobis fideliū, communi conſilio ſecūdum Dei voluntatem, & commune ſaluamentum, ad reſtitutionem ſanctę Dei Eccleſiæ, & ſtatum regni, & ad honorem regium, atque pacem populi commiſſi nobis pertinentem adſenſum præbebimus: In hoc vt illi non ſolùm non ſint nobis contradicentes & reſiſtentes ad iſta exequenda: verùm etiam ſic ſint nobis fideles, & obedientes, ac veri adiutores atque cooperatores vero conſilio & ſincero auxilio, ad noſtrum debitum honorem, & ad iſta peragenda quæ præmiſimus, ſicut per rectum, vnuſquiſque in ſuo ordine & ſtatu ſuo, principi & ſuo ſeniori eſſe debet.

VII. *De præſtanda per pœnitentiam emendatione.*

Ecce quæ de rapinis & de raptoribus ſanctus Spiritus per ſibi organa digna comminatus eſt & decreuit. Ecce quæ antecesſores veſtri Imperatores ac reges, in diuerſis Synodis ac placitis, conſilio Epiſcoporum ac ceterorum fidelium ſuorum inde conſtituerunt. Quæ quomodo de emendationibus quæ malè acta ſunt legi per Moyſem datę congruant, qui eam legit intelligit. Et in Euangelio legimus dixiſſe Zachæum ad Dominum: *Dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quem defraudaui, reddo quadruplum.* Ad hoc enim aliam medietatem bonorum ſuorum ſeruauit. Luc. 19. Et hinc ſanctus Auguſtinus in epiſtola ad Macedonium dicit: Quòd dicis Epiſt. 54. inquiens, ſceleris culpam cupiunt ſibi homines relaxari, & id propter quod ſcelus admiſſum eſt poſſidere; peſſimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodeſt. Si enim res neceſſaria, propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſed cùm reſtitui poteſt. Plerùmque enim qui aufert amittit, ſiue alios patiendo malos, ſiue ipſe malè viuendo, nec aliud habet vnde reſtituat. Huic certè non poſſumus dicere, redde quod abſtuliſti, niſi cùm habere credimus & negare. Vbi quidem ſi aliquos ſuſtinet repente cruciatus, dum exiſtimatur habere quod reddat, nulla eſt iniquitas: quia etſi non eſt vnde reddat ablatam pecuniam, meritò tamen, dum eam per moleſtias corporales redibere compellitur, peccati quo malè ablata eſt pœnas luit. Sed inhumanum non eſt etiam pro talibus intercedere, tamquam pro reis criminum: non ad hoc vt minimè reſtituantur aliena, ſed ne fruſtra homo in hominem ſæuiat. Illud verò fidentiſſimè dixerim, eum qui pro homine ad hoc interuenit, ne malè ablata reſtituat, & qui ad ſe confugientem, quantum honeſtè poteſt, ad reſtituendum non compellit, ſocium eſſe fraudis & criminis. Nam miſericordiùs opem noſtram talibus ſubtrahimus, quàm impendimus. Non enim opem fert qui ad peccandum adiuuat, ac non potiùs ſubuertit atque opprimit. Nolentes autem reddere, quos nouimus & malè abſtuliſſe, & vnde reddant habere, arguimus, increpamus, & deteſtamur, quoſdam clàm, quoſdam palàm, ſicut diuerſitas perſonarum diuerſam videtur poſſe recipere medicinam, nec in aliorum

petniciem ad maiotem inſaniam concitari. Aliquando etiam, ſi res magis cutanda non impeditur, ſancti altaris communione ptiuamus. Nec interueniendum eſſe pro aliquo auſim dicere, vt quod ſcelere abſtulit, ſceleris impunitate poſſideat: ſed vt remiſſa iniuria quod iniurioſè abſtulit reddat, ſi tamen habet quod abſtulit, vel aliud vnde illud reſtituat. Qui verò contra ius ſocietatis humanæ, futtis, rapinis, calumniis, oppreſſionibus, inuaſionibus abſtulerit, reddenda potius quàm donanda cenſemus, Zachæi publicani euangelico exemplo, qui cùm hoſpitio Dominum ſuſce-
Luc. 19. 8. piſſet, in vitam ſanctam tepentè mutatus, *dimidium*, inquit, *rerum mearum do pauperibus, & ſi cui aliquid abſtuli, quadruplum reddo.* Quid dicam de vſuris, quas etiam ipſæ leges & iudices teddi iubent? An crudelior eſt qui ſubtrahit aliquid vel etipit diuiti, quàm qui trucidat pauperem fœnore? Omnes igitur nos, & vos, & totius tegni populus, recurramus ad conſcientias noſtras, & quicquid contra voluntatem & mandatum Dei cogitauimus, parabolauimus, & fecimus, per puram confeſſionem, ac dignos pœnitentiæ fructus, atque ſacerdotalem reconciliationem, expurgemus nos à fermento malitiæ & nequitiæ: & ſicut hortatur nos Spiritus ſanctus per
Pſal. 94. 2. Pſalmiſtam, *præoccupemus faciem eius in confeſſione: procidamus & ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.* Legimus enim in hiſtoria Machabæorum, quia vir fortiſſimus Iudas pugnauit contra inimicos Eccleſiæ quæ tunc temporis erat, & plures ex ſuis in illo bello ceciderunt. Poſtquam autem
2. Macch. 12. 40. fugatis aduerſariis ipſe Iudas cum exercitu ſuo ad ſepelienda corpora ſuorum qui in bello ceciderant reuerſus eſt, inuenta ſunt ſub tunicis occiſorum donatia de idololatriis, & manifeſtum factum eſt Dei iudicium quia ptoinde ceciderunt in bello. Ergo ſi ſub tunicis noſtris, id eſt intra corpora noſtra, habemus conſcientiam malam de rapinis, de auatitia, quæ eſt idolorum ſeruitus, de luxutiis, de inuidia, de ftatetnis odiis, & de homicidiis, de ſacrilegiis, & de inceſtibus, & de cetetis criminibus, ac peccatis, exputgemus illa mala per putam confeſſionem, & per bonam deuotionem, & per lacrymas, & per elemoſynas & dignas ſatisfactiones, & quátocius tempus fuerit, faciamus omnes in commune de præteritis peccatis, ſiue manifeſtis, ſiue ſectetis, publicam pœnitentiam, & triduanum ieiunium, & mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpititus, perficientes ſanctificationem in timote die. Quia, ſicut ſanctus Auguſtinus dicit exponens ſententiam Apoſtoli, peccata ſiue parua ſiue magna impunita eſſe non poſſunt: quia aut ab homine pœnitente, aut à Deo iudicante plectuntur: ceſſat autem vindicta diuina, ſi conuerſio præcurrat humana. Amat Deus pœnitentibus & confitentibus parcere, & ſe iudicantes non iudicare. Et pòſt ieiunium, & dignos pœnitentiæ fructus, & profeſſionem quòd ab iſtis malis, in quibus hactenus verſati ſumus, nos de cetero abſtinere debeamus, quia pœnitentiam verè agere eſt commiſſa plangere, & iterum plangenda declinare, mutata in mente malignitate in benignitatem, accipiamus corpus & ſanguinem Chriſti in remiſſionem peccatorum noſtrorum, vt Deus in nobis habitet, & nos in Deo: quatenus nec inuiſibiles, nec viſibiles inimici contra nos poteſtatem habeant. Nam aliter, nec ſuper ptauos Chriſtianos virtutem, nec contra paganos habete

poterimus

poterimus victoriam. Nullus autem de iniquitatum ſuarum immanitate
deſperet: tantum ex toro corde conuertatur ad Dominum. Veternoſas Ioan. 4.
namque Nineuitarum culpas triduana pœnitentia abſterſit: & conuerſus Luc. 23. 43.
latro vitæ præmia etiam in ipſa ſentẽtia ſuæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præſumamus nos iam percepiſſe quod petimus. Citiùs ad precem iudex flectitur, ſi à prauitate ſua petitor corrigatur. Ea namque quæ ingrata eſſe hominibus importunitas ſolet, iudicio veritatis placet: quia pius ac miſericors Deus vult à ſe veniam exigi, qui quantum meremur
non vult iraſci. Hinc etenim per prophetam dicit, *Inuoca me in die tri-* Pſal. 46. 15.
bulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me. Ipſe ergo ſibi teſtis eſt quia inuocantibus miſereri deſiderat, qui admonet vt inuocetur. Et ſi-
cut per alium prophetam admonet: *Leuemus corda noſtra cum manibus ad* Thren. 3. 41.
Deum. Ad Deum quippe corda cum manibus leuare eſt, orationis ſtudium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat timori
noſtro fiduciam, qui per prophetam clamat: *Nolo mortem peccatoris,* Ezech. 33. 11.
ſed vt conuertatur & viuat. Et certa ſententia eſt, quia quos Deus diu vt conuertantur exſpectat, non conuerſos duriùs damnat. Et poſtquam taliter, ſicut prædiximus, à peccatis noſtris nos & vos mundabimus, de cetero ab eiſdem & ab aliis peccatis nos contineamus, ne contingat nobis illud prouerbium, quod beatus Petrus Apoſtolus de redeuntibus poſt
pœnitentiam ad peccata dicit: *Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota* 2. Pet. 2. 22.
in volutabro luti. Magna eſt enim contra peccatum pœnitentiæ virtus:
ſed ſi quis in eadem pœnitentia perſeueret. Nam ſcriptum eſt: *Qui per-* Matth. 10. 22.
ſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Hinc ſcriptum eſt: *Qui baptizatur* Eccli. 34. 30.
à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? Mortuum quippe eſt omne opus peruerſum, quod pertrahit ad mortem, quod vita iuſtitiæ non viuit. Baptizatur ergo à mortuo, & iterum tangit eum, qui praua opera, quæ ſe egiſſe meminit, deplorat; ſed eiſdem ſe iterum poſt lacrymas implicat. Animæ itaque cuilibet eiuſdem mortui lauatio non proficit, qui hoc iterum faciendo quod planxerat, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem iuſtitiæ exſurgit. Et quicumque tempore pœnitentiæ profitetur ad priſtina peccata ſe non rediturum, id eſt præterita peccata anathematizat, quoniam aliter nec à Deo ſoluitur, nec ſacerdo-
tali miniſterio reconciliari poteſt, ſollicitè attendat quæ ſanctus Gre- Lib. ix epiſt.
gorius in quadam epiſtola ſua dicit. Si qui verò ſunt, inquiens, qui dicunt 39 Theoctiſtæ.
quia compulſus quiſpiam neceſſitate ſi anathematizauerit, anathematis vinculo non tenetur, ipſi ſibi teſtes ſunt quia Chriſtiani non ſunt, quia ligamenta ſanctæ Eccleſiæ vanis ſe æſtimant conatibus ſoluere. Ac per hoc nec abſolutionem ſanctæ Eccleſiæ, quam præſtat fidelibus, veram putant, ſi ligaturas eius valere non æſtimant. Contra quos diu diſputandum non eſt, quia per omnia deſpiciendi & anathematizandi ſunt: & vnde ſe fallere veritatem credunt, inde in peccatis ſuis veraciter ligantur. Si qui ſunt igitur, qui ſub nomine Chriſtiano hæc, quæ prædiximus, aut prædicare audent, aut taciti apud ſeipſos tenere, proculdubio eos & ego, & omnes Catholici Epiſcopi, atque vniuerſa Eccleſia anathematizamus, quia veritati contraria ſentiunt, & contraria loquuntur. Intereſt

tamen plurimum inter eos, qui poſt pœnitentiam & profeſſionem ad criminalia & publica peccata redeunt per contemptum, & in eis perſeuerare deligunt, & inter eos, qui per fragilitatem in præterita peccata criminalia vel publica recidunt, & iterum pœnitentiam poſcunt: quia ſicut ſanctus Auguſtinus dicit, in tantum hominum iniquitas aliquando progreditur, vt etiam poſt actam pœnitentiam, poſt altaris reconciliationem, vel ſimilia vel grauiora committant: & tamen Deus facit etiam ſuper tales oriri ſolem ſuum, nec minus tribuit, quàm antè tribuebat, largiſſima munera vitæ ac ſalutis. Et quamuis eis in Eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos ſuæ pœnitentiæ non obliuiſcitur. Quamuis ergo cautè ſalubritérque prouiſum ſit, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minùs vtilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minùs contemptibilis fuerit: quis tamen audeat Deo dicere, quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis conſtringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga iſtos non agi quod Apoſtolus ait: *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* aut iſtis exceptis eſſe diffinitum quod ſcriptum eſt: *Beati omnes qui confidunt in eum?* aut ad iſtos non pertinere quod dicitur: *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino?*

Epiſt. 54. Rom. 2. 4. Pſal. 2. 13. Pſal. 26. 14.

VIII. *Ad Regem, vt bonos deligat conſiliarios.*

Tandem ad vos, Domine rex dilectiſſime nobis, ſermonem conuertimus, quia & in iſto temporali regno vos proſperari cupimus, & poſt iſtud regnum ad æternum peruenire deſideramus. Sicut quidam noſtrûm ab illis audiuit qui interfuerunt, Karolus magnus Imperator, qui regnũ Francorum nobiliter ampliauit, & per annos quadraginta ſex feliciter rexit, & ſapientia tam in ſanctis Scripturis, quàm & in legibus Eccleſiaſticis & humanis, reges Francorum præceſſit, nullo vnquam tempore ſine tribus de ſapientioribus & eminentioribus conſiliariis ſuis eſſe patiebatur: ſed viciſſim per ſucceſſiones, vt eis poſſibile foret, ſecum habebat, & ad capitium lecti ſui tabulas cum graphio habebat, & quæ ſiue in die, ſiue in nocte, de vtilitate ſanctæ Eccleſiæ, & de profectu ac ſoliditate regni meditabatur, in eiſdem tabulis adnotabat, & cum eiſdem conſiliariis, quos ſecum habebat, inde tractabat: & quando ad placitum ſuum veniebat, omnia ſubtiliter tractata plenitudini conſiliariorum ſuorum monſtrabat, & cõmuni conſilio illa ad effectum perducere procurabat. Et ſi ille, qui ſic ſapiens & fortis, & amplitudine regni locuples, & multorum regnorũ pacificus dominator, agere ſtudebat, ſequens ſententias ſcripturæ dicentis: *Omnia fac per conſilium, & poſt factum non pœnitebis.* &, *audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit.* &, *vbi non eſt gubernator, populus corruet: ſalus autem, vbi multa conſilia.* quid vobis ſit agendum attendite, qui adhuc in ætate immatura eſtis, & tantos comparticipes atque æmulos in iſta particula regni habetis, vt nomine potiùs, quàm virtute regnetis. Quæſumus, cum conſilio & auxilio fidelium veſtrorum, eligite qui vobiſcum per ſingulos menſes de vtroque ordine conſiliarij maneant, quibus autem &

Eccli. 32. 24. Prou. 1. 5. Prou. 11. 14.

cordis & corporis libenter accommodetis, quique vos & Deum timere, & ſanctam Eccleſiam ac rectores eius ſecundum ſacras leges doceant honorare, & regnum ac fideles veſtros ſecundum voluntatem Domini gubernare, & veſtram domum, ſicut tempore anteceſſorum veſtrorum fuit quando bene fuit, illam vobis inſinuent ordinare, ne vos illuc trahat neceſſitas, quò ducere non debet voluntas. Quatenus Eccleſiæ in iſto regno per occaſionabiles circadas, & per indebitas conſuetudinarias exactiones, quæ tempore Pippini, Karoli, & Hludouuici non fuerunt, ſed moderno tempore impoſitæ fuerunt, non affligantur: & regni primores cum debita ſecuritate ac honore erga vos conſiſtere poſſint, & ceteri nobiles homines in regno ſecuritatem habeant, ne per diuerſa ingenia à ſuis opibus quas habere potuerint diſpolientur. Quia poſtquā radix omnium malorum cupiditas in regno iſto exarſit, vt nullus, aut pene nullus, honorē aut aliquod bonum ſine pretio poſſet adquirere, aut tenere, aut ſecuritatem habere, pax & conſilium & iuſtitia, atque iudicium, ſicut neceſſe fuerat, locum in iſto regno non habuerunt. Et ſatagite, vt iſtæ rapinæ ac deprædationes in iſto regno ceſſent, & miſer iſte populus, qui iam per plures annos per deprædationes diuerſas & continuas, & per exactiones ad Nortmannos affligitur, aliquod remedium habeat, & iuſtitia & iudicium, quæ quaſi emortua apud nos ſunt, reuiuiſcant, & virtutem nobis Deus reddat contra paganos, quia vſquè modò iam ante plures annos locum in iſto regno defenſio non habuit, ſed redemptio & tributum non ſolùm pauperes homines, ſed & Eccleſias quondam diuites iam euacuatas habent. Et ideo regium nomen ad tantam contumeliam & ad tantam breuitatem deuenit, ſicut multis eſt notum. & iſtud regnum, quondam nobile atque amplum, in ſeipſum diuiſum eſt. Vt ſicut Dominus dicit, *regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur*, id eſt de ſolo, videlicet de terra, labitur, id eſt, ac ſi de glacie lubricatur. Ita vt non ſit quod in proximo eſt: Niſi, vt in pſalmo dicitur, conuerſi fuerimus, iam Dominus gladium ſuum vibrauit, tetendit & parauit illum, & in eo vaſa mortis effecit. Timete ſententiam, quam ſcriptura dicit quæ non mentitur: *Væ terra cuius rex iuuenis eſt, & cuius principes manè comedunt*. Et attendite, quia non deteſtatur ſcriptura ætate iuuenem, ſed moribus, & vita, atque ſtultitia, quæ nulla conſilij grauitate deprimuntur. Quod alibi ſanctæ Scripturæ ſententiæ monſtrant dicendo: *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani ſunt autem ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata*. Hinc eſt ergo, quod ad Moyſen Dominus dicit: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti quòd ſenes populi ſint*. In quibus non aliud quàm ſenectus mentis requiritur, cùm tales iubentur eligi qui ſenes ſciuntur. Si enim ſenectus in eis corporis quæreretur, à tantis ſciri poterant, à quantis videri. Dum verò dicitur, *quos tu noſti quòd ſenes populi ſint*, profectò liquet, quia ſenectus mentis non corporis eligenda denuntiatur. Talium quippe ſenum, ſicut ſcriptura demonſtrat, conſilium Roboam filius Salomonis reſpuit, & huiuſmodi iuuenum conſilium ſecutus, maximam partem regni paterni ſua negligentia perdidit. Cui Dominus propter merita Dauid aui ſui paruam regni particulam reſeruauit. De eo quòd ſcriptum eſt: *Væ terræ, cuius principes manè comedunt*, non de neceſſaria, ſed de voluptuoſa comeſtione dicit

Matt. 12. 12.
Pſal. 7. 13.
Eccle. 10. 16.
Sap. 4. 8. & 9.
Num. 11. 16.
3. Reg. 12.
Eccle. 10. 16.

Rom. 13. 14. ſcriptura, ſicut demonſtrat Apoſtolus dicens: *Carnis curam ne feceritis in deſideriis vel in concupiſcentiis.* Quos enim à cura carnis in concupiſcentiis refrænat, in neceſſariis quoque concedit. Deus omnipotens, qui per nos hæc loquitur in auribus veſtris, per ſe loquatur in cordibus veſtris.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXIX.
Ad Geneuenſes.

Vt Optando Epiſcopo à ſe conſecrato obediant.

Epiſt. 231. Clero & populo Geneuenſi. Dilectissimi filij noſtri Caroli Imperatoris, principúmque ipſius relatu, veſtram Eccleſiam viduatam cognoſcentes paſtore, & propter diſſenſionem Boſonis, cui ſociatus eiuſdem ſedis videtur Metropolitanus, ordinationem electi veſtri Optādi differri, auctoritate & poteſtate Apoſtolica, ſecundum deprecationem eiuſdem sereniſſimi Imperatoris, filij ſcilicet noſtri ſpiritalis Caroli, atque optimatum eius, præcognita veſtrûm omnium in eodem Optando electione, & qualiter idem ſereniſſimus Imperator eidem Eccleſiæ electionem perenniter de proprio clero donauerat, diutius ipſa Eccleſia ne viduata maneret paſtore, conſecrauimus eum ſancti Spiritus gratia, & ad regendum vos paſtoraliter inſtructum direximus. Quem deuotè & vnanimiter ſuſcipientes, obedientes ei, vt pote proprio patri ſpiritali, ſitis in omnibus: ſaluo deinceps eiuſdem loci priuilegio antiquo propriæ Metropolis. Sancimus, vt quicumque huic noſtræ auctoritati, & Apoſtolicæ deliberationi contra ſtare, aut non obedire, vel quod abſit electionem ipſius Eccleſię aliquando peruertere aut infringere, quam Deo propitio iuſtè eſt aſſecura, tentauerit, gladio vtique canonicæ diſciplinę nouerit ſe feriendum, atque omnipotentis Dei vindictam non euaſurum, ſi digna celeriter non fuerit ſatisfactione ſanatus. Confirmamus denique noſtri Apoſtolatus auctoritate, omnes res eiuſdem Eccleſiæ pacificè ac quietè perpetualiter poſſidere. Et quicumque eaſdem inuadere ac diſſipare auſus fuerit, poſtquam à proprio Epiſcopo canonicè admonitus fuerit, ſi ſecundum diuinas & humanas leges non emendauerit, ſub anathemate ſit damnatus.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXX.
Ad Ottramnum Archiepiſcopum Viennenſem.

Arguit eum, quòd Boſonis partibus faueat, iubétque vt Romam purgaturus ſe de obiectis veniat.

OTTRAMNO VIENNENSI EPISCOPO.

Epiſt. 233. Inter eximios nunc vſque Chriſti Dei noſtri ſacerdotes te habere teneréque omnino voluimus: ſed quia Eccleſiaſticæ paci & vtilitati contraria agere audimus, valde miramur, nihilominus & turbati exiſtimus, eo quòd, ſicut fidelium relatu comperimus, his qui cum Boſone præſumptore & regni perturbatore tyrannidem exercere non ceſſant, auſu temeratio fauere, eorúmque malis operibus communicare præſumas, & in ſuperbiam eorum ſequax exiſtens, falſa opinione ſanctam noſtram Romanam Eccleſiā infamare non dubitas, quòd ad talia peragendum ipſius auctoritatem habere te certifices, quamquam euidēter oſtendere non poteris: pro qua ſcilicet Romana Eccleſia te murum opponere omnibus iniqua agentibus debueras. Pro quibus nimirum tot malis, tantíſque præſumptionibus, tibi ex auctoritate Dei & ſanctorum Apoſtolorum ac noſtra præcipimus, vt de talibus te criminibus ſecundum auctoritatem ſanctorum patrum coram nobis & ſede Apoſtolica ſatisfaciendo purgare valeas: quatenus te inter fratres retinere valeamus. Nam, quod non credimus, ſi aliter feceris, & venire diſtuleris, donec hanc noſtram iuſſionem impleueris, ſcias te omni Epiſcopali officio eſſe priuandum.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXXI.
Ad Ludouicum & Carlomannum reges.

Gratias agit de ipſorum erga Romanam Eccleſiam affectu, & mutuum ſtudium pollicetur.

Epiſt. 290. DILECTISSIMIS filiis Hludouico & Carolomanno glorioſiſſimis regibus. AVOITA per venerabilem Epiſcopum deuotione veſtra, quam circa ſanctã Romanam Eccleſiam habere, totóque conamine exercere cupitis, maximas Deo & vobis gratias agimus. Vnde à noſtra parte vos certos exiſtere volumus, quia ſicut dominus Carolus diuæ memoriæ Imperator auus veſter, ac poſtmodum genitor veſter Hludouicus Rex, ſub protectione Romanæ Eccleſiæ, noſtráque Apoſtolica tuitione vos commendauerunt, ita noſtrum Apoſtolicum affectum circa vos in omnibus oſtendere, vóſque adiuuare ac protegere paterna dilectione atque amore ſemper parati exiſtimus. Propterea de his, quæ per iam dictum Epiſcopum verbotenus mandaſtis, ita vobis per eum dictis reſpondendo direximus. Nam ea quę noſtro conſilio reperimus, & vobis innoteſcendo mandauimus, ad veſtrum honorem proficua eſſe omnino credite.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXXII.
Ad Hugonem, & alios Comites.

Gratias agit de fide, quam Ludouico & Carlomanno regibus ſeruabant.

Epiſt. 291. HVGONI eximio Abbati, ſeu Bernardo, Guitoni, & aliis regni glorioſis Comitibus. AVDIENTES bonam famam de vobis, quòd protectores, defenſores, atque fideles Hludouico & Carolomanno excellentiſſimis regibus, qui nobis à progenitoribus ſuis commiſſi ſunt, in omnibus exiſtitis, gratias referimus maximas. Quapropter his Apoſtolicis noſtris litteris magnificentiam veſtram exhortamur, vt more fidelium parentum veſtrorum, magis ac magis circa eos veſtram ſinceriſſimam deuotionem oſtendatis, quoniam & nos, Deo propitio, in eorum adiutorio vobiſcum pariter in omnibus prompti exiſtimus: vt dignam exinde vos, non ſolùm à Deo & à nobis, verùm etiam & ab illis retributionem percipere mereamini.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXXIII.
Ad Archiepiſcopum Vienneuſem.

Arguit quòd detruſo in carcerem Optando Epiſcopo, alium in Eccleſia Geneuenſi conſtituerit. præcipit vt illum ſedi ſuæ reſtituat, atque ad Synodum veniat ad diluenda ea quæ ipſi obiiciebantur.

Epiſt. 292. OTTRAMNO Viennnenſi Archiepiſcopo. RELATV veraci didicimus, ſanctimoniam veſtram in Geneuenſi Eccleſia Epiſcopum conſecraſſe, cui nos, neceſſaria temporum qualitate perſpecta, iam primum clericis eiuſdem Eccleſiæ ſuggerentibus, auctoritate Apoſtolica præfeceramus Epiſcopum nomine Optãdum Quo audito, audaciam & temeritatem veſtram nimium admirantes, ob id maximè turbati ſumus: eo quòd non ſolùm ſuper ordinationem noſtrã obices manus habuiſtis, ſed etiam ad contemptum & iniuriam ſedis Apoſtolicæ, pręfatum Epiſcopum turpiter capientes arcta cuſtodia retruſiſtis, & rebus, omnibúſque ſuppellectilibus eius direptis, hactenus retruſum affligitis, & contra omne miniſterium veſtrum, quod nulli Chriſtiano licet, ſacerdotem Domini tetro carcere maceratis: non habentes præ oculis ſcilicet; quòd ſacerdotes Domini ſacra Scriptura aliquando Deos, aliquando Angelos nominet, & qui eos tangit, tangit pupillam oculi Domini. Quapropter auctoritate Dei omnipotentis, & principum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſimúlque noſtra, vobis præcipimus, vt accepta hac noſtra epiſtola, aut ſtatim quomodo tenore illius audito; ſi intra octo dierum ſpatia iam dictũ Epiſcopum propriæ

ſedi, proprióque honori & dignitati reddete, teſtitueréque contempſeritis, à corpore & ſanguine Domini noſtri IESV Chriſti, cum omnibus vobis in facto fauentibus, ſitis prorſus extorres, quouſque iuxta hanc noſtram diſpoſitionem perficere ſategeritis. Et quia alia multa vobis à quibuſdam obiiciuntur, quæ Synodali diſcuſſione ſunt colligenda, decernimus vt omni excuſatione remota, octauo Kalendas Octobris futuræ primæ Indictionis Romam ad Synodum occurrere non omittatis: vt tunc & de vobis obiectis rationem reddatis, & ſi aduerſus eumdem Epiſcopum à nobis conſecratum aliquam querimoniam habetis, canonico valeamus, quicquid illud fuerit, Deo adiuuāte libramine diffinire. Hoc autem ſcientes, quia ſi ad eandem Synodum přſato tempore venire diſtuleritis, canonicæ in vos cenſuram ſententiæ proferemus.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXXIV.
Ad Ottramnum Viennenſem Archiepiſcopum.

Iterum de Optando Epiſcopo, eius litteris reſpondens: & de litteris, quas ſcribit Epiſcopo Maurienneſi, vt Romam veniat.

Epiſt. 295. OTTRAMNO Viennenſi Archiepiſcopo. SVSCEPTIS veſtrę fraternitatis apicibus, quòd eſſent alicuius, vt ita dixerim, rectitudinis zelo compoſiti, ſatis vbertim cognouimus: quia poſt plurima in Eccleſia Geneuenſi fatemini vos conſecraſſe Epiſcopum, & vt quidam Optādus nomine clericus aduenerit, qui in Eccleſia Geneuenſi nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus vnquam extiterat, Eccleſiam illam inuaſerit. Multipliciter admiramur, cur illa neſcire vos dicitis, quæ totus, vt remur, occidens non ignorat Præcedenti ſiquidem tempore nobis fuerat nuntiatum, vt vos in eadem Eccleſia Epiſcopum conſecrare contempſeritis: ideo nos, neceſſaria temporum qualitate perſpecta, clericis eiuſdem Eccleſiæ ſuggerentibus, auctoritate Apoſtolica illic Epiſcopum Optandum nomine conſecrauimus. Quæ ex te non bene vos feciſſe probamus, qui ſuper ordinationem noſtram obices manus habuiſtis, & alterum Epiſcopum ibidem ordinaſtis. De hoc autem quod dicitis, quòd ipſe Optandus in Geneuenſi Eccleſia nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus vnquam extiterit, interim ſilentio eſt tegendum, eo quòd, cum caritate veſtra loquamur, nihil horum habens veſtra ſanctitas in Viennenſi Eccleſia eſt conſecrata. Verumtamen his interim neceſſariò prætermiſſis, ſanctimoniam veſtram iam dudum litteris noſtris monuimus, vt quia quædam vobis à quibuſdam obiiciuntur, quæ Synodali diſcuſſione ſunt corrigenda, omni excuſatione remota, VIII. Kalendas Octobris, futuræ Indictionis primæ, Romam ad Synodū occurrere ſtuderetis. Nihilominus autem iteratò decernimus, vt eodem tēpore Apoſtolicæ noſtræ vos præſentetis præſentiæ: vt tunc & de vobis obiectis rationem reddatis, & ſi aduerſus eumdem Epiſcopum à nobis conſecratū aliquam querelam habetis, nos canonico valeamus, quicquid illud fuerit, Deo iuuante, libramine diffinire. Ceterum Adelberto Mauriennenſis Eccleſiæ Epiſcopo auctoritatis noſtræ litteras, quas ei à vobis dari mandamus, ecce tranſmiſimus, vt cum Bernario Gratianopolitanæ ſedis Epiſcopo eodem VIII. Kalendas Octobris Romam occurrat: quatenus de his, quæ ei irreuerenter tam temerario auſu ſui ordinis immemor intulit, coram nobis pleniſſimam ſatisfactionem exhibeat.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXXV.
Ad Epiſcopum Mauriennæ.

Iubet vt Romam veniat cum Epiſcopo Gratianopolitano, quem ignominioſe tractarat.

Epiſt. 296. ADALBERTO Mauriennenſi Epiſcopo. TRISTIS nos nuntius perculit, quando audiuimus, quòd tu ordinis tui immemor Bernarium Gratianopolitanæ ſedis Epiſcopum, hora matutinali in Eccleſia ſua publicè agentem officium, cum multitudine populi, & armata manu, abſque reuerentia Eccleſiam ingrediens, nulla ab eo tibi culpa illata, irreuerenter

tecum abſtuleris, & ignominioſè tractaueris. quod tantum nobis diſplicuit, quãtum te temere egiſſe modis omnibus cõprobamus. Ideóque noſtri Apoſtolatus litteris tibi mandamus, vt omni excuſatione remota, VIII. Kalendas Octobris futuræ primæ Indictionis, cum eodem Bernario venerabili Epiſcopo Romam ad Synodum noſtram occurras: vt quicquid inter vos litigij eſt exortum, nos æquitatis regula potiti, Deo iuuante, diſcutere & diffinite aliquomodo ſtudeamus.

IOANNIS VIII. PAPÆ EPISTOLA LXXVI. Ad Hugonem Abbatem.

Hortatur vt ſuadeat Ludouico regi vt ad ſe veniat. Monet etiam, vt ſe à quorumdam communione ſeparet.

Epiſt. 303. HVGONI ſtrenuo, nobili, regali proſapia edito, atque excellentiſſimo Abbati. QVANTO vos, cariſſime fili, amore diligimus celeberrima fama veſtri boni operis circumquaque accenſi, explicare verbis nullatenus poſſumus. Quaptopter, vt noſtro deſiderio præſentiæ veſtræ capiamus effectum, maturè volumus hortemini Ludouicum regem filium noſtrum, vóſque cum eo ad nos concitè properare: quatenus, Chriſto cooperante, exaltationem totius Chriſtianitatis communiter operemur. Sic agat veſtra dilectio, vt triſtitiam, quam animo de veſtra abſentia nuper Papia intuliſtis, lenire moderatiſſimè valeatis. Inter hæc ab omni re conſortio Formoſi anathematizati optamus, fili cariſſime, ſeparare, Ioannis Archiepiſcopi Rodomenſis, Adalardi Turonenſis, Frotarij Bituricenſis. Data *vt ſuprà.*

EMBOLVM VT CAROLOMANNVM REGEM in Eccleſia Romana dilectione confirmet.

IAM quod te, cariſſime fili, tantæ deuotionis, tantæque fidelitatis erga veſtræ matris Romanæ Eccleſiæ pontificiũ eſſe videmus, tanquam vtero natum monentes rogamus, flagitantes hortamur, vt pro amore Apoſtolorum principum, quaſi veſtro proprio conſulto, nec repræſentaliter, Carolomanno glorioſo regi mittatis, conſilium dantes, vt antiquos honorans amicos, fruens caritate, ad parentum conſilium redeat, & de epiſtolis, quas illi ex maritimo itinere miſimus, reſpondeat, & Romanam Eccleſiam, quæ vobis vtriſque omnibus decus regale & imperiale intulit, venerando diligat, mittens præſentaliter ipſis anathematizatis Lamberto & Adelberto. Data *vt ſuprà.*

FRAGMENTA QVÆDAM ALIARVM Epiſtolarum Ioannis VIII. Papæ.

Cennemoco Epiſcopo Venetenſi.

Quòd ſacerdos homicida non poteſt in ſacerdotio manere.

D. 1. Miror minus. MIror minùs doctam ſcientiam tuã ſacerdotem putare poſt perpetratum homicidium poſſe in ſacerdotio miniſtrare: immo, quod eſt peius, nobis ſuadere velle, vt ipſi tali præſumptioni præbeamus aſſenſum. Quis enim tam demens, támque peruerſi ſenſus, tale quid æſtimaret, vel poſt quantamcumque pœnitentiam concedendum, cùm omni ſit canonicæ diſciplinæ contrarium? Debet ergo ſacerdotio priuatus lacrymarũ fonte flagitium tam immane diluere: vt talibus ſaltem remediis curatus, ſalutis poſſit inuenire ſuffragium.

Roſtagno Archiepiſc. Arelatenſi.

Communione priuetur ſponſa, niſi raptorẽ deſerere, & ad ſponſum ſuum redire voluerit.

Atho præſentium lator, dum in noſtro ſeruitio fideliter excubaret, quendam virum feminam ſibi deſponſatam queritur rapuiſſe. Et ideo fraternitas tua, auctoritate noſtra ſuffulta, ſuffraganeos ſuos Epiſcopos præſentialiter conuocet: ſicque vnanimi ſententia, ſi ſponſam huic raptor non reddiderit, tam idem, quàm rapta, ſi ad ſponſum priſtinum remeare noluerit, omni communione priuentur. 27 q. 2. Atho præſentium.

Sigibodo Archiepiſc. Narbonenſi.

De examinanda cauſa cuiuſdam presbyteri.

Præſentium literarum gerulus, ſedi Apoſtolicæ præſentatus, ſe presbyterum Ivo Part. 5. cap. 16.

Digitized by Google

eſſe querula & lamentabili voce perhibuit, & à ſanctitati tuæ ſubiectæ diœceſeos Epiſcopis ab officio presbyteratus ſuſpenſum, & aliis quibuſdam epitimiis vſque ad ſpeciale iudicium noſtrum ſubmiſſum, pro eo quòd, inquit, facto tumultu, quidam ſe apprehenſum, & à terra brachiis ſubleuatum, in proprium fratrem forti iactauerit impetu, vt idem germanus ſuus tanti operis malè impulſus in terram ruerit, & proſtratus atque oppreſſus vitæ flatum violenter amiſerit. Denique illi reuerendi Antiſtites, cùm ſibi, vt iſte retulit, res in dubium veniret, vtrum commiſſo ſibi dudum carere, necne, penitus debuiſſet officio, non ipſi hanc deliberare, ſed noſtro decerni & diffiniri iudicio voluerunt. Sed tunc hoc ſolenniter agerēt, ſi primùm ipſi plenario, & ex canonibus in cauſa presbyteri delegato iudicio, quatuor deputatis ex venerandis decretis & legibus perſonis præſentibus, hanc ventilaſſent, & ſubtili examine diſcuſſiſſent: vt ita facta ſcripto telatione, ſi quid dubium ſibi ſeu difficile ingeſſiſſe videretur, noſtrum ſuper hoc more priſcq decretum expoſcerent. At vbi nobis & perſona relatoris incognita, & nullo Epiſcoporum ſcripto commendatio approbata eſt, & rurſus vbi nulla eſt accuſatoris obiectio, nec accuſati reatus confeſſio, nec fidelium comprobatio teſtium, nos nec illius ſolius narrationi creduli eſſe poſſumus, nec rurſus in eum definitiuam damnationis ſentētiam proferre valemus. Ergo ſaltem nunc fraternitas tua Metropolitani iure potita, ex Epiſcopis ſub ſe degentium vel vicinorum ſex, vna cum Epiſcopo, cuius eſt iſte parœciæ, ſibi ſocians, tantum negotium ſubtili ventilet diſcuſſionis ventilabro, & inuento quod iuſtum eſt canonicè decernat, & communi fratrum cenſura diffiniat.

Vvilliberto Colonienſi Archiepiſcopo.

Pallium, niſi poſt conſuetam fidei profeſſionem, dari non debet.

Optatum tibi pallium nunc conferre nequiuimus, quia fidei tuæ paginam minùs, quàm oporteat, continere reperimus: cùm videlicet in ea nullam ſanctarum vniuerſalium Synodorum, in quibus fidei noſtræ ſymbolum continetur, nec decretalium Pontificum Romanorum conſtitutorum, ſecundum morem, feceris mentionem: ſed nec illam propria ſubſcriptione munieris, nec aliquem qui hanc iureiurando firmaret miſeris. D. C. cap. Optatum.

MARINI PAPAE PRIVILEGIVM
Monaſterio Sollemniacenſi conceſſum.

Ex autographo.

MARINVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto Abbati Danieli ex cœnobio S. Petri Solemniacenſis, quod olim à beato viro Eligio eſt conſtructum, ſucceſſoribúſque tuis, ac monachis inibi nobiliter degentibus, in perpetuum. CONVENIT enim noſtro pontificio, vt quantum præ omnibus eminet dignitate, tanto ſupra vniuerſos eniteat ſereniſſima pietate. Poſtulaſtis itaque à nobis, vt præfatum cœnobium ſub defenſione ac tuitione beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ac noſtra ſtatueremus, ſicut factum legimus ab anteceſſore noſtro beato viro Papa, poſtulante nobiliſſimo Frācorum rege Dagoberto, & conſtructore ipſius loci ſanctiſſimo viro Eligio Epiſcopo Nouiomagenſi, quatenus quieti ac tuti eſſe per futura tempora valeatis. Nos verò, veſtram ſanctitatem agnoſcentes, veſtræque religioni aſſenſum præbentes, tanta alacritate læto animo concedimus, quanto vos Deo propinquiores in ſacra conuerſatione cognoſcimus fore. Igitur iuxta petitionem veſtram, huiuſmodi priuilegium præſentis auctoritatis noſtræ decreto eidem venerabili monaſterio veſtris futuríſque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus. Et ſicut nobiliſſimus Francorum rex Dagobertus, & glorioſiſſimi Auguſti, Karolus & filius eius Ludouicus, & filij & nepotes eorum, Karolus Imperator, & eiuſdem Karoli filius Ludouicus, necne & Karlomannus Ludouici filius, qui nunc regnum Francorum feliciter gubernare videtur, ducti diuino amore, de villis ac facultatibus ſeu ſtipendiis propriis, vel quolibet modo ibi à fidelibus viris condonatæ res, vel à vobis quoquomodo adquiſitæ ſunt, ſicut in præceptis prædictorum regum continentur, vel in charta eiuſdem Monaſterij fundatoris inſertum eſt, ſcilicet Eligij Epiſcopi, omnia inlibata & inconuulſa noſtræ

ſtræ auctoritatis priuilegio confirmamus. Damus etiam licentiam, propter perſecutionem infideliũ Chriſtianitatem deuaſtantium, munitionem ibi fieri. Conſtituimus alia auctoritate B. Petri, vt nullus regum, nemo antiſtitum, vel abbatũ, ſeu quilibet ſua præditus dignitate, de iis quæ in prælibatis præceptis continentur, vel in futuro ab eis, vel à quibuſlibet de proprio fuerint his ſpecialibus vſibus iure collata, ſub cuiuſlibet cauſæ occaſione ſiue ſpecie, quicquam minuere vel auferre, vel aliis quaſi piis cauſis pro ſuæ auaritiæ excuſatione præſumat cõcedere. Sed cuncta, quæ vſibus monachorum vel Eccleſiæ oblata ſunt, vel offerri contigerit, perenni tempore abſque vlla inquietudine ipſis, quibus conceſſa ſunt, profutura permaneant. Statutum etiam, vt nullus Epiſcoporum, ſeu Comitum, manſionaticum ibi, vel paratas, vel ſtationes requirere ſeu exigere præſumat. Sed liceat ſeruis Dei ſine aliqua inquietudine Deo ſeruire, & hoſpitalitatis beneuolentiam, prout eis libuerit, cunctis fidelibus impendere. Placuit huic paginæ inſeri, vt obeunte Abbate prædicti cœnobij, nullus ibi, quacumque ſubreptionis ambitione, Abbatem ſtatuere præſumat, niſi quem eiuſdem loci monachi ſecundum authenticam & regularem inſtitutionem ex ſeipſis elegerint ordinandum. Si quis autem hanc paginam cõſtitutionis agnoſcens contra eam venire tentauerit, ſit alienus à ſacratiſſimo corpore Domini Ieſu Chriſti, & niſi præſumpta correxerit, vel malè oblata non reſtituerit, vltionem cum Iuda proditore excipiat, & B. Petrum ſentiat hoſtem. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruãtibus ſit pax D.N. Iesv Chriſti, quatinus & hîc fructum bonæ actionis inueniant. Scriptum per manum Zachariæ ſcriniarij S.R.E. menſe Madio, Indictione prima. Bene valete. Pridie Idus Iunias, per manum Valentini Eccleſiæ Portuenſis Epiſcopi, regnãte in perpetuum Domino Deo noſtro. Anno pontificatus domni Marini vniuerſalis Papæ primo, Indictione prima.

CAROLI CRASSI REGIS ET IMPERATORIS

Præceptum, quo Eccleſiæ Cabilonenſi canonica Epiſcoporum ſuorum electio conceſſa eſt.

IN NOMINE ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Carolus diuinâ fauente clementia Imperator Auguſtus. Si ea quæ diuinis conueniunt auctoritatibus præcepto noſtræ altitudinis confirmamus, ſupernam ob id gratiam promereri nullomodo dubitamus. Quocirca omnibus ſanctæ Eccleſiæ fidelibus & noſtris, præſentibus & futuris, notum eſſe volumus, quòd venerabilis Agilmarus Aruernorum Præſul, adiens genua ſerenitatis noſtræ, innotuit quoniam Girboldus Cabillonenſis Eccleſiæ venerabilis Antiſtes & reuerendus, infirmitate iam ſimúlque ſenio confectus, non modicum metu ſui obitus ciuibus & filiis Eccleſiæ ſuæ inferret dolorem. Itaque noſtram humiliter deprecatus eſt dominationem, vt præfatæ Eccleſiæ canonicam electionem concedere deberemus. Placuit ergo nobis ſaluberrimæ acquieſcere poſtulationi. Decernimus igitur, & pro Dei amore hoc eidem concedimus, vt obeunte paſtore proprio, omni deinceps tempore canonicam habeat electionem. Hoc denique, quod diuino amore conceſſimus, noſtro Imperiali præcepto confirmauimus, & anulo noſtro inſigniri iuſſimus.

Signum Caroli Sereniſſimi Auguſti.

Salomon notarius ad vicem Liutuardi Archicancellarij recognoui, & ſubſignaui. Datum pridie Idus Iunij, anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXXV. anno verò regni domni Karoli Imperatoris VIII. imperij vero V. Actum apud Gundulfi villam, in Dei nomine feliciter. Amen.

Anno Christi 886. Caroli Craſſi Regis 2.

CONCILIVM NEMAVSENSE IN VILLA PORTV.

ADVERSVS SILVAM CLERICVM HISPANVM, qui Archiepiſcopatum Narbonenſem affectabat, à Theodardo Archiepiſcopo celebratum xv. Kalendas Decembris, ſub annum Chriſti DCCCXXCVI.

EX monumentis Eccleſiæ Narbonenſis conſtat, Theodardum poſt ſuſceptum anno DCCCXXCV. *pontificatum Romam mox adiiſſe ad Stephanum V. Papam, ab eoque pallium impetraſſe, & literas contra Siluam quendam, genere Hiſpanum, qui pro Archiepiſcopo ſe gerebat. Quæ autem cogendæ aduerſus illum Synodi cauſa fuerit, & quinam eò Antiſtites conuenerint, docent ex iiſdem monumentis excerpta quæ ſequuntur.* Silua clericus Hiſpanus, qui ſe Archiepiſcopum fecerat, eiecto Ingoberto Vrgellitano Epiſcopo, qui à Sigebodo fuerat conſecratus, in Gerundenſi etiam Eccleſia pro Seruo Dei, quem Theodardus ordinarat, alium conſtituit nomine Ermemirum, quem ordinarunt cum Selua Frodoinus Barcinonenſis, & Gotmarus Auſonenſis Epiſcopi. Ergo ordinatores ad ſe venire iuſſit beatus Theodardus. Cùm venire detrectarent, Synodum ſuæ prouinciæ ad xv. Kalendas Decembris indixit in villa quæ Portus dicitur, ſita inter Magalonem & Nemauſum. Aduocauit & Prouinciæ Epiſcopos. Adfuere autem Roſtagnus Arelatenſis, Matfridus Aquenſis, Ermaldus Ebredunenſis Archiepiſcopi, & cum eis Paulus Aptenſis, Berengarius Maſſilienſis, & alij. Adfuit & venerabilis Theodardus habens ſecum Guilbertum Nemauſenſem, Giſlerannum Carcaſonenſem, Elegium Albienſem, Amelium Vcericenſem, Abbonem Magalonenſem, Boſonem Agathenſem, Agilbertum Biterrenſem, Riculfum Helenenſem, Gotmarum Auſonenſem, Ingobertum Vrgellenſem, Seruum Dei Gerundenſem, Bernardum Toloſanum, & Macarium Lutouenſem. In hoc Concilio Gotmarus veniam petiit, à Sinuario Comite ſe inductum cauſatus. ET POST ALIA. Contra Seluam verò & ſocios, Epiſcopi, qui Concilio aderant, Stephani Papæ anathema renouarunt, niſi ante Quadrageſimam ſatisfacerent. Ad Sinuarium quoque Comitem miſſa legatio, Gotmaro deferente, & benignè ſuſcepta eſt. Cùm enim omnia quæ geſta fuerant audiiſſet, regionis primarios conuocauit. adfuit etiam accitus Theodardus cum aliquot Epiſcopis in Eccleſia ſanctæ Mariæ Vrgellæ. Ibi Seluam iuxta canones, quia ſe extra Metropolitani ſui conſenſum ordinari fecerat, & Ermemirum degradarunt, ſciſſis Epiſcopalibus indumentis, baculis eorum ſuper eorum capita confractis, anulis cum dedecore à digitis euulſis. Frodoino Barcinonenſi venia, quam humiliter poſtulabat, conceſſa. Ita Narbonam reuerſus eſt victor Theodardus.

ANNO CHRISTI 887. **CONCILIVM** CAROLI CRASSI REGIS 2.

CONCILIVM CABILONENSE.

IN ECCLESIA SANCTI MARCELLI IN SVBVRBIO Cabilonenſi celebratum, xv. Kalendas Iunias, anno Chriſti DCCCXCVII.

HVIVS *Synodi mentio eſt in Chronico Monaſterij Beſuenſis, cuius auctor ex Synodi actis profert quæ ſequuntur.* Anno, *inquit*, Incarnationis Dominicæ DCCCXXCVII. anno quoque domni & ſereniſſimi Caroli Imperatoris Auguſti in Gallia imperantis II. Indictione v. xv. Kalendas Iunij, ſacer Epiſcoporũ conuentus, ob pacem & tranquillitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ ſtatuendam, & Eccleſiaſtica negotia decernenda, apud Eccleſiam S. Marcelli martyris in ſuburbio Cabilonenſi in Chriſti nomine coadunatus eſt. Vbi fuerunt domni & ſanctiſſimi Archiepiſcopi Aurelianus, Bernuinus, necnon & reuerentiſſimi Epiſcopi, Adalgarius, Geylo, Stephanus, Giraldus, Adalbaldus, Iſaac, & Leboinus. Geylo denique Lingonenſis Eccleſiæ reuerendus Antiſtes, vnà cum ſupraſcriptis patribus in hoc ſacro reſidens conuentu, eorum auribus intimauit, qualiter Iſaac anteceſſor ſuus res Eccleſiæ in Luco in honore S. Martini in ſua Synodo à partibus S. Martini de Luco ſuperiore, Capellæ videlicet S. Marcellini, contra Adalardum eiuſdem Capellę presbyterum iuſtè & legaliter euindicauit de rebus & decimis. Tunc omnes Epiſcopi hoc audientes in commune, relationem Geylonis venerabilis Epiſcopi, & notitiam euindicationis domni Iſaac ſimul conſenſerunt, & conſentiendo roborauerunt, vt ſi quis temeraria ſacrilegáque præſumptione conuictus, atque cæca cupiditate cæcatus hoc quod Dei & domni Iſaac & noſtra confirmamus auctoritate in aliquo infringere præſumpſerit, &c. à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & cœtu omnium fidelium Chriſtianorum tamdiu habeatur extorris, donec reſipiſcens condigna pœnitentia ſubleuetur. *Extat rurſus in Tabulario Cari loci priuilegium confirmationis Ingelario eius cœnobij Abbati ab eadem Synodo conceſſum. Itémque alterum Eccleſiæ S. Stephani Diuionenſis, cuius ſubſcriptiones ſunt huiuſmodi.*

AVRELIANVS ſanctæ Dei Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus in Chriſti nomine roboraui.

Bernoinus humilis ſanctæ Dei Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopus.

Geylo ſanctæ Lingonenſis Eccleſiæ humilis Epiſcopus.

Adalgarius Æduorum Epiſcopus.

Stephanus dignatione diuina Cabilonenſis Epiſcopus.

Adalbaldus Bellicenſis Epiſcopus.

Geraldus ſanctæ Matiſconenſis Eccleſiæ Epiſcopus.

Iſaac humilis Valentinenſis Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Brancio presbyter & Cancellarius S. Mammetis ſcripſi, datauſque.

CONCILIVM METENSE.

IN REGNO LOTHARII A BELGICÆ PRIMÆ Epiſcopis ſub Arnulfo rege celebratum Kalendis Maij, anno Chriſti, vt coniectura eſt, DCCCXXCVIII. Stephani V. Papæ anno III. Odonis regis primo.

TITVLI CANONVM.

1. *Quòd pax à paganis, & contumacibus Chriſtianis, per emendationem morum à Deo imploranda ſit.*
2. *Vt decimas Eccleſiæ ſolus ſacerdos accipiat: nullam illarum partem laici ſeniores vſurpent.*
3. *Vt vnus presbyter vnam ſolummodo habeat Eccleſiam.*
4. *Vt de manſo Eccleſiæ nullus cenſus exigatur: & ne pro ſepultura pretium detur.*
5. *Vt nullam in domo ſua feminam habeant ſacerdotes.*
6. *Vt presbyteri libros & veſtimenta ſacerdotalia oſtendant Epiſcopo, & chriſma ſub ſera cuſtodiant: clerici armis, aut laicorum indumentis non vtantur: & de iis qui infantes in baptiſmo ſuſcipiunt.*
7. *Vt nemo cum Iudæis edat, aut bibat.*
8. *Vt Miſſæ in locis non conſecratis non fiant: & baſilicæ à Chorepiſcopis conſecratæ ab Epiſcopis conſecrentur.*
9. *De duabus ſanctimonialibus ob facinus in ergaſtulum retruſis: & de diacono ſacrilegium confeſſo.*
10. *Excommunicati qui Folcardum presbyterum euirarant.*
11. *Excommunicati prouinciæ vaſtatores: item Theodricus & Lanbertus.*
12. *Excommunicati qui communionem habebant cum excommunicatis.*
13. *Preces cum triduano ieiunio indictæ pro rege.*

PRÆFATIO.

ANNO ab Incarnatione Domini noſtri IESV Chriſti DCCCXXCVIII. regni domini Auguſti glorioſiſſimi regis primo, die Calendarum Maiarum, acta eſt Synodus in ſuburbio Metenſis ciuitatis, in Eccleſia S. Arnulfi, ab Archiepiſcopo venerabili Ratbodo Treuirenſi, & à Rotberto prædictæ ciuitatis Præſule. Dado quoque Virdunenſis Eccleſiæ reuerentiſſimus Epiſcopus, & Arnoldus Tullenſium Epiſcopus, & Stephanus venerabilis Abbas, & multi ſacerdotes, cum Comitibus, & pluribus nobilibus, & Deum timentibus viris adfuerunt. Vbi pari voto, paríque conſenſu, pro vera caritate & tranquillitate ſanctæ Dei Eccleſiæ, quam redemit Chriſtus ſanguine ſuo, ſibi inuicem occurrentes, hæc in commune Præſules locuti ſunt.

CANONES.*

I. *Quòd pax à paganis & contumacibus Chriſtianis per emendationem morum à Deo impetranda ſit.*

Epiſcopi, & preſbyteri, & fideles laici, qui ante nos fuerunt, iuxta ſacram canonum auctoritatem, ſæpius in Chriſti nomine conuenientes, iuſtitiam Dei ſtatuerunt, & idcirco pacem ſuis diebus habuerunt, iuxta illud quod ſcriptum eſt: *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine*: &, *hominibus bonæ voluntatis*. Nos autem, qui tanto tempore tranſacto comprouincialem Synodum non habuimus, & inuicem quærere miſericordiam Dei negleximus, videmus in nobis completum eſſe, quod per prophetam Dominus dicit: *Terram veſtram in conſpectu veſtro alieni deuorant, & erit in vaſtitate hoſtili*. Ergo qualiter à Nortmannis hæc omnia in nobis completa ſint, nemo dubitat. quomodo etiam à peruerſis Chriſtianis vndique atteramur, omnes in commune ſentimus, ſicut ſcriptum eſt: *Populum tuum, Domine, humiliauerunt, & hereditatem tuam vexauerunt*. Quærenda eſt igitur pietas Chriſti, qua pagani arceantur, & ſtatuenda eſt lex Dei, qua crudeliſſimi noſtræ gentis homines à vaſtatione pauperum repellantur. Idcirco quicquid in nobis prauæ voluntatis eſt abiiciamus, & de paganis Chriſto auxiliante pacem obtinere valebimus. Auctoritatem ſanctorum patrum contumacibus noſtris imponamus, & velint nolint, pro timore etiam glorioſiſſimi noſtri ſenioris Arnulfi regis, ad ſatisfactionem venire faciemus: Et ſic iuſtitiam Dei ſtatuendo, poterimus eius miſericordiam inuenire, quem nos cognoſcimus prauis actibus grauiter offendiſſe.

Pſal. 118. 165. Luc. 2. 14. Eſa. 1. 7. Pſal. 93. 5.

II. *Vt decimas Eccleſiæ ſolus ſacerdos accipiat: nullam illarum partem laici ſeniores vſurpent.*

Dominus loquitur per prophetam dicens: *Adferte omnem decimam in horreis meis, & probate me in hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & dedero vobis fructus vſque ad abundantiam*. Scimus enim, quoniam peccatis exigentibus clauditur cœlum, & fit noſtris diebus ſæpiſſimè fames. Ideo ſtatuimus, vt deinceps nemo ſeniorum de Eccleſia ſua accipiat de decimis aliquam portionem: ſed ſolummodo ſacerdos qui eo loco ſeruit, vbi antiquitus decimæ fuerant conſecratæ, ipſe eas cum integritate accipiat in ſui ſuſtentationem, & ad luminaria concinnanda, & baſilicæ ædificia, veſtimenta quoque ſacerdotalia, & cetera vtenſilia ſuo miniſterio congrua obtinenda. Hæc omnia Epiſcopi de ſuis Eccleſiis, & ceteri attendere decreuerunt.

Malac. 3. 10.

III. *Vt vnus presbyter vnam ſolummodo habeat Eccleſiam.*

Vnuſquiſque presbyter vnam ſolummodo habeat Eccleſiam: niſi fortè antiquitus habuerit Capellam, vel membrum aliquod adiacens ſibi, quod non expedit ſeparari. Eſt enim multum laudabile coram Deo & hominibus, ſi vnus presbyter vnam Eccleſiam ſalubriter prouiderit, & vtiliter rexerit. quoniam non eſt nobis cura animarum adhibenda pro temporali commoditate: ſed cunctis ſacerdotibus eſt optandum, vt cum ſuis ouibus à Chriſto recipiant paſcua vitæ æternæ.

IV. *Vt de manſo Eccleſiæ nullus cenſus exigatur: & ne pro ſepultura pretium detur.*

De vno manſo, & de terris pro ſepultura datis, & pro quatuor mancipiis, vel eorum procreatione, nullus cenſus deinceps exigatur: & pro ſepultura nullum pretium detur.

V. *Vt nullam in domo ſua feminam habeant ſacerdotes.*

Exod. 32. Sacerdotes, qui vice Moſis iram Domini ſuper populum ſæuientem precibus ſuis debent mitigare, attendentes etiam ne illud fiat
1.Eſdr.9.16. quod ſcriptum eſt, Maxima ruina populi in culpa ſacerdotum fuit, nequaquam in ſua domo ſecum aliquam feminam habeant, nec matrem, nec ſororem: ſed auferentes omnem occaſionem Satanæ, Angelicam vitam ducant, & Domino Deo caſto corpore & mundo corde finetenus ſeruiant. Nam licet hoc ſacris litteris crebriùs inhibitum eſſe videatur, tamen quia hoc nefas in quibuſdam oriri videbatur, idcirco communi decreto ſtatutum eſt, & hoc interdictum à ſancta Synodo nimium laudatum eſt.

VI. *Vt presbyteri libros & veſtimenta ſacerdotalia oſtendant Epiſcopo; & chriſma ſub ſera cuſtodiant: clerici armis, aut laicorum indumentis ne vtantur: & de iis qui infantes in baptiſmo ſuſcipiunt.*

Cuncti presbyteri vt libros & ſacerdotalia veſtimenta ſuo Epiſcopo in proxima Synodo oſtendant, & vt chriſma ſuum ſub ſigillo & ſera ſemper cuſtodiant, à prædictis Epiſcopis expreſsè commendatum eſt. Et vt nemo clericorum arma portet, vel indumenta laicalia induat, id eſt cottos vel mantellos ſine cappa non portet, & laici cappas non portent. Et nullus alteri ſuſcipiat à fonte infantem, niſi qui apprimè ſignaculum, id eſt abrenuntiationem diaboli, & profeſſionem catholicæ fidei tenuerit: & infantem nequaquam duo vel plures, ſed vnus à fonte baptiſmatis ſuſcipiat. quia in huiuſcemodi ſecta diabolo datur locus, & tanti miniſterij reuerentia vileſcit. Nam vnus Deus, vnum baptiſma, vnus, qui à fonte ſuſcipit, debet eſſe pater vel mater infantis. Hęc omnia generaliter

interdicta ſunt, quia & grandis leuitas erat, & grauitas vel religio clericalis nimis in talibus vilis efficiebatur.

VII. *Vt nemo cum Iudæis edat aut bibat.*

Guntbertus Metenſis Eccleſiæ primicerius obtulit libellum proclamationis ſuper Iudæos qui habitant Metis. Quapropter interdictum eſt, iuxta Capitula ſanctorum patrum, vt nemo Chriſtianorum cum eis manducet & bibat, vel quicquid comedi aut potari poteſt, à Iudæis accipiat. Nimis enim, iuxta quod ait Cæſarius Arelatenſis Eccleſię Epiſcopus, indignum eſt atque ſacrilegum, eorum cibos à Chriſtianis ſumi, cùm ea, quibus nos fruimur, ab illis iudicentur immunda, ac ſic inferiores incipiant eſſe Chriſtiani, quàm Iudæi. Et omnes eorum conuiuas ipſe, & ſanctus Syagrius Æduorum Epiſcopus, cum aliis multis, excommunicauerunt.

Conc Agath. can. 40.

Conc Matiſc. 1. can. 15.

VIII. *Vt Miſſæ in locis non conſecratis non fiant: & baſilicæ à Chorepiſcopis conſecratæ ab Epiſcopis conſecrentur.*

In locis verò non conſecratis, id eſt in ſolariis, ſiue in cubiculis, propter infirmos, vel longius iter, à quibuſdam presbyteris ſacrificium offerebatur: quod omnimodis interdictum eſt. Et vt baſilicæ à Chorepiſcopis conſecratæ ab Epiſcopis conſecrentur roboratum eſt: quia iuxta decreta Damaſi Papæ, Innocentij, & Leonis, vacuum eſt atque inane, quicquid in ſummi ſacerdotij Epiſcopi egerunt miniſterio: & quòd ipſi iidem ſint qui & presbyteri, ſufficienter inuenitur.

Damaſ. epiſt. 1V.

Leo epiſt. 92.

IX. *De duabus ſanctimonialibus ob facinus in ergaſtulum retruſis: & de diacono ſacrilegium confeſſo.*

Duæ ſanctimoniales propter ſuum facinus de monaſterio ſancti Petri ſine velamine erant eiectæ: ſed iuxta ſacros canones ſancta conſtituit Synodus, vt velamina illis redderentur, & intra monaſterium in ergaſtulo ponerentur, paruo pane, & aqua breui, cum abundantia diuini verbi, vſque ad ſatisfactionem fruerentur. Quidam etiam Diaconus, qui de ſacrilegio confeſſus & conuictus fuit, pro miſericordia in carcere poni iuſſus eſt, interdicto miniſterio, & vt pro eo omnes generaliter orarent, iniunctum eſt.

X. *Excommunicati qui Folcardum presbyterum euirarant.*

Quædam femina, nomine Aua, cum ſui fratris conſilio & auxilio, qui vocatur Folcrius, & cum aliis conſanguineis ſuis, ſuum maritum dimiſit, & ad eum redire noluit. Vnde illorum ſacerdos ſeruus Dei, vocabulo Folcardus, ad ſuam dominam & ad eius fratrem veniens, vt eos à tanto ſcelere traheret, confeſtim ab eodem & ſuis complicibus caſtratus eſt. Pro his omnibus ad Synodum vocari venire noluerunt: & idcirco ad ſatisfactionem excommunicati ſunt.

ANNO CHRISTI 890. ODONIS REGIS 3.

CONCILIVM VALENTINVM.

IN QVO REGIS NOMEN LVDOVICO BOSONIS regis filio ab Arelatenſis regni Epiſcopis, proceribuſque delatum eſt, anno Chriſti DCCCXC. Stephani V. Papæ anno V. Odonis regis anno III.

ANNO Incarnationis dominicæ DCCCXC. Indictione VIII. religioſus atque ſatis venerabilis Betnoinus, ſacræ ſedis Viennenſis Archiepiſcopus, pro quibuſdam Eccleſiæ ſuæ, ſiue generalibus totius regni neceſſitatibus, ſedem adiens Apoſtolicam, conſultu ipſius domni Apoſtolici, cui cura & ſollicitudo inſtar omnium Eccleſiarum, digno quoque ſuo relatu de perturbatione huius regni retulit, quomodo poſt glorioſiſſimi Caroli Imperatoris obitum, aliquandiu ſine rege & principe exiſtens, valde vndique affligeretur, non modò à propriis incolis, quos nulla dominationis virga coercebat, ſed etiam à paganis: quoniam ex vna parte Nortmanni cuncta penitus deuaſtantes inſiſtebant, ex alia verò Sarraceni prouinciam depopulantes terram in ſolitudinem redigebant. His & aliis huiuſmodi cauſis ab eo auditis reuerendus dominus Stephanus Apoſtolicus, & ad lacrymas vſque compunctus, tam verbis, quàm ſcriptis generaliter ad omnes Galliarum Ciſalpinarum tam Archiepiſcopos, quàm & reliquos venerabiles Antiſtites directis, ſuo ſanctiſſimo commonuit hortatu, vt vnanimes atque concordes omnes in Ludouico, nepote quondam Ludouici glorioſiſſimi Imperatoris, cõſentientes, hunc ſuper populum Dei regem conſtituerent. Cùm igitur diligenter comperiſſemus, quòd aſſenſus ſanctæ catholicæ & Apoſtolicæ matris noſtræ huic faueret electioni, ſimul conuenimus in ciuitatem Valentiam, domnus ſcilicet Aurelianus Lugdunenſis ſedis Archiepiſcopus, necnon & domnus Roſtagnus vrbis Arelatenſis Archiepiſcopus, venerabilis quoque Arnaldus Ebrodunenſis Archiepiſcopus, ipſe quoque domnus Bernoinus Viennenſis Archiepiſcopus, cuius relatu voluntatem domni Apoſtolici venerabiliter accepimus, cum aliis compluribus Coepiſcopis, tractaturi, atque ſecundum Dei voluntatem quæſituri explorauimus, ſi hunc dignè & rationabiliter ſecundum monita domni Apoſtolici, cuius ſcripta præ manibus habebantur, ſuper nos regem conſtituere deberemus. Aſsẽſus itaque in eo omnium fuit, vt nullus melius rex fieri debuiſſet, quàm ille, qui ex proſapia Imperiali prodiẽs, bonæ puer indolis iam coadoleſcebat. Cuius etſi ætas idonea ad reprimendam barbarorum ſæuitiam minùs ſufficere videretur, tamen nobilium principum iſtius regni, quorum non paruus eſt numerus, conſilio & fortitudine, Deo iuuante, comprimerentur. Maximè inclyti Richardi Ducis, eximiiq; principis fulta iuuamine. Quinetiam dominæ Hirmengardis, glorioſiſſimę reginæ, vtilitas regni inſita ſibi acutiſſima atque profundiſſima à Deo prudentia, adiuncto ſibi ſupradictorum Epiſcoporum digno hortatu, procerúmque totius regni conſilio, ſecundum Dei timorẽ decentiſſimè adminiſtrabitur. Denique freti & tanta ſubleuati fiducia, per Dei, vt credimus, voluntatem, ſupradictum Ludouicum, excellentiſſimi Boſonis regis filium, elegimus, atque in regem vngendum decreuimus, iudicãtes illum ad hoc dignum, cui præſtantiſſimus Carolus Imperator iam regiam conceſſerat dignitatem, & Arnulfus, qui ſucceſſor eius exiſtit, per ſuum ſceptrum, pérque ſuos ſagaciſſimos legatos, Reoculfum videlicet Epiſcopum, & Bertaldum Comitem, fautor regni, auctórque in omnibus eſſe comprobatur. Hac tanta talique fulti auctoritatis licentia, communi omnes in iam dictam ciuitatem aduenientes conſenſu, hanc regiam fieri decreuimus conſcriptionem, manibúſque inſuper propriis ratam, perennibúſque eam temporibus felicem vigere præoptantes, roborauimus, ſinguliique ſubſcripſimus.

CONCILIVM VIENNENSE.

AB EPISCOPIS REGNI ARELATENSIS,

præſidentibus Formoſi Papæ legatis Viennæ celebratum in Baſilica Saluatoris, anno Chriſti DCCCXCII. Formoſi eiuſdem Papæ anno II. Odonis regis V.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt ſæculares, qui res Eccleſiaſticas detinent, niſi admoniti ſe correxerint, excommunicentur.*
2. *Vt ſæculares, qui clericum aliquem occiderint, vel dehoneſtarint, niſi Eccleſiæ ſatisfaciant, excommunicentur.*
3. *Vt qui ægrotantis ſeu defuncti Epiſcopi vel presbyteri eleemoſynam fraudat, excommunicetur.*
4. *Vt ſæculares Eccleſias inconſultis Epiſcopis non dent: neque cenſus vllos introitus cauſa exigant.*

PRÆFATIO.

HÆc Capitula facta ſunt anno dominicæ Incarnationis DCCCXCII. Indictione x. iuſſu domni Formoſi Apoſtolici congregata Synodo apud Viennam metropolim Galliæ, præſentibus legatis ſanctæ Apoſtolicæ ſedis venerabilibus Epiſcopis Paſchali & Ioanne, & aliis coepiſcopis eiuſdem regni, quorum nomina ſubter habentur adſcripta, in Baſilica vrbis ipſius ſancti Saluatoris nomine conſecrata.

CANONES.

I. *Vt ſæculares, qui res Eccleſiaſticas detinent, niſi admoniti ſe correxerint, excommunicentur.*

Vt ab iniuſta inuaſione & poſſeſſione Eccleſiaſticarum rerum ſæculares abſtineant, & qui hactenus hoc feciſſe noſcuntur, emendare cogantur: & ſi admoniti non ſe correxerint, tunc congruo tempore virtute Spiritus ſancti, ex auctoritate beati Petri Apoſtoli, habeantur excommunicati.

II. *Vt ſæculares, qui clericum aliquem occiderint, vel dehoneſtarint, niſi Eccleſiæ ſatisfaciant, excommunicentur.*

Vt ſæculares, qui de catalogo clericorum aliquem occiderint, vel caſtrauerint, vel aliquo membro detruncauerint, ſeu

temere dehoneſtauerint, & de præteritis pœnitendo Eccleſiæ ſatisfaciant, & emendare ſtudeant. Quòd ſi non fecerint, ſupradicto tempore excommunicentur.

III. *Vt qui ægrotantis ſeu defuncti Epiſcopi vel presbyteri eleemoſynam fraudat, excommunicetur.*

Vt eleemoſynam Epiſcopi, vel presbyteri, ægrotantis ſeu defuncti nemo qualibet fraude violare præſumat. Quòd ſi quis fecerit, niſi emendauerit, ſimili ſententia feriatur.

IV. *Vt ſæculares Eccleſias inconſultis Epiſcopis non dent: neque cenſus vllos introitus cauſa exigant.*

Vt nemo ſæcularium Eccleſias dare, vel offerre, abſque conſilio & voluntate Epiſcoporum, ad quos ipſæ Eccleſiæ pertinent, præſumat. Et vt nulli cenſus à preſbyteris loco muneris ad introitum, vt dicunt, Eccleſiarum exquirantur, aut vi aliqua extorqueantur.

Anno Christi 892. Odonis Regis 5.

CONCILIVM REMENSE.

EX QVO DATÆ SVNT COMMINATORIÆ LITTERÆ ad Balduinum Comitem Flandrenſem rerum Eccleſiaſticarum peruaſorem, à Fulcone Archiepiſcopo & coepiſcopis celebrarum anno Chriſti DCCCXCII.

SYNODI huius, litterarúmque ad Balduinum Comitem ab ea ſcriptarum extat mentio apud Flodoardum lib. IV. *Hiſtoriæ cap.* VII. *in elencho epiſtolarum Fulconis Archiepiſcopi ad diuerſos.* Item, *inquit*, ad Balduinum Comitem Flandrenſem, cum Coepiſcopis ſcribens, ex Synodo Remis habita dominicæ Incarnationis anno DCCCXCII. arguit eum, quòd Eccleſiaſtica ſimul & legalia iura contemneret, res Eccleſiaſticas & honores ſibi non conceſſos inuaderet, Dei timorem à ſe proiiciens, & fidem, quam in bapriſmate Deo promiſerat, operibus abdicans, locum ſacri monaſtici ordinis peruadens, & Abbatis ſibi nomen vſurpans. Vnde communi decreto Epiſcoporum iudicatum fuerat eum auctoritatis canonicæ anathemate feriendū. Sed quoniam & Eccleſię & publicis regni vtilitaribus videbatur accōmodus, cenſura ſuſpēditur adhuc animaduerſionis Eccleſiaſticæ, recogitandíque ſibi & emendandi ſpatium reſeruatur, & obſecratur per miſericordiam Dei, vt ab hac præſumptione animum reuocet, nec amplius iram Dei contra ſe prouocet, ne illi quodammodo gladium præbeat, &c. Diuinarúmque ſequuntur auctoritatum teſtimonia ad correptionē ipſius prolata: quibus ſi acquieſcere nollet, ab omni ſe noſſet Eccleſiæ conſortio ſequeſtrandum, perpetuóque

anathemate feriendum. Ipſius quoque propalat excommunicationis ſententiam in eumdem, ſi ſe corrigere noluerit, quantocius iaculandam. *De eadem Synodo, iiſdémque Synodi litteris ad Balduinum, ſcripſerat etiam paulo ſuperiùs cap.* VI. Idem Fulco, *inquit*, cum ceteris Coepiſcopis, Didone ſcilicet Lauduncnſi, Hetilone Nouiomenſi, Riculfo Sueſſonenſi, Herilando Morinenſi ſcribens Dodiloni Præſuli Camaracenſi, ſignificat hos præmiſſos in vrbem Remenſem conueniſſe Præſules ad tractandum de peruaſione Balduini, de quo ſcripſerat eidem Dodilo admonens illum vt reſipiſceret à prauo temeritatis ſuæ faſtu. *Et pòſt alia.* Litteras etiam eidem Balduino ab ipſorum Epiſcoporum parte dirigi ſignificat. de quibus hortatur, vt ſi fuerit præſens, ei recitentur: ſi abſens fuerit, per ſuum Archidiaconum ipſi tranſmittat, qui etiam illas eum intelligere faciat. Quòd ſi & eum ille nequierit adire, litteras ipſas publicè coram ſe legi faciat in loco, vbi Balduinus religionem peruaſit: & deinceps, niſi reſipuerit, non ei vel monachus vel canonicus, vel quilibet ritè Chriſtianus adiungatur, ſi non anathematis vinculo implicari voluerit.

GERFREDI MONACHI, QVI ADALGARIVM Aeduorum Epiſcopum veneno necaſſe dicebatur, purgatio per corpus Domini, ex decreto Synodi Cabilonenſis anno Chriſti DCCCXCIV.

ANNO DCCCXCIV. Indictione XII. inuidiæ inſtinctu, malorum hortatu, oborta eſt infamis fama Flauiniaco Monaſterio & caſtro publico, in quemdã loci illius Leuitam & monachum Getfredum, officio prælationis functum, quòd piiſſimum patrem, & teuerendum Pręſulem, domnum Adalgarium Æduorum Epiſcopum lethali extinxerat veneficio. Huius criminis iniquiſſimum obiectum, Deo ſimul & hominibus horrendum, non modò ipſius Eccleſiæ, verùm eriam totius Galliæ aures pulſauit, & infami ſatis elogio notauit. Præfatus verò Leuita & monachus ſuper illatione tanti facinoris nimium exhorruit: vt pote qui tanta támque præualida ab ipſo dulciſſimo patre perſenſerat beneficia, vti omnibus ſatis abundéque claret. Super quo primitus conſilium glorioſi Præſulis domni Gualonis ipſius ſucceſſoris expetiit, ſéque à tam nefandiſſimo ſcelere, nõ minùs cogitatu quàm facto, præſentiæ illius Deo teſte & iudice omnium ac inſpectore cordium, immunem firmauit. Denique tantus, támque præcelſus Pontifex, diuinorum necnon & humanorum ſciens, filiorum Eccleſiæ conſilio fultus, ouem ſibi creditam perire noluit: ſed inſuper fomenta adhortationum, & medicamenta diuinorum eloquiorum piè & miſericorditer adhibuit: vt ſi fortè diaboli pellacia quid ſimile cordi illius iniecerat, ſaltem ſuggeſtione Spiritus ſancti, & infuſione ipſius verbi, Eccleſiaſtica inſtitutione profeſſus ſalubriter curari poſſet, & ablui. Verùm iam dictus Leuita & monachus, in nullo penitus tanti flagitij conſcius, iudicium ſibi ſancti Spiritus propoſuit, & ſe ad quodcumque examen Eccleſiaſtico more cenſeretur, modis omnibus promptiſſimè deliberauit. Quocirca prænominatus Præſul tantum & tam inauditum facinus proprio cunctatus deliberare iudicio, ad ſanctam & comprouincialem Synodum Aureliani nominandi Archiepiſcopi, & ceterorum Coepiſcoporum pręſentia diſcutiendum & diffiniendum cẽſuit. Quod & ipſe, vt pote immunis, haudquaquam diſtulit. Proinde Deo propitio præfixo Kalendarum Maiarum die conuenere ſacri Pontifices, Aurelianus primas totius Galliæ, cum illuſtriſſimis Gaulone Æduenſi, Ardrado Cabillonenſi, Geraldo Mariſconẽſi Coepiſcopis, ſimul & legatis memorandi Teutbaldi Lingonenſis Epiſcopi, apud Cabillonenſem vrbẽ in Eccleſia beati præcurſoris Chriſti Ioannis, quæ eſt in proſpectu eiuſdem vrbis. Vbi inſtituta ſanctorum patrum canonicè & regulariter promulgantes, & Eccleſiaſtica negotia diligentiùs pertra-

ſtantes, infamia notatum crebrò dictum monachum corám poſitum ſubtili indagine & multo examine diſcutere laborarunt. Quo iſdem monachus omni iudicio more Eccleſiaſtico, & humani iuris experimento inſtructus, nec huius infamiæ euidentem accuſatorem, nec alicuius certitudinis proclamatorem reperire potuit. Quod tertiò ſub teſtificatione ſancti Spiritus clamari iubentes, & nihil prorſus veriſimile reperientes, ſanciuerunt communi conſilio, vt quia nec conuictum, nec etiam confeſſum experiebantur, tamen quia ventilatum & vſque loco rum erat diuulgatum, vt ab omni ſuſpicione liberrimus redderetur, in viciniori Synodo, quam omni reuerentia dignus Gualo Antiſtes erga filios Eccleſiæ celebraret, corporis Chriſti & ſanguinis illo examine, quod ſolum verius probatur & terribilius, immo ſalubrius creditur, à flagitio diuulgato publicè expiaretur: eo ſcilicet tenore eumdem prius teſtificantes, vt ſi in aliquo conſcius tanti piaculi foret, nullo modo ad ſacra ſumenda accederet. Et ſi fortè temerariè præſumeret, cenſura ſancti Spiritus, & auctoritate Apoſtolorum principis, ab ipſo viuifico redemptionis noſtræ pretio extorris fieret, & cum Iuda Domini proditore damnatus æternis irremediabiliter ſuppliciis addiceretur. Sin verò immunem ſe eſſe per omnia pernoſceret, ſiſus miſericordiæ Dei, tanti muneris donum ad ſalutis ſuæ remedium ſaluberrimè percipere non diffideret. Quod omnibus vſquequaque ſatis fuit. Inde igitur paſtor piiſſimus miſericordia motus, illius cauſa apud Flauiniacum cœnobium & caſtrum publicum ſanctam Synodum propriæ Eccleſiæ colligens, iuxta ſtatuta ſupradictorum Antiſtitum, Miſſarum ſolemniis deductis, omnibus qui adfuere in primore Eccleſia S. Petri collectis, iam ſupra fatum præmonuit virum, vt ſicut ſibi ipſi conſcientia dictaret, ad ſacra ſumenda, aut etiam rea fugienda quoquo vellet modo ſeipſum præfigeret. Quique in nullo hæſitans, Deum ſibi, & ipſum, quod percepturus erat, redemptionis pretium in teſtimoniū & iudicium inuocans, fidiſſimè, omnibus in proſpectu poſitis, quæ ſupra fuerant præfixa votis omnibus peregit. Hoc igitur tanto donatus munere, ne vnquam vlterius tam æmuloſo ſauciaretur vulnere, hoc ſcriptum à præfato ſeniore & ſubternotatis ſuis Coepiſcopis petiit relegendum, & manibus corroborandum.

Vvalo humilis ſanctæ Æduenſis Eccleſiæ Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.

Ardradvs humilis Cabillonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Geraldvs rector & humilis Epiſcopus Matiſconenſis Eccleſiæ ſubſcripſi.

CONCILIVM MAGALONENSE apud Iuniarias.

Synodi huius in ſchedis antiquis extat breue fragmentum, ex quo diem ac locum, & Antiſtitum, qui ex diuerſis prouinciis conuenere, nomina diſcere eſt, cetera deſiderantur. Sic enim habet. Anno Incarnationis DCCCXCIV. Indictione XII. Nonis Maij in regno Septimaniæ, territorio Magalonenſi, loco Iuniarias vocato, in Eccleſia ſancti Vincentij, Nos humiles Septimaniæ, Spaniæ, atque prouinciæ Epiſcopi, Arnuſtus videlicet ſanctæ Eccleſiæ primæ Narbonæ Metropolitanus, Amelius Vceticenſis, Gimara Carcaſſonenſis, Reginardus Biterrenſis, Nantigiſus Vrgelliranus, Autgarius Lureuenſis, Gerardus Agathenſis, Vvicbertus Nemauſenſis, Gontarius Magalonenſis, Benedictus Foroiulienſis, irem Reginardus Cauallicenſis, &c. *Triennio póſt, vt Narbonenſis Eccleſiæ monimenta docent, celebratum eſt Arnuſti Metropolitani iuſſu Concilium alterum apud Nemauſenſem pagum, in loco qui Portus cognominatur, in Eccleſia S. Mariæ,* XIII. *Kal. Maij, Indict.* XV. *anno Incarnationis* DCCCXCVII.

IOANNIS IX. PAPÆ EPISTOLA.
Ad Heriueum Archiepiſcopum Remenſem.

Reſcriptum domni Ioannis Papæ ad conſulta Heriuei Remorum Archiepiſcopi, qualis pœnitentia debeat iniungi quibuſdam gentilibus nuper ad fidem conuerſis, quorum quidam baptizati & rebaptizati fuerunt, poſtea paganico more multa mala exercuerunt.

IOANNES Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, reuerentiſſimo confratri noſtro Heriueo Remorum Archiepiſcopo. VESTRÆ fraternitatis, veſtræque reuerendæ ſanctitatis melliſluas litteras libentiſſimè ſuſcipientes, ac diligentiſſimè pertractantes, & triſtes admodum & vehementer extitimus exultantes. Mœrentes itaque de tantis calamitatibus, tantiſue preſſuris atque anguſtiis, non ſolùm paganorũ, verùm etiam Chriſtianorum veſtris partibus, vt veſtrarum aſſertio litterarum edocet, accidentibus: gaudentes ſiquidem de ipſa gente Normannorũ, quæ ad fidé diuina inſpirante clementia conuerſa, olim humano ſanguine graſſata lætabatur, nunc verò veſtris exhortationibus, Domino cooperante, ambroſio Chriſti ſanguine ſe gaudet fore redemptam atque potatam. Vnde multipliciter ei, à quo procedit omne quod bonum eſt, immenſas gratiarũ actiones rependimus, ſuppliciter obſecrantes, vt eos in ſoliditate veræ fidei confirmare, & æternæ Trinitatis gloriã agnoſcere faciat, atque ad ſuæ viſionis inenarrabile gaudium introducat. Nam quod de his veſtra nobis innotuit fraternitas, quid agendum ſit, quòd fuerint baptizati & rebaptizati, & poſt baptiſmum gentiliter, vixerint, atque paganorum more Chriſtianos interfecerint, ſacerdotes trucidauerint, atque ſimulacris immolantes idolothyta comederint. Et quidem, ſi tyrones ad fidem non forent, canonico experirentur omnino iudicio. Vnde, quia ad fidem rudes ſunt, veſtro vtique libramini, veſtræque cenſuræ committimus experiendos, qui & illam gentem veſtris confiniis vicinam ſtudioſè aduertere, & illius mores actúſque omnes pariter, & conuerſionem agnoſcere præ ceteris valetis. Quòd enim mitiùs cum eis agendum ſit, quàm ſacri cenſeant canones, veſtra ſatis cognoſcit induſtria: ne fortè inſueta onera portantes, importabilia illis, quod abſit, fore videantur, & ad prioris vitæ veterem, quem exſpoliauerant, hominem antiquo inſidiante aduerſario relabantur. Et quidem, ſi inter eos tales inuenti fuerint, qui ſecundum ſtatuta canonica ſe per pœnitentiam macerare, & tanta commiſſa ſcelera dignis lamentationibus expiare maluerint, eos canonicè iudicare non reſpuatis. ita vt in omnibus erga eos peruigiles exiſtatis, vt ante tribunal æterni iudicis cum multiplici animarum fructu venientes gaudia æterna cum B. Remigio adipiſci mereamini. Munus verò, quod nobis veſtra fraternitas dirigere dignata eſt, eo dilectionis amore ſuſcepimus, quo à vobis conſtat fore deſtinatum. Diuina maieſtas vos, vobíſque ſubiectos, ita concedat temporaliter viuere, vt intercedente B. Petro Apoſtolorum principe, omnium peccatorum veſtrorum vincula ſoluat, & ad cæleſtis regni gloriam ſine vlla offenſione perducat. Optamus ſanctitatem veſtram bene valere, & apud piiſſimum Dominum pro nobis piis ſupplicationibus intercedere.

Digitized by Google

CONCILIVM TROSLEIANVM.

APVD TROSLEIVM IN PAGO SVESSONICO, ab Heriueo Remenſi Archiepiſcopo, eiúſque ſuffraganeis celebratum, die VI. Kalendas Iulias, anno Chriſti DCCCCIX. Sergij III. Papæ anno II. Caroli Simplicis regis XVII.

Nunc primùm in lucem editum ex Codice S. Remigij Remenſis.

TITVLI CAPITVM.

Præfatio, cum Adlocutione Heriuei Archiepiſcopi.
1. De honore & cultu Eccleſiarum Dei.
2. De ſtatu regni, & fidelitate regis.
3. De regulari ſtatu iam pene conlapſo.
4. De ſacrilegis, & eorum damnatione.
5. De vexatione, & inhonoratione ſacerdotum.
6. De dotibus & decimis Eccleſiarum, & de cenſu pro eis non exigendo.
7. De rapinis.
8. De raptis, & occultis nuptiis, & inceſtis.
9. De acceſſu, & frequẽtatione, ac cohabitatione presbyterorum & clericorum cum feminis.
10. De fugiendo luxuriam.
11. De periuriis cohibendis.
12. De diſcordantibus, iracundis, & litigioſis.
13. De homicidis & mendacibus.
14. De non diripiendis Eccleſia rebus defuncto Epiſcopo.
15. Epilogus ad Epiſcopos, & generaliter ad omnes.

PRÆFATIO.

SANCTVM, & Deo auctore celebratum, generaliter & ſine vlla exceptione Nicænum præcipit Concilium, vt omnibus ſimul Epiſcopis prouinciæ congregatis, diſcutiantur quæſtiones neceſſariæ, & quod regulariter omnibus placuerit in commune, hoc omnes tam Metropolitani, quàm ceteri ſequantur Epiſcopi. Simili modo & Antiochenum Concilium, ſi quæ ſunt agenda, peragere iubet prouinciales Epiſcopos ſui conſilio Metropolitani, & Metropolitanum conſilio Coepiſcoporum prouincialium, ſicut eſt ibidem deſignatum. Et hoc non ſolùm in cauſis quorumlibet fieri præcipit: ſed etſi fortè inter ipſos, inquit, Epiſcopos quæſtio de quolibet negotio orta fuerit, primas prouinciæ iudices Epiſcopos dare debebit. Leges quoque Romanæ, & beatus Papa Gregorius multoties horum iudicio cognita veritate contentiones inter Eccleſiaſticos viros, vel quoſlibet cum Eccleſiaſticis perſonis, ſalubrem demonſtrat finem accipere debere: ita tamen, vt in omnibus quid antiqua habeat auctoritas requiratur. Vnde anno dominicæ Incarnationis DCCCCIX. Indictione XII. VI. Kalendas menſis Iulij, conuenerunt venerabiles patres ac doctores

Conc. Nic. can. 5.

Conc. Antioch. can. 9. & 14.

Eccleſiæ, Heriueus videlicet ſanctæ metropolis Remorum Archiepiſcopus, totius plebis Dei famulus, & Coepiſcopi Remenſis diœceſeos, quorum nomina ſubter tenentur adſcripta, in pago Sueſſonico, in loco Troſleio, de ſtatu ſanctæ Eccleſiæ, ac totius regni vtilitate tractaturi, & facta ſolemniter ſalutatione, omnibuſque, vt mos eſt, ordine reſidentibus, Archiepiſcopus ſic exorſus eſt. QVONIAM per aliquot annos, partim infeſtatione paganorum, partim etiam grauiſſimis regni perturbationibus, ac quorundam falſorum Chriſtianorum infeſtationibus præpediti, iuxta decreta canonum nequiuimus congregari: nunc quia, annuente Domino, nobis congregandi facultas iuxta decreta canonum data eſt, cum Dei gratia conuenientibus nobis in vnum, cooperante eo in cuius congregamur nomine, & qui habitare facit vnanimes in domo, Primò nobis & ante omnia neceſſarium eſt ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, vt vnum ſentiamus, & vnum in Chriſto omnes dicamus, & ſecundum ſalutaria dicta martyris Cypriani ſeruetur à nobis caritas animi, honor collegij, vinculum fidei, concordia ſacerdotij. & vt attendentes regulares conſtitutiones patrum noſtrorum, à Metropolis ſuæ quiſque regulari conſuetudine non abducatur. Et quia ſecundum definitionem canonicam perfecta debet haberi Synodus, in qua cum ſuis eſt ſuffraganeis Metropolitanus, expedit atque condecet, vt quidquid boni, præueniente gratia, à qua eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, mente concipere & ore proferre valuerimus, eadem ſubſequente, ſine qua nihil boni implere poſſumus, ad finem vſque perfectum opere perducere ſatagamus. Oportet igitur, vt quamprimùm Chriſtianæ religioni iam labanti, iámque velut in præcipiti vergenti, ac mundo in maligno poſito veſtro conſilio & auctoritate Epiſcopali ſuccurratis. Videtis quàm ſit euidens furor Domini, & manus eius ad feriendum extenta. Ecce enim quotannis, ex quo terram noſtram ex parte ægra ſterilitate damnatã adſpicimus, quibus cladibus populus quotidie intereat videmus. Depopulatæ vrbes, deſtructa vel incenſa monaſteria, agri in ſolitudinẽ ſunt redacti. ita vt verè poſſimus dicere, quia peruenit gladius vſque ad animam. Vſque ad animam denique gladius peruenit, cùm iuſto Dei iudicio amiſſis exterioribus bonis, & exhauſto flagellis atque afflictionibus corpore, ipſa virtus animæ laſſata deficere videtur, & quaſi nihil vitale in illa reſeruatur. Non hæc certè caſu aliquo, aut è ſubita temporum vel elementorum mutatione contingunt, quia ſcriptũ eſt: *Nihil in terra ſine cauſa fit, & de humo nõ egredietur dolor.* De humo quippe dolor nõ egreditur, quia vt B. Gregorius dicit, nequaquam pœna de ea naſcitur creatura, quę percutit, ſed de ea quę peccãdo vim percuſſionis extorſit. Ecce enim cernimus, quòd ad correptionem noſtram expectatus imber arente terra frequenter ſuſpenditur, caligoſus aër inardeſcente ſole ſiccatur, mare procellis intumeſcentibus ſæuit, & alios ad tranſmeandum ſuſceptos intercipit, aliis deſideratum iter erecta in cumulum vnda contradicit: terra non ſolùm germine fœcunditatis imminuitur, ſed etiam ſemina accepta conſumit. In quibus nimirum cunctis patẽter adſpicitur hoc, quod quidam ſapiens de Domino teſtatur dicens: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos.* De humo dolor non egreditur, quia elementum inſenſibile non ex ſua natura, ſed pro meri-

[Margin: Adlocutio Heriuei Archiepiſcopi.]
[Margin: Iob. 5. 6.]
[Margin: Sap. 5. 21.]

tis hominum ad affligendum peccatores excitatur. Et Propheta de Domino dicit: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecit*: & ipſe Dominus de ſe per Eſaiam dicit: *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*, hoc eſt otium & bellum. Hic enim malum non pro boni contrario, ſed medium quiddam, id eſt afflictionem ſignificat. quæ vtique à Domino fit, quia eo permittente peccanti populo ſubterducitur: vt qui in pace Deum ſequi noluerunt, ſaltem percuſſionibus attriti metuant & conuertantur, iuxta quod ſcriptum eſt: *Sola vexatio intellectum dabit auditui.* Noſtris potius, & totius populi, quem regere debuimus, peccatis iſta fiunt, quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput, & delicta noſtra creuerunt vſque ad cœlos. Fornicatio & adulterium, ſacrilegium & homicidium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Sanguis quippe ſanguinem tangit, cùm peccator malis ſuis grauius aliquod malum adiungit, nec vllum prauis actibus terminum indicit, ſed iuxta Apoſtolum in peius quotidie proficit. Et pene eſt vt cum propheta Eſaia ingemiſcamus, dicentes ad Dominum: *Quare, Domine, errare nos feciſti de viis tuis? induraſti cor noſtrum ne timeremus te: facti ſumus ſicut in principio, cùm non dominareris noſtri, neque inuocaretur nomen tuum ſuper nos.* Cùm enim Deus peccatores homines, qui non ſolùm peccant, ſed etiam perſeuerare in peccatis eligunt, cùm, inquam, tales iuſto iudicio deſerit, eóſque poſt prauitatem mali ſui cordis abire permittit, quaſi ipſe eos errare facit, quos nequaquam miſericorditer, vt conuertantur, occulta inſpiratione præueniens tangit. Et ſicut primi homines nulla lege, nullis diſciplinis, nullo ſaltem timore prohibebantur malè agere; ſed libere ventri, & delectationibus oculorum, ac ceteris vitiis ſeruiebant: ita nunc poſthabito humanarum vel diuinarum legum timore, contemptis edictis Epiſcopalibus, vnuſquiſque quod vult agit. potentior viribus infirmiorem opprimit, & ſunt homines ſicut piſces maris, qui ab inuicem paſſim deuorantur, ac calcata iniquitate abundat ac conualeſcit iniquitas. Hinc eſt quòd videmus per totum mundum rapinas pauperum, deprædationes rerum Eccleſiaſticarum. Hinc ſunt aſſiduæ lacrymæ, pupillorum luctus: ita vt iam clamor talium, ſicut Sodomorum, aſcendat ad cœlum, & fiat quod per pſalmiſtam voce Domini dicitur: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Omnis pene ordo, omníſque ſtatus Eccleſiæ confuſus ac temeratus eſt. Denique, ne nobis parcere videamur, qui aliorum errata corrigere debemus, Epiſcopi dicimur, ſed Epiſcopale officium non implemus. Miniſterium prædicationis relinquimus, eos qui nobis commiſſi ſunt videmus Deum deſerere, & in prauis actibus iacere, & tacemus, nec eis manum correctionis tendimus: ſed & ſi aliquando quædam dicere cœperimus, quæ carnalibus eorum animis valeant diſplicere, dicunt de nobis quod in Euangelio Dominus de ſedentibus in Moyſi cathedra dixit: *Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Sícque fit, vt nobis tacentibus grex Domini pereat, & per abrupta vitiorum præceps actus luporum imma-

Amos 3. 6.
Eſa. 47. 7.
Eſa. 28. 19.
Eſa 63. 17.
Pſal. 11. 6.
Matth 23. 4.

nium morſibus pareat: dúmque deeſt qui eos vitæ vias ingredi doceat, liberè per deuia gradiuntur erroris, & impletur in eis, quod per
Eſa 5. 13. prophetam dicitur: *Zelus apprehendit populum ineruditum.* & alibi: *Idcirco*, inquit, *captiuus abiit populus meus, quia non habuit ſcientiam.* Penſemus qui vnquam per miniſterium linguæ noſtræ de peruerſo opere conuerſi pœnitentiam egerunt, quis luxuriam noſtra prædicatione deſeruit, quis auaritiam, quis ſuperbiam declinauit. Nobis ergo, qui nomine cenſemur Epiſcopi, maxima & prope importabilis incumbit ſarcina paſtoralis officij, dum inſtar reddenda ratio negotij nobis commiſſi cum exactione lucri: & dum iam iámque aduentus immineat illius in maieſtate terribili, vbi omnes cum gregibus ſuis venient paſtores in conſpectum paſtoris æterni, augmentum de grege, lucrum de negotio, manipulos de ſegete allaturi, quid ſumus acturi, hîc paſtores vocati, illic ſine ouibus venientes, quæ valeant præſentari: hîc ab eo accepto talento ad negotium miſſi, illic ad Dominum noſtrum poſt negotium redeuntes vacui: hîc directi in meſſem operarij, illic abſque manipulis vacuis manibus præſentati. Penſemus ergo neceſſe eſt, quam in illo tanto examine rationem ſumus reddituri, ne coram omni frequentia exercitus Angelici, corámque copioſa electorum multitudine, quod abſit, reddamur æternaliter confuſi. Ergo conſiderantes & expaueſcentes imminens nobis de multorum perditione periculum, congregati ſimul in nomine Dei omnipotentis, per vnicum filium eius Dominum noſtrum Iesvm Christvm, in virtute ſancti Spiritus, conſulamus nobis, & commiſſo nobis gregi, ac de ſtatu ſanctæ Eccleſiæ & regni, ac fidelitate regis noſtri, ſed & de ſtatu monaſteriorum, quorum antiquitus ſtatutus ordo & religio pene deletur, de rapinis quoque & ſacrilegiis, necnon de raptis & periuriis, ceteriſque flagitiis, ſententiam ſecundum decreta ſacrorum canonum & decretorum Epiſcopalium proferamus. Et talia facientes, aut Epiſcopali miniſterio, aut paſtorali exhortatione, prouocemus ad pœnitentiam & emendationem, aut impœnitentes, & corrigi nolentes, gladio verbi Dei bis acuto eorum corpora & animas concidamus, & æterno illos anathemate, hoc eſt alienatione à Chriſto & Eccleſia, tam in præſenti, quàm in futuro plectamus, niſi vel modò reſipiſcant à laqueis Diaboli, à quo capti tenentur ad ipſius voluntatem, & conuertantur ad Dominum viuum & verum per aliquam correctionem, & prout poſſibilitas tulerit, congruam emendationem.

CAPVT PRIMVM.

De honore & cultu Eccleſiarum Dei.

Igitvr decreuimus, vt cultus atque honor Eccleſiarũ Dei in omnibus & ab omnibus religioſè cuſtodiatur, & digna reuerentia immunitatibus earum ac miniſtris exhibeatur. Sed & regem ac principes condecet, vt priuilegia ex antiquo Eccleſiis Dei conceſſa roborent, & ſtabiliter obſeruari iubeant: & quemadmodum ab antecedentibus regibus honoratæ, vel rebus ampliatæ, ſeu ditatæ fuerunt, ita de cetero ſub omni integritate ſalua æquitatis ra-

tione permaneant. Sacerdotes quoque, & ſerui vel ancillæ Dei, vigorem Eccleſiaſticum obtineant, eiſque regalis poteſtas, & illuſtrium virorum ſtrenuitas, ſeu reipublicæ adminiſtratores, vt ſuum miniſterium dignè exequi valeant, in omnibus rationabiliter & iuſtè concurrant. Si enim rex, & ſæculi poteſtates, Dei & Eccleſiæ honorem ſeruauerint, per hoc honor & poteſtas illorum augebitur, roborabitur, & ſtabilietur, & victoriæ illis de cœlo miniſtrabuntur, & tam ipſi, quàm ſucceſſores eorum propter eos, in gloria & dignitate Deo propitio perdurabunt. Sin aliter egerint, & Deum contempſerint, contemnet illos Deus, & deſpicabiles ac miſeros reddet, & de ſolio regni exſufflabit, projicientúrque ſicut puluis à facie terræ, iuxta quod in libro Regum legimus de Achab, & ceteris regibus legis Dei tranſgreſſoribus, & ſicut ad Heli principem gentis Hebræorum loquitur Dominus:

1. Reg. 2. 30. *Quicumque*, inquit, *glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

II. *De ſtatu regni & fidelitate Regis.*

Et quoniam à nobis ratio exigitur omnium, & principum, & ſubiectorum, ab eo qui ſine acceptione iudicat perſonarum, & pro ipſis regibus regi regum ſumus reddituri rationem, ſermo exhortationis ad veſtram, domine Rex, nobis habendus eſt excellentiam. In quo facto pontificalem ſic exerimus auctoritatem, vt non obliuiſcamur regiam à Deo conſtitutam eſſe ſublimitatem, dicente Apoſtolo:

1. Pet. 2. 13. *Subiecti eſtote Regi, quaſi præcellenti.* Sicut enim regalis poteſtas ſacerdotali religioni ſe deuotè ſubmittit: ſic & ſacerdotalis auctoritas cum omni pietatis officio ſe regali dignitati ſubdere debet, ſicut ſanctus oſtendit Papa Gelaſius ad Anaſtaſium ſcribens Imperatorem:

Gelaſius epiſt. 10. » Duo ſunt, » inquit, quibus principaliter mundus hic » regitur, auctoritas ſacra pontificum, & re» galis poteſtas: in quibus tanto grauius eſt » pondus ſacerdotum, quanto etiam pro » ipſis regibus in diuino reddituri ſunt exa» mine rationem, &c. Ergo quia & rex pro æterna vita indiget pontificibus, & pontifices pro temporalium rerum curſu regali indigent diſpoſitione; à rege obediendum eſt pontificibus recta, ſancta, & iuſta ſuadentibus, & viciſſim à pontificibus obediendum eſt regi pietaris cultui religione, iure, & ſolatio ſeruienti. Hortamur igitur veſtram, domine Rex, excellentiam pietati & probitati ſacris veracibus & bonis inſiſtere moribus, vt ex eorum inueniaris numero, de quibus canitur in Pſalmo: *In conueniendo populos in vnum, & reges vt ſeruiant Domino.* Pſal. 101. 23. & vt noueris, quomodo vt homo, quomodo vt rex, ſeruire debeas Deo. Sic namque beatus ait Auguſtinus: » Rex, quia homo Epiſt. 50. » eſt, ſeruit Deo viuendo fideliter: quia » rex eſt, ſeruit leges iuſta præcipientes, » & contraria prohibentes, conuenienti rigore ſanciendo. & reliqua, quæ latiùs in Epiſtola ad Bonifacium exequitur. Oportet ergo, vt rex primò interpretetur nomen ſuum, & id quod dicitur nomine, ſatagat eſſe. Rex quippe à regẽdo vocatur. Debet itaq; rex primò vitam ſuam ęquo moderamine regere, & vt quidam ſapiẽs ait, refrænare libidinem, ſpernere voluptates, iracundiam tenere, ac ceteras animi peſtes à ſe repellere. Tunc verè rex dici, & alios dignè poterit regere, cùm ipſe improbiſſimis dominis dedecori aut turpitudini parere deſierit. Poſt hæc, de pace populi, & quiete ac ſecuritate totius regni conuenit eum ſollicitum eſſe. Sit bonis amabilis, malis terribilis: ſit releuator oppreſſorum, conſolator pauperum, viduarum & pupillorum defenſor. Illud implere ſatagat, quod Salomon de bono rege dicit: *Rex, qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Prou. 20. 8. Tanta quippe debet eſſe rex præditus virtutis & iuſtitiæ auctoritate, vt iniuſtum vel malum aliquid molientes ſolo intuitu formidoloſæ maieſtatis diſſipet, ne ad meditatum facinus progredi audeant. Denique quomodo rex ſecundum beneplacitum voluntatis Dei iuſtè & fideliter viuere debeat, pauca ex ſanctorum patrum collecta ſententiis, veſtræ, vt dignum eſt, proſpicientes ſaluti, vobis cognoſcenda & facienda proponimus. Vt quid rex dictus ſit, & qualis eſſe debeat, Iſidorus in libro ſententiarum ſcribit: Rex, inquit, à rectè agendo vocatur. Si enim piè, & iuſtè, & miſericorditer regit, meritò rex appellatur: ſi his caruerit, non rex, ſed tyrannus eſt. Et quamuis antiquitus omnes reges tyranni vocati ſint: poſtea piè, iuſtè, & miſericorditer regentibus, regis nomen inditum eſt: impiè verò, iniuſtè, crudeliterque principantibus, non regis, ſed tyrannicum aptatum eſt nomen. Vnde & beatus Gregorius ait: » Viros ſanctos pro» inde reges vocari in ſacris eloquiis didi» cimus, eo quòd rectè agant, ſenſúſque » Lib. 11. Moral. cap. 9.

» proprios bene regant, & motus reſiſten-
» tes ſibi rationabili diſcretione componant. Rectè igitur illi reges vocātur, qui tam ſemetipſos, quàm ſubiectos bene regendo pacificare nouerunt. Regale verò miniſterium ſpecialiter eſt, populum Dei gubernare & regere cum æquitate & iuſtitia, & vt pacem & concordiam habeat ſtudere. Ipſe enim debet primò defenſor eſſe Eccleſiarum & ſeruorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorúmq; pauperum, nec non & omnium indigentium. Ipſius enim terror & ſtudium huiuſcemodi, in quantum poſſibile eſt, eſſe debet, primò vt nulla iniuſtitia fiat, deinde ſi euenerit, vt nullo modo eam ſubſiſtere permittat: nec ſpem delitеſcendi, nec audaciam malè agendi cuiquam relinquat: ſed ſciant omnes, quoniam ſi ad ipſius notitiam peruenerit quidpiam mali quod admiſerint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, ſed iuxta facti qualitatem erit & modus iuſtæ correctionis. Vnde oportet, vt ipſe, qui iudex eſt iudicum, cauſam pauperum ad ſe ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne fortè illi qui ab eo conſtituti ſunt, & vicem eius agere debent in populo, iniuſtè aut negligenter pauperes oppreſſiones pati permittant. Scire autem & vnumquemque cuiuſlibet ſit ordinis oportet, quia ſi de otioſo ſermone Deo rationem redditurus eſt, multo magis de miniſterio ſibi diuinitus commiſſo. Sed & formam illam ſapientis regis, quam in ſe Iob vir iuſtus
Iob. 29. 25. oſtendit, ſtudeat imitari. Ait enim: *Cùmque ſederem quaſi rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi, quòd liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum cui non eſſet adiutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inueſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Hæc illo agente, implebitur in
Prou. 20. 28. eo quod Salomon ait: *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & firmabitur iuſtitia thronus eius.* Sicque iuſtorum & electorum regum imitator effectus, fiet etiam in cæleſti regno particeps gloriæ, & conſors immortalium præmiorum. Atten-
Sap. 1. 1. dant reges quid Sapientia dicat: *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram.* Item ibi-
Sap. 6. 2. dem: *Audite reges, & intelligite: diſcite iudices finium terræ: præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Quoniam cùm eſſetis miniſtri eius, non rectè iudicaſtis, neque cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem eius ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis Dominus: quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Dominus: nec reuerebitur cuiuſquam magnitudinem. quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter pro omnibus cura eſt illi.* Exiſtunt & alia multa ſanctarum ſcripturarum teſtimonia regio nomini & officio conuenientia, de quibus pauca ex dictis almi martyris Cypriani decerpta, quantas aduerſitates iniuſtitia regis regno inferat, & quantum iuſtitia eius regno proficiat, demonſtrabunt. Cùm enim deſcri- De abuſionibus ſeculi cap. 9.
pſiſſet qualiter rex conuerſari deberet, ſubiungit: Qui verò regnum ſecundum «
hanc legē non diſpenſat, multas nimirū «
aduerſitates imperij tolerat. Idcirco enim «
ſæpe pax populorum rumpitur, & offen- «
dicula etiam de regno ſuſcitantur, terra- «
rúmque fructus imminuitur, & ſeruitia «
populorum præpediuntur. Multi & varij «
dolores proſperitatem regni inficiunt. «
carorum & liberorum mortes triſtitiam «
conferunt, hoſtium incurſus prouincias «
vndique vaſtant, beſtiæ armentorum & «
pecorum greges dilacerant: tempeſtates «
aëris, & hemiſphæria turbata, terrarum & «
maris miniſteria prohibent, & aliquando «
fulminum ictus ſegetes, & arborum flo- «
res, & pampinos exurunt. Itémque dicit: «
Ecce quantum iuſtitia regis ſęculo valet, «
intuentibus perſpicuè patet. pax populo- «
rum eſt, tutamentum patriæ, immunitas «
plebis, munimentum gentis, cura languo- «
tum, gaudium hominum, tēperies aëris, «
ſerenitas maris, terræ fœcunditas, ſola- «
tium pauperum, hereditas filiorum, & ſi- «
bimetipſis ſpes futuræ beatitudinis. Atta- «
men ſciat rex, quòd ſicut in throno homi- «
num primus conſtitutus eſt, ſic & in pœ- «
nis, ſi iuſtitiam non fecerit, primatum ha- «
biturus eſt. Omnes namque, quoſcumq; «
peccatores ſub ſe habuit, ſupra ſe in illa «
futura pœna habebit. Cùm ergo tanto ac «
ac tali aſſerente viro, qui cum Apoſtolo
Paulo dicere poterat, *An experimentum* 2. Cor. 13. 3.
quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? boni regis iuſtitia tanta & ſibi & regno vtili-

tatis conferat commoda, è contrario verò mali regis prauitas tãta & ſibi & regno inferat damna, quanta vobis, rex venerãde, in cunctis veſtris actibus viuendum eſt cautela? Oramus igitur, vt hæc placida aure ſuſcipiatis, & monitis placeat vobis inhærere ſalubribus: quatenus veſtris bene, & per vos aliorum iuſtè modificatis moribus, hac vobis commiſſa decenter adminiſtratione peracta, ab eo qui temporale vobis dedit regnum accipere mereamini æternum. Sed & nobis, & omnibus, qui in regno veſtro conſiſtimus, oportet vt iuſtam fidelitatem vobis conſeruemus, & honorificentiam regiam exhibeamus, & de vtilitate regni aliquid quærẽri, ſecundum ſcire & poſſe, verum & vtile conſilium ſuggeramus.

III. *De regulari ſtatu iam pene collapſo.*

De monaſteriorum verò non ſtatu, ſed lapſu, quid dicere vel agere debeamus, iam pene ambigimus. Dum enim, mole criminum exigente, & iudicium à domo Domini incipiente, quædam à paganis ſuccenſa vel deſtructa, quædã rebus ſpoliata, & ad nihilum prope ſint redacta, ſi tamen quorundam adhuc videntur ſupereſſe veſtigia, nulla in eis regularis formæ ſeruantur inſtituta. Siue namque monachorum, ſeu canonicorum, ſeu ſint ſanctimonialium, propriis & ſibi iure competentibus carent rectoribus, & dum contra omnem Eccleſiæ auctoritatẽ prælatis vtuntur extraneis, in eis degentes, partim indigentia, partim maleuolentia, maximéque inhabilium ſibi præpoſitorum faciente inconuenientia, moribus viuunt incompoſitis: & qui ſanctitati religioníque cæleſti intenti eſſe debuerant, ſui velut propoſiti immemores, terrenis negotiis vacant. quidam etiam, neceſſitate cogente, monaſteriorum ſepta derelinquunt, & volentes nolentéſque ſæcularibus iuncti ſæcularia exercent, cùm è
2.Tim. 2. 4. contra dicat Apoſtolus: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Ergo quia non ſolùm à vulgo nullo diſtare videntur vitæ merito, ſed etiam, propter infima quæ ſectantur opera, deſpectionis expoſiti ſunt ludibrio, cum propheta cogimur Hieremia noſtræ ciuitatis, ſanctæ videlicet Eccleſiæ, flere diſpendia, & vo-
Thren. 4. 1. ce proclamare publica: *Quomodo obſcuratum eſt aurum? mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum?* Quod ita exponit Papa Gregorius. Aurum obſcuratum eſt, cùm ſacerdotum & ſpiritualium vita, quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas oſtẽditur reproba. Color optimus eſt mutatus, quia ille ſanctitatis habitus per terrena & abiecta opera ad ignominiam deſpectionis venit. Lapides verò ſanctuarij, quos nunquam neceſſe erat foris conſpici, eos nimirum figurant, qui nunquam in extraneis debent actionibus videri. Sed diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum, dum hi, qui per vitam & orationem ſemper intus eſſe debuerant per vitam reprobam foris vacant, & dum in ſancto habitu conſtituti exteriora ſunt quæ exhibent, quaſi ſanctuarij lapides foras iacent, &c. Quomodo igitur aurum ſine aurifice in priſtinum & optimum non poteſt reformari colorem, ſic & monaſtica vita ſinè regularis Abbatis prouidentia ad priſtinum atque optimum viuendi nequit reformari ordinem. Regalis ergo poteſtas, quæ à rectè agendo & ordinando vocatur, conſideret quomodo recto hæc iudicio, ſecundum voluntatem eius, cui de omnibus iudiciis & diſpoſitionibus ſuis rationem redditurus eſt, & ſecundum ſacrorum canonum ſanctiones, atque ſecundum priſcorum regum conſtitutiones diſpẽſet. Prohibent quippe ſacri Canones, ne aliquis laicus de religione præſumat. Itémque & canonum præcipiunt inſtituta, ſimúlque eorum pediſequa regum capitularia, ſicut in libro primo Capitulorum imperialium continetur, capitulo XXVIII. Vt clerici & « Lib. 1. c. 28.
« monachi, ſi inter ſe negotium aliquod « habuerint, à ſuo Epiſcopo iudicentur, & « non à ſæcularibus. Fas enim non eſt, vt diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio. Item, vt lai- « cis, quamuis religioſis, nulla ſit de rebus « Eccleſiæ diſponendi facultas. Item, vt « Ibid. ca. 31. loca, quæ ſemel Deo dicata ſunt, aut mo- « naſteria ſunt, maneant perpetuò mona- « ſteria, nec poſſint vltra fieri ſæcularium « habitacula. Nunc autem in monaſteriis Deo dicatis monachorum, canonicorũ, & ſanctimonialium, Abbates laici, cum ſuis vxoribus, filiis, & filialibus, cum militibus morantur & canibus. Legitur Addit. 1, quoque in Capitularibus, vt Abbates mo- cap. 1. nachorum regulam per ſingula verba diſcutientes pleniter legant, & intelligentes, Domino opitulante, efficaciter cum monachis ſuis implere ſtudeant. Et quomodo diſcutiet? quomodo leget? quomodo intelliget? ſi forſitan oblatus fue-

rit huiuſmodi codex, reſpondebit illud
Eſa.29.12. Eſaianum : *Neſcio literas*. Et cùm mo-
nachorum Abbati à regula ſancti & ſan-
cto Spiritu pleni beatiſſimi patris Bene-
» dicti : In doctrina, inquit, ſua Abbas il-
» lam ſemper Apoſtolicam formam debet
2.Tim.4.2. » ſeruare, in qua dicit, *Argue, obſecra, incre-
pa.* quomodo Apoſtolum ignorans, re-
gulæ inſtituta, vel ipſam abecedariam
lineam penitus neſciens, ſpiritualem diſ-
cretionis modum tenebit? Et quid plura?
In ipſo ingreſſu lectionis ſanctæ Regulæ
legitur de eligendo Abbate, & qualis de-
beat eſſe. In Capitulari verò Magni Caro-
Cap. 76. » li lib. primo cap. 81. ita ſcribitur: Mona-
» chorum cauſam qualiter ex parte diſpo-
» ſuerimus, & quomodo ex ſe ipſis ſibi eli-
» gendi Abbates licentiam dederimus, &
» qualiter, Deo opitulante, quieti viuere,
» propoſitúmque indefeſſi cuſtodire vale-
» rent, ordinauerimus, in alia ſchedula dili-
» genter adnotari fecimus. Item in Conci-
lio Turonis habito, poſtquam de cano-
nicis clericis ciuitatum, qui in Epiſcopiis
conuerſantur, diſpoſitum eſt, ſequitur:
Conc. Turon. III can. 24. » Simili modo & Abbates monaſteriorum,
» in quibus canonica vita antiquitus fuit,
» vel nunc eſſe videtur, ſollicitè ſuis præ-
» uideant canonicis, vt habeant clauſtra
» & dormitoria, victum & veſtimenta, &c.
» Sint, inquit, Abbates ſibi ſubditis bene
» viuendo duces & præuij, viámque de-
» monſtrent, qua rectè gradiendo ad me-
» liorem vitam peruenire valeant. Itém-
» que de monaſteriis monachorum, poſt
Can. 25. » pauca quæ præmiſſa ſunt, ſequitur: Bo-
» num videtur, vt ad priſtinum reuertantur
» ſtatum, & Abbates eorumdem in eorum
» habitu & vita, ſicut ipſa regula præcipit,
» incedere ac viuere ſtudeant, & reliqua.
Prohibetur denique, vt laïcus cauſa mã-
ducandi ac bibendi in refectorium non
ducatur. Et quomodo eorum Abbas erit,
cum quibus nec edendi licentiam habe-
bit? Item in libro ſecundo Capitularium
Cap. 42. » capitulo XL. Monaſteriis ſane puellari-
» bus tales preferri debent feminæ, & Ab-
» batiſſæ creari, quæ & ſe, & ſubditum gre-
» gem cum magna religione & ſanctitate
» cuſtodire nouerint, & his, quibus præ-
» ſunt, prodeſſe non deſinant: ſed & ſe, &
» illas ita obſeruent, vt pote vaſa ſancta in
» miniſterium Domini præparata. Talem
» enim ſe debet ſubditis exhibere in veſte,
» & in omni conuictu, vt eis ad cæleſtia re-
» gna pergentibus ducatum præbeat, ſciat
» etiam ſe pro his, quas in regimine acce-
» pit, in conſpectu Domini rationem red-
dituram. Hæc ita poſt primam ſanctorum patrum, duce ſancto Spiritu, ordinationem, ac deinde poſt canonicam de his auctoritatem, à prioribus Imperatoribus & regibus decreta & cuſtodita fuerunt. Et quouſque priuilegia ſunt ſeruata ſtatus Eccleſiaſtici, profecit in augmentum ſui conſeruatus à Deo ſtatus regni. At poſtquam hæc cœperunt paruipendi, labefactatus de die in diem, & iam pene in nihilum redactus eſt ille, qui quondam florebat vigebátque, ſtatus huius regni: & ita inoleuit malum, quod à tranſactis retro cœperat annis, vt iam principalis poteſtas putet ſibi licere, ſecus quàm auctoritas diuina ſe habeat, in cauſas Eccleſiaſticas proſilire, & duce ſancto Spiritu ſtatutum à patribus Eccleſiæ ordinem peruertere. Quod quidẽ noſtrum eſt admonere: & ſi ad præſens per omnia nequit emendari, ſatagere deinceps cum domino rege eiúſq; fidelibus debemus, quouſque & bona illius intentio, vt credimus, & noſtra nobis, & illi, omníque regno neceſſaria deuotio ad perfectionis cumulũ, Deo cooperãte valeat peruenire. Etenim nequaquam de iſtis audemus ſilere, ne de nobis illud propheticum dicatur: *Canes* Eſa. 56. 10.
muti, non valentes latrare. Itémque: *non* Ezech. 13.5.
aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael. Reſpectum ſiquidem timoris Dei habentibus auditu lugubre, dictu nefas, actu dinoſcitur horribile, quando contra omnem paratum, & totius Chriſtianæ religionis auctoritatem & cõſuetudinem, in monaſteriis regularibus laici in medio ſacerdotum & ceterorum religioſorum, vt domini ac magiſtri reſidentes, velut Abbates de illorum vita & conuerſatione ac regula ſibi penitus ignota peruerſo ordine diiudicant. Quæ pro certo abominatio illa eſt, quam Dominus in Euangelio præſignat, dicens: *Cùm videritis* Matth.24.15.
abominationem deſolationis ſtantem in loco vbi non debet, qui legit intelligat. Iſta namque verè eſt abominatio deſolationis, non tantùm ſubditorum, vel eorum qui illis ad ſuam ipſorum perniciem videntur principari, verùm regis, & totius regni, omniúmque qui tam deteſtabili fauent ordinationi. Cenſemus igitur, vt ſtatus monaſteriorũ inuiolatus, iuxta antiquam regulæ traditionem, & canonum conſtituta ſeruetur, & vt Abbates ſint religioſæ perſonæ, & quæ regularem nouerint diſciplinam. Monachi verò, vel ſanctimoniales, iuxta ſuam profeſſionem, ſobriè, & piè, ac ſimpliciter viuant, ac pro

regum ſalute, ac regni pace, & Eccleſiæ tranquillitate ſupplicet, non ſæcularibus curis vel negotiis occupentur, non pompas mundiales requirant, non Eccleſiaſtica iura inquietent, ſed iuxta proprietatem ſui vocabuli quietè otium amplectantur. Auditur enim, quòd ſpreta humilitate & abiectione monaſtica, ornamentis, & his etiam quę bonis laicis indecentia & turpia ſunt, operam impendant, & nequaquam contenti communibus rebus, propriis & lucris turpibus inſeruiant, quod vitium tanquam peſſimum cancer, ne vltra proſerpat, radicitus auellendum eſt, & Abbatum atque Epiſcoporum vigili cura recidendum. Sanè ne vlla Monachis euagandi, vel de talibus præſumendi quippiam detur occaſio, prouideant Abbates, vel præpoſiti monaſteriorum, vt ſecundum quod temporis vel loci fert poſſibilitas, omnia illis in victualibus & veſtibus neceſſaria, ſicut regula præcipit, opportunè miniſtrentur.

IV. *De ſacrilegis & eorum damnatione.*

Contra ſacrilegos quoque iuſtum eſt vt canonica cenſura procedat. Et primò dicendum quid ſit ſacrilegium. Sacrilegiũ eſt ſacræ legis violatio. quod cùm per multa ſpecierum diuidatur crimina, & ſit ſacrilegium ſchiſmatis, vnde beatus pater ait Auguſtinus, Apertiſſimum ſacrilegium eminet ſchiſmatis, ſi nulla fuit cauſa ſeparationis: ſit etiam ſacrilegium blaſphemi ſermonis, & cuiuſque contra ſacram legem vſurpatæ actionis. Specialius tamen nunc à nobis illud ſacrilegium denotatur, quod à prædonibus de rebus Eccleſię agitur. Eſt enim hoc ſacrilegiũ, res Eccleſiæ ſacratas auferre, poſſeſſiones ad ius Eccleſiæ pertinentes, vel aliquid Eccleſiæ conſecratum vel donatum tollere, inuadere, fraudare, vel rapere. Hoc namque agentes verè ſacrilegi ſunt, & homicidæ, de quibus & ſanctus Anacle-
Epiſt. 1. » tus dicit: Qui abſtulerit aliquid patri vel
» matri, homicidæ particeps eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creauit:
» mater noſtra Eccleſia, quæ nos in baptiſmo ſpiritualiter regenerauit. Ergo qui
» Chriſti pecunias & Eccleſię rapit, aufert, vel fraudat, homicida eſt. Item dicitur: Qui rapit pecuniam proximi ſui, iniquitatem facit: qui autem pecuniam vel res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & vt ſacrilegus iudicandus eſt. Et ſanctus
Ep. vnica. » Papa Vrbanus: Res, inquit, & facultates
Eccleſiæ oblationes appellantur, quia «
Domino offerũtur, & ſunt vota fidelium, «
& pretia peccatorum, atque patrimonia «
pauperum: ſi quis illas rapuerit, damnationis «
Ananiæ & Saphiræ particeps erit, «
& oportet huiuſmodi tradere ſatanæ in «
interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in «
die Domini. Et vt in breui denotentur iſti, ſecundum quod de eis ſcriptura dicit, & ad rem de qua agitur pertinens eſſe videtur, omnes contra legem facientes, réſque Eccleſiæ quaſcumque diripientes, vel Eccleſias ſacerdoteſque contra diuinas ſanctiones vexantes, ſacrilegi atque indubitanter infames ſacrilegi vocantur. Et heu, proh dolor! quanti ſciẽtes, quanti quia ſcire nolunt, vel quid ſit ſacrilegium ſcire ſe diſſimulant, ideo neſcientes in hoc peſſimum facinus proruerunt, & quotidie proruunt? Et quia hoc anathema in medio eſt populi Chriſtiani, nõ eſt Deus cum eis, nec poſſunt ſtare contra inimicos ſuos paganos, ſed fugiunt. Rogo attendat vnuſquiſque, ſi propter ſacrilegium, quod admiſit Achar filius Carmi, non potuit Iſraël ſtare ante hoſtes ſuos, eóſque fugit, Domino interminante: *Non ero vobiſcum, donec conteratis eum qui huius ſceleris reus eſt.* Ioſue 7. 12. Si ergo vno peccante in omnem populum deſæuiit furor Dei, donec ille cum omni domo ſua deleretur, quid putamus de nobis fiet, qui noſtro tempore tot ſacrilegia fieri, tot ſacrilegos impune mala agere videmus, nec ſolùm nihil metuere, ſed & in ſuis impietatibus exultare? Cogitandum, ne fortè propter hæc & huiuſmodi ſit ita Dei in nos iuſtiſſimè ſuperducta, & clàm cum togatur Deus non exaudit. Oppoſuit enim ſibi nubem, ne tranſeat oratio. Et ſicut Ioſue dictum eſt: *Quid clamas ad me?* ita etiam nobis orantibus dicitur, non vos exaudiam, donec auferatur ex vobis ſacrilegium, & tollatur de medio veſtrũm qui hoc pollutus eſt ſcelere. Nos tamen cum beato Ioſue non ceſſemus ad eum clamare, ipſóſque ſacrilegos monere, vt per confeſſionem, & emendationem reatus ſui, dent gloriam Deo: & quoniam, vt ſanctus ait Iob, *Dedit eis locum Deus pœnitentiæ*, Iob. 24. 23. videant ipſi ne abutantur eo in ſuperbia. Ideo denique tales diuina diſpenſatio in iniquitate tolerat, vt ab iniquitate compeſcat: ſed ſi accepta pœnitentiæ tempora deuertunt ad culpam, & ſecundum duritiam ſuam & cor impœnitens theſaurizant ſibi iram in die iræ,

diſtrictus in vltimis iudex impenſa argumenta miſericordiæ conuertet ad pœnam, atque ex prærogata clementia iudicis creſcet eis cumulus maledictionis. Nequaquam igitur blandiatur ſibi, quòd adhuc ſuſtentati longanimitate Dei, inter bonos impune videntut immotari. Conſiderent Iudam, non Apoſtolum, ſed apoſtatam, ſibi conſimilem, furem ſacrilegum, audiant quid de eo beatus pater dicat Auguſtinus: Ecce inter ſanctos eſt Iudas, ecce fur eſt Iudas, & ne contemnas, fur & ſacrilegus: non qualiſcumque fur: fur loculorum, ſed dominicorum: loculorum, ſed ſacrorum. Itémque, non ſic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ: quanto vehementiùs iudicandus eſt ſacrilegus fur, qui auſus fuit non vndecumque tollere, ſed de Eccleſia tollere? qui aliquid de Eccleſia aufert, vel furatur, Iudæ perdito comparatur. Talis erat iſte Iudas, & tamē cum ſanctis diſcipulis Chriſti intrabat, exibat, & ad ipſam cœnam dominicam pariter acceſſit. Hæc verba ſancti Auguſtini. Propter quoſdam verò, qui ſe neſcire diſſimulant in quibus rebus tantum ſcelus admittant, breuiter commemorandum credimus, quòd omnia quæ Domino offeruntur, proculdubio & conſecrantur: & non ſolùm ſacrificia, quæ à ſacerdotibus ſuper altare Domino conſecrantur, oblationes fidelium dicuntur, ſed quidquid ei à fidelibus offertur, ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager, vel quodlibet artificium, ædificium, veſtimentum, quodcumque mobile vel immobile de his rebus, quæ ſupplementum ſanctæ Dei Eccleſię, eiúſque miniſtris, atque ornatum præſtare poſſunt, indubitanter Domino conſecratur, & quicumque ab Eccleſia aliquid ex his quocumque modo alienauerit, abſtulerit, inuaſerit, vaſtauerit, minorauerit, ſiue diripuerit, quia Chriſtus & eius Eccleſia vna eſt perſona, & quæcumque Eccleſiæ ſunt, Chriſti ſunt, proculdubio ſacrilegium committit. Quapropter in libro capitulat. 2. capitulo 427. ita ſancitur: Omnibus nos ipſos corrigentes, poſteriſque noſtris exemplum dantes, generaliter interdicimus, vt nullus laicus homo, vel Imperator, vel Rex, aut Epiſcopus, aut aliquis Præfectorum, vel Comitum ſæculari poteſtate fultus, ſibi peruiolentiam rapiat, aut à nobis competere, vel quocumque modo inuadere præſumat monaſterium, aut prædia, vel quaſcumque res, vel aliquid de monaſterio Abbatis aut Abbatiſſæ, & incipiat ipſe vice Abbatis regere & habere ſub ſe monachos, & pecuniam poſſidere, quæ fuit Chriſti ſanguine comparata. Talem hominem antiqui patres nominabant raptorem & ſacrilegum, & homicidam pauperum, & lupum diaboli intrantem in ouile Chriſti, & maximè anathematis vinculo damnandum ante tribunal Chriſti. De talibus memores eſtote ſcripturæ ſancti Apoſtoli Pauli ad Timotheum dicentis: *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo qui præſtat omnia.* Tales, ſi Eccleſiæ correctionem non recipiunt, Ethnicis & publicanis ſunt ſimiles, quibus nec viuis nec mortuis communicat Eccleſia Dei. Talibus, qui & hîc & ibi reperiūtur, cum tuba Dei clangamus, ne tacentes damnemur, vt ſimul cum eis pereamus. Si autem in tantum horribilis eſt Deo ille qui impiè agit, certè ſeparatus eſt talis à Deo, & anathemati iuſte ſubiicitur. Anathema enim nihil aliud ſignificat, niſi à Deo ſeparationem, ſicut in veteri & nouo teſtamento iudicium de anathemate ſignificat. Et nullus ſacrilegus regnum Dei poſſidebit, niſi per puram probatámque & publicam pœnitentiam, & ſanctę Eccleſiæ, eius præcipuè quam læſit, ſatisfactionem, atque per manus impoſitionem Epiſcoporum, & reconciliationem. Et vt nouerit ſe à regno Dei, & à conſortio ſanctorum, qui iam cum Chriſto regnant, & in æternum cum eo regnabunt, in futuro alienādum, à præſenti quoque Eccleſia, quæ & ipſa regnum Dei eſt, & à ſocietate fidelium eius in Deo alienatur. Vt quiſquis ille eſt, pro certo hoc ſciat, quia tali, niſi per ſatisfactionem condignam, nec viuo nec mortuo Eccleſia non communicat: ſed ſicut in libro beati Iob dicitur, *ſepelietur in interitu*, id eſt in pœna perpetua deprimetur. *tollet eum ventus vrens*, id eſt malignus ſpiritus, qui viuentem accendit ad ſacrilegij ſceleta, morientem trahit ad tormēta. & quoniam iuxta illud Hieremiæ: *Olla ſuccenſa fuit, & facies eius à facie Aquilonis*, id eſt, cor fetuēs æſtu prædandi, & diabolicæ ſuggeſtionis flatu inflammatum habuit, ipſo vrente vento, id eſt diabolo, raptus cum eo in olla æternæ combuſtionis ardebit. Ergo & nos congregati cum Spiritu ſancto, ſicut Hieremias peccatorē populum quadruplici planxit alphabeto, ſic & nos ſacrilegos Dei & Eccleſię contemptores

Tract. 50. in Ioanné.

Lib. vi. 381.

1. Tim 6. 17.

Iob. 17. 4.

Hier. 1. 13.

prores percutiamus quadruplici anathematis maledicto. Sit eis clauſa porta cæli, aperta ianua inferni, cum nullo Chriſtiano partem habeāt omnino, vel ſocietatē. ſed & de reliquiis ciborum illorum nihil detur pauperibus, quin potiùs proiiciarur canibus, donec per dignam & humilem pœnitentiam, & congruam emendationem, lætificenr Eccleſiam, quam per ſacrilegia, & nefanda ſcelera exacerbauerunt. Sed quia ſunr quidam, qui temporalem potiùs mortem, quàm æternam timeant, recenſeamus quid ſæculi leges de talibus præcipiant. In libro ſupraſcripto capitulo 431. iubetur, vt capitali pœna multentur, qui ſacrilegia, adulteria, prædationes, aut deuaſtationes exercuerint, & omnes res eorum, tam mobiles, quàm immobiles, fiſco regis ſocientur, vel Eccleſiæ, cuius res vaſtauerint, alienauerint, aut abſtulerint, tradantur. Hæc de ſactilegis prædonibus Eccleſiarum.

V. *De vexatione & inhonoratione ſacerdotū.*

Nulli fidelium dubium eſt, quòd Eccleſia Dei in pontificibus & ſacerdoribus reliquis, quibus populus Domini commiſſus eſſe dignoſcitur, conſtet, & eis ſicuri domus quibuſdam ſuis innitarur columnis. Sed quorumdā prauorum hominum mētibus ac moribus, qui ſe in domo Eccleſię nomine potiùs, quàm recta conuerſarione, videri appetunt, tantę ſtolíditatis ineſt amentia, vr non intelligant quia ſtatus Eccleſiæ ita ſacerdotibus, quod abſit, aliqua impulſione nutātibus infirmarur, ſicuti excuſſis columnis domus totius fabricę ruinam minatur: & idcirco non ſolùm ſui caſus periculum non metuunt, ſed eoſdem Dei ſacerdotes vexantes, ſeipſos, vt parirer cum ruentibus curruanr, præcipitant, impellunt. Nec attendunt, immo nec reuetentur, quoniam qui eis iniuriam vel contumeliam irrogant, Dumino Deo nuſtro IESV Chriſto, cuius vices agunr, iniurioſi & contumelioſi exiſtunt: & quia omnes, qui Eccleſias ſacerdotéſque cuntra diuinas ſanctiones vexant, ſacrilegi habentur, arque indubitanter infames ſacrilegi vocantur. Et ne quis dicat, alia nos ex nuſtro fingere corde, audiaꝛ ſanctas ſanctorum ſententias de talibus ita ſe habentes. Clemens ab ipſo ſanctiſſimo ore Petri Apoſtoli edoctus de omnibus, in ſecunda ad Iacobum fratrem Dumini epiſtola, de his qui in patres peccant ſic dicit: [Clemens epiſt. 2.] » Qualis condēnatio, & qualis imminet maledictio eis qui in patres peccant, diuina nos docer ſcriptura. Si enim Cham filius Noë, cùm vidiſſet nudum patrem ſuum, quomā nun cooperuit [Gen. 9. 22.] patris corporalem nuditatē, ſed egreſſus nuntiauit eam fratribus ſuis, & illi veſtimento eam cooperuerunt, ipſe quidem Cham, & illi qui ex eo nati ſunt, ſub maledictione facti ſunt, qui autē cuoperuerunt, magnam benedictionem meruerūt: multo magis iſti maiore & ampliore cundemnatione digni ſunr, qui patribus obuiare, aut conrra eos inſurgere nituntur: quomā qui his reſiſtir, Deu reſiſtit, & qui eis iniuriam vel contumeliam facir, Deo, cuius legatione funguntur, facit. Item in tertia Epiſtola idem Clemens de honore Epiſcoporū: Si igirur vobis Epiſcopis nō [Clemens epiſt. 3.] obedierint omnes preſbyreri, diaconi, aur ſubdiaconi, & reliqui clerici cuncti, omnéſque principes, tam maioris ordinis, quàm & inferioris, atque reliqui populi, tribus, & linguæ nun obtemperauerint, non ſolùm infames, ſed extorres à regno Dei, & conſortio fidelium, ac à liminibus ſāctæ Dei Eccleſiæ alieni erunr. Nam veſtrum eſt, eos inſtruere: eorū verò eſt vobis obedire, vt Deo, cuius legatione fungimini, dicente Domino: *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit: & qui vos recipit me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me miſit.* [Luc. 10. 16.] Nihil enim iniuſtius, vel inhoneſtius, quàm filios patribus rebelles, aut clericos vel laicos doctoribus, ſeu diſcipulos magiſtris inobedientes vel proteruos exiſtere. Nouimus enim primum hominem per inobedientiam cecidiſſe. Idcirco umnes hoc vitium ſummopere cauere monemus. Et quia Dominus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, Dominus noſter mittens nos vice ſua in loco Apoſtulorum ad prædicandum, præcepit nobis docere omnes, omnéſque nobis fideliter obedientes, vt ipſi, exiſtere. Item ex decretis Anacleti Papæ, quod Epiſcopi à Deo ſint iudicandi, non ab humanis aut prauis hominibus. Liquet quùd ſumini ſacerdotes, id [Anaclet. epiſt. 2.] eſt Epiſcopi, à Deo ſunt iudicandi, non ab humanis aut prauæ vitæ hominibus lacerandi, ſed potius ab omnibus fidelibus portandi, ipſo Dumino exemplum [Matth. 21.] dante, quando per ſe ipſum, & non per alium, vendentes & ementes eiecit de templo, & menſas numulariorum, & cathedras vendentium proprio euertit flagello, & eiecit de templu. Et ſicut alibi ait, *Deus ſtetit in ſynagoga deorum*, in [Pſal. 81. 1.]

Digitized by Google

Pſal. 81. 6. *medio autem deos diiudicat.* & alibi: *Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Nullus enim, vt reor, inuenitur inter nos, qui velit ſuum ſeruum ab alio, quàm à ſe, iudicari. quod ſi præſumptum fuerit, aut multa ipſe indignatione iraſcitur, aut potiùs vltionem quærit ſuper eum. Si verò hoc inter homines agitur, quid putaris faciet Deus deorum, & Dominus dominantium, qui vltionem ſuorum promiſit non differre ſeruorum? Vnde & ipſe per prophetam Pſal. 93. 1. loquitur dicens: *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum libere egit,* & reliqua. Et Apoſtolus inquit: Rom. 14. 4. *Tu quis es, qui iudicas ſeruum alienum? ſuo enim Domino ſtabit, aut cadet.* & ipſe: Rom. 14. 13. *Nolite iudicare inuicem. ſed iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum.* & Dominus per prophetam inquit: Zach. 2. 8. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Nam ſi aliquis nunc in malum oculos alicuius principis incipit tractare, manifeſtè reus maieſtatis iudicatur, & infamis efficitur, aut potiùs capitali ſententiæ ſubiacet. Hæc, fratres, valde cauenda ſunt, & quod homines nolunt ſibi fieri, Deo deorum non debent inferre, ne fortè iraſcatur Dominus, & faciat vindictam eorum, etiam in eos qui non peccauerunt, quia perit ſæpiſſime iuſtus pro impio. Item in eodem decreto, vt nullus facilè accuſare audeat Epiſcopum: Anaclet. epiſt. 2. Apoſtoli, ſucceſſoréſque Apoſtolorum, conſiderantes ſtatuerunt ne facilè commouerentur, aut lacerarentur, vel accuſarentur columnæ ſanctæ Dei Eccleſiæ, quæ Apoſtoli, & ſucceſſores eorum non immeritò dicuntur: ſed ſi quis aduerſus eos, vel Eccleſias eorum, commotus fuerit, aut cauſas habuerit, priùs ad eos concurrat caritatis ſtudio, vt familiari colloquio commoniti, ea ſanent quæ ſananda ſunt, & caritatiuè emendent quæ iuſtè emendanda cognouerint. ſi autem aliqui eos, priuſquam hæc egerint, lacerare, accuſare, aut infeſtare præſumpſerint, excommunicentur, & minimè abſoluantur, antequam per ſatisfactionem, vt iam dictum eſt, condignam egerint pœnitentiam: quoniam iniuria eorum ad Chriſtum pertinet, cuius legatione funguntur. Nec hoc mirum: quia ſi quiſque noſtrûm cuidam ſuorum legationem iniungeret, & à quoquam impediretur, aut ab aliquo ſubditorum ſuorum deſpiceretur, mox indignatus iraſceretur, aut talia prout poſſet vindicaret, & ad iniuriam & contumeliam ſui hoc factum reputaret, & talionem, ſi in præſentia non poſſet, futuris temporibus redderet. Nam ſi in hominum cauſa hæc fiunt, quid putaris Deus faciet de ſuis, qui nec capillum capitis eorum perire dixerit? Vnde & Dominus per Naum loquitur prophetam dicens: Naum *Deus æmulator, & vlciſcens Dominus: vlciſcens Dominus, & habens furorem. vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis.* Ex decretis Euariſti Papæ, de honore Epiſcoporum. Epiſcopum oportet opportunè & importunè, atque ſine intermiſſione Euariſt. epiſt. 2. Eccleſiam ſuam docere, eámque prudenter regere & amare, vt à vitiis ſe abſtineat, & ſalutem conſequi poſſit æternam: & illa cum tanta reuerentia eius doctrinam debet ſuſcipere, eúmque amare & diligere, vt legatum Dei, & præconem veritatis, quia teſtante veritate: *Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Matth. 16 & 18. Nimis timenda eſt, fratres, hæc ſententia, & præcauendum vobis, ne offendatis eos qui tantã à Domino habẽt poteſtatem. & ideo potius obediendi, diligendi, & ſummopere ſunt venerandi, non detrahendi, vel lacerandi, vel eiiciendi, ſed portandi, & amandi, ipſo dicente Domino: *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* Luc. 10. 16 Ideo vobis & omnibus fidelibus ſcribimus, fratres, vt ab his vos caueatis, & poſteris veſtris non malũ ſed bonum exemplum relinquatis: quoniã iniuria Epiſcoporum ad Chriſtum pertinet, cuius vice funguntur. Ex decretis Alexãdri Papæ, de non vexandis ſacerdotibus. Peruenit ad conſcientiam Apoſtolicæ ſedis, quòd nonnulli ſint tam ſtolidi, qui dominica præcepta, & Apoſtolorum eorúmque ſucceſſorum ſtatuta minimè obſeruent, & eos de quibus Dominus ait: Alexand. epiſt. 1. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei,* Zach. 2. 8. non ſolùm tangere minimè dubitant, ſed etiam perſequi non formidant. Et licet nos perſequantur, quia nec nos ſine illis, nec illos ſine nobis perſequi poſſunt, quoniam illius ſumus diſcipuli, qui animas pro fratribus præcepit ponere: tamen eorum pericula & perditiones non ſumus auſi celare, ne prophetica, quod abſit, damnemur ſententia, quæ ait: *Si annuntiaueris iniquo iniquitatem ſuam, animam tuam liberaſti: ſi autem non annuntiaueris ei, ſanguinem eius de manu tua requiram.* Ezech. 3. Qui ergo ſacrilega perſuaſione perſequuntur & lacerare nituntur Epiſcopos, vel eos qui rectè Domino ſacrificant, indubitanter Dominum perſequuntur & dilaniant, cuius

vice funguntur. Vnde Dominus ait per

Ioel. 3. 4.

Ioel prophetam: *Numquid vltionem vos reddetis mihi? & ſi vlciſcimini vos contra me, citò reddam vobis viciſſitudinem ſuper caput veſtrum.* Has conſiderantes pietates, & pericula virantes animarum, vnà cum omnibus Dei ſacerdotibus, qui nobiſcum in hanc ſacram conuenerunt vrbem, & cum omnibus huius capitis membris, ſicut à beatis Apoſtolis, ac reliquis ſanctis patribus, ac ſucceſſoribus eorum accepimus, ſtatuentes decernimus, omnes qui ſanctos patres perſequuntur, aut amouere vel dilacerare manifeſtè nituntur, infames eſſe, & alienos à liminibus Eccleſiæ vſque ad ſatisfactionem fieri: quia ſic odit Deus eos, qui aduerſus patres armantur, vt patrum inuaſores vel deſtructores, qui ideo infames efficiuntur, quia patres

Alexand. epiſt. 2.

perſequuntur. Item cuius ſuprà. Nulli, fratres, dubium eſt, quia boni à malis ſemper perſequuntur & tribulantur. Propter quod nos oportet humiliari ſub potenti manu, vt liberet nos in tempore tribulationis. Nam ſicut leo rugiens circumit quærens quem deuoret, ſic diabolus non ceſſat circuire & quærere quos ex fidelibus perdat, & maximè eos, quos ardentiores in ſeruitio ſaluatoris eiúſque familiares inuenerit. Familiares dico, quos ſibi ſacrati, & in ordine Apoſtolorum conſtitui voluit. Ipſi enim pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia ſuis precibus & oblationibus ea delent atque conſumunt. qui quanto digniores fuerint, tanto faciliùs pro neceſſitatibus eorum, pro quibus clamant, exaudiuntur.

Iac. 5. 16.

Multum enim, vt ait Iacobus Apoſtolus, *valet deprecatio iuſti aſſidua.* Qui autem vos perſequitur, ipſum, cuius legatione fungimini, perſequitur: quia ſicut ipſe filius Dei mediator fuit Dei & hominum, ita & vos eius vice in Eccleſia eſtis conſtituti, vt inter Deum & homines legatione fungamini. Si quis autem legationem veſtram impedit, non vnius, ſed multorum profectum auertit, & ſicut multis nocet, ita à multis arguendus eſt, & bonorum ſocietate arcendus, & quia Dei cauſam impedit, & ſtatum conturbat Eccleſiæ, ideóque ab eius liminibus arceatur. Ab omnibus quoque talis eſt cauendus, & non in communione fidelium vſque ad ſatisfactionem recipiēdus. Eſt enim ſtatutum olim, vt qui ſtatū conturbat Eccleſiæ, ab eius liminibus arceatur, nec cum fidelibus cōmunicet, qui eorum bona auertit. Ex de-

Epiſt. 1.

cretis Teleſphori Papæ, de Epiſcopis non arguendis, aut accuſandis: Iuſtū eſt omnes in vniuerſo orbe doctores legis ea quæ legis ſunt ſapere; & non ſacerdotes Domini labiis ſuis, aut quibuſlibet machinationibus maculare. Dum enim ipſos diſponunt, aut cupiunt maculare, potiùs ſe ipſos maculant, & vulnerant. Dei ergo ordinationem accuſat, qui ſacerdotes accuſat, vel damnare cupit: à quibus ſe omnes fideles cauere debēt, quia non ſolùm qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, rei ſunt. Ex decretis Pontiani Papæ,

Pontian. epiſt. 1.

de honore Epiſcoporum, & quòd ipſi non ſint infeſtādi, ſed venerādi. Sacerdotes nō ſunt infeſtandi, ſed honorādi. In eis quoque Dominus honoratur, cuius legatione funguntur. Hi ergo ſi fortè ceciderint, à fidelibus ſunt ſubleuandi, atque portādi. Accuſandi autem non ſunt ab infamibus, aut ſceleratis, vel inimicis, aut alterius ſectæ, vel religionis hominibus. Sed ſi peccauerint, à reliquis arguantur ſacerdotibus, & à ſummis pontificibus conſtringantur, & non à ſæcularibus, aut malæ vitæ hominibus arguantur, vel arceantur. Hæc ſcilicet ſunt Apoſtolorum decreta, immo ipſius Chriſti dicta: quibus ſi quis obuiare aut contradicere tentauerit, non ſe Chriſtianum, ſed antichriſtum comprobauerit. Ergo ſi ſacerdotes Dei non ſunt infeſtandi, non contriſtandi, non accuſandi, non à ſæcularibus arguendi, non reprehendendi, non iudicandi, non damnandi, non arcendi, non negligendi, non quibuſlibet machinationibus maculandi, vel dilacerandi, aut detrahendi, non aliqua iniuria vel contumelia afficiēdi, quin minus perſequendi, excæcandi, aut interficiendi. Nam de iniuria vel dehonoratione ſacerdotum, in iam dicto Capitulari lib. VI. cap. XCVIII. ita ſcriptum habetur. Si quis Epiſcopo aliquam iniuriam, aut iniuſtam dehonorationem fecerit, de vita componat, & omnia quæ habere viſus fuerit, Eccleſiæ, cui Epiſcopus præeſſe dignoſcitur, integerrimè ſocientur, & nobis in triplo bannus noſter, id eſt ſolidi LX. perſoluantur, aut ipſe in ſeruitio fiſci noſtri ſeruiturus ſemper ſocietur, vſque ſe redimat in triplo iuxta vvirgildum ſuum, ſi potuerit. Sancta vero Eccleſia in ſacerdotibus conſtat. Idcirco magna pœna plectendi ſunt, qui Epiſcopis, vel reliquis ſacerdotibus, iniuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio ſacerdotum ad Chriſtum pertinet, cuius vice legatione in Eccleſia funguntur. Item ex eodem libro, cap. CCXCVII. Si quis in hoc ge-

Lib. vi. ca. 98.

Lib. vi. c. 304.

„ nus ſacrilegij proruperit, vt in Eccleſias,
„ earúmque res irruens, ſacerdotibus &
„ miniſtris, vel ipſi cultui, locóque aliquid
„ importet iniuriæ, vel inferat, ad diuini
„ cultus iniuriam, in conuictos, ſiue confeſ-
„ ſos reos capitali ſententia nouerit iudi-
„ candum. Nec expectetur, vt Epiſcopus
„ iniuriæ propriæ vltionem depoſcat, cui
„ ſanctitas ignoſcendi ſoli gloriam dereli-
„ quit. Sitque cunctis non ſolùm liberum,
„ ſed etiam laudabile, factas atroces ſacer-
„ dotibus aut miniſtris iniurias, velut pu-
„ blicum crimen, perſequi, ac de talibus
„ reis vltionem mereri. De his qui clerum
iniuriauerint, ex Capitulari Caroli Impe-
Lib. v. cap. 121. » ratoris: Quicumque iudex, aut ſæcularis
» aduerſus presbyterum, aut diaconum, aut
» quemlibet de clero, aut de iunioribus,
» abſque audientia Epiſcopi, vel Archidia-
» coni, vel Archipreſbyteri, iniuriã inferre
» præſumpſerit, anathema ab omni Chri-
» ſtianorum conſortio habeatur.

VI. *De dotibus & decimis Eccleſiarum, & de cenſu pro eis non exigendo.*

Et quoniam ſunt aliqui tantæ cupiditatis face ſuccenſi, vt nõ ſolùm ſibi à Deo conceſſis non beneutantur, verùm inconceſſa ac ſi licita ambiant, & ex his quæ diuinis ſunt tradita & oblata cultibus, & ſecundum legem Domini ſancta ſanctorum ſunt Domino, & ad ius pertinẽt ſacerdotum, exactiones cenſus ab ipſis ſacerdotibus ſibi exquirant, & exeniis, ac paſtis, vel paraueredis, ſeu caballorum ſaginationibus presbyteros affligant, cùm ex eis, quæ ſeu pro dote, ſeu quacumque fidelium deuotione, vnicuique tradita ſunt Eccleſiæ, non aliud quodlibet ſeruitium, niſi ſpiritale exigere debeant; neceſſarium nobis videtur, huiuſcemodi præſumptiones, quia contra canonicam fiunt auctoritatem, modis omnibus cohibere. Ab antiquo denique tempore, à ſanctis patribus, & à noſtris eſt maioribus conſtitutum, vt ſicut habet Epiſcopus in ſua ordinatione omnem generaliter parrochiã, cum omnibus ruſticanis parrochiis, quas per tricennium inconcuſsè poſſedit: ita & vnuſquiſque preſbyter in ſua ordinatione ac diſpoſitionis cura habeat parrochiam ſuã cum dote & decimis Eccleſiæ, videlicet cum ſui Epiſcopi conſilio ac diſpoſitione, ſecundum regulas antiquitus & diuinitus conſtitutas: ſicut olim ante Incarnationẽ Chriſti à ſancto Spiritu per prophetam prædictum, & poſt eius aſcenſionem in cœlos, eodẽ ſancto Spiritu per ſãctos Dei homines decretum fuiſſe demonſtrat ſanctus Baſilius exponens verſum pſalmi: *Conuallem tabernaculorum dimetiar.* Con- Pſal. 59
uallis, inquit, tabernaculorũ dimetietur, hoc eſt vniuerſus orbis terrarum, qui uallis tabernaculorum pro habitaculis corporum dictus eſt, hic velut quadam ſorte diuiſus atque dimenſus per ſingula loca Eccleſiarum Dei parrochiis & incolaribus diuiditur, &c. Hinc iterum ſcriptum
eſt: *Diſtribuite domos eius*, videlicet vni- Pſal. 47.
uerſalis Eccleſiæ, per cuſtodiarum parrochias prædicando: *Vt enarretis in progenie altera*, & reliqua. Quia verò facultatum & dotum ad Eccleſias pertinentium diſpoſitio, ſecundum canonum antiquam conſtitutionem, ad Epiſcoporum ſolummodo ordinationem, & ad preſbyterorum diſpoſitionem pertineat, Toletanum manifeſtat Concilium dicens: Multi contra « Conc. Tolet. III. can. 19.
canonum conſtituta ſic Eccleſias, quas æ- «
dificauerint, poſtulant conſecrari, vt do- «
tem, quam eiſdem Eccleſiis contulerint, «
cenſeant ad Epiſcopi ordinationem non «
pertinere. Quod factum & in præteritum «
diſplicet, & in futuro prohibetur: ſed om- «
nia, iuxta conſtitutionem antiquam, ad «
Epiſcopi ordinationẽ & poteſtatem per- «
tineant. Quod ſi quæritur, quæ dicat omnia, proculdubio decimas, primitias fructuum, & oblationes eorum, & ea quæ parrochiis in terris, vineis, mancipiis, atq; pecuniis, ſeu quibuſlibet rebus, quęcumque fideles obtulerint: quæ omnia ſub immunitate à tributis fiſcalibus, & omni dominorum exactione libera, ſub poteſtate & diſpoſitione, vt diximus, Epiſcoporum, ac regimine & diſpenſatione preſbyterorum manere debent inconcuſſa. Hoc & dominus Imperator Ludouicus de manſo ad Eccleſiam dato, & ceteris ad eam pertinentibus, in ſuo Capitulari ita
conſtituit. Sancitum eſt, inquit, vt vnicui- « Lib. I. cap. 91.
que Eccleſię vnus manſus integer abſque «
ſeruitio aliquo attribuatur, & preſbyteri «
in eis cõſtituti, non de decimis, neque de «
oblationibus fidelium, non de domibus, «
neque de atriis, vel hortis iuxta Eccleſiam «
poſitis, neque de præſcripto manſo ali- «
quod ſeruitium faciant præter Eccleſia- «
ſticum, & ſi aliquid ampliùs habuerint, «
inde ſenioribus ſuis debitum ſeruitium «
impendant. At contrà quidam præſumunt diſtringere, & iniuriare, vel etiam expellere preſbyteros de Eccleſiis ſibi commiſſis, vel expoliare decimis aut poſſeſſionibus, non timentes tot ſanctorum cõtemnere ſtatuta patrũ, cùm dicat Car-

Cõc. Carthag. 2. can. 14. » thaginenſe Concilium: Si quis ſtatuta ſu-
» pergreſſus corruperit, vel pro nihilo ha-
» benda putauerit, ſi laicus eſt, communio-
» ne, ſi clericus, honore priuetur. Et in ſæpe
Lib. vi. c. 134. fato Capitularium lib. vii. cap. cxxxix.
» Vt nullus iudex, neque preſbyterũm, ne-
» que diaconum, aut clericum, aut iunio-
» rem Eccleſiæ, ſine conſcientia pontificis
» per ſe diſtringat, aut condemnare præſu-
» mat: quòd ſi fecerit, ab Eccleſia, cui iniu-
» riam fecit, quam irrogare dignoſcitur,
» tamdiu ſit ſequeſtratus, donec reatum
» ſuum cognoſcat & emendet. Item in eo-
dem lib. cap. clxv. Sancitum eſt, vt ſine
» auctoritate vel conſenſu Epiſcoporum
» preſbyteri in quibuſlibet Eccleſiis nec
» conſtituantur, nec expellantur: & ſi quis
» deinceps hoc facere tentauerit, ſynodali
» ſententia diſtrictè feriatur. Et in 2. lib.
Cap. 36. cap. xlvii. Vt Eccleſię antiquitus conſti-
tutæ nec decimis, nec vlla poſſeſſione
priuentur. Hæc autem deducentes ad
medium, nequaquam ſeniorum ab eis tol-
limus dominium, quaſi ipſi nomen ſenio-
ratus in rebus ſibi à Deo conceſſis habere
non debeant, aut non poſſint; ſed potiùs
Eccleſiæ Epiſcoporum eſſe debeant: deſi-
gnamus denique gubernationem Epiſco-
pi, non nobis vindicamus poteſtatẽ Do-
mini. Et quia mitis & humilis magiſtri di-
ſcipuli ſumus, preſbyteris noſtris humili-
tatis exempla & mõnita dare debemus:
videlicet vt eis, in quorum ditione ſuæ
conſiſtunt Eccleſiæ, congruum honorem
& obſequium impendant debitum, id eſt
ſpiritale atque Eccleſiaſticum. & hoc ſine
vllo typho, vel contentione, aut rebellio-
ne. Saluo namque miniſterij ſui iure, de-
bent ſe gratioſos exhibere ſenioribus, &
parrochianis ſuis, de quorum oblatione
viuunt, & cum debita humilitate ſpirita-
lia eis obſequia miniſtrare, quę gratis qui-
dem agere deberent, etiam ſi nihil tem-
poralis ſubſidij ab eis perciperent. Sciant
igitur preſbyteri ſecundum Apoſtolum
Rom. 13. 7. & 8. omnibus ſua reddere debita, *cui honorem*
honorem, cui timorem, timorem. vt eis apte-
tur quod ſubiungitur: *Nemini quidquam*
debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Sed quo-
niam ſunt nonnulli, qui ignorantes immo
contemnentes Dei iuſtitiam, ſuæ quæ-
runt tenacitatis ſtatuere iniuſtitiam, auſu-
que ſacrilego ſurripiunt atque defrau-
dant Deo debitam decimarum partem,
ad ſuam ipſorum perniciem dicentes non
ſe debere decimas dare de militia, de ne-
gotio, de artificio, de lanarum tonſione,
& de ceteris quibuſcumque ſibi à Deo
largitis commerciis: audiant non noſtra,
ſed per ſacras ſcripturas Dei de talibus
mandata, & ſancta ſãctorum patrum exẽ-
pla, atque cognoſcant nos nequaquam,
vt illi aiunt, nunc exigere noua, ſed po-
tiùs repetere Dei legibus inſtituta, & an-
tiquorum patrum deuotione largita. Et
primò omnium attẽdant, quia ſolius Dei
cauſa oblationes & decimas ſuas ſacerdo-
tibus ipſi Deo dare debeant: & quia eas
dandò fideliter, nihil Deo, qui bonorum
noſtrorum à ſe nobis collatorum non in-
diget, cõferunt, ſed ei ſua reddunt, & pro
paruis in præſenti, maxima & ſibi in futu-
rum profutura acquirunt. Scribitur in Le-
uitico: *Omnes decimæ terræ, ſiue de frugibus,* Leuit. 27. 30.
ſiue de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſan-
ctificantur. Item in eodem: *Omnes decimæ* Ibid. 32.
boum & ouium, & omne quod tranſit ſub vir-
ga, in numerum decimum quodcumque vene-
rit, ſacrificatum erit Domino. non mutabis illud
bonum malo, neque malum bono. In Deute- Deut. 12. 11.
ronomio: *In loco quem elegerit Dominus*
Deus veſter, vt ſit nomen eius in eo, illuc omnia
quæ præcipio conferetis, holocauſta & hoſtias, ac
decimas, & primitias manuum veſtrarum, &
quidquid præcipuum eſt in muneribus quæ vo-
uiſtis Domino. Item in eodem: *Decimam* Deut. 14. 22.
partem ſeparabis de cunctis frugibus tuis, quæ
naſcuntur in terra per annos ſingulos: decimam
frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita
de armentis & ouibus tuis, vt diſcas timere
Dominum Deum tuum. In libro Numeri: Num. xviii. 12. 13. 14.
Omnem medullam olei, ac vini, & frumenti, &
quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi,
id eſt Aaron, *dedi. vniuerſa frugum primi-*
tia, quas gignit humus, & Domino deportan-
tur, cedent in vſus tuos. Omne quod ex voto
reddiderint filij Iſrael, tuum erit. Item in Num. 18. 21.
eodem: *Filiis Leui dedi omnes decimas Iſ-*
rael in poſſeſſionem prò miniſterio quo ſer-
uiunt mihi in tabernaculum fœderis. Ecce
audiſtis, cuius ſint, & cui ſacrificentur, &
cui dari, ſcilicet Deo, decimæ debeant.
Sed & quæ ſibi dari præcipiat: ſcilicet
non tantùm omnes omnium quæ naſcũ-
tur in terra decimas, ſed etiam vniuerſas
frugum quas gignit humus primitias, nec-
non & decimas boum, ouium, & omnium
armentorum, cum primogenitis eorum:
manuum quoque veſtrarum decimas, ac
primitias, inſuper & vota, atque munera.
quæ omnia vobis offerre præcipit ad locũ
templi ſui, vt cedant in vſus ſacerdotum
pro miniſterio quo ſeruiunt in tabernacu-
lo Domini. Fortaſſis verò dicet aliquis,
non ſum agricola, non habeo vnde poſ-
ſim dare decimas fructuum terrenorum,

ad decimam, cùm denegatis nouem vix partem recipimus decimam. Ideo denique meſſis noſtra pluuiarum benedictione ſubtracta ieiuna deficit, vindemiam aut grandò percutit, aut pruina decoquit: & quia ex debito nolumus dare Deo, eiúſque ſacerdoti, ex non debito damus pagano, & impio militi. His igitur diligenter perſpectis, monente ſcriptura, Deum deuotè honoremus in dandis omnium, quæ poſſidemus, rerum primitiis & decimis, vt ab ipſo percipere mereamur & neceſſaria boni commoda temporalis, & æternæ præmia felicitatis.

VII. *De rapinis.*

Nunc de his agendum eſt, qui rapinis diuerſo modo dediti, innocentibus inſidias, vel damna, & mortes inferunt, domóſque ſuas huiuſmodi ſpoliis implent: qui comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt: quorum pedes inceſſanter ad malum currunt, & feſtinãt vt effundant ſanguinem, vel ablata omni ſubſtantia fame interficiant innocentem: & dũ vel alieno ſanguini inſidiantur, vel fraude ſibi viuẽdum æſtimant, vt Salomõ

Prou. 1. 18. dicit, *ipſi contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas.* Cõtra ſanguinem quippe ſuum faciunt, quia quaſi fuerit iudex, qui iudicium in eos iuſtum exerãt, temporali morte plectuntur: contra animas autem ſuas, quia æterna perditione damnabuntur, & qui ob philargyriam rapinis innocentum & cædibus inuigilant, ſemet hoc agentes perdunt. quos Dominus per Eſaiam pro-

Eſa. 3. 14. phetam increpat dicens: *Vos depaſti eſtis vineam meam*, id eſt populum Chriſtianum, *rapina pauperum in domo veſtra.* in domo ſcilicet manſionis, & in domo corporis, dum ex eâ non tantùm voſmetipſos vſque ad crapulam, ſed & theſauros veſtros repleris. Sed quid talibus immineat, per eundem prophetam Dominus non

Eſa. 3. 11. tacet: *Væ*, inquit, *impio in malum, retributio*

Eſa. 5. 8. *enim manuum fiet ei.* Itémque: *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis*, &c. Horum, quod dictu dolẽdum eſt, infinitus eſt numerus, quique adeo rapinæ amorem imbiberunt, quaſi licitum ſit & pulchrum viuere rapto. Nec conſiderant miſeri & miſerandi homines, quot millia hominum innocentum perimant quotidie, non gladio, quod eſſet vtique leuius, ſed duriſſima atque atrociſſima famis morte. Et poſſunt miſeri tot homicidiorum rei eſſe vel vna hora ſecuri?

Et certè eſurienti non dare panem damnabile eſt, ipſo Domino in extremo iudicio dicturo: *Eſuriui, & non dediſtis mihi* Matth. 25. 35.

manducare, &c. quibus ſubiunxit: *Ite ma-* & 41.

ledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. Hinc ergo colligendum, qua damnatione plectendi ſint, qui aliena diripiunt, ſi tali animaduerſione feriuntur, qui ſua indiſcretè & immiſericorditer tenuerunt. Quàm multiplex autem ſit rapina, & quot modis agatur, Iob breuiter enumerat inquiens: *Alij terminos* Iob. 24. 2.

tranſtulerunt, diripuerunt greges. aſinum pupillorum abegerunt, abſtulerunt pro pignore bouem viduæ. ſubuerterunt pauperum viam, oppreſſerunt pariter manſuetos terræ. agrum non ſuum demetunt, & vineam eius, quem vi oppreſſerunt, vindemiant. nudos dimittunt homines, veſtimenta tollentes, quibus non eſt operimentum in frigore. vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperum ſpoliauerunt. Nudis & incedentibus abſque veſtitu, & eſurientibus tulerunt ſpicas. De ciuitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamabit, & Dominus inultum abire non patietur.

De talibus per prophetam dicitur: *Væ ei* Habac. 2. 6.

qui multiplicat non ſua vſquequo, & aggrauat contra ſe denſum lutum. Denſum lutum contra ſe aggrauare eſt, terrena lucra cum peccati pondere cumulare. Et in Euangelio Dominus ait: *Quid prodeſt homini, ſi* Matth. 16. 26.

totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur? id eſt, quid prodeſt ſi totum quod extra ſe eſt congregat, ſi id quod ipſe eſt damnat? Illa enim quæ rapiunt in hoc ſęculo dimittunt, ſed ſecum ad iudicium cauſas rapinæ & ſuam damnationem ferunt. Audiant raptores quid de eis vas electionis Paulus, qui ad tertiũ cælum raptus eſt, dixit: *Neque rapaces*, in- 1. Cor. 6. 10.

quit, *regnum Dei poſſidebunt.* Non ergo raptor, non prædo pauperum, regnum Dei poſſidebit, niſi perfectam egerit pœnitentiam, & iniuſtè ſublata reddiderit. Sunt enim quidam, qui pœnitere quidem volunt, ſed rapta reddere nolunt. peſſimum certè hominum genus, cui pœnitẽdi medicina omnino non prodeſt. Si enim res rapta cùm reddi poſſit non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Hi enim, vt dicit ſanctus Auguſtinus, ſcelus cu- Epiſt. 54. ad

piunt ſibi relaxari, & illud propter quod Macedoniũ.

ſcelus admiſſum eſt poſſidere. Non ergo remittetur rapinæ peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſed cùm reſtitui poteſt. plerumque enim qui aufert amittit, ſiue alios patiendo malos, ſiue ipſe malè viuẽdo, nec habet vnde reſtituat. Sciat ergo

vnuſquiſque raptot, non ſibi dimitti rapinæ peccatum, niſi cùm poteſt id quod tapuit reſtituat. Nam & Zachæus publicanus, qui Dominũ hoſpitio ſuſceperat, in vitam ſanctam repentè mutatus, dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Sic ergo vnuſquiſque raptor agat: reſtituat primùm quod iniuſtè abſtulit, ſi veram pœnitentiam agere, & veram Dei miſeticotdiam obtinere cupit. Si autem non habet vnde reddat, non poſſumus ei dicere, tedde quod abſtuliſti. Quamuis, etſi aliquos ſuſtinet cruciatus, dum exiſtimatur habere quod reddat, nulla eſt iniquiras: quia etſi non eſt vnde reddat ablatam pecuniam, meritò tamen, dum eam pet moleſtias corporales reddere compellitur; peccati quo malè ablata eſt pœnas luit. Ergo quia abſque reſpectu timoris Dei innumerabiles rapinæ & deprædationes in iſto tegno olim factæ ſunt, & hactenus fiunt, & in oculis, & in auribus Domini exercituum ſunt, idcirco nunc vaſtitatem patimur, & ſterilitatem, quam Dominus quondam Iſtaelitico populo comminabatur dicens: *Niſi* Eſa. 5. 9. *domus deſertæ fuerint grandes, & pulchræ abſque habitatore. decem iugera vinearum facient laguncúlam vnam,* &c. Et quoniam iuſto iudicio Dei, exigẽte pœna noſtri peccati, in tantam deuenimus amentiam, vt nec eam qua verberamur ſentiamus, aut ſcite velimus correptionem, iure duplicem experimur captiuitatem, ſcilicet barbaricã, & quod eſt grauius, dæmonicam, ſicut Dominus teſtatur per Eſaiam prophetam: *Propterea,* inquit, *ductus eſt captiuus populus meus, quia non habuit ſcientiam:* Eſa. 5. 13. ſcientiam vtique diuinum iudicium, vel ſuam correptionem intelligendi, vel benefaciendi. & iterum: *Propterea dilatauit* Eſa. 5. 14. *infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino:* ſcilicet vt inſatiabili ingluuie deuoret in perpetuum puniendos. *Et deſcendent fortes terræ, & populus, & ſublimes glorioſique eius ad eum.* Expergiſcantur ergo tandem aliquando ad tantã tonitrui magnitudinem: audiant Dominum per eumdem prophetam terribiliter comminantem: *Omnis,* inquit, *violenta prædatio* Eſa. 9. 5. *cum tumultu, & veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis.* Omnis enim violenta iniquorum prædatio, & tumultus, ac turbæ, quibus pauperes quoſque ſibique inferiores oppreſſerunt, & ſanguinem ſanguini miſcuerunt, erit in combuſtionem gehennæ, & cibus ignis æterni. Itémque per pſalmiſtam loquitur: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus,* id eſt, iam iámque in proximo vindictam exercebo. & iterũ Eſaias propheta dicit: Pſal. 11. 6. *Non deſpiciet Dominus preces pupilli, & viduam, ſi effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducẽtem eas? A maxilla enim aſcendunt vſque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* Ecceli. 35. 17. Verùm quia hæc impietas non iam tantùm in extraneos, ſed in ſua, vt ita dicamus, ſæuit viſcera, & vnuſquiſque carnem brachij ſui vorat, timendum eſt ne talibus illud Apoſtoli contingat: *Videte,* inquit, *ne dum inuicem mordetis & comeditis, ab inuicem conſumamini.* Gal. 5. 15. qui enim ſeipſum comedit, citò deficit. Nam cui dicit Pſalmiſta: *Tibi, Domine, derelictus eſt pauper, pupillo tu eris adiutor.* Pſal. 10. 14. *ipſe eripiet inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus?* Pſal. 34. 10. Sanè ſtatuta Eccleſiæ antiquæ præcipiunt, eorum qui pauperes opprimunt dona à ſacerdotibus eſſe refutanda: & meritò, cùm ſint apud Dominum abominabilia, teſtante ſuper hoc ſcriptura: *Qui offert,* inquit, *ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.* Eccli 34. 24. De iudicibus quoque, & potentibus, qui pauperes opprimunt, in lib. VI. Capitul. capitulo CCCCXVIII. ſic continetur: "Vt iudices, aut potentes, qui pauperes opprimũt, ſi admoniti à pontifice ſuo ſe non emendauerint, excommunicentur." Lib. VI. cap. 418. Et ipſi quidem, niſi condignam de talibus geſſerint pœnitentiam, ſicut beatus teſtatur Paulus de rapacibus, regnum Dei non poſſidebunt. Ceterùm regalis poteſtas tales punire debet ſecundum antiquorũ legum ſanctiones de his prolatas qui infra regnũ rapinam fecerint, vel apud quem ſcelus agnoſcitur, & pars rapinæ inuenta fuerit, ſiue de eis qui diripienda indicare reperiuntur. Lib. VI. c. 288. Inter quæ, de eo qui facultatem deprædationis dederit, vel ſi quis factam diuiſerit, præcipitur lib. VI. Capitul. cap. CCCXXCIV. vt viuus comburatur. Ibid. cap. 384. Itémque capitale ſupplicium excipiat, qui violentiam commiſiſſe dignoſcitur.

VIII. *De raptis, & occultis nuptiis, & de inceſtis.*

Eſt præterea quædam exectabilis ſpecies rapinæ, vel potius ſacrilegij, quam ex ipſo actu ruſtici raptum vocant, quod Lib. 1. ca.

quantum ſit malum, & non tantùm diuina, ſed humana quoque auctoritate damnatum

natum, paucis monſtrabimus verbis, ad cautelam omnium Chriſtianorum nobis commiſſorum. Ac primò de puellis raptis, ac necdum deſpõſatis, quid ſacri canones præcipiant, retexere duximus neceſſarium. In Concilio Chalcedonenſi vbi DCXXX. patres adfuerunt, cap. XXVII. ita habetur. Eos qui rapiunt puellas ſub nomine ſimul habitandi, coopetantes, & cohibentes raptotibus, decreuit ſancta Synodus, ſi quidem clerici ſunt, decidant gradu proprio, ſi vero laici, anathematizentur. Quibus verbis apertè datur intelligi, qualiter huius mali auctores damnandi ſunt, quando participes & conniuentes tanto anathemate feriuntur: & quòd iuxta canonicam auctoritatem ad coniugia legitima raptas ſibi iure vindicare nullatenus poſſunt. De deſponſatis verò puellis, & ab aliis raptis, ita in Concilio Aneyrano cap. X. legitur: Deſponſatas puellas, & pòſt ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus antè fuerant deſponſatæ, etiam ſi eis à raptoribus vis illata conſtiterit. Proinde ſtatutum eſt à ſancto conuentu, vt raptor publica pœnitentia mulctetur: raptæ verò, ſi ſponſus eam recipere noluerit, & ipſa eiuſdem criminis conſentiens non fuerit, licentia nubendi alij non negetur. Quòd ſi & illa conſenſit, ſimili ſententiæ ſubiaceat. Quòd ſi pòſt hæc ei ſe iungere præſumpſerit, vtrique anathematizentur. Quid autem lex Imperatorum de huiuſcemodi raptoribus iubeat, in libro V. c. CCXXXIX. ſcire volens reperiet. Item in libro VII. cap. CCXLVII. de raptoribus viduarum vel virginum ita decernitur: Sancitum eſt, vt raptores viduarum vel virginum ab Eccleſiæ communione pellantur. Item, de his qui rapiunt feminas, vt eas non habeant vxores, & quid de raptis agendum ſit, ex eodem libro cap. CCCXCV. Placuit, vt hi qui rapiunt feminas, vel furantur, aut ſeducunt, vt eas nullatenus habeant vxores, quamuis eis poſtmodum conueniat, & eas dotauerint, vel nuptialiter cum conſenſu parentum ſuorum acceperint. Si quis autem vxorem habere voluerit, canonicè & legaliter eam accipiat, & non rapiat. Qui verò eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut ſeduxerit, nunquam eam vxorem habeat, ſed propinquis ſuis eam legibus reddat, & in triplo bannum dominicum componat, & inſuper canonicè publicam pœnitentiam gerat. ad quod omnes vna voce clamauerunt, dicentes: Iſta omnes tenere firmiter volumus, & in perpetuum ab omnibus conſeruari optamus. Ergo decernimus & nos, ſecundum conſtitutionem antiquam, vt nullus occultas nuptias aut raptum faciat, vel quam propinquus habuit ducat vxorem: ſed dotatam, & à parẽtibus traditam, per benedictionem ſacerdotum accipiat qui vult vxorem, ſicut in libro ſupra dicto cap. CLXXIX. monetur his verbis: Sãcitum eſt, vt publicæ nuptiæ ab his qui nubere cupiunt fiant: quia ſæpe in nuptiis clàm factis grauia peccata, tam in ſponſis aliorum, quàm in propinquis ſiue adulterinis coniugiis, & quod peius eſt dicere, conſanguineis, accreſcunt vel accumulantur. Ex his autem procreari ſolẽt cæci, claudi, gibbi, & lippi, ſiue alij turpibus maculis aſperſi. & hoc ne deinceps fiat omnibus cauẽdum eſt. Sed priùs conueniendus eſt ſacerdos, in cuius parrochia nuptiæ fieri debent, in Eccleſia coram omni populo: & ibi inquirere vnà cum populo ipſe ſacerdos debet, ſi eius propinqua ſit, an non, aut alterius vxor, vel ſponſa, vel adultera. Et ſi licita & honeſta pariter omnia inuenerint, tunc per conſilium & benedictionem ſacerdotis, & conſultu aliorum hominum bonorum, eam ſponſare, & legitimè dotare debet. Scribit namque de legitimo matrimonio beatus Auguſtinus ita: Talis eſſe debet, quæ vxor habenda eſt, vt ſecundum legem ſit caſta in virginitate, & dotata legitimè, & à parentibus tradita ſponſo, & à paranymphis accipienda, & ita ſecundum legem & Euangelium publicis nuptiis honeſtata, in coniugio licitè ſumenda, & omnibus diebus vitæ ſuæ, niſi ex conſenſu & cauſa vacandi Deo, nunquam propter hominem ſeparanda. & ſi fornicata fuerit, & vir eius voluerit, dimittenda: ſed illa viuente altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei non poſſidebunt: & pœnitentia illi accipienda. Nolite vos viri habere vxores, quarum priores mariti viuunt: adulterina enim ſunt iſta coniugia. Et hoc, vt diximus, omnino prouidendum eſt, ne eius ſit propinqua, quia ſcriptum eſt: *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius.* Similiter ſcriptum eſt: *Cum vxore proximi tui non coibis, nec feminis eius commixtione maculaberis.* Et in decretalibus Papæ Gregorij legitur:

Conc. Chalced. can. 27.

Conc. Ancyr. can. 10

Lib. VII. cap. 127.

Leuit. 18. 6

Ibid. 20

Greg II. in Synodo.

Si quis diaconam, aut monacham, aut commatrem ſpiritualem, aut fratris vxorem, aur neptam, aut nouetcam, aut nurum ſuam, aut conſobrinam, aur de ptopria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema ſit: & teſponderunt omnes rettiò, anathema ſit. Item, ſi quis viduam rapuerit vel futatus fuetit vxorem, vel conſenticntes ei, anathema ſit. Et ſi quis virginem, niſi deſponſauerit eam, rapuerit vel furatus fuerit, vel conſentientes ei, anathema ſit: & reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Et alibi in canonibus præceptum eſt, vt nemo vſque ad affinitatis lineam, & propinquitatem ſui ſanguinis, connubia ducat, neque virginibus, ſine benedictione ſacerdotis, quis nubere præſumar. oppidò enim iſta cauenda ſunt ne fiant. Sed poſt quã iſta omnia probata fuerint, & nihil impedierint, tunc ſi virgo fuerit, cum benedictione ſacerdotis, ſicut in ſaeramenrario continetur, & cum conſilio multorum bonorum hominum publicè & non occultè ducenda eſt vxor, vt boni ab his filij Domino miſerante procreentur, & non tales ſicut ſuperiùs dictum eſt. Item in VI. libro capitulo CCCCIX.

Lib. VI. cap. 306?

» Si quis non æquo gradu,
» ſed inceſtuoſo ordine, cum iis perſonis,
» quibus à diuinis regulis prohibitum eſt, ſe
» coniunxerit, vſquequo pôſt pœnitẽtiam
» ſequeſtratione teſtentur, vtrique com-
» munione priuentur: & neque in palatio
» habere militiam, neque in foro agendarũ
» cauſarum licentiam habebunt. Nam ſi ſe
» quoquo modo prædicto inceſto coniun-
» xerint, Epiſcopi, ſeu pteſbyteri, in quo-
» rum diœceſi vel pago actum fuerit, regi
» vel iudicibus ſcelus perpetratum denun-
» tient, vt cùm ipſis denuntiarum fuerit, ab
» eorum communione aut cohabitatione
» ſequeſtrentur. Res autẽ eorum ad primos
» parentes, vſque ad ſequeſtrationem, per-
» ueniant ſub ea conditione, vt antequàm
» ſegregẽtur, per nullum ingenium, neque
» per parentes, neque per emptionem, ne-
» que per auctoritatem regiam, ad proprias
» perueniant facultates, niſi præfatum ſce-
» lus ſequeſtrationis ſeparatione & pœni-

tentia fateantur. Item ex libro legum

Cod. Theod. L. III. T. XII.

Theodoſij III. cap. XII. quòd inceſti non ſint legitimi heredes, ſed infamia ſint notatæ vtræque perſonæ. Quapropter iterum iterumque auctoritate Eccleſiaſtica interdicimus, vt deinceps, ſicut canones Eccleſiaſtici prohibent, nullus Deo deuotam virginem, nullus ſub religionis habitu conſiſtentem, ſiue viduitatis continentiam profeſſam, vel ſui proximam generis, aut etiam de cuius admixtione inceſtiua notam poſſit ſubire infamiæ, illicito connubio, aut vi, aut conſenſu àccipiat coniugem: quia nec verum poterit eſſe coniugium, quod à meliori propoſito deducitur ad deterius, & ſub falſi nominis culpa, inceſtiua pollutione & fornicationis immunditia perpetratur. Hoc verò nefas ſi agere cuiuſlibet gentis amodò homines ſexus vtriuſque tentauerint, ab inuicem omnimodis ſeparati exilio perpetuo relegentur. Item in libro VI. cap. CCCCXII. Lib. VI. cap. 309.

Scire vos conuenit, quia blaſphemiam Deo irrogat, qui cum Deo ſacrata, vel cum velata femina ſe commaculat. Item cap. CCCCXIII. Si clericus cum Ibid. cap. 310. velata femina, vel cum Deo ſacrata ſe maculauerit, proprio honore priuetur. Item cap. CCCCXIV. Sciendum eſt omnibus, Ibid. cap. 311. quòd Deo ſacratarum feminarum corpora per votum ptopriæ ſponſionis, & verba ſacerdotis Deo conſecrata, templa eſſe ſcripturarum teſtimoniis comprobantur: & ideo violatores earum ſacrilegi, ac iuxta Apoſtolum filij perditionis 1. Cor. 3. 17. eſſe noſcuntur.

IX. *De acceſſu & frequentatione ac cohabitatione presbyterorum & clericorum cum feminis.*

Sanè quoniam hæc peſtis non tantùm populares quoſlibet, ſiue ſuperioris, ſiue inferioris ordinis, occupat homines, verùm, quod nõ ſine noſtro pudore, & cum maximo fatemur dolore, Eccleſiaſticas commaculat dignitates: in tantum vt ipſi quoque ſacerdotes, qui ab aliis debuerant huius putredinem morbi reſecare, computreſcant in ſtercore luxuriæ: nec ſua ſolùm ignominioſa contenti perditione, bonorum etiam ſacerdotum vitam ſua lædant infami opinione, dum à ſæcularibus dicitur, Tales ſunt ſacerdotes Eccleſiæ, & ſic dantes aliis offenſionem vituperant miniſterium ſanctum, inſuper & canonica ſanctorum ſtatuta violant patrum, quibus interdicitur cum feminis acceſſus & frequentatio ac cohabitatio clericorum: cogimur & priorum quædam commemorare decreta patrum, & contra noua recrudeſcentium ſemper genera morborum noua quærere experimẽta medicamentorũ. Vnde nunc ea retexemus, quę de talibus à bonę memorię

prædeceſſore noſtro Hincmaro præſule, in conuentu preſbyterorum in metropoli ciuitate Remorum habito, dicto & ſcripto prolata ſunt anno ab incarnatione Domini DCCCLII. hoc modo. De acceſſu autem & frequentatione ac cohabitatione clericorum cum feminis, vnde ſecundum ſacros canones in omnibus Synodis ſpecialiter interdicimus, firmiter & expreſsè atque ſollicitè à nobis & à comminiſtris noſtris eſt inquirendum. Sicut enim his qui Domini in carne aduentum præceſſerunt, & his qui ſubſequuntur, pro temporum ratione ſunt ſacramēta diſparia, ad religionem tamen vnius eiuſdemque fidei & ſalutis recurrentia, & vt ſcriptum eſt: *Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia*, per incrementa temporum, tam per ſeipſum, quàm & per Angelos in veteri teſtamento, in nouo autem ſimiliter per ſe, & per doctores catholicos ac magiſtros Eccleſię, qui & atteſtante propheta Angeli nominantur, aucta eſt ſublimitas & multiplicatio præceptorū. Per ſe quidem Dominus in paradiſo Adæ, & poſt diluuium Noë mādata, & Abrahæ de circumciſione dedit præceptum, legem autem per Angelos Moyſi mediatoris inter ſe & populum, vt oſtēdit Apoſtolus. In nouo autem teſtamēto incarnatus per ſe dicens: *Audiſtis quia dictum eſt, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* &, *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plusquam ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*, &, *Dictum eſt antiquis, qui occiderit, reus erit iudicio.* Et per ſanctos ſuos, de quibus dictum eſt, *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Per incrementa temporum virtutem caſtitatis excreſcere, maximè autem apud miniſtros Eccleſiæ docuit, decernens hoc modo per myſticam Nicænam ſynodum: Interdixit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non preſbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi fortè matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas, quæ ſuſpiciones effugiunt. Et inde lex à Chriſtianis Imperatoribus eſt promulgata, hoc modo: Quicumque clericatus vtuntur officio, extranearum mulierum familiaritatem habere prohibentur: matrum, ſororum, vel filiarum ſibi ſolatia intra domum ſuā nouerint tantùm eſſe conceſſa. Sed quia ſub occaſione iſtarum perſonarum aliæ mulieres ſubintroduci cœperunt, ſancti Africani canones decreuerunt, vt nec ipſi Epiſcopi, aut preſbyteri, ſoli habeant acceſſum ad viduas vel virgines, vel ad quaſcumque feminas: ſed vbi aut clerici præſentes ſint, aut graues aliqui Chriſtiani. Vnde, ſicut B. Gregorius ad miniſtros Eccleſiæ Romanæ ſcripſit, B. Auguſtinus nec cum ſorore habitare conſenſerit, dicens, Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt. Et ex hoc dicit S. Gregorius: Docti ergo viri cautela magna nobis debet eſſe inſtructio. nam inhoneſtæ præſumptionis eſt, quod fortis pauet, minùs validum non timere. Sapienter enim illicita ſubtrahit, qui didicerit etiam non vti conceſſis. Et quoniam tunc temporis, nouella adhuc fide, de legitimè coniugatis, atque à coniugio ad continentiam cōuerſis, clerici fiebant, vnde & Apoſtolus, ſi de coniugatis agendum erat, vnius vxoris virum ad ſummum ſacerdotium præcipit eligi: hinc Chriſtiani Imperatores legem decreuerunt, dicentes: Preſbyteris, & diaconis, & ſubdiaconis, & aliis in clero ſeriptis, non habentibus vxores, ſecundum regulas diuinas interdicimus & nos, mulierem habere in ſua domo, excepta matre, & filia, & ſorore, & aliis perſonis, quæ omnem querelam effugiunt. Si quis autem aduerſus iſtam obſeruationem mulierem in ſua domo habuerit, quæ poteſt ſuſpicionem inferre turpitudinis, & ille à conclericis ſuis audierit quòd cum tali muliere non debeat habitare, & noluerit eam ſua domo repellere, vel accuſatore emergente probatus fuerit inhoneſtè cum tali muliere verſari, tunc Epiſcopus, ſecundum Eccleſiaſticos canones, clero eum repellat, curiæ ciuitatis, cuius clericus eſt, tradendū. Et vt ſanctus Innocētius, & prædeceſſor eius Siricius ſcribunt, ſi priſcis temporibus ſacerdotes Dei de templo anno vicis ſuæ non diſcedebant, ſicut de Zacharia legimus, nec domum ſuam omnino tangebant, quibus vtique propter ſobolis ſucceſſionem vxoris vſus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præter ex ſemine Aaron, ad ſacerdotium nullus fuerat præceptus accedere, quanto magis hi, ſacerdotes vel Leuitæ, pudicitiam ſeruare debent, quibus vel ſacerdotium vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, nec præterit dies, qua vel à ſacrificiis diuinis, vel à baptiſmatis officio vacent? Nam ſi Paulus etiam laicis ſcribit dicens, *Abſtinete ad tempus, vt vacetis orationi*, multo magis ſacerdotes

Margin notes: Hincmarus l. preſbyte. cap. XXI. — Dan. 12. 4. — Matth. 5. 43. — Matth. 5. 20. — Ibid. 21. — Matth. 10. 20 — Cōc. Nic. can. 3. — Cod. Th. De Epiſc. Eccl. & clericis l. 44. — Conc. Afric. can. 5. — Gregor. lib. VII. Indict. 2. epiſt. 39. — 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 6. — Innoc. epiſt. 2. ad Victricium. — 1. Cor. 7

quibus orandi & ſacrificandi iuge offi-
cium eſt, ſemper debebunt ab eiuſmodi
conſortio abſtinere. Qui ſi contaminatus
fuerit à carnali concupiſcentia, quo pu-
dore vel ſacrificare forſitan vſurpabit? aut
qua conſcientia, quóue merito exauditi
ſe credit, cùm dictum ſit: *Omnia munda
mundis, coinquinatis autem & infidelibus ni-
hil mũdum?* Et ne quis dicat, ſi habito cum
mulieribus, ſufficit mihi conſcientia mea
2. Cor. 1. 12. dicere Apoſtolo: *Gloria mea hæc, teſtimoniũ
conſcientiæ noſtræ*, attendat quòd item idẽ
dicit Apoſtolus, per quem, vt ipſe fatetur,
Rom. 12. 17. veraciter loquitur Chriſtus: *Prouidentes
bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram ho-
minibus.* Quoniam, Auguſtino docente,
ſanctorum, quibus Dominus dicit *ſancti
eſtote*, conuerſatio non ſolùm ſancta, ſed
debet eſſe & cauta: ne fortè cùm mala
non ſit per laſciuiam, ſit mala per negli-
1. Cor. 10. 32. gentiam. Et item Apoſtolus præcipit: *Vt
ſine offenſione omnibus ſimus, nemini dantes
2. Cor. 6. 3. vllam offenſionem, vt non vituperetur mini-
ſterium noſtrum, & ne pereat in noſtra con-
ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus
1. Cor. 8. 12. eſt. Sic*, inquiens, *peccãtes in fratres, & percu-
tientes conſcientiam eorum infirmam, in Chri-
ſtum peccatis.* Et ideo repleti Spiritu ſan-
cto ſtatuerunt ſancti patres noſtri, vt mi-
niſtri altaris mulieribus non cohabitent,
neque ſubintroducant ſecum mulieres:
ne vel concupiſcentia conſcientiã vrant,
vel conſenſu peſſimo polluant, & ne vel
mala ſuſpicione infirmorum conſcien-
tias maculent. Proinde de cõcubitu pre-
ſbyterorum cum feminis, per parrochia-
nos, vel vicinos cuiuſcumque preſbyteri,
inquirere non laboramus. Abolita eſt
quippe vetus hæreſis, quæ Cynica, id eſt
canina, propter impudicitiam fuerat ap-
pellata, dicens concubitum eſſe natura-
lem, & ob id agendum ſine verecundia
publicè: cùm legamus primos homines
poſt peccatum inobedientię ſenſiſſe con-
cupiſcentiam in membris genitalibus, &
à mutuis conſpectibus contexiſſe. Nam
licet humanæ mentis cæcitas in operatio-
ne turpitudinis, diuinis & Angelicis, atq;
ſanctorum qui in cœlis ſunt, oculis abſcõ-
di non poſſit: tamen etiam quilibet ru-
ſticanus cõcumbens & cum propria con-
iuge, prout poteſt plurimorum deuitat
aſpectus: quanto magis preſbyter, ſi ſen-
ſum hominis habet, malum agens curabit
abſcondere, propter quod patefactum
ſcit ſe non ſolùm Eccleſiaſticum gradum
amittere, ſed & ſua quælibet in ſæculo
perdere? Non igitur de hoc inuerecundè
quærimus, quod & Apoſtolus non nudo,
ſed velato nomine, loquens apud legiti-
me coniugatos, ſtatuit appellare dicens:
Iterum reuertimini in id ipſum. &, *ne quis* 1. Cor. 7. 5.
circumueniat à negotio fratrem ſuum. Tan- 1. Theſſ. 4.
tummodo autem de acceſſu & frequen-
tatione ac cohabitatione preſbyterorum
contra canonicum interdictum cum fe-
minis, per tales homines inquiremus,
ſicut ſancti Africani canones iubent: id Conc. Afric.
eſt quos publicæ leges ad accuſationem, can. 96. 98.
vel ad teſtimonium recipiũt, ſiue in mal-
lo, ſiue in audientia. Qui teſtes, ad exem-
plum Danielis, & ſicut leges præcipiunt,
examinabuntur. Et ſi quiſcumque pre-
ſbyter, non ſolùm in noſtra parrochia, ſed
in noſtra diœceſi, confeſſus, vel legali ac
regulari iudicio fuerit conuictus de co-
habitatione, vel frequentatione, ſiue ac-
ceſſu cum feminis contra canones, dicen-
te Apoſtolo: *Si quis non obedierit verbo no-* 2. Theſſ. 3.
*ſtro, ſiue per verbum, ſiue per epiſtolam, hunc
notate, & nolite commiſceri cum eo*, modis
omnibus, ſecundum decreta B. Gregorij,
ſine gradus ſui reſtitutione deponetur,
iuxta capitulum magni Leonis Papæ
quo dicit: Hæc itaque admonitio noſtra « Leo epiſt.
denuntiat, quòd ſi quis fratrum contra « 1. Epiſco-
hæc conſtitura venire tentauerit, & pro- « pis per
hibita fuerit auſus admittere, à ſuo ſe no- « Campa-
uerit officio ſubmouendum, nec com- « niam.
munionis noſtræ futurum eſſe conſortẽ, «
qui ſocius eſſe noluit diſciplinę. Ne quid «
verò ſit, quod prætermiſſum à nobis fortè «
credatur, omnia decretalia cõſtituta tam «
beatę recordationis Innocẽtij, quàm om- «
nium deceſſorum noſtrorum, quæ de Ec- «
cleſiaſticis ordinibus & canonũ promul- «
gata ſũt diſciplinis, ita à veſtra dilectione «
cuſtodiri debere mandamus, vt ſi quis in «
illa commiſerit, veniam deinceps ſibi no- «
uerit denegari. Nam & beatus Auguſti- Auguſt.
nus ſuo Archiepiſcopo de Abundantio epiſt. 136.
preſbytero ſuę parrochię ita ſcripſit: Qui «
cùm non ambularet vias ſeruorum Dei, «
non bonam famam habere cœpit. qua «
ego conterritus, non tamen temerè ali- «
quid credens, ſed planè ſollicitior factus, «
operam dedi, ſi quomodo poſſem ad ali- «
qua malæ conuerſationis eius certa per- «
uenire indicia. Ac primò comperi eum «
pecuniam cuiuſdam ruſticani de vino «
apud ſe commendato interuertiſſe, ita vt «
nullam inde poſſet probabilem rationem «
reddere. Deinde conuictus, atque con- «
feſſus eſt, cùm ſecum nullum clericum «
haberet, apud quandam malæ famæ mu- «
lierem prandiſſe & cœnaſſe, & in vicinia, «

» & in eadem domo mãſiſſe. Nam quæ ne-
» gauit, Deo dimiſi: quæ occultare permiſ-
» ſus non eſt, iudicaui. Proptetea, ſicut Gregorius decreuit, pet idoneos, vt præmiſimus, teſtes ſacramento inquiretut de malæ famæ presbytero: & qui proinde iurabunt, hoc modo iurent: *De hoc quòd me interrogatis de iſto presbytero quid inde ſciã, me ſciente nec mendacium tibi dicam, nec veritatem reticebo, ſi me Deus adiuuet, & iſti ſancti Dei.* Poſt iſtud ſacramentum, interrogari debet hoc modo. Sancti canones præcipiunt, vt preſbyter talem acceſſum & frequentationem ac cohabitationem cum feminis nõ habeat, vnde mala ſuſpicio, & inconueniens ſacerdoti fama poſſit exire. Propterea dic mihi, ſi vidiſti, aut pro certo ſcis, talem acceſſum vel frequentiam aut cohabitationem habere feminas cum iſto preſbytero, vnde mala ſuſpicio eſſe poſſit, & mala fama poſſit exire, in illo ſacramento quod modo iuraſti, vt veritatẽ inde non reticeas, & mẽdacium inde non dicas. Exceptis accuſatoribus, ſeptem ſint teſtes idonei, qui inde veritatem per ſacramentum dicant, ex quibus ſex iurent, & ſeptimus, ſi conditio vel qualitas perſonæ permittit, ad iudicium exeat quòd illi ſex veritatem inde per ſacramentum dixerunt: quia multi iam deprehẽſi apud nos habentur, quoniam pretio conducti ſe periurauerunt. Et ſi hoc modo preſbyter conuictus fuerit de inconuenienti cohabitatione cum feminis, deponetur, ſi-

Epiſt. ad Heſychiũ cap. 2.

» cut Zoſimus Papa decreuit dicens: Sciet
» quiſquis hoc, poſtpoſita patrum & Apo-
» ſtolicæ ſedis auctoritate, neglexerit, à no-
» bis diſtrictiùs vindicandum, vt loci ſui
» minimè dubitet ſibi non conſtare ratio-
» nem, ſi hoc putat poſt tot prohibitiones
» impune poſſe tentari. Contumeliæ enim
» ſtudio fit, quidquid interdictum toties vſurpatur.

Hincmarus ibid. c. xxii. Matth. 18. 16.

In lege eſt ſtatutum, quod & in Euangelio eſt confirmatum, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum: & Apoſtolus Timotheo præcipit, in cuius perſona, vt Leo dicit, omnium Chriſti ſacerdotum numerum erudiuit, vt accuſatio aduerſus preſbyterum non recipiatur, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus.

1. Tim. 5. 19.

Conc. Nic. can. 2.

Et ſacrum Nicænum Concilium, neophytum Epiſcopum à duobus vel tribus teſtibus redargutum à clero abſtinere præcipit. Sed quia in hiſtoria Suſannæ duo teſtes, qui idonei videbantur: & in hiſtoria Nabutæ, verùm & in hiſtoria paſſionis Domini duo teſtes dixiſſe falſum teſtimonium legimus: quoniam Chriſtus

Dan. 13. 40. 3. Reg. 21. Matth. 26. 60

Dei virtus, & Dei ſapientia dicit: *Per me conditores legum iuſta decernunt*, &c. & ſanctus Gregorius frequenter in Epiſtolis ſuis cauſam miniſtrorum Eccleſiaſticorũ legaliter & regulariter præcipit definiri: & ſanctus Auguſtinus exponens ſententiam Apoſtoli, *Si quis frater nominatur fornicator*, &c. dicit:

Prou. 8. 15. In libro de pœnitentia. 1. Cor. 5. 11.

" Noluit Apoſtolus hominem ab homine iudicari ex arbitrio ſu-
" ſpicionis, vel etiam extraordinario vſur-
" pato iudicio, ſed potiùs ex lege Dei, ſecũ-
" dum ordinem Eccleſię ſiue vltro confeſ-
" ſum, ſiue accuſatum, atq; conuictum: eam
" nominationem volens intelligi, quæ fit in
" quemquam, cùm ſententia ordine iudi-
" ciario, atque cum integritate profertur.

Nã ſi nominatio ſola ſufficit, multi damnandi ſunt innocentes: quia ſæpe falsò in quoquam crimen nominatur. In accuſatione preſbyterorum, de numero teſtium idoneorum auctoritatem legum ſequendam vidimus, vt ſeptem ſcilicet teſtes idonei, vt ſuprà diximus, requirantur. & ſi ratio vel cauſa coegerit, quatuordecim vel viginti & vnus teſtes quęrantur, vt veritas patefacta monſtretur.

Hincmarus ibid. c. xxiii.

Si autem mala fama ex veriſimilitudine per parrochiam de preſbytero exierit, & accuſatores atq; teſtes legales defuerint, ne infirmorum corda de mala fama preſbyteri percutiantur, & ne vituperetur miniſterium noſtrũ, neque ſecuriores preſbyteri exiſtentes licentiùs in peccatum labantur, ſecundum decretum Gregorij iunioris ſit iuſiurandum in medio, & habeat malæ famæ preſbyter in ſacramẽto purgationis ſuæ eum teſtem, quem habebit & iudicem.

Gregor. II. epiſt. 9.

Et quoniam legimus in Epiſtolis beati Gregorij ſępè infamatum ſacerdotem in purgatione ſuæ famæ tantùm iuſiurandum præbuiſſe, & legalis, atque Apoſtolica, & canonica auctoritas trium teſtium teſtimonium recipit ad cõdemnationem, non abre videtur ſi recipiatur ad purgationẽ.

Cap. xxiv.

In hiſtoria quoque ſacra, & in Epiſtola B. Gregorij, legimus B. Petrum Apoſtolorum primum, cùm à fidelibus reprehenſus fuit, cur ad gentes intraſſet, humili coſ ratione placaſſe, atque in cauſa reprehenſionis ſuæ etiam teſtes adhibuiſſe dicens: *Venerunt autem mecum & ſex fratres iſti.* & Carthaginienſes canones decernunt, vt ſi presbyteri vel diaconi fuerint accuſati, adiũcto ſibi ex vicinis locis proprius Epiſcopus legitimo numero collegarum, id eſt vna ſecum in presbyteri nomine ſex, in diaconi tres ipſorum cauſam diſcutiant. auctoritati conuenire dicimus, vt ſi

Act. 11. 12. Conc. Carthag. can. 10.

presbyter infamatus fuerit,&accuſatores vel teſtes idonei defuerint,ſecũdum qualitatem ac quantitatem cauſæ atque perſonæ, & vtilitatem ac ſanationem cordium infirmorum, aut ſingulis, aut cum aliis duobus teſtibus,aut cum aliis ſex teſtibus, ſe ipſum ſacramento à mala opinione purget. Et non eſt contrarium decretum Gregorij iunioris, ſi plures teſtes ad purgationem infamati presbyteri requiruntur: quia ſcribens idem pontifex ad Bonifacium Mogũtinum Epiſcopum per Denualdum presbyterum dicit, vt ſi probari idoneis teſtibus presbyter infamatus nequiuerit,ſit iuſiurandum in medio: & non definiuit, vtrum ipſe ſolus an
Cap. xxv. cum aliis iuret. Et quoniam,vt ſcriptum
Iob. 4. 18. eſt,& in Angelis reperta eſt nequitia, &
Mal. 2. 7. teſte Malachia propheta, atque Euange-
Apoc. 1. 20. liſta Ioanne,ſacerdotes Angeli appellantur, & experti ſumus quoſdam ad inuicem conſpiraſſe, vt ſe mutuò in ſua purgatione adiuuarent,ſed reuera nocerent, ſicut&presbyteri pleni iniqua cogitatio-
Dan. 13. ne aduerſus Suſannam conſpirauerunt: non incongruum videtur, vt cum credibili miſſo Epiſcopi presbyteri,qui in purgatione infamati ſacerdotis, & vnà cum eo, ad iuſiurandum ſe obtulerint, talem examinationem per aduocatum infamati presbyteri recipiant, vt in ſacramento ſe Deo non perdant, ſicut quoſdam hinc
Cap. xxvi. iam reuictos comperimus. Quia verò,vt ſanctus Auguſtinus dicit, noua morborum genera noua quęrere cogunt experimenta: hæc præfatis auctoribus inſtructi, non præiudicantes, ſi quæ ſunt, ſaniùs intelligentium ſententiis,hoc modo agenda vidimus, quatenus & presbyteros à luxuriç precipitio reuocare,& toties repetitam canonum prohibitionem à præuaricatoribus quoquo modo poſſimus euindicare,& nos de diſſoluta correptio-
1. Reg. 2. & 4. ne non iudicemur, ſicut Heli ſacerdos damnatus eſt, quia filios ſuos ſegniùs ac leuiùs quàm debuerat corripuerat,&ipſe
Epiſt. 5. ad Ianuarium. & filij eius perierunt. Quia,vt Leo dicit, inferiorum ordinum culpę ad nullos magis referendæ ſunt, quàm ad deſides negligentéſque rectores, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam. Et ſanctus Gregorius dicit:Qui non corrigit re-
Ibid. ſecanda,committit. Et item Leo ſcribens ad Ianuarium Epiſcopum, ſingulis nobis
» dicit: Non autem dubitet dilectio tua,
» nos ſi,quod non arbitramur,neglecta fue-
» rint quæ pro cuſtodia canonum,& pro fidei integritate decernimus,vehementiùs commouendos. Quia vt Hilarus Papa dicit: Non minus in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quàm in ipſius Domini iniuriam proſilitur. Qualiter autem his agendum ſit, qui per contemptum in ſanctarum traditionum ſanctiones delinquunt, vel in ipſius Domini iniuriam proſiliunt, ſanctus Leo ad Ruſticum Epiſcopum decernit huiuſmodi in-
quiens: Lapſis ad promerendam miſeri- »
cordiam Dei priuata eſt expetenda ſeceſ- »
ſio, vbi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit »
etiã fructuoſa. A qua diſtrictionis regula »
Spiritu ſancto promulgata non licet no- »
bis quacumque pietate indebita declina- »
re: quia etſi debetur compaſſio proximis, »
rectitudo tamen debetur viriis. Vnde ſancta ſcriptura ſimplicitati rectitudinem ſemper coniungit, quia ſimplicitas ſine rectitudine fatuitas eſt. Simplicitas igitur erga vitia, ſicut catholici doctores dicũt, diſſoluta & ſtulta eſt, & rectitudo erga proximos, ſine pietatis ſimplicitate, auſtera exiſtit, & dura.

X. *De fugiendo luxuriam.*

Omni fidelium ordini denuntiamus, cauendos eſſe ſummopere libidinis ęſtus, Domino per Euangelium præcipiente:
Sint lumbi veſtri præcincti. Denique cùm Luc. 12. 35.
oporteat nos contra reliqua vitia omni virtute reſiſtere, contra libidinem non tam expedit repugnare,quàm fugere. Vnde & Apoſtolus Paulus præcipit dicens:
Fugite fornicationem. omne peccatum, quod- 1. Cor. 6. 18.
cumque fecerit homo, extrà corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. & ite-
rum,*fornicatores & adulteros iudicabit Deus,* Hebr. 13. 4.
& cùm idem dicat Apoſtolus: *templum* 1. Cor. 3. 17.
Dei ſanctum eſt,quod eſtis vos, itémque,*em-* 1. Cor. 6. 20.
pti eſtis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore veſtro. abſit vt breui oblectatione miſeræ carnis, tollentes membra Chriſti, faciamus ea membra meretricis. Luxuria nempe carnis,cùm Deo ſit odibilis, ideo bonis omnibus eſt notabilis, quoniam ſtatim per ſe ipſam eſt turpis. Cuius prima tela ſunt oculorum,ſecunda verborum. ſed qui nõ rapitur oculis,poteſt reſiſtere verbis, & qui delectationem refrænat libidinoſæ ſuggeſtionis, non tranſit ad conſenſum libidinis. Conualeſcit verò luxuria epulis, exardeſcit ſaturitate nimia ventris,perfodit animam ſtimulo ebrietatis. Inter delicias namque pudicitia ſeruatur difficile. Denique ſaturitas cibi & potus mentem ad luſum,

carucm mouet ad luxum. Nec ideo tanquam ſint deliciæ potentum, minor debet eſſe cautela pauperum: quoniam & in ſerico, & in pannis, exercet libido ius ſuæ poteſtatis: nec timet purpuram regum, nec ſpernit ſquallorem mendicantium. Hæc, cùm vitam animæ perimat, & cor auferat, cęcitatem quoque menti ingerit. ipſum etiā corpus citò debilitat, fractúmque in miſeram celeriter ſenectutem prępicipitat. & niſi ſolius Dei miſerantis pietas manum benigniſſimę extendens clementię iacentem ſubleuet, & antequam mors veniat, reſipiſcere faciat, in infernum hominem mergit, & in pœnas tartari pertrahit. Væ denique illi, qui tunc habuerit terminum luxuriæ, quando & vitæ. Idcirco nobis neceſſarium omnimodis eſt obtemperare ſalubri conſilio ſcripturæ monentis: (Eccli. 18.30.) *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* (Coloſſ. 3.5.) & iterum: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem & immunditiam, & concupiſcentiam malam*, &c. Hoc omni gradui, omni ordini, & vtrique obteſtamur ſexui: putridam prorſus fugere luxuriam, & ſuccinctis lumbis caſtitatis tenere virtutem: ſcientes pro certo veriſſimam eſſe vocem Apoſtolicam, quę inter cetera terribiliter clamat: (1. Cor. 6. 9.) *Neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores regnum Dei poßidebunt.*

XI. *De periuriis cohibendis.*

Inter cetera quoque admonitionis noſtræ officia videtur nobis illud ſatis neceſſarium eſſe, quatenus nefanda cohibeantur periuria, non ſolùm quæ alicuius factionis fiunt commento, vel fallēdi alióſque decipiendi ſtudio, ſed & ea, quæ ex ipſa praua conſuetudine iam veluti inolita, pene per ſingula admittuntur verba ab eis, quibus ęquè falſa conſtat iurare, vt vera. Cùm, ſi fortè propter eos, qui pigri ſunt ad credendum, neque mouetur ad fidem verbi, qui & in hoc grauiter delinquunt, quòd ſibi loquentes iurare cogunt, neceſſe fuerit proferre iuſiurandum, hos comites habere debeat iuſiurandum, veritatem, iudicium, & iuſtitiam, dicente Domino per prophetam Hieremiam: (Hier. 4. 2.) *Et iurabis, viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia.* Si enim iſta deſuerint, nequaquam erit iuramētum, ſed periurium. Et vetus quidem lex iurare conceſſit, peierare prohibuit: (Exod. 20.7.) *Non aſſumes*, inquit, *nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.* Quo mandato altiùs intellecto, dum ſciamus nobis præcipi, ne Chriſtum Dei patris filium exiſtimemus eſſe creaturam, dicentes eū ſimplicem hominem, & honore diuinitatis priuantes: ad ſimplicem tamē ſenſum, ille nomen Dei ſui in vanum aſſumit, qui in qualibet friuola re, & in dolo iurans proximo ſuo, aliquando in cauſa non neceſſaria, vel in verbo otioſo, nomen ſanctum eius in tali vanitate aſſumere non paueſcit. In nouo autem teſtamento ipſe Dominus dicit: (Matth. 5. 43.) *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non periurabis. Ego autem dico vobis, non iurare omnino*, &c. Ergo Euangelica veritas non recipit iuramentum, cùm omnis ſermo fidelis pro iure iurando ſit. Sunt quoque multi, qui aſſiduè faciunt iurare, ſed & non timent peierare, per Deum, & omnes ſanctos: quidam per corpora ſanctorum, per animam vel ſuam, vel patris aut matris, aut alicuius cari ſui, paruipendentes ſuę ipſius animę, ſuorúmque ſalutem. quidam per totum iurant mundum, contemnentes illud Dominicum præceptum: (Matth. 5.34.) *Nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram*, &c. qui enim iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eū. Qui vult ergo cauere crimen periurij, non teneat vſum iurandi, dicente ſcriptura: (Eccli. 29.9.) *Iurationi non aſſueſcat os tuum.* & item: (Ibid. 12.) *Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga.* Vnde Iſidorus Epiſcopus dicit: (Iſid. lib. 11. Sentent. c. 31.) Sicut mētiri nō poteſt qui non loquitur, ſic periurare non poterit, qui iurare non appetit. Nunquam ergo iuret, qui peccare timet. Quid verò de his dicendū eſt, qui, vt alios fallant, mentiuntur, vel quacumque verborū arte ſe potiùs quàm alium decipiēdo peierant. Dominus namque, qui teſtis eſt conſcientiæ, ita hoc accipit, ſicut ille cui iuratur intelligit. Vnde S. Auguſtinus ait: Periuri non ſunt, qui verbis non ſeruatis, illud quod ab eis, cùm iurarent, expectatum eſt impleuerunt: & periuri ſūt, qui etiam ſeruatis verbis, expectationem eorum quibus iuratum eſt decipiunt. Hi miſeri heu quantis rei tenentur criminibus, præuaricatores totius ſacræ legis veteris & nouæ proditi, quia loquuntur mendacium, quia aſſumunt nomen Dei ſui in vanum, quia proximū dolo capiunt, inſuper & periurant. Tales, niſi condignam egerint pœnitentiam, adhuc in viuis corporibus mortuas geſtare videntur miſeras animas. Qua de re à Chriſtianis quoque regibus de ſacramentis leuiter

non iurandis ita ſtarutum eſt, libro v. cap.
cccxlix. Volumus vr ſacramenta cirò
Lib. v. cap. 197. » non fiant: ſed vnuſquiſque iudex priùs
» cauſam veraciter cognoſcat, vr eum ve-
» ritas latere non poſſit, ne facilè ad ſacra-
menrum veniant. Item de periuriis ca-
uendis, ex lib. v. cap. cclxxvi. Præcipi-
» mus, vr periuria caueantur, nec admitran-
» tur reſtes ad ſacramenrum antequam di-
» ſcurianrur. Et infrà: Si quis conuictus
» fuerit periurij, perdar manum, aut redi-
mar. Itaque cùm propter cauendum per-
iurium neceſſe ſit, ſi fortè contigerit, ſer-
uare iuſiurandum, illud ramen volumus
omnibus eſſe notum, quoddam iuramen-
tum nullo modo à Chriſtianis obſeruan-
dum: videlicet quo malum aliquod in-
cautè, vel etiam ſcienter, iurando promit-
titur. velut ſi quiſpiam adulteræ perpe-
tuam cum ea permanendi fidem pollicea-
tur, aut ſi quis, ne ad pacem redeat, vel vt
aliquod flagitiũ committat, ſe ſacramen-
to conſtrinxerit. Tolerabilius eſt deni-
que, non implere ſacramentum, quàm in
illud quod malè ſpopondit permanere,
vel quod decreuit perficere flagitium. Et
ne fortè quis dicat, aut periurium à nobis
ſuaderi, aut hoc nullum vel paruum eſſe
putetur, quid de talibus Hilerdenſe ſta-
tuat Concilium cap. vii. commemoretur.
Conc. Hilerd. can. 7 » Qui ſacramento ſe obligauerit, vt litigãs
» cum quolibet ad pacem nullo modo re-
» deat, pro periurio vno anno à communio-
» ne corporis & ſanguinis Domini ſegrege-
» tur, reatum ſuum eleemoſynis & fletibus,
» & quantis potuerit ieiuniis abſoluat. Ad
» caritatem verò, quę operit multitudinem
» peccatorum, celeriter venire feſtinet.

XII. *De diſcordantibus iracundis & litigioſis.*

Quia verò de diſcordanribus iracundis
& litigioſis ſermo nobis eſt, hæc quoque
vitia quantum ſint animæ nociua, quan-
túmque omnibus Chriſtianis cauenda,
paucis demonſtrare verbis neceſſarium
duximus. Dominus in Euangelio ait:
Matth. 18. 7. *Væ mundo à ſcandalis. neceſſe eſt enim, vt ve-
niant ſcandala: verumtamen væ homini, per
quem ſcandalum venit.* Cùm enim neceſſe
ſit, vt beatus dicit Hieronymus, in iſto
mundo fieri ſcandala, & vnuſquiſque ſuo
vitio ſcandalis pateat: væ tamen ei homi-
ni, qui quod neceſſe eſt vt in mundo fiat,
vitio ſuo facit vt per ſe fiat. Hinc Salo-
Prou. 16. 28. mon: *Homo peruerſus ſuſcitat lites, & ver-
Prou. 17. 11. boſus ſeparat principes.* Item: *Semper iurgia
quærit malus: angelus autem crudelis mittetur
contra eum.* Angelus crudelis immundus
eſt ſpiritus, qui à Domino contra pec-
cantes & iurgia quærentes mittitur, vt
eos vel in præſenti affligat, vel etiam poſt
mortem ad interitum rapiat. Item Salo-
mon: *Vir iracundus prouocat rixas: qui au-* Prou. 15. 18.
tem patiens eſt, mitigat ſuſcitatas. Item: *Qui* Prou. 17. 19.
meditatur diſcordias, diligit rixas. Cum tali-
bus certè Deus non eſt: quoniam atte-
ſtante Paulo Apoſtolo: *Non eſt Deus diſ-* 1. Cor. 14. 33.
ſenſionis, ſed pacis. In pace autem vocauit
nos Deus. Hinc ſuauis Doctor Eccleſiæ
Gregorius: Deus in vnitate eſt, & illi eius
merentur gratiam habere, qui ſe ab inui-
cem per ſectarum ſcandala non diuidunt.
Et Dominus in Euangelio: *Si offers mu-* Matth. 5. 23.
*nus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris
quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, re-
linque ibi munus tuum ante altare, & vade
prius reconciliare fratri tuo.* Vnde ſupradi-
ctus doctor oſtendens quàm grauis ſit
culpa diſcordiæ, dicit: Munus à Deo
non accipitur, niſi antè diſcordia ab ani-
mo pellatur. De iracundis quoque Do-
minus dicit: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo,* Matth. 5. 22.
reus erit iudicio. Hinc Iacobus, *Ira viri iu-* Iac. 1. 20.
ſtitiam Dei non operatur. & Paulus Apoſto-
lus nos admonet, dicens: *Sol non occidat ſu-* Epheſ. 4. 25.
per iracundiam veſtram. & Salomon: *Ne ve-* Eccl. 7. 10.
*lox ſis ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti re-
quieſcit.* Item: *Spiritum ad iraſcendum faci-* Prou. 18. 14.
lem quis poterit ſuſtinere? itémque: *Ira non* Prou. 27. 4.
*habet miſericordiam, nec erumpens furor: &
impetum concitati ferre quis poterit?* Ergo
cohibenda eſt iracundia, pellenda diſcor-
dia, refrænanda eſt rixa, vt non ſolùm no-
ſtro vitio non prouocemus quemquam,
ſed vt prouocati & grauiter læſi, iuxta
Pauli vocem, ſimus cum patientia ſup-
portantes inuicem, & donãtes nobiſmet-
ipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet que-
relam. Sicut Deus in Chriſto donauit no- Coloſſ. 3. 13.
bis, ita & nos dimittamus inuicem quod
debetur nobis, vt dimittatur quod debe-
tur à nobis. Tale quippe pactum cum
Deo facimus in oratione dicẽdo: *Dimitte* Luc. 11. 14.
*nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus de-
bitoribus noſtris.* Vnde ſummopere cauen-
dum eſt omnibus nobis. Qui enim nõ di-
mittit ei qui ſibi facit iniuriam, hoc petẽ-
do non pro ſe facit orationem, ſed ſuper-
inducit maledictionem: & fruſtra ſibi
Deum propitium fieri quærit, qui placa-
ri proximo negligit. Et quia tales ab eo
qui pax eſt ſeparati ſunt, iure & ab Eccle-
ſia ſeparantur, niſi inimicitias depoſue-
rint, decernente Concilio Agathenſi hoc Cõc. Agath. can. 31.
modo cap. xxxi. Placuit etiam, vt ſicut »
pleruumque

» plerumque ſir, quicumque odio aut lon-
» ginqua inter ſe lite diſſenſerinr, & ad pa-
» cem reuocari diutina intenrione nequi-
» uerint, à ciuitatis primirus ſacerdotibus
» redatguantur. Qui ſi inimicitias depo-
» nere pernicioſa intenrione noluerint, de
» Eccleſiæ cœtu iuſtiſſima excommunica-
Cõc. Carthag. IV. can. 93. » rione pellantur. Et in Concilio Carrha-
» ginienſi ſtatutum eſt cap. XCIII. Oblatio-
» nes diſſidenrium fratrum neque in ſacra-
» rio, neque in gazophylacio recipianrur.

Quotum igitur oblatio in præſenris Eccleſiæ non recipitur ſaerario, horum proculdubio animæ à cœleſtis ſacrarij, ſcilicer regni, Dei repelluntur conſortio.

XIII. *De homicidis & mendacibus.*

Ideo ranropere compeſcendam monemus diſcordiam, & iram cum lirigio, quia ex eis odibilem Deo & eius dilectoribus ſcimus procreari ſobolem, nefandum ſcilicet homicidium: quod crimen quàm graue ſir, & quanta illud comirentur infauſta, omnibus ſanum ſapienribus pater. Cuius miſeram originem idcirco altiùs repetere, & cunctis libet propalare, vt dum omnes mortiferam eius cognouerint eſſeradicem, aut nullo modo, ſi fieri poteſt, eam conringant, aur ſi forrè, vt aſſoler, ſe ingeſſerir, mox primo attactu eius amariſſimum virus à labiis anrequam inficianrur ſubmoueanr. Igitur cùm protoplaſti, qui ea naturæ qualitate creari fueranr, vt immorraliraris ac morris capaces eſſent, poſt primę prçuaricarionis reatum, non mori propria voluntare perdiro, & poſſe mori iam non ſponre retento, vel, vt ita dicamus, non poſſe non mori ſibi acquiſito, ira fuiſſenr motte mulctari, vteriam quidquid ex eorum ſtirpe eſſer exortum, eadem reneretur pœna obnoxium, & quod in illis propter peccarum ſucceſſir pœnalirer, in ex eis naſcentibus ſequeretur naturalirer: non ramen hîc ſerpenrina anriqui hoſtis quieuit inuidia, ſed quæ vetiro ſe infuderar pomo, vt dulceſceret faucibus parenrum, in ſequentem transfuſa propaginem, ad inrima tranſiir præcordia filiorum. Er licer ipſa agenre mors raliter inrrauerit in orbem terrarum, parum tamen ſibi feciſſe viſa eſt, ſi iam mortales parererur debitæ morris expectare terminum. Vnde, quod dictu lugubre eſt, in rantum ſe dilatando, & primæ conditionis innocenriam perſequendo effudir, vr nec illi, qui primi in terra ediri ſunr, germani frarres pacem inrer ſe & concordiam habere poſſent, ſed cùm adhuc ſoli cum parenribus totius orbis domini exiſterent, alter alrerum inuidendo occiderir, & præoccuparo ſibi debiti finis articulo, ante ſupremas maturæ metas viræ eum in rerram ſuam redire coegerit. Cúmque Deus illum ſub maledicto redactum ſeptupla pro ranto facinore vltione damnaſſet, vt & ipſe vſque ad ſeptimam generationem frarricidij & inuidiæ ſuæ vagus profugúſque pœnas lueret, & progenies eius in ſeprima ſimiliter generatione maledictioni ſubiacerer: cúmque demum ſecundum homicidam Lamech, vt addiro iam inrerdicti & maledictione mulctari ſceleris crimine, ſic addita mulriplici vindicta, ſepruageſies ſepties iuxra inrerpretationem ſui nominis percuſſiſſer: non ſic quidem ſemel corruptus ſenſus, & auiro infecta veneno humani cordis cogitatio, quæ, ipſo dicente Domino, in malum prona ſunr ab adoleſcentia ſua, Gen. 8. 21. timore ſaltem pœnali ab impierare cœpta potuir refrænari: ſed quo magis humani generis creuir propago, eo ampliùs non ſolùm crudelium homicidiorum, ſed & omnium ſcelerum concreuit magnirudo, ab inuidia diaboli ſumpro principio, dum illũ imitãtur qui ſunt ex parre eius. Quaproprer quod diuino nequaquam cohibebatur rimore, neceſſariò legis, & veteris & nouæ, & Eccleſiaſticæ & ſæcularis, prohiberi; & poſt prohibita perpetrarum iure puniri debuit animaduerſione. Ideo de inſanis homicidiorũ patratoribus quid ſancirum ſit antiquirus ex parre retexamus. In decalogo legis veteris Dominus per Moyſen præcipit: *Non occides.* Exod 20. 13. Itẽ: *Qui percuſſerit hominẽ, & occiderit, morte moriatur.* In Euangelio verò Dominus per ſe ipſum dicit: *Audiſtis quia dictum eſt* Matth. 5. 21. *antiquis, nõ occides, qui autẽ occiderit reus erit iudicio.* Vbi dum ira penitus rollitur, quis homicidij locus relinquitur? Dũ enim iubemur verberanti alteram prębere maxillã, inimicos quoque diligere, ac pro perſequenribus orare, omnis, non dicam homicidij, ſed & eius, ex qua naſcitur, irę videlicer occaſio auferrur. Qui verò, & quales, cuiuſque filij ſint, & cuius opera faciãt homicidæ, Dominus loquens ad Iudæos manifeſtar, cùm dicit: *Quæritis me interficere. quia ſermo meus non capit in vobis.* Ioan 8. 37. ac ſi diceret, non capir cor veſtrum, quia non recipitur à corde veſtro. ſi enim caperetur, caperet: caperet aurem ad ſalutem, non ad perniciem. Irem: *Vos quæ vi-* Ibid. 38. *diſtis apud patrem veſtrum, facitis.* Qualia

denique ſunt, quæ apud patrem ſuum viderunt, in conſequentibus aperit, cùm quis ſit ille illorum pater patenter oſtendit. ille videlicet quem imitati, non à
Ibid. 41. quo ſunt creati. Item: *Vos facitis opera patris veſtri.* Cúmque illi, ſicut & adhuc quidam miſeri, nomine Chriſtiani, opere verò diabolici, gloriarentur de paternitate vnius Dei, dicentes: *Nos*, inquit, *ex*
Ibid. *fornicatione non ſumus nati: vnum patrem*
Ibid. 42. *habemus Deum*, audierunt: *Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis vtique me.* ac ſi diceret, Dicitis Deum patrem, agnoſcite me vel fratrem. Vtinam audiamus hoc nos Chriſtiani, quod audire noluerunt Iudæi: vt ſi verè volumus de gratia paternitatis cœleſtis patris gloriari, & adoptiui eius eſſe filij, diligamus ex toto corde fratrem noſtrum Dominum I. ſum Chriſtum, verum & proprium filium Dei: diligamus & proximos noſtros, ſecundum eius impetium, ſicut noſmetipſos: cognoſcamus vocem loquelæ eius, ſicut propriæ oues ipſius, ne exprobret nobis quod dixit Iu-
Ibid. 43. dæis: *Quare*, inquit, *loquelam meam non cognoſcitis? quia non poteſtis audire ſermonem.*
Ibid. 44. & hoc vnde? *Vos*, inquit, *ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri facere vultis.* Et quaſi interrogaretur, quæ ſunt illius deſideria? *Ille*, ait, *homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.* Homicida, inquit, erat ab initio, vtique in primo homine. Ex illo ille homicida, ex quo fieri potuit homicidium. inuidit enim primo homini, & occidit hominem. Ergo qui illum imitando talia faciunt, vel facere deſiderant, eius vtique filij ſunt, & cum tali patre, niſi citò reſipuerint, hæreditabunt pœnas ignis æterni, qui paratus eſt illi, & Angelis eius, & filiis eius. Et quia ſe locus in præſentiarum obtulit, vt de mendacibus quid loquamur, audiamus ipſum Dominum oſtendentem nobis quis pater mendacij & mendacium hominum habeatur. Cùm enim dixiſſet de diabolo: *Ille homicida erat ab initio*, addidit vnde, *& in veritate*, inquit, *non ſtetit, quia veritas non eſt in eo. cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater eius*, id eſt pater mendacij ſui quod ipſe genuit, quia à nemine illud audiuit. Nam quiſquis homo ab alio mendacium accipit, & dicit, mendax eſt, ſed pater eius non eſt. Mendaces igitur apud patrem ſuum diabolum vident, & audiunt quod loquitur, id eſt mendacium, quod ex ſe natum idcirco docet proferri ore hominum, vt eorum animas per ipſum prolatum interficiat mendacium, atteſtante nimirum ſcriptura, *Os quod mentitur, occidit animam.* & Sap. 1. 11.
omnibus mendacibus pars illorum erit in ſtagno ignis ardentis ſulphure. Propter quod omnes admonet Apoſtolus Paulus: *Noliſe*, inquit, *mentiri inuicem.* Itemque: Coloſſ. 3.
Deponentes mendacium, loquimini veritatem Epheſ. 4.
vnuſquiſque cum proximo ſuo. & Salomon: *Abominatio Domino eſt lingua mendax: qui* Prou. 12. 22
autem fideliter agunt, placent ei. & iterum, *Liberat animas teſtis fidelis: profert mendacia verſipellis.* Item, *Qui quod nouit loqui-* Prou. 14.
tur, index iuſtitiæ eſt: qui autem mentitur, Prou. 12.
teſtis eſt fraudulentus. Hinc Ieſus filius Syrach: *Noli*, inquit, *velle mentiri omne* Eccle. 7.
mendacium. Cùm enim, vt beatus pater Auguſtinus dicit, octo ſint genera mendacij, nullo eorum à perfectis viris mentiendum eſt. Vnde Iſidorus: Summopere cauendum eſt omne mendacium. & item: Omne genus mendacij ſummopere fuge. omne enim quod à veritate diſcordat, iniquitas eſt. Eſto in verbo verax, neminem mentiendo fallas, non aliud loquaris, & aliud facias: non aliud dicas, & aliud in animo teneas. Et in Epiſtola Calliſti Papæ: Nihil mali vult qui fidelis eſt. ſi quis fidelis eſt, videat ne falsò loquatur, aut cuiquam inſidias ponat. Dicit pſalmus: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Si Pſal. 5. 7.
quæritis quare, quia veritati, quæ Chriſtus eſt, contrarium eſt. Pertinet namque ad id quod non eſt, non ad id quod eſt. Si enim hoc dicitur quod eſt, verum dicitur: ſi autem hoc dicitur quod non eſt, mendacium eſt. Ideo, inquit, perdes eos qui loquuntur mendacium, quia recedentes ab eo quòd eſt, ad id quod non eſt declinauerunt. Licet quidam hoc non de omni mendacio, ſed de hæreticis tantùm intelligi velint. Nos autem fugientes à patre mendacij, curramus ad patrem veritatis, & loquamur veritatem ex corde & ore cum proximis noſtris, vt mereamur inueniri participes veritatis æternæ, & patri coæternæ, cum eo regnantes in ſæcula. Sed reuertamur ad homicidas, qui vnum cum mendacibus dicuntur haberem patrem, id eſt diabolum. Attendant quid Dominus poſt diluuium famulo ſuo Noë dixerit: *Sanguinem animarum* Gen. 9. 5.
veſtrarum requiram de manu hominis: de manu viri, & fratris eius, requiram animam eius. quicumque effuderit humanum ſanguinem, ſanguis eius fundetur pro eo: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. Qua ſententia

Digitized by Google

cùm ſub interminatione prohibeatur homicidium, tamen ne quis inſipientium putet animam hominis in ſanguine conſtitutam, quæ immortalis eſt, & quæ ideo ſic appellatur, quaſi anæma, id eſt à ſanguine longè diſcreta, nouerit ſanguinem animarum typicè intelligendum ipſum vitale, quo vegetantur, & ſuſtentantur, & viuunt homines in carne per animam. Non enim ſanguis hominis ad ſubſtantiam animæ creditur pertinere: quamuis alibi legiſlator dicere videatur: *Anima om-*
t. 17. 11. *nis carnis in ſanguine eſt*. quod non ideo dictum eſt, vt hoc ſit anima, quæ eſt propriè ſpiritalis ſubſtantia: ſed quòd per ſanguinem anima, vt diximus, typicè ſignificetur, per rem ſcilicet viſibilem res inuiſibi-
1. Cor. 10. 4. lis, ſicut & illud: *Petra autem erat Chriſtus*, non quia hoc erat, ſed quia hoc ſignificabat. Quo ſenſu & illud intelligendum
Gen. 9. 6. eſt, quod ſequitur: *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur & ſanguis illius.* Multi denique effuderunt ſanguinem, & ſanguis eorum effuſus non eſt. perimuntur etiam plurimi veneno, vel ſuſpendio, vel quolibet alio modo, & ſanguis eorum non effunditur. Ergo cùm ille qui occidit ſanguinem non effuderit, quomodo eius ſanguinẽ Dominus effuſurus eſt? Niſi quia, vt diximus, ſanguis hominis ipsũ vitale eius, quo ſubſiſtit, debet intelligi: quod qui effuderit, id eſt, qui aliquo genere mortis hominem occiderit, fundetur ſanguis illius, hoc eſt vitalis portio eius: quoniam ſicut illi, quem occidit, temporalem vitam, ſic ſibimet ipſi peccaodo vitam abſtulit æternam. anima enim quæ peccauerit, ipſa morietur. Cui
Matth. 26 52. ſimile eſt illud quod Petro dicitur: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*. ac ſi diceretur, omnes qui iniuſtè occidunt hominem, eadem occiſione ipſi in anima pereunt. & quia ad imaginẽ ſuam Deus hominẽ fecit, in eo quod huic manere ad æternitatem voluit, idcirco animas hominum ab his, à quibus de corporibus fugãtur, requirit. Audiant igitur doloſi & falſi
Pſal. 5. 7. teſtes pſalmiſtã dicentem: *Virum ſanguinũ & doloſum abominabitur Dominus*. Itẽ: *Viri*
Pſal. 54. 24. *ſanguinum & doloſi nõ dimidiabunt dies ſuos*. & quia tales abominatur Dominus, abominatur etiã illos & Eccleſia. Vnde taliter de eis in Cõcilio Agathẽſe cap. XXXV.
» ſtatutum eſt: Itaque cenſuimus homici-
» das & falſos teſtes à communione Eccle-
» ſiaſtica ſubmouendos, niſi pœnitentiæ ſa-
» tisfactione crimina admiſſa diluerint. &
» in Concilio Aocytano cap. XXI. Qui vo-
luntariè homicidium fecerint, pœniten- «
tiæ quidem ſe iugiter ſubmittant, perfe- «
ctionem verò circa vitæ exitum conſe- «
quentur. De his autem qui homicidium non ſponte committunt, in eodem Concilio cap. XXII. ſic dicitur: De homicidiis «
non ſponte commiſſis, prior quidem defi- «
nitio poſt ſeptemnem pœnitentiam per- «
fectionem conſequi præcepit, ſecunda «
verò quinquennij tempus explere. Et de «
homicidis maleficis, in Concilio Eliberitano cap. VI. Si quis maleficio interficiat «
alterum, eo quòd ſine idololatria perfice- «
re ſcelus non potuit, nec in finem imper- «
tiendam eſſe illi communionem. Igitur «
cùm hoc ſcelus homicidiorum inter noſtros iam crebriùs actiratur, & non ſolùm quorumlibet Chriſtianorũ, ſed ipſorum etiam Chriſti miniſtrorum, inſuper & ſummorum ſacerdotum temerariè ſanguis effunditur, & Dei timor, ſacreque legis veteris & nouæ obſeruatio, ac ſacerdotalis reuerentia, canonum quoque ſtatuta conculcantur, atque omnis ordo Eccleſiaſticus à talibus paſſim confunditur, & ludibrio habetur, & repleti ſunt, qui obſcurati ſunt terræ domibus iniquitatũ, quid nobis agendum eſt? Dum religio ſancta adnullatur, dum fas & ius confunditur. reſtat ſolummodo cum pſalmiſta
proclamare ad Dominũ, & dicere: *Exurge* Pſal. 73. 22.
Deus, iudica cauſam tuam: memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die. Verumtamen quos diuinus non reſtringit, ſaltem humanus timor coerceat. Proponãtur eis edicta Imperatorũ. In lib. Capitularium VI. cap. XC. ita cenſe-
tur: Qui occiderit monachum, aut cleri- « Lib. VI.
cum, arma relinquat, & Deo in monaſte- « cap. 90.
rio ſeruiat cunctis diebus vitæ ſuæ, nun- «
quam ad ſæculum reuerſurus, & ſeptem «
annos publicam pœnitentiam gerat. Ex «
eodem libro cap. XXVIII. Si quis ſacerdo- « Lib. VI.
tem, vel leuitam, aut monachum interfe- « cap. 97.
cerit, vel debilitauerit, iuxta ſtatuta prio- «
rum capitulorum, quæ legi Salicæ ſunt «
addita, componat, & inſuper bannum no- «
ſtrũ, id eſt LX. ſolidos nobis perſoluat, & «
arma relinquat, atque in monaſterio die- «
bus vitæ ſuæ ſub ardua pœnitentia Deo «
ſeruiat, numquam poſtmodum ſæculo «
vel ſæcularibus militaturus, neque vxori «
copulaturus. Item in libro VII. cap. CCXXV « Lib. VII.
De homicidis ita iuſſimus obſeruari, vt « cap. 181.
quicumque auſu temerario alium ſine «
cauſa occiderit, vitæ periculo feriatur, & «
pretio ſe redimere nunquam valeat. Et ſi «
conuenerit vt ad compoſitionem quiſq; «

» deſcendat, nullus de parentibus aut ami-
» cis eum quicquam adiuuet. quòd ſi fece-
» rit, ſuum vvirgildum omnino componat.
Cùm ergo de iſtis tam diſtrictum profe-
ratur iudicium, quid cenſebitur de nece
Epiſcoporum? Quod fortaſſis hîc ideo vi-
detur omiſſum, quia poſt ſopitam perſe-
cutionis Chriſtianorum, quæ à paganis
exercebatur, ſæuitiam, vel ſi fuit rariſſi-
mum, vel nullum tam immane facinus
inter Chriſtianos eſt perpetratum: & id-
circo quomodo pœniteri aut puniri de-
beat, hac nō eſt lege diffinitum. Hoc tan-
tùm inter cetera Capitularium ſcripta, li-
Lib. III. ca. 25. bro v. cap. CCLXI. reperitur, quòd qui
Epiſcopum occiderit, nongentis ſolidis
culpabilis iudicetur. Sanè quomodo in
talibus vindicandum ſit, quia non ho-
minis vindicta quæritur, ſed Dei, ne quā-
tum ad humanum ſpectat intuitum, tan-
tum facinus remanere videatur inultum,
& ſuper eos, qui Dei vindices eſſe debue-
rant, dum ſuas grauiùs, Dei verò vel le-
uiùs, vel nullatenus vlciſcuntur iniurias,
iuſtum eius ſuperducatur iudicium, vi-
deat rex vt rectè de talibus iudicando no-
men ſuum factis adimpleat. Videant Du-
ces eius & Comites, qui gladiū Dei por-
tant ad vindictam malefactorum, de qui-
Rom. 13. 3. bus ait Apoſtolus: *Principes non ſunt ti-
mori boni operis, ſed mali: vis autem non time-
re poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex
illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si
autem malefeceris, time: non enim ſine cauſa
gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex
in iram ei qui malum agit.* Et ſibimetipſis,
ſuiſque proſpiciant ſubditis, iuxta exem-
plum Moyſi famuli Dei, qui in Dei vin-
dictam ſibi coniunxit, armauit, & anima-
uit filios Leui, & cùm eſſet mitiſſimus, in
quoſdam idololatras puniendo eos velu-
Exod. 32. 27. ti deſæuiit, præcipiens ſuis: *Ponat vir gla-
dium ſuper femur ſuum.* & rurſus: *Ite & re-
dite de porta vſque ad portam, & occidat vnuſ-
quiſque fratrem, & amicum, & proximum
ſuum*, ne in omnem populum ira Dei de-
ſæuiret. Si enim ipſe rex videlicet, atque
ſui, quibus hoc agēdum negotium inſtat,
Dei iudicium quoquo modo diſſimula-
uerint, ipſi viderint. Stat namque firma
Pauli ſententia Apoſtoli, in quo ipſa veri-
Rom. 1. 18. tas Chriſtus loquebatur, qua dicitur: *Re-
uelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impieta-
tem & iniuſtitiam hominum, eorumque qui
veritatem Dei in iniuſtitia detinent.* & poſt
pauca: *Qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent,
non intellexerunt*, id eſt intelligere nolue-
Ibid. 32. runt, *quoniam qui talia agunt, digni ſunt
morte, non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui
conſentiunt facientibus.* & iterum: *Scimus* Rom. 2. 2.
*quoniam iudicium Dei eſt ſecundum verita-
tem in eos qui talia agunt.* Nos verò talibus,
ſi fortè tandem aliquando vel in vltimis
ſuis reſipuerint, tàmque grauium admiſ-
ſorum veniam corde tenùs poſtulauerint,
ne videamur eam, quę claudi non poteſt,
ianuam pietatis Dei obſtruere velle, & de
eius miſericordia aliquos, quod abſit, de-
ſperare, immo, vt ita dicatur, mortuis
mortem addere; nequaquam pœniten-
tiam denegari dicimus: cùm Deum miſe-
ricordem ad ſubueniendum miſeris, ad
benignitatis eius portum confugientibus
paratiſſimum credamus, inuitantem om-
nes ad pœnitentiam, atque per prophe-
tam clamantem: *Nolo mortem peccatoris,* Ezech. 33. 11.
ſed vt conuertatur & viuat. Quibus tamen
pœnitentiæ modos & tempora iuxta qua-
litatem peccati dicimus decernēda, ſicut
taxatur in Concilio Africano cap. x. Pœ- "
nitentibus, inquit, ſecundum differen- "
tiam peccatorum, Epiſcopi arbitrio pœ- "
nitentiæ tempora decernantur. Item in " Cōc. Car-
eodem Concilio cap. LXXIV. Vt ſacerdos " thag. IV.
pœnitentiam imploranti, abſque perſonæ " can. 74.
acceptione, pœnitentiæ leges iniungat. "
Nos quidem de iſtis quod noſtrum erat
egimus. Denique ſecundum ſententiam
B. Apoſtoli Pauli, vt tollerentur de me- 1. Cor. 5. 5.
dio Chriſtianorum qui hoc egerunt, iam
iudicauimus qui ſic operati ſunt, in nomi-
ne Domini noſtri Ieſu Chriſti congrega-
tis nobis & eius ſpiritu cum virtute Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti tradere huiuſmo-
di Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus
ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chri-
ſti, ſi tamen pœnitētiam agere voluerint.
Sic enim idem Apoſtolus ſe egiſſe teſta-
tur de his qui circa fidem naufragauerūt,
id eſt in fide malè viuendo errauerunt,
ſcribens ad Timotheum: *Ex quibus eſt*, in- 1. Tim. 1. 20.
quit, *Hymenæus & Alexander, quos tradidi
Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.* Si verò
vt inceperunt in ſua perſeuerauerint ma-
litia, & diuitias bonitatis Dei, & patien-
tiæ, & longanimitatis contempſerint, ſe-
cundum duritiam ſuam, & impœnitens
cor, theſaurizantes ſibi iram in die iræ &
reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet
vnicuique ſecundum opera eius: quo-
niam à nobis modò non tradūtur Satanæ
in interitum carnis, vt ſpiritu ſaluentur,
ſed ipſi potiùs ſeipſos ex toto tradiderūt
Satanæ, vt cum ipſo in die Domini noſtri
Ieſu Chriſti pereant: nos quoque, cum
omni Eccleſia Chriſti, quia nec debemus,

nec poſſumus, eis nec viuis nec mortuis communicabimus. Inſuper & ſecundum poteſtatem nobis in B. Petro & in ceteris collatam Apoſtolis, quibus dictum eſt: Matth. 18. 18. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis*, illius anathematis vinculo 1. Cor. 16. 22. eos adbuc innodabimus, vt iuxta Pauli vocem, quia non amant Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quin immo oderunt, & perſequuntur, & illum qui nomē eius cum ſacra vnctione geſtabat, vicéſque illius agebat, Chriſtum Domini interfecerunt, ſit quiſque eorum, qui hoc nefandiſſimum ſcelus opere perpetrauit, & quicumque eis quoquo modo fauendo, & communicando conſentit, anathema, maranatha, id eſt condemnatus, donec Dominus redeat, vel perditio, ſiue vt dictum eſt condemnatus in die iudicij, quando Dominus veniet. Gratia autem & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit nobiſcum, & cum omni Eccleſia eius. Amen.

XIV. *De non diripiendis Eccleſiæ rebus defuncto Epiſcopo.*

Quanquam ſuperiùs de ſacrilegis inter nos ſermo ſit habitus, vbi ex parte oſtendimus, quàm graue ſit illud facinus, & qua pœna iure plectatur ſacrilegus: tamen quia inter noſtrates hic peſſimus inoleuit mos, vt defuncto Eccleſiæ Epiſcopo, mox à quibuſcumque potentioribus peruadantur res Eccleſiaſticæ, quaſi Epiſcopi fuerint propriæ, cùm etiam ſi eius eſſent, contra omne ius id fieret. hoc tam immane ſacrilegij facinus, & iam ſæpius factum ſcientes dolemus, &, ne vlteriùs à quolibet præſumatur, auctoritate Dei, & ſanctorum eius, qui cum illo regnant in cælo, noſtro etiam Epiſcopali miniſterio, quibus Dominus licet indignis poteſtatem Matth. 18. 18. dedit in ſuis Apoſtolis dicens: *Quodcumq; alligaueritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*, interdicimus. Vnde inter ceteras de hac re canonum Côc. Valentinum in Hiſpania. conſtitutiones, in Concilio Valentino cap. 11. ita ſcribitur. Hoc etiam placuit, vt Epiſcopo ab hoc ſæculo iubente Domino accerſito, clerici ab omni omnino ſuppellectili, vel quæcumque ſunt in domo Eccleſiæ, vel Epiſcopi, in libris, in ſpeciebus, vtenſilibus, vaſculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omnino re, rapaces manus abſtineant, & nihil latronum more diripiant. Qui niſi canonum auctoritate cohibiti fuerint, omnia quæ peruaſerint, Metropolitani vel omnium comprouincialium ſacerdotū diſtrictione coacti, in priſtinum ſtatum redintegrare cogantur: vt nihil Antiſtiti, vel diſpenſatori futuro neceſſariorum ſub hac iuſta conſtitutione depereat. Quod vt confidentiùs iuſtitia manente ſeruetur, ſecundum Regenſis Synodi conſtituta, Epiſcopo è corpore recedente, vicinior illi acce- Conc. Regenſe c. 5. dat Epiſcopus, qui ex more exequiis celebratis ſtatim Eccleſiæ illius curam diſtrictiſſimè gerat, ne quid ante ordinationem pontificis futuri, remanentium clericorum ſubuerſioni vel direptioni iam liceat. Ita vt de repertis omnibus inſpectio certior, deſcriptióque fideliſſima, ſi fieri poteſt, intra octauas defuncti, ſub diligentia præſentis Epiſcopi peragatur: dehinc ad Metropolitani notitiam habita ordinatè deſcriptio deferatur, vt eius electione talis perſona ordinandę domui Eccleſiaſticæ procuretur, quæ vel conſueta clericis ſtipendia diſpenſet, & creditarum ſibi rerum, ſi forſitan tardiùs in Epiſcopo ordinando ſucceſſerit, Metropolitano congruis temporibus reddere poſſit rationem: vt ſub hac ſalubri conſtitutione clerici ſtipendiis ſuis omnino contenti, labores non diripiant Epiſcopi decedentis, & in vacuam Eccleſię domum futurus pontifex non ſine dolore ſuccedat: ſed magis de præceſſoris ſui dimiſſo poſſit & ipſe gaudere, & aliis miniſtrare. Item cap. 111. Simili quoquo modo parentibus & Conc Valent. can. 3. propinquis decedentis Epiſcopi, ſi inteſtatus obierit, denuntietur, vt ſine Metropolitani vel comprouincialium ſacerdotum conſcientia, nihil de rebus defuncti occupare pertentent: ne forte hereditariis rebus etiam aliqua ad Eccleſiam pertinentia vel permixta vſurpent. Sed vſque ad ordinationem futuri expectent Antiſtitis: aut certè, ſi longum fuerit, ad Metropolitani, vt dictum eſt, admonitionem recurrant. Si quis autem, immemor diuini timoris, contra hæc ſancta ſynodica clericus quiſque vel laicus venire improba mente tentauerit, & communione & conſortio priuetur Eccleſiæ: quia durum eſt vt ad illam conueniat, quàm exſpoliare non metuit: niſi forte ſpiritu meliori correptus, dum à præſumptione ceſſauerit, recuperat indulgētiam. Si autem rationabiliter modeſtéque vnuſquiſque reperit quod ſibi iure debetur, ei abſque aliqua animaduerſione à Metropolitano, vel cui iniunxerit, aut res aut ratio non negetur. Hos etiam omnes canones con-

ſtingunt, qui tam in prætetitum, quàm in fututum, res Eccleſias vel Epiſcopi vſurpantes diripuerunt. Item cap. IV. *Conc. Valentinum can. 4.* Illud etiam prouido conſilio decernentes, vt quia ſæpe ſanctorum Antiſtitum, per abſentiam commẽdatoris Epiſcopi, exequiæ differuntur, ita vt venetanda pontificis membra, dum tardiùs funerantur, iniutiæ omnino ſubiaceant, Epiſcopus, qui poſt mortem fratris ad ſepeliendum eum ſolet inuitatus occurrete, infitmũ magis, & adhuc in cotpore poſitum, admonitus viſitare non differat, vt aut de releuatione ſacerdotis ampliùs gaudeat, aut certè de ordinatione domus ſuæ fratrẽ admoneat, eiúſque probabilem voluntatem in effectum trãſmittat, ac recedentem à ſæculo, poſt oblatum in eius commendatione ſacrificium Deo, mox ſepulturę tradat diligentiſſimè, & ſupetiùs conſtituta canonicè nõ differat adimplere. Si autem, vt fieti ſolet, Antiſtes obitu repentrino diſceſſerit, & conlimitanei ſacerdotes dè longinquo minimè adeſſe potuerint, vno die tãtùm cum ſua nocte exanimatum corpuſeulum ſacerdotis maneat, nec ſine fratrũ ac religioſotum frequentia, vel pſallentium excubatione ſeruatum à preſbyteris, cum omni diligẽtia in loculo conditũ ſeorſim, non ſtatim humetur, ſed honorificè commendetur, donec ſine mora inuitato vndecumque pontifice, ab ipſo, vt condecet, ſolemniter tumuletur: vt & iniuriæ tollatur occaſio, & mos antiquus in ſepeliendis ſacerdotibus obſetuetur. In decreto quoque ſynodali Toletana vrbe geſto, cap. III. ſic legitur. *Conc. Tolet. VII. can 3.* Ea quæ competunt honeſtati contingit ſæpè quorumdã deſidia non impleri. Proinde quia notum eſt quæ dignitas in exequiis morientis Epiſcopi ex canonibus conſeruetur, traditioni moris antiqui hoc tãtùm adiicimus, vt ſi quis ſacerdotum, ſecundum ſtatuta Valentini Concilij, ad humana decidentis Epiſcopi membra venire commonitus pigra voluntate diſtulerit, appellantibus cleticis obeuntis Epiſcopi, apud Synodũ, ſiue apud Metropolitanum Epiſcopum, tempore anni vnius nec faciẽdi Miſſam, nec communicandi habeat omnino licẽtiam. Preſbyteri autem, ſiue ceteri clerici, quibus maiot honoris locus apud eamdem Eccleſiam fuerit, cuius ſacerdos obietit, ſi ſollicitudine pro exequiis aut iam mottui, aut continuò Antiſtitis morituri, ad commonendum tardi inueniantur, aut pet quamcumque moleſtiam animi id negligere comprobentur, totius anni ſpatio ad pœnitentiam in monaſteriis deputentur. Ergo cùm de exequiis Epiſcopi decedentis talis habeatur patrum conſtitutio, non ab te tamen ducimus, & nunc omnibus notum fieri, quatenus nullus audeat tantum ſcelus petpetrare ſacrilegij, & quod nefas eſt, legéſq; ptohibẽt alicui ſpecialiter homini fieri, hoc nemo præſumat ſanctæ marri Eccleſiæ vllo modo facere. Et quoniam in quibuſdam opportunitas locorum ſe offert, vt ad obitum, vel exequias alicuius ex nobis, duo vel tres Epiſcopi cõuenire poſſint, & veſtræ amabili in Chriſto fraternitati ita placitum eſſe dignoſcitur, decet vt ſancta caritas ſe oſtendat in mortuorum funeribus, quę in viuotum flagrauit pectoribus. Sanè quia innotuit nobis ſancta ſedes Apoſtolica, adhuc errores blaſphemiáſque cuiuſdam vigere Photij in partibus Orientis in Spiritum ſanctum, quòd non à filio, niſi à patre tantùm procedat blaſphemantis, hortamur veſtram fraternitatem vnà mecum, vt ſecundum admonitionem domini Romanæ ſedis, ſinguli noſtrûm, perſpectis patrum catholicorum ſententiis, de diuinæ ſcripturæ pharettis acutas proferamus ſagittas potentis, ad confodiendam beluam monſtri tenaſcentis, & ad conterendum caput nequiſſimi ſerpẽtis.

XV. *Epilogus ad Epiſcopos, & generaliter ad omnes.*

His ita prælibatis, nunc omnes generaliter alloquamur, qui iuſtè & piè volunt viuete in communione ſanctæ Eccleſiæ catholicæ, quæ eſt vnum corpus Chriſti, cui vnus eſt Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Quæ cùm generaliter ab ipſo ſuo capite Chtiſto ſuper petrã, id eſt ſuper confeſſionem Petri ſit ædificata, manifeſtum tamen eſt, in omnem Italiam, Gallias, & Hiſpaniam, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt ſacerdotes. Et quoniã Eccleſia in noſtris quoque partibus, vt dictum eſt, ſuper hãc petræ ſoliditatem non tantùm fundata, ſed ab eo eiúſque eſt ſucceſſoribus etiam edocta, cum Dei gratia, ipſius B. Petri ſuffragantibus meritis, firmitatem fidei, quã primo percepit, hactenus inconcuſſam ſeruare ſtuduit, nulláque perfidorum cõſortia recepit. At verò quia multi fide tãtum Chriſtiani ſunt, opere verò à Chriſtiana doctrina diſſentiunt: & atteſtante Iacobo Apoſtolo didicimus, fidẽ non ſolùm otioſam, ſed etiam eſſe mortuã ſine *Iac. 2. 14.*

Digitized by Google

operibus, ait enim; *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habet? nunquid poterit fides ſaluare eum?* Et beatus Hieronymus: Quid prodeſt, ſi impiè agens Deum voce inuocas, quem operibus negas? Sanctus quoque Papa Gregorius: Quid prodeſt, ſi redemptori noſtro per fidem iungamur, ſi ab eo moribus diſiungamur? Itaque ille verè credit, qui exercet opere quod credit. Magnopere ſatagendum eſt, vt qui fideles eſſe dicuntur, ſi cum fideli Abraham benedici cupiunt, qui non tantùm ex fide, ſed ex operibus iuſtificari meruit, beatè viuere ſtudeant. Ille enim, vt ſanctus ait Hieronymus, beatus eſt, qui & rectè credendo bene viuit, & bene viuendo fidem rectam cuſtodit. Sed heu, proh dolor! noſtris, noſtrorúmque comminiſtrorum, & qui iam diſceſſerunt, & qui adhuc ſuperſunt, tam incuria, quàm inſcientia, perditi vitiis multi, & pene innumerabiles, adhuc inueniuntur in plebe Eccleſiaſtica, cuiuſcumque ſexus, & ętatis, pariter & conditionis, qui ad vſque ſua tempora ſenectutis necdum, vt debuerant, percepere fidei notitiam ſimplicis, vſque adeo vt nec ipſius ſymboli verba ſalutaris, nec ſaltem ſupplicationem dominicæ nouerint orationis. Hi verò tales, etſi aliquid videantur habere bonæ conuerſationis, quomodo ſine fidei fundamento ædificium conſtruent boni operis? Et ad hæc quid excuſationis prætendere poſſumus, dum tales à corpore exeuntes, non ad vitam, quam non nouerunt, ſed ad mortem rapiuntur ęternã, quam euadere ſine fide, ex qua iuſtus viuere creditur, minimè potuerunt? Nos ergo, vt beatus ait Gregorius, pereunte populo auctores mortis exiſtimus, cùm duces eſſe ad vitam debuimus. Ex noſtro enim peccato populi turba proſtrata eſt, quia faciente noſtra negligentia ad vitam erudita non eſt. Quam terribilem nimis, imminétémque nobis & ipſis damnationem, & per nos, & per ſecundi ordinis conſacerdotes, omnimodis euadere conemur, erudientes aſſiduè commiſſos nobis, & fidei verbis, & bonorum operum exemplis: vt in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, vt non vituperetur miniſte-
Hier. 2. 8. rium noſtrum, ne de nobis dicatur: *Sacerdotes ignorauerunt ſcientiam.* & item: *Sacerdotes non dixerunt vbi eſt Dominus, & tenentes legem neſcierunt me.* & ne illam incurra-
1. Reg. 4. mus offenſam, quam Heli ſacerdos incurriſſe dinoſcitur, eo quòd filios ſuos indignè agentes non dignè corripuit.

GENERALITER OMNIBVS. Ergo primò omnium collocet ſibi vnuſquiſque Chriſtianus, qui aliter Chriſtianus verè dici & eſſe non poteſt, fundamentum Chriſtianæ religionis, id eſt fidem catholicam, vt credat in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, vnum & verum Deum, trinum in perſonis, vnum in ſubſtantia. Credat nihilominus, quòd ſola perſona filij pro ſalute noſtra carnẽ aſſumpſit, in qua paſſus eſt, & reſurrexit, & in cœlos aſcendit, cum qua etiam ad iudicium venturus eſt. Credat & in Spiritum ſanctum, & quòd in baptiſmate per eum tribuatur omnium remiſſio peccatorum, & quòd eius dono in Eccleſia Chriſti per pœnitentiam, & per ſacerdotale miniſterium, incunctanter peccatorum detur indulgẽtia. Credat quoque veraciter in vera carne futuram in aduentu Chriſti reſurrectionem omnium. Hoc veræ fidei fundamentum bonis neceſſe eſt exornetur operibus, quia ſicut ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ita & fides perfecta eſſe non valet, niſi per dilectionem operetur: inſuper ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Exornetur ergo ſancta fides, vt vera & fructuoſa ſit, ſpe, caritate, humilitate, caſtitate, continentia, ſobrietate, vnanimitate, concordia, iuſtitia, miſericordia, innocentia, & ſimplicitate, & ceteris his ſimilibus, quæ in dilectione Dei conſiſtunt, & proximi. Videat vnuſquiſque, ne eius decorem diuerſis cõmaculet flagitiis. Inter quæ maximè hæc cauenda peruidemus, & quanto occultiora, tanto pericloſiora eſſe pro certo ſcimus. Superbiam ſcilicet, quæ & de Angelo diabolum facere, & de cœlo nouit præcipitare. Inuidiam, à diabolo inuentam ad deiiciendum de paradiſo hominem, & ad mortem in orbem terrarum introducendam. Odium & diſcordiam, prædictorum criminum ſequaces, ſed non minus pernicioſas, quia matrem omnium virtutum caritatem expellũt, & illa fugata, omnia ſimul, ſi qua fuerint, bona opera peruertunt. Hæc igitur principaliter à fidelium cordibus ſunt extirpanda, & cum his, ea quæ ſuperiùs partim denotando perſtrinximus, penitus abominanda. Similiter & illa, quæ quaſi naturaliter in vſu habentur, ſicut ſunt ebrietates, comeſſationes, contentiones, detractiones, & inimicitiæ, & his ſimilia, quæ iuxta Apoſtolum homines à regno
Dei excludunt: *Quoniam, inquit, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Simili Gal. 5. 21.

modo & illa cohibenda omnimodis, quæ contra ius humanæ ſocietatis, ſicuti ſunt furta, & iam ſuperiùs dictæ exectabiles rapinæ, calumniæ, oppreſſiones, inuaſiones, quæ priùs teddenda, poſtea ſunt pœnitentiæ temedio cottigenda. Inhibemus quoque modis omnibus, cum ingenti proteſtatione, peſſimam lucti tabiem: vſutarum ſcilicer adinuentionem, quam non minùs clerici ſectantur, quàm laici, dominici immemotes prçcepti, quo dicitut : *Pecuniam tuam non dabis ad vſuram.* & iterum: *Non accipies à fratre tuo vſuram, nec amplius quàm dediſti.* Exſtant & alia diuerſorum criminum mala, quæ improbat & condemnat lex diuina, pro quibus populus vaſtitate, & gladio, fame & peſtilentia atteritur, & Eccleſiæ ſtatus infirmatur, tegnúmque periclitatur: vt ſunt nefandiſſimæ cum maſculis aut pecotibus pollutiones, pto quibus dulcis & benignus Deus noſter ad amaritudinem iracundiæ tanto grauiùs prouocatut, quanto contra naturam fieri comprobantut: & vt ſunt illa, quæ ex paganorũ titu adhuc ſupereſſe videntur, ſcilicet magiça, ſortes, phylacteria, veneficia, diuinationes ſomniotum coniectationes: quæ omnia puniri iubet lex diuina, qnia manifeſtiſſimè in talibus ſetuitus eſt diabolica. De quibus in Concilio Ancyrano titulo XXIII. ita ſcriptum

» eſt : Qui diuinationes expetunt, & mo-
» rem gentilium ſubſequuntur, aut in do-
» mos ſuas huiuſcemodi homines introdu-
» cunt, exquitendi aliquid arte malefica,
» aut expiandi cauſa, ſub tegula quinquen-
» nij iaceant, ſecundum gradus pœnitentiæ

definitos. Similiter vnuſquiſque Chriſtianus caueat & ab his, quæ videntur quidẽ leuia, ſed contta diuina fiunt mandata, à ſcurtilitate & ſtultiloquio, à fabulis otioſis, turpibúſque & obſcenis ſermocinationibus. Hæc nempe plurimi non ſolùm in domibus & conuiuiis ſuis loquuntur, & libenter audiunt: ſed etiam, ad prouocandum Deum ad iracundiam, in Baſilicis illi & ſanctis eius conſecratis, abſque teſpectu timotis alicuius, irreuetenter his vacare non deſiſtunt. Setuetur ſanè cultus honor & reuerentia dominici diei, & ſanctarum ſolemnitatum. Ieiunium quoque tam indictum, quàm etiam quatuor temporum. Ceſſent mendacia periculoſa & noxia, quæ aſſiduè nimis fiunt. Iuramenta, maledicta, turpia nec non cantica, & cetera his ſimilia, quæ longum quidem eſt enumerare, ſed petneceſſarium citò corrigete. Conſiderantes igitut, nos omnium operum & ſermonũ, inſuper & cogitationum, redditutos eſſe tationem ei, qui venturus eſt in maieſtate terribili reddete vnicuique ſecundum quod geſſit ſiue bonum ſiue malum, & peccata ſiue parua ſiue magna non poſſe impunita eſſe: ad flagella quoque, quæ pro eiſdem iã nũc iuſtè, grauia quidẽ, ſed minora quàm meremur, patimur, non inſenſibiles, non incorrigibiles, nõ murmurantes, manum eius ad feriendum extentam, quam ne percuteret anticipare neglexmus, dum adhuc paterna pietate ſicut filij verberamur, ſaltem ne vſque ad internecionẽ, ne vſque ad animam feriat, mitigare celeri cõuerſione & cõdigna ſatisfactione curemus. ne ſicut mali ſerui, & in præſenti diſtricta animaduerſione fetiamur, & ad ſeueriora in futuro ſupplicia pertrahamur. Dum adhuc vacat, dum adhuc qui offenſus peccata noſtra propter pœnitenriam diſſimulat, & vt ab eius ſeueritate ad illius bonitatem reuertamur blandimentis & minis clamat, non obduremus corda noſtra, ſicut hactenus partes noſtri & nos egimus. Peccauimus enim cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatẽ fecimus. Iam nunc ergo reuerſi ad conſcientias noſtras, & mala quæ geſſimus diiudicantes, pura & vera confeſſione confiteamur Domino, quoniam bonus, quoniam in ſęculum miſericordia eius. Procidamus & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, quia benignus & miſericors eſt, præſtabilis ſuper maliria, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Si igitur ex toto corde conuerſi ad Deum, veram pœnitentiam, fructúſque pœnitentiæ dignos fecerimus, crebris & ſanctis inſtantes ieiuniis, vigiliis caſtis, illíque bene cõplacitis, & orationibus ſalſo lacrymarum imbre perfuſis, cum eleemoſynis iuſtis, ceteriſq; miſericotdiæ & caritatis operibus, atque profiteamur nos ad priſtina impietatum noſtrarum ſcelera nunquam tedituros, iuuanre eius gratia, ſine quo nihil poſſumus: ſi in iſtis perſeuerauerimus, ſatisfacientes Deo & Eccleſiæ de præteritis peccatis pet pœnitentiæ dolorem, pet humilitatis gemitum, & per contriti cordis ſacrificium, citò eius, qui cor contritum & humiliatum non ſpernit, & cui ptoptiũ eſt miſereri ſempet & parcere, miſericordiã conſequemut. Citò dicimus, quia apud benignum Deum non tam valet menſura temporis, quàm doloris. Ipſe enim pet prophetam loquitur :

Leuit. 25. 36.

Ezech. 33. 12. cur dicens: *Cùm conuerſus ingemueris, ſaluus eris.* itémque: *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* Cùm ergo tanta ſit benignitas Domini Dei noſtri, non negligamus, non differamus, non tardemus conuerti ad ipſum: ſed ſicut nos hortatur ſanctus Paulus Apoſtolus: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno*, per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum, cui eſt cum coæterno patre & Spiritu ſancto virtus & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Hebr. 4. 16.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

HERIVEVS Remorum Archiepiſcopus his edictis annuens ſubſcripſit.
Vuito Rotomagenſium Epiſcopus ſubſcripſit.
Rodulfus Laudunenſis Præſul ſubſcripſit.
Erluinus Beluacenſium Epiſcopus ſubſcripſit.
Raubertus Nouiomagorum Epiſcopus ſubſcripſit.
Letoldus Catalaunicus Epiſcopus ſubſcripſit.
Abbo Sueſſorum Epiſcopus ſubſcripſit.
Stephanus Cameracenſis Epiſcopus ſubſcripſit.
Hucbertus Meldenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſit.
Otfridus Siluanectenſis Epiſcopus ſubſcripſit.
Stephanus Morinorum Epiſcopus ſubſcripſit.
Orgarius Ambianenſis Epiſcopus ſubſcripſit.

GVILLELMI COMITIS ARVERNORVM & Ducis Aquitaniæ Teſtamentum.

Quo prima Cluniacenſis monaſterij fundatio inſtituta eſt anno Chriſti DCCCCX. *Caroli Simplicis regis poſt obitum Odonis anno* XIII.

CVNCTIS ſanè conſiderantibus liquet, quòd ita Dei diſpenſatio quibuſque ditibus conſulit, vt ex rebus quę tranſitoriè poſſidentur, ſi eis bene vtantur, ſemper manſura valeant præmia promereri. Quod videlicet diuinus ſermo poſſibile oſtendens, atque ad
Prou. 13. 7. hoc omnino ſuadens, dicit: *Diuitiæ viri redemptio animæ eius.* Quod ego VVILLELMVS dono Dei Comes & Dux ſollicitè perpendens, ac propriæ ſaluti, dum licitum eſt, prouidere cupiens, ratum, immo pernneceſſarium duxi, vt ex rebus, quę mihi temporaliter collatæ ſunt, ad emolumentum animæ meæ aliquantulum impertiar. Quippe quia in his videor excreuiſſe, ne fortaſſis totum ad curam corporis redarguar in ſupremo expendiſſe: quin potiùs cùm ſuprema ſors cuncta rapuerit, quiddã mihi gaudeam reſeruaſſe. Quæ ſcilicet cauſa nulla ſpecie vel modo congruentiùs poſſe fieri videtur, niſi vt
Luc. 16. 9. iuxta Domini præceptum, amicos mihi faciam pauperes eius: vtque huiuſmodi actio non ad tempus, ſed continuè peragatur, monaſtica profeſſione congregatos ex propriis ſumptibus ſuſtentem. Ea ſiquidem fide, ea ſpe, vt quamuis ipſe cuncta contemnere nequeam, tamen dum mundi contemptores, quos iuſtos credo, ſuſceperim, iuſtorum mercedẽ accipiam. Igitur omnibus in vnitate fidei viuentibus, Chriſtique miſericordiam poſtulantibus, qui ſibi ſucceſſuri ſunt, & vſque ad ſæculi conſummationem victuri, notum ſit, quòd ob amorem Dei & ſaluatoris noſtri IESV Chriſti, res iuris mei ſanctis Apoſtolis, Petro videlicet & Paulo, de propria trado dominatione: Cluniacum ſcilicet villam, quæ ſita eſt ſuper fluuium, qui Graona vocatur, cum cortile & manſo indominicato, & capella quæ eſt in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & ſancti Petri Apoſtolorum principis, cum omnibus rebus ad ipſam villam pertinentibus: villis ſiquidem, capellis, mancipiis vtriuſque ſexus, vineis, campis, pratis, ſiluis, aquis aquarúmve decurſibus, farinariis, exitibus, & regreſſibus, cultum & incul-

tum,cum omni integritate. Quæ etiam res ſunt ſitæ in comitatu Matiſconenſe, vel circa, ſuis vnaquæque terminis concluſæ. Dono autem hæc omnia iam dictis Apoſtolis ego VVILLELMVS, & vxor mea Ingelberga, primùm pro amore Dei, deinde pro anima ſenioris mei Odonis regis, progenitoris ac genitricis meæ, pro me & vxore mea, ſalute ſcilicet animarum noſtrarum & corporum: pro Auanæ nihilominus, quæ mihi eaſdem res teſtamentario iure conceſſit: pro animabus quoque fratrum ac ſororum noſtrarum, nepotúmque, atque omnium vtriuſque ſexus propinquorum: pro fidelibus noſtris, qui noſtro ſeruitio adhærent: pro ſtatu etiam ac integritate catholicæ religionis. poſtremò verò, ſicut omnes Chriſtiani vnius compage caritatis ac fidei tenemur, ita pro cunctis præteritorum ſcilicet, præſentium, ſiue futurorum temporum orthodoxis hæc donatio fiat.

Eo ſi quidem dono tenore, vt in Cluniaco in honore ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli monaſterium regulare cõſtruatur, ibique monachi iuxta regulam B. Benedicti viuentes congregentur, qui ipſas res perenni tempore poſſideant, teneant, habeant, atque ordinent. Ita duntaxat, vt ibi venerabile orationis domicilium votis ac ſupplicationibus fideliter frequẽtetur, conuerſatióque cęleſtis omni deſiderio & ardore intimo perquiratur & expetatur. Sedulæ quoque orationes, poſtulationes, atque obſecrationes Domino dirigantur, tam pro me, quàm pro omnibus, ſicut eorum memoria ſuperiùs digeſta eſt. Præcepimus ſiquidem, vt maximè illis ſit hęc noſtra donatio ad perpetuum refugium, qui pauperes de ſæculo egreſſi, nihil ſecum præter bonam voluntatem attulerint, vt noſtrum ſupplementum ſit abundantia illorũ. Sint ipſi monachi, cum omnibus pręſcriptis rebus, ſub poteſtate & dominatione BERNONIS Abbatis, qui quamdiu vixerit, ſecundum ſuum ſcire & poſſe eis regulariter præſideat. Poſt diſceſſum verò eius, habeant iidem monachi poteſtatem & licentiam quemcumque ſui ordinis, ſecundum placitum Dei, atque regulam S. Benedicti promulgatam, eligere maluerint Abbatem atque rectorem: ita vt nec noſtra, nec alicuius poteſtatis contradictione, contra religioſam duntaxat electionem impediantur. Per quinquennium autem Romæ ad limina Apoſtolorum, ad luminaria ipſorum cõcinnanda, decem ſolidos præſari monachi perſoluant, habeántque tuitionem ipſorum Apoſtolorum, atque Romanum pontificem defenſorem. Et ipſi monachi corde & animo pleno prælibatum locum pro poſſe & noſſe ſuo ædificent. Volumus etiam, vt noſtris, ſucceſſorúmque noſtrorum temporibus, prout opportunitas atque poſſibilitas eiuſdem loci ſe dederit, quotidie opera miſericordiæ pauperibus, indigentibus, aduenis, peregrinantibus ſumma intentione exhibeantur.

Placuit etiam huic teſtamento inſeri, vt ab hoc die, nec noſtro, nec parentum noſtrorum, nec faſcibus regię magnitudinis, nec cuiuſlibet terrenæ poteſtatis iugo ſubiiciantur iidem monachi ibidem congregati. Neque aliquis principum ſæcularium, non Comes quiſquam, nec Epiſcopus quilibet, non Pontifex ſupradictæ ſedis Romanæ, per Deum, & in Deum, omnéſque ſanctos eius, & tremendi iudicij diem contreſtor, ac deprecor, inuadat res ipſorum Dei ſeruorum, non diſtrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet alicui perſonæ, non aliquem Prælatum ſuper eos contra eorum voluntatem conſtituat. Et vt hoc nefas omnibus temerariis ac improbis arctiùs inhibeatur, adhuc idem inculcans ſubiungo, & obſecro vos, ô ſancti Apoſtoli Petre & Paule, & te pontifex pontificum Apoſtolicæ ſedis, vt per auctoritatem canonicam & Apoſtolicam, quam à Deo accepiſti, alienes à conſortio ſanctæ Dei Eccleſiæ & ſempiternæ vitæ prędones & inuaſores atque diſtractores harum rerum, quas vobis hilari mente promptáque voluntate dono: ſitiſque tutores ac defenſores iam dicti loci Cluniaci, & ſeruorum Dei ibi commorantium, harum quoque omnium facultatum, propter eleemoſynam & clementiam & miſericordiam piiſſimi redemptoris noſtri. Si quis forte, quod abſit, & quod per Dei miſericordiam & patrocinia Apoſtolorum euenire non æſtimo, vel ex propinquis, vel extraneis, vel ex qualibet conditione ſiue poteſtate, qualicumque calliditate contra hoc teſtamentum, quod pro amore Dei omnipotentis ac veneratione principum Apoſtolorum Petri & Pauli fieri ſanciui, aliquam concuſſionem inferre tentauerit, primùm quidem iram omnipotentis Dei incurrat, auferátque Deus partem illius de terra viuentium, & deleat nomen eius de libro vitæ, fiátque pars illius cum his qui dixerunt Domino, *Recede à nobis*, &

Apoc 3 c.

cum Darhan & Abiron, quos terra aperto ore deglutiuit, & viuos infernus abſorbuit, perennem incurrat damnationem. Socius quoque Iudæ Domini proditoris effectus, æternis cruciatibus retruſus reneatur. Et ne ei in præſenti ſæculo humanis oculis impune tranſire videatur, in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur, ſortitus duplicem direptionem cum Heliodoro & Antiocho, quorum alter diris verberibus coercitus vix ſemiuiuus euaſit, alter verò nutu ſuperno percuſſus, putreſcentibus membris, & ſcatentibus vermibus miſerrimè interiit ceterifque ſacrilegis, qui ærarium domus Domini temerare præſumpſerunt, particeps exiſtat, habeátque, niſi reſipuerit, archiclauum totius monarchiæ Eccleſiarum, iuncto ſibi Paulo, obſtitorem, & amœni paradiſi aditus contradictorem, quos ſi vellet habere poterat pro ſe piiſſimos intercеſſores. Secundùm mundialem verò legem, his quibus intulerit calumniam centum auri libras cogente iudiciaria poteſtate compulſus exſoluat, & congreſſio illius fruſtrata nullum omnino obtineat effectum: ſed huius firmitas teſtamenti omni auctoritate ſuffulta ſemper inuiolata ac inconcuſſa permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. Actum Bituricæ ciuitatis publicè.

Ego Vvillelmvs hanc auctoritatem fieri & firmari rogaui, ac manu propria roboraui.

Sigillum Ingelbergæ vxoris eius.

Sigillum Madalberti peccatoris Bituricenſis Archiepiſcopi.

Signum Adalardi peccatoris Epiſcopi. S. Attonis peccatoris Epiſcopi.

Signum Vvillelmi, nepotis eius. S. Armanni, & aliorum.

Anno xrii. regnante Carolo rege. Indictione xiii. Ego Oddo Leuita ad vicem Cancellarij ſcripſi & ſubſcripſi.

Anno Christi 915. Caroli Simplicis Regis 23.

CONCILIVM CABILONENSE.

IN ECCLESIA SANCTI MARCELLI martyris in ſuburbio.

IN hac Synodo, vt rerum Burgundicarum ſcriptores narrant, Roculſus Comes Matiſconenſis, cùm res Eccleſiæ illius peruaſiſſet, intentatæ ni pareret, excommunicationis metu, ablata reſtituere coactus eſt. Adfuiſſe autem Synodo narrant Auſterium Archiepiſcopum Lugdunenſem, Leoninum item Veſontionenſem, & Agium Narbonenſem, Ardradum Cabilonenſem, Eliſacharem Bellicenſem, & Odelardum Maurianenſem Epiſcopos.

HERIVEI AEDVORVM EPISCOPI TESTAMENTVM de rebus ab eo collatis Eccleſiæ S. Nazarij Auguſtodunenſis.

Avxiliante in perpetuum Domino Deo & ſaluatore noſtro Iesv Chriſto, Herilueus eiuſdẽ miſeratione humilis Æduorum Epiſcopus, omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, præcipuè autem reuerendis Epiſcopis, inſtantibus videlicet & ſuccedentibus, cognitum fore optamus, quoniam cùm noſtram exiguitatem diuina pietas ad regendam ſuæ Eccleſiæ cathedram vocari & ſublimari permiſiſſet, in ipſo primo noſtræ ordinationis anno, ad exhortationem dilectæ genitricis noſtræ domnæ Hirmingardis venerabilis Comitiſſæ, & fratrum noſtrorum, diligenter ſtuduimus inquirere, & ſollicitè perſcrutari, qualiter caput ipſius Eccleſiæ in conſtitutis canonicorum ibidem Deo & S. Nazario militantium ſtipendiis diſpoſitum maneret, vel quibus prædeceſſorum noſtrorum ſubſidiis congregatio ipſe ordinata conſiſteret. Sed vt

experti ſumus, obſiſtentibus ſemper ſæculi perturbationibus, & aduerſatiis diuini cultus impedientibus, labor præcedentium Pontificum in his certare cupientiū in contrariam ſempet eſt impulſus dilationem: niſi tantùm quòd petmanentibus perparuis villarum ſolatiis, domnus Adalgarius ſanctæ recordationis Epiſcopus villam Beliniacum, & ſucceſſor illius domnus Vvalo, pius Ptæſul, & noſtet auunculus, villam Tilionacum vſibus prædictæ congregationis mācipauerunt, & ſcriptis ſuis confitmauerunt. Nos igitur aliarum Eccleſiarum congregationes honorabilitet in canonicis ſumptibus ſubſiſtere cetnentes, & ſacris ſuorum Pontificum incrementis decenter augmentati perſpicientes, à ſanctis Epiſcopis, noſtris ſcilicet ordinatoribus, moniti, & prædictorum affinium hortamentis roborati, quæ liberè ad præſens fieri poſſe reperimus, ſupradictæ congregationis vſibus dedicauimus. Villam Ruilliacum ſiquidem, à memorata genitrice noſtra dudum pro quadam commutatione poſſeſſam, & noſtro interuenru in huiuſmodi obſequiis redditam, cum Eccleſia & omnibus ad ſe iuſtè pertinentibus, Eccleſiam etiam S. Ioannis ſitam in comitatu Belnenſi noſtra liberalitate conceſſimus. In Comitatu quoque Auguſtudunenſi Eccleſiam S. Eptadi, ſitam in villa quæ vocatur Moñs-tolonus, olim inde ſubſtractam reddidimus. Eccleſiā ſimiliter ſancti Leodegarij, à iam dicto auunculo noſtro collatam, huic diſpoſitioni confirmauimus. Monetam verò, quam idem pater à prælibata ſua Eccleſia olim ſubſtractam fuiſſe didicerat, & interuentu domni Richardi piiſſimi Ducis per regium præceptum teceperat, & huiuſmodi officiis vnà cum diſpoſitis quarumdam feſtiuitatum luminatiis aptari decreuerat, in eadem nos diſpoſitione ſeruiturā delegauimus. Vt igitur hoc noſtræ confirmationis teſtamentum tuitionem in Dei nomine obtineat, & firmitatis plenitudinem, manu propria illud firmauimus, & prælibatorum patrum manibus inſigniri popoſcimus. Amicorum quoque, & omnium noſtræ Eccleſiæ fidelium aſſignationibus ſubter iuſſimus roborari. Actum apud Cabilonum ciuitatem ob præſentiam Epiſcoporum feliciter in Domino. Amen.

Herivevs humilis ſanctæ Æduenſis Eccleſiæ Epiſcopus huic ſcripto voluntate plena aſſenſum præbui.
Remigius ſanctæ Lugdunenſis Eccleſiæ humilis Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Ardradus Cabilonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Adalardus humilis Anicienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Gerardus peccator & humilis Epiſcopus ſubſcripſi.
Signum Hirmingardis Dei miſericordia Comitiſſæ, quæ firmauit.
S. Vvalonis filij eius. S. Gilleberti filij eius alterius. S. Manaſſæ filij eius.
Bodo, Aldradus, Arlegius, Theodoricus, item Arlegius, Landricus.

Data pridie Kalendas Nouembris, Indictione VIII. anno XXII. poſt obitum domni Odonis quondam regis regnante Karolo glorioſo rege.

CAROLI III. REGIS EPISTOLA.

Ad Epiſcopos regni ſui.

Aduerſus Hilduinum Eccleſiæ Tungrenſis peruaſorem, cuius loco Richarium ordinari iubet.

IN NOMINE ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. KAROLVS vir illuſtris diuina propitiante clementia Rex Francorum omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis in regno nobis à Deo commiſſo conſtituris pax & ſalus ab eodem Deo æterno. QVIA diuinæ propitiationis beneficia, quæ ab ipſo ab ipſis crepundiis experti ſumus, nullatenus enumerare poſſumus: idcirco laudem Domini loquetur os meum, & benedicet nomen ſanctum eius in ſæculum ſæculi. Vnde quia plutibus noſtris exigentibus meritis multotiens aduerſa

quæque ſuſtinuimus, credimus non hoc ad noſtræ damnationis meritum, ſed ad gratiam ſuæ reconciliationis nobis fore permiſſum: vt flagellis eius erudiri, diſcamus peruerſa cauere, & in cunctis eius voluntatibus parere. Sicut vobis de multis notum eſt, cùm olim quidam noſtri fideles, à noſtra debita fidelitate exorbitantes, vitam & regnum nobis auferre moliti ſunt, euntes poſt inimicos noſtros, eiſque familiariter inhærentes, res & epiſcopia noſtri regni ab ipſis dari ſibi concupierunt. Vt ergo de multis taceamus, vnum, qui nobis noſtris viſceribus ſerpentinum virus infudit, veſtræ ſanctitati propalauimus: Hilduinum videlicet, qui contra regalem agens poteſtatem, contra quoque Apoſtoli dicta, vbi dicitur: *Deum timete, regem honorificate.* &, *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* &, *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. non eſt enim poteſtas, niſi à Deo.* & aduerſus citharœdi Dauid dicta, vbi ad Dominum loquitur: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Quíque vltra Rhenum ad inimicos noſtros proficiſcens, miniméq; reminiſcens ſacramentorum ſuorum nobis promiſſorum, eáque retro dorſum abiciens, ab Heinrico inimico noſtro Epiſcopium Tungrenſis Eccleſiæ expetiit, ſuáque damnatione contra omnia ſtatuta tam ſacrorum patrum, quàm regum videlicet anteceſſorum noſtrorum, vſurpauit. De qualibus in libro regum Capitulari ita dicitur: Si quis præſumpſerit, quam non meruit à principe vel ſeniore iuſto dignitatem, ſacrilegus habeatur. & B. Gregorius: Sicut qui inuitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admouendus: ſic qui vltro ambit, vel qui importunus ſe ingerit, proculdubio eſt repellendus. Nam qui nititur ad altiora contendere, quid agit niſi vt creſcendo decreſcat? cur non perpendit, quia benedictio illa in maledictum conuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus promouetur?

1. Pet. 2. 17.
Rom. 13. 1.
Pſal. 65. 12.
Lib. VII. epiſt. 110.

Cap. II. Cùm quidam peſtiferi viri, vt ſuprà memorauimus, à noſtra fidelitate deuiarent, conuocauimus Archiepiſcopos Præſules XVI. noſtri regni. Nonnullos etiam proceres, Marchiones & Comites, optimatéſque, vt eorum conſilio, auctoritate, atque virtute tantæ veſaniæ reſiſteremus. Inuentum eſt vt noua gibborum genera nouis medicationibus ſecárentur ac ſanarétur, pellentes eos Epiſcopali auctoritate, ſacrorúmque canonum conſtitutione, à cœtu & conſortio Chriſtianorum. Quorum præſumptioni ac nefandæ tyrannidi Hilduinus ſe immiſcens, datis Heinrico ſuiſque proceribus complurimis auri argentíque ponderibus, non ſolùm cum eis ſcienter participauit, ſed etiam ex theſauris Eccleſiæ Tungrenſis, quos inſtinctu Diabolico rapuerat, vel furatus fuerat, quibuſdam minis ac terroribus egit, vt Herimannus Agrippinæ ciuitatis Archiepiſcopus, per violentiam Heinrici ſuorúmque fidelium, illum in Pontificem conſecraret. Nam ſi non feciſſet, ſicut ipſe venerabilis Archiepiſcopus nobis poſtea in præſentia plurimorum retulit, ſibi vitam réſque Eccleſiaſticas auferret, omnémque familiam trucidaret, ac illorum bona diriperet. Ideóque abſque legitimorum anteceſſorum auctoritate eum conſecrauit, vt ipſe adhuc teſtatur, ſed tantis terroribus ac diris crudelitatibus coactus. Vnde in Nicæno Concilio ita ad locum inuenitur: Si quis ex clero deprehéſus fuerit cum excommunicatis cómunicare, etiam ipſe priuetur communione, tamquam qui regulas confundit, quæ longè, latéque in diuerſis Conciliis & Capitularibus regum de excommunicatis inueniuntur.

Conc. Nic. can. 5.

Cap. III. Idem etiam Hilduinus res noſtri regni ex præfato Epiſcopio inuaſit, diripuit, & pro libito abduxit, agens contra ſtatuta Anacleti Papæ, vbi dicitur: S. Anacletus, qui ab ipſo Petro Apoſtolo ordinatus eſt presbyter, poſtea in ſede Romana ſucceſſor illius factus Epiſcopus, cum totius mundi ſacerdotibus iudicauit. Qui abſtulerit, inquit, patri vel matri aliquid, homicidæ particeps eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt: mater verò noſtra Eccleſia eſt, quæ nos in baptiſmo regenerauit. Ergo qui pecunias Chriſti & Eccleſiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida eſt, atque homicida in conſpectu iuſti iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi, ſui iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & vt ſacrilegus iudicandus eſt.

Anacletus epiſt. 1.

Cap. IV. Præfatus denique Hilduinus theſauros Eccleſiæ Tungrenſis & Aquiſgrani palatij, iuxta B. Lamberti corpus martyris in quadam arca poſitos, auida cupiditate rapuit, eóſque inimicis noſtris, ſuis videlicet fautoribus contulit, & Eccleſiæ abſtulit. De quo quibuſque huiuſcemodi ſacri canones ita decernunt: Si quis inuentus fuerit aliquid de miniſteriis Eccleſię vendidiſſe vel abſtuliſſe, qui ſacrilegium commiſit, placuit eum in ordine Eccleſiaſtico non haberi. Vnde & B. Auguſtinus XLVII. Euangelij homilia Ioannis dicit: Ecce inter ſanctos eſt Iudas, ecce fur eſt Iudas. & ne contemnas, fur hic ſacrilegus eſt, non qualiumcumque fur loculorum, ſed dominicorum loculorum, ſed ſacrorum. Et poſt pauca: Quicumque aliquid de Eccleſia aufert vel fraudat, Iudæ proditori comparatur.

Cap. V. Hos Eccleſiæ theſauros Epiſcopis, & Comitibus, & fautoribus pro ſua ordinatione dedit, non præ oculis habés ſtatuta Africani Concilij, quibus præcipitur, vt nullus per pecunias ordinetur, ita inquiens: Si quis Epiſcopus per pecunias obtinuerit dignitatem, deiiciatur, modis omnibus abſcidatur, ſicut Simon magus abſciſſus eſt à Petro. Item in Concilio Calchedonenſi: Si quis Epiſcopus, presbyter, aut Diaconus ſub pretio Spiritus ſancti gratiam obtinere voluerit, proprij gradus periculo ſubiacebit: & nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ eſt per negotiationem facta, proficiat, ſed anathematizetur.

Can. 2.

Cap. VI. Iam dictus Hilduinus ad cumulum ſuæ damnationis, ante venerabilis Herimanni præſentiam veniens, ſuper ſacra nefanda iurauit, quòd ego Karolus Epiſcopium Tungrenſe dederim, & quoſdam ex clericis & laicis iurare compulir. Quod quàm ſit abſurdum, quámque vitandum, ſparſim ſanctarum ſcripturarum teſtimonia approbant.

Cap. VII. Memoratus prætereа Hilduinus per domnum Herimannum Epiſcopum tertiò vocatus ad Synodum, vt contra hæc quæ ſibi obiiciuntur reſponderet, ſi iuſtam cauſam haberet, aut ſi non poſſet, canonum feriretur ſpiculis. Qui quoniam quidem venire diſtulit, incidit ſententiam Bonifacij Papæ ita dicentis: Probat vera eſſe illa quæ aduerſus ſe dicta ſunt, qui ad ea confutanda adeſſe minimè vult. Et ne dubitet, quòd ita iudicium nocens ſubterfugit, quemadmodum vt abſoluatur qui eſt innocens quærit. Et poſt pauca: Confitetur enim de omnibus, quiſquis ſubterfugere iudicium poſſe dilationibus putat. Item ipſe: Si adeſſe voluerit, præſens ſi confidit ad obiecta reſpondeat. Quòd ſi adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur.

Epiſt. ad Patroclum & alios Epiſcopos.

CAP. VIII. Omnes tam clerici quàm laici ſupradictæ Eccleſiæ, noſtram adeuntes ſublimitatem, luctuoſis vocibus innotuerunt, quòd iam ſæpe memoratus Hilduinus cum ſuis prædonibus bona illorum diripuit, omnémque illorum facultatem & ſupellectilem abſtulit, nihilque illis remanſit, vnde ſaltem ſibi victus ſufficientiam adhiberet. Addentes etiam in precibus, vt veſtro conſilio citiùs ageretur, ne ampliùs prædæ & direptioni parerent; ſed illis ad ordinandum daremus pontificem RICHERVM, quem concorditer elegerunt. De quibus videlicet omnibus hîc capitularim inſertis veſtrum precamur pontificium, vt propter Deum, & debitam, quam nobis polliciti eſtis, fidelitatem, pro viribus exinde adiuuetis, vt noſter honor in huiuſmodi negotiis ampliùs non decreſcat, & ſtatus ſanctæ Dei Eccleſiæ ſtabiliatur.

HERIMANNI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS Epiſtola, ad Richarium Abbatem.

Mittit ei litteras Ioannis Papæ, quibus Romam vnà venire iubebantur.

MAGNIFICE VENERANDO, OMNIQVE DILECTIONIS affectu veraciter colendo Richero Abbati, Herimannus ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ ſeruorum Chriſti famulus, præſens & permanens vale in Chriſto.

SANCTIMONIAM veſtram, vt ſæpè ſolemus, etiam nunc denuo poſtulamus, quo noſtræ ſenectutis imbecillitati in præſentiarum incumbenti, pia intentione memores, orationum veſtrarum remedia, quibus plus omnibus indigemus, impendere non dedignemini: nihilominus ambigentes quin id ipſum pro virium ſufficientia pro beatitudine veſtra die noctúque agere minimè ceſſemus. Ceterùm intimetur almæ reuerentiæ veſtræ, his nos diebus epiſtolam ex domino Papa Ioanne tranſmiſſam accepiſſe: quæ quid contineat, ſine permutatione litteræ vel ſyllabæ, in hoc exemplari liquidò perſpicere licebit.

« Ex codice S. Mariæ « Virdun. « « « « « « « «

IOANNIS X. PAPÆ EPISTOLA I. Ad Herimannum Archiepiſcopum Colonienſem.

Iubet vt Romam veniat vnà cum Hilduino & Richario qui de Tungrenſi Epiſcopatu contendebant.

IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, reuerentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Herimanno ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo.

CVM ſimus dominicæ plebis ſuperna miſeratione rectores, ſtudioſiùs nos conuenit Dei præſidium pro ſubditorum ſæpe cogitare ſalute, ne fruſtraris, quod abſit, animabus antiqui hoſtis inſidiis, ante omnium paſtorem diſtrictam cogamur ſoluere rationem: quia ideo fidelis ſeruus & prudens Domini ſuper familia conſtitutus eſſe dinoſcitur, vt congruo tempore det illis fructum. Congruo

rempore ſacerdores præpoſiti Deo fructum dant, cùm pro ſalute omnium ſibi ſubdirorum quod opportunum eſt offerunr. Et quia veſtra fraternitas
1. Tim 5. 22. ſentenriam Apoſtoli reprobauir operando, qui monet nullo modo alicui leuirer ma■us imponere, cùm Hilduuinum, canonicis ſibi obuiantibus regulis, abſque clericorum electione, & laicorum acclamatione, Giſleberti metu, Epiſcopali infula decorare non denegaſtis, cùm priſca conſuetudo vigear, qualiter nullus alicui clerico Epiſcopatum conferre debeat, niſi Rex, cui diuinitus ſceptra collata ſunt. Quo verò ordine Giſlebertus hoc quod illi conceſſum non eſt agere non meruit, vt arbitror, quia illicitè præſumpſit, rationabilirer imbecille permanebir. Tamen quia Richerus, vr Caroli regis teſtimonium perhiber, atque noſtri dilecti filij Berengarij glorioſiſſimi Imperatoris litteræ reſtantur, primitùs à clero electus, & à populo experitus eſt, cur donum ſancti Spiritus, quaſi temporale commodum, cui non licuit imponere non diſtuliſti, omnino miramur, cùm ſcri-
Prou. 1. 5. ptum ſit: *Intelligens gubernacula poßidebit.* In veteri etiam reſtaméto diuina
Leuit. 7. 31. lege ſancitum eſt, vt ſacerdores de ſacrificio Domini pectuſculú ſumanr. Non equidem ob aliud, niſi vt in ſacrificio diſcanr, quid de ſemetipſis ipſi ſuo condirori debeant immolare. Er cùm noſmetipſos Deo offerre ſedulò debeamus, cur alios errantes ſequi non conremnimus, cùm ſcriptum ſit:
Hier. 15. 19. *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris?* Igitur quia magis hominis quàm Dei formidinem etuiſtis, quod inutiliter geſtum eſt, noſtra imbuti admonitione, vt citiùs emendare delectemini omnino monemus. Valde namque admirari non diſtulimus, cur contra rationem abſque regis iuſſione agere pertemptaſtis, cùm vobis reminiſcenribus hoc nullo modo eſſe debeat, vt abſque regali præceptione in qualibet parrochia Epiſcopus ſit conſecratus. Tamen medianre Octobrio ad limina Apoſtolorum cum Hilduuino & Richero venire ſatagite, vt anre præſentiam noſtrî noſtrorúmque Epiſcoporum coadunati, quid ex hoc canonica iubeat auctoritas explicare non denegetur. Et ſi forſitan pro paganorum metu tunc venire non valetis, in Kalendis Aprilis, omni occaſione poſtpoſita, ad nos quanrocius, ſicur ſuperiùs ſtatutum eſt, peruenite. Et tunc omni errore radicitùs exſtirparo, qui dignus inuentus fuerir, per oſtium ingrediatur in ouile ouium, & non aliunde, vt fur æſtimetur. Quia nos Caroli regis decus nullo modo auferre volumus, ſed pro vigore atque dilectione, vel conſanguinitate noſtri dilecti filij Berengarij glorioſiſſimi Imperatoris, vt prior anteceſſorum ſuorum regum mos fuit, cum ita illibatam atque inconcuſſam dominationem obrinere delectamur: & ſicut priores ſuos anteceſſores, noſtrorum anteceſſorum aûctorirare, Epiſcopum per vnamquamque parrochiam ordinare probabiliter ſtaturum eſt, ita vt Carolus rex faciar confirmando iubemus. Tamen vſque ad illud temporis, ſicut ſuperiùs ſtatutum eſt, Leogis Epiſcopatus in veſtra maneat poteſtate: ita vt Hilduuinus illic aliquod ſacerdotale miniſterium nullomodo audeat exhibere.

» His Apoſtolicis Romam vocati præceptis, eiuſdem domni Papæ ſan-
» ctorúmque canonum auctoritare, eo vos præſcripto ineuitabiliter in-
» uitamus tempore. Valere veſtram optamus almitatem ſemper memores
» veſtri memoris.

IOANNIS

IOANNIS X. PAPÆ EPISTOLA II.
Ad Carolum III. regem.

Significat ſe ad Herimannum ſcripſiſſe, vt cum Hilduino & Richario Romam veniat: Hubertum etiam ob Eccleſiæ Romanæ deprædationes excommunicaſſe.

IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, dilecto filio Karolo glorioſo regi.

CVM ſincera in vobis caritas, atque perfecta manſuetudo clareſcat, quia diuina diſpenſatione hoc agitur, conditori noſtro Deo immenſas gratiarum actiones referimus. Vnde hortantes veſtram filiationem monemus, vt ſemper ſolliciti manentes, ſubditos quoque vobis commiſſos per abrupta diutius ire non permittatis. Quia in hoc veſtri regni ſceptra ſublimia manent, cùm Spiritus ſancti diſpenſatione quod inutiliter geſtum eſt emendare non negligitis. Noſter namque dilectus filius Berengarius glorioſiſſimus Imperator Apoſtolatui noſtro litteras ex Richeto à vobis electo in Leodio, atque à cuncto clero & populo, tranſmiſit: & qualiter Giſlebertus veſter infidelis Hilduinum illic conſecrare præcipiendo non formidauit. Nos verò, prece dilecti filij noſtri moti, Herimanno Archiepiſcopo noſtri Apoſtolatus apices tranſmittere ſtuduimus, quatenus mediante Octobrio cum illis pariter iunctus ad limina Apoſtolorum non differat venire: vt tunc probabilibus documentis canonicè qui dignus eſt approbetur, qui verò indignus eſſe contemplatur, tunc reprobatus appareat. Vſque ad illud verò tempus, vt Hilduinus in ſupradicta Eccleſia, quæ Legia dicitur, aliquod regimen detinere, & ſacerdotale officium exhibere non audeat, commonendo præcepimus. Tamen quia dilectio noſtri filij in vobis abundanter emanat, dignum eſt ſinceritas atque conſanguinitas veſtra vt in illo promptiùs appareat; & ita fidiſſimus ex veſtra dilectione permaneat, quatenus ex illius adminiculo in præſenti cognoſcatis. De hoc verò, quod Giſlebertus contra veſtra ſceptra inutiliter geſſit valde doluimus, eo quòd priſca conſuetudo, & regni nobilitas cenſuit, vt nullus Epiſcopum ordinare debuiſſet abſque regis iuſſione. Et quia Herimannus Archiepiſcopus, magis hominis quàm Dei formidinem metuens, Giſleberti iuſſione Hilduinum conſecrare non diſtulit, hac pro ratione ſententiam vocationis illi tranſmiſimus, vt mediante Octobrio, & ſi pro metu paganorum venire tunc nequeunt, in Calendis Aprilis, omni remota occaſione, tunc nullo modo cum Hilduino & Richero venire differat. Quia tunc inibi coniuncti, ex decore veſtri regni ſubtiliter colloquentes, ita radicitùs hoc, quod vobis per Giſlebertum contigit, extirpare non denegabimus, vt poſtmodum nec ipſe, qui auctor iniquitatis contra veſtra ſceptra geſſit, nec alius aliquis audeat aliquam læſionem veſtro in regno inferre. Illud etiam veſtræ filiationi innoteſcimus, qualiter nos iuncti cum Berengario glorioſiſſimo Imperatore dilecto filio noſtro, ad Hubertum: vt deprædationes atque incendia, quæ in ſancta Romana Eccleſia committere non formidauit, emendare ſtuduiſſet, admonendo miſimus. Qui renitens, atque ſuperba voce hoc contradicens, emendare noluit. Nos autem, ſecundum noſtri miniſterij effectum, illum

Ex codice S. Mariæ Virdunenſis.

ſub excommunicatione miſimus, eúmque anathematis vinculo alligauimus cum omnibus ſuis ſequacibus. Vnde veſtræ celſitudini hoc pareſacimus, vt nullus veſtri regni illum ſequatur, vel ei adiutorium impendat. quia non ſolummodo qui eum ſequuntur alligauimus, ſed etiam qui ei adiutorium impendere delectantur.

ANNO CHRISTI 921. CAROLI SIMPLICIS REGIS 24.

CONCILIVM APVD TROSLEIVM.

IN QVO ERLEBALDVS COMES EXCOMMVNICATVS poſt mortem eſt abſolutus anno DCCCCXXI.

De hac Synodo, cauſiſque, ob quas Erlebaldo inflicta fuerat excommunicatio, ſcribit in hæc verba Flodoardus lib. IV. *Hiſtoriæ cap.* XVI. Excommunicauerat, *inquit*, Herieuus præſul Erlebaldum Comitem Caſtricenſis pagi, propter Remenſis Epiſcopij terram quam peruaſerat, ibique munitionem quandam ſuper Moſam conſtruxerat, indéque frequentia Eccleſiaſticæ familiæ mala ingerebat. Inſuper & caſtrum Altmontem furtim irruperat. Sed cùm nec ita ceſſaret à malis quæ cœperat, pergit Archiepiſcopus cum ſuis ad capiendam munitionem quam ille conſtruxerat, Maceriáſque nominabat: quam per quatuor pene hebdomadas obſidens, deſerente tandem Erlebaldo, cepit, & diſpoſitis inibi cuſtodiis Remis rediit. At Erlebaldus profectus ad regem, qui tunc morabatur in pago Vvarmacenſi contra Henricum principem Tranſrhenenſem, ibidem ab hoſtibus regis ſibi ſuperuenientibus interemptus eſt. Quem tamen poſtmodum in Synodo, quam apud Troſleium idem domnus Archiepiſcopus cum diœceſaneis ſuis habuit, intercedente rege & obnixè flagitante, à vinculo excommunicationis abſoluit. *Flodoardus idem in Chronico*: Anno, *inquit*, DCCCCXXI. Synodus apud Troſleium habita, cui præſedit Herieuus Archiepiſcopus, præſente quoque Karolo rege, cuius obtentu Herlebaldus ibi Caſtricenſis abſoluitur. *Hæc ibi hoc anno, cetera expoſuerat anno præcedēti.*

ANNO CHRISTI 923. CAROLI SIMPLICIS REGIS 31.

CONCILIVM REMENSE INCERTI LOCI.

IN QVO POENITENTIA INDICTA EST IIS, QVI bello Sueſſionico inter Robertum & Carolum reges interfuerunt anno DCCCCXXIII.

Ex Codice S. Remigij Remenſis.

ANNO Dominicæ incarnationis DCCCCXXIII. Epiſcopatus autem Domini Seulfi ſecundo, conuenientes ſancti patres, Seulfus ſcilicet Remorum Archiepiſcopus, Abbo Sueſſionicæ vrbis Epiſcopus, Adelelmus Laudunenſis, Stephanus Camaracenſis, item Adelelmus Siluanectenſis, Airardus tunc inibi ordinatus Nouiomagenſis, cum ceterorum eiuſdem Remenſis diœceſeos Epiſcoporū legatis

decreuerunt hanc pœnitentiam his qui bello Sueſſionis inter Robertum ac Carolum acto interfuerāt iniungendam. Videlicet, vt tribus quadrageſimis per tres annos agant pœnitentiam: ita vt prima quadrageſima ſint extra Eccleſiam, & cœna Domini recōcilientur. Omnibus vero his tribus quadrageſimis, ſecunda, quarta, & ſexta feria, in pane, ſale, & aqua abſtineant, aut redimant. Similiter quindecim diebus ante natiuitatem ſancti Ioannis Baptiſtæ, & quindecim diebus ante natiuitatem Domini Saluatoris, omni quoque ſexta feria per totum annum, niſi redemerit, aut feſtiuitas celebris ipſa die acciderit, vel eum infirmitate ſiue militia detentum eſſe contigerit.

Anno Christi 924. — Caroli Simplicis Regis 32.

CONCILIVM APVD TROSLEIVM.

IN QVO ISAAC COMES CVM STEPHANO Epiſcopo Camaracenſi rediit in gratiam, anno DCCCCXXIV.

FLODOARDVS *in Chronico*: Anno, *inquit*, DCCCCXXIV. Iſaac Comes quoddam caſtellum Stephani Camaracenſis Epiſcopi doloſa infeſtatione comprehendens incendit. *Et poſt alia*. Synodus Epiſcoporum Remenſis diœceſeos apud Troſleium Octobri menſe habita, Seulfo Archiepiſcopo præſidente: in qua Iſaac Comes ad emendationem & ſatisfactionem venit pro his quæ praue aduerſus Eccleſiam Camaracenſem perpetrauerat: & vadatus argenti libras centum, pacatur cum Stephano præfatæ vrbis Epiſcopo, præſente Heriberto, & pluribus, qui aderant, Franciæ Comitibus.

Anno Christi 926. — Caroli Simplicis Regis 34.

CONCILIVM APVD CARILOCVM

anno DCCCCXXVI.

EX *tabulis Carilocenſis monaſterij*. Anno Incarnationis dominicæ DCCCCXXVI. domnus Anchericus ſanctæ Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, domnus quoque Geraldus Matiſcenſis Eccleſiæ venerabilis Pontifex, necnon Odelardus Maurianenſis Epiſcopus, ad Carilocum monaſterium conuenerunt, ibique diu vigilanti cura Synodali conſuetudine tractauerunt, qualiter Eccleſiis lociſque ſanctorum deſolatis propter prauorum hominum nequiſſimam cupiditatem ſubuenire potuiſſent, &c. *Enumerantur deinceps Eccleſiæ decem, quas Synodus monaſterio diuerſis locis ablatas reſtitui iuſſit.*

Anno Christi 927. Caroli Simplicis Regis 35.

CONCILIVM APVD TROSLEIVM.

IN QVO HERLVINVS COMES POENITENTIAM ſubiit pro vxore quam duxerat alia viuente, anno DCCCCXXVII.

FLODOARDVS *item in Chronico*: Anno, *inquit*, DCCCCXXVII. Synodus ſex Epiſcoporum apud Troſleium habita, contradicente rege Rodulfo, per miſſos Heriberti Comitis, & mandante illi, vt Synodum differret, ſibíque obuiam ad Compendum veniret. Quod ille agere tenuit, Synodo verò interfuit: vbi Heluinus Comes ad pœnitentiam venit pro vxore quam duxerat alia viuente. *Breuiùs etiam in Hiſtoria Remenſi lib.* IV. *cap.* XXI. Synodus, *inquit*, ſex Epiſcoporum Remenſis diœceſeos apud Troſleium habita, Heriberti Comitis iuſſione conuocata, rege tamen Rodulfo contradicente, patrata eſt.

Anno Christi 933. Rodvlfi Regis 10.

CONCILIVM AD CASTELLVM THEODERICI anno DCCCCXXXIII.

SYNODVM *hanc ex Flodoardi Chronico liquet inter obſidendum habitam fuiſſe, cùm Heriberti Comitis munitionem ad Matronam, cui à Theoderico nomen eſt, rex Rodulfus obſideret. Quid autem in ea præcipuè actum ſit, præter Epiſcopi Bellouacenſis ordinationem non commemorat.* Rodulfus rex, *inquit*, munitionem Heriberti, quæ dicitur Caſtellum Theoderici, obſidet hebdomadas ſex. Synodus inter obſidendum prædictum præſidium celebratur, congregatis nonnullis Franciæ vel Burgundiæ præſulibus. Cui præſederunt domnus Artaldus Antiſtes Remorum, & domnus Teutolo Turonenſis Epiſcopus. Tunc quoque domnus Artaldus Hildegarium ordinauit Epiſcopum vrbis Beluacenſis.

Anno Christi 935. Rodvlfi Regis 12.

CONCILIVM APVD SANCTAM MACRAM anno DCCCCXXXV.

ADVERSVS RERVM ECCLESIASTICARVM peruaſores.

AD *hanc Synodum ſeptem Epiſcopos conueniſſe, Artaldúmque Remorum Archiepiſcopum præfuiſſe docet Flodoardus in Chronico.* Anno, *inquit*, DCCCCXXXV. Synodus ſeptem Epiſcoporum apud ſanctam

Macram, domno Artaldo Archiepiſcopo præſidente, celebratur, in qua prædones & Eccleſiaſticarum rerum peruaſores ad correptionem venire vocantur.

ANNO CHRISTI 941. LVDOVICI IV. REGIS 5.

CONCILIVM SVESSIONENSE.

CVIVS DECRETO HVGO HERIBERTI COMITIS filius, deiecto Artaldo, Remorum Archiepiſcopus conſecratus eſt anno DCCCCXLI.

De Epiſcopatu Remenſi poſt obitum Seulfi Archiepiſcopi diuturna & anceps fuit altercatio. Nam cùm Heribertus Comes Seulfo mortuo anno DCCCCXXV. *Hugonem filium ſuum adhuc quinquennem eligendum curaſſet, Eccleſiámque illam interea pro arbitrio adminiſtraret, ſexto pòſt anno Rodulfus rex, capta vrbe Remorum, Artaldum è ſancti Remigij cœnobio monachum in ea ſede ordinari iuſsit anno* DCCCCXXXI. *Artaldum Heribertus poſt annos octo & menſes ſeptem, Remorum vrbe iterum in poteſtatem ſuam redacta, Epiſcopatu cedere & abdicare ſe coegit anno* DCCCCXL. *Tum anno inſequente Synodum apud Sueſsiones conuocauit, cuius decreto Hugo filius, iam ceteris ordinibus initiatus, Remorum Archiepiſcopus conſecratus eſt. Flodoardus in Chronico*: Anno, *inquit*, DCCCCXLI. Hugo & Heribertus Comites Epiſcopos conuocant Remenſis diœceſeos. Qui conuenientes apud Sueſſionem in Eccleſia ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, tractant de ſtatu Remenſis Epiſcopi, definiuntque, conquerentibus clericis atque nobilibus laicis diu paſtore ſedem ipſam vacare, vt quoniam Artaldus Epiſcopus iurauerat quòd nunquam ſe de ipſo Epiſcopatu intromitteret, ad ipſius gubernationem reuerti non deberet, Hugo verò filius Heriberti Comitis, qui priùs ad ipſum Epiſcopatum fuerat euocatus clero populóque petente, ordinaretur Epiſcopus. Indéque Remos adeuntes Epiſcopi eumdem Præſulem electum conſecrant apud S. Remigium. *Flodoardus idem de ſeipſo & Hugone loquens lib.* IV. *Hiſtoriæ cap.* XXVIII. & XXIX. Sexto, *inquit*, Kalendas Aprilis egreſſus ipſe cum præfato electo noſtro ad vrbem Sueſſonicam profectus ſum. Vbi conuenientes Epiſcopi huius diœceſeos cum principibus Hugone ac Heriberto, tractarunt quid eis eſſet agendum ſuper Epiſcopali huius Hugonis ordinatione: ſicque decreuerunt, petentibus quibuſdam filiis Eccleſiæ Remenſis, tam clericis quàm laicis, eum ordinandum: aſſerentibus fautoribus ipſius, quòd Artaldus nequaquam electus, ſed per violentiam fuerit intromiſſus, ſeſéque Epiſcopali abdicauerit ditione. Nec mora, ciuitatem Remenſem à præfato conuentu adeuntes Epiſcopi, prætaxatum electum noſtrum in Eccleſia ſancti Remigij dignitate ſublimant.

DAMASI EPISCOPI ROMANI LEGATIO IN FRANCIAM AD PROCERES regni, vt Ludouicum regem ſuum recipiant.

LEGATIO hæc à Stephano VIII. Papa ad eos directa, qui Ludouicum regem vel nondum ſuſceperant, vel in eum excuſſo iugo rebellabant, in quibus præcipui Hugo & Heribertus Comites. Flodoardus in Chronico. Anno, *inquit*, DCCCCXLII. Legatus Stephani Papæ nomine Damaſus, Epiſcopus Romæ ob legationem peragendam ordinatus, in Franciam venit, adferens litteras Apoſtolicæ ſedis ad principes regni, cunctóſque Franciæ vel Burgundiæ habitatores, vt recipiant regem ſuum Ludouicum. Quod ſi neglexerint, & eum amplius hoſtili gladio perſecuti fuerint, excommunicationis depromens interminationem. Pro qua re colloquentes Epiſcopi Remenſis diœceſeos cum Heriberto Comite, deprecati ſunt eum, vt intercederet apud Hugonem principem pro receptione regis. Legati Remenſis Eccleſiæ Roma regreſſi pallium deferunt Hugoni Epiſcopo ab Stephano Papa tranſmiſſum. Cum quibus pariter & legatio venit principibus regni, vt Ludouicum regem recipiant, & ſic legatos ſuos Romam dirigant. Quod ſi vſque ad natiuitatem Domini facere non procurauerint, excommunicandos tunc fore ſe nouerint.

ADELBERONIS EPISCOPI METENSIS præceptum de monachis in cœnobio ſancti Arnulfi clericorum loco conſtitutis.

LOTIVS ordo expetit æquitatis, quo in omni ſtatu & habitu ſi qua manent iuſto correcta moderamine, inſtantiùs in augmento promoueantur ſummò, nec minùs iuſto quæ videntur peſſundari æquæ reformari menſura librationis. Idcirco ego indignus Adelbero ſanctæ ſedis Metenſium Epiſcopus, operę pretium duxi, vt qui diu mihi commiſſa in corporis negligentia cuncta duxeram, ſaltem aliqua quæ corrigere valerem congruebat ſagaci prouiderem induſtria. Itaque monaſterium cunctis notum, ſcilicet beati Arnulfi, quo videbatur coadunatio clericorum, vtque veridicè dicam, & ſub teſtimonio totiùs Eccleſiæ, acephalorum ſub ſpecie canonicorum regulæ exiſtere, ſuccreuit ardor ſummi deſiderij, vt qui illorum mores & vitam incorrigibilem noueram, (namque & hoc experientia diuerſarum admonitionum antea cum noſtris expertus eram ſuffraganeis) quo potioribus & vitæ præſtantiſſimis ipſius loci præbendam conuerterem diſciplinis. Huius ſiquidem deliberationis ſumma fuit, vt eos inde expellerem, & Deo auctore vitam inſtituerem monaſticam, niſi ſeipſos ſanctæ illius ſubderent vitæ. Sed hoc quaſi deſpectui habentes, vt erant iurati cœtu, maluerunt eſſe pares in imperfectionum conſenſu. Denique conſultu noſtrorum clericorum, ſcilicet Abbatum vtriuſque ordinis, atque fidelium laicorũ, præfecimus ibi Abbatem, Arbertum

nomine, cuius inſtitutionibus in reliquum aduentantes inibi eodem quo definiuimus ordine ſcilicet monaſtico erudirentur. Quapropter furoris ſtimulo veluti de paternis redditibus accenſi quidam eorum adierunt regem ſeniorem noſtrum videlicet Ottonem, vanam ſuper hoc garrientes declamationem, quòd iniuſtè proprium abſtuliſſem & veluti hereditariũ locum. Cúmque vt egeram præfato ſeniori totum indicaſſem, illorum flocci pendens rationem, vt ſapiens & iuſtus rex, ne in reliquum querimoniis inibi Deo famulantes moleſtarentur inuidorum, tunc & ipſe quod feceram confirmauit teſtamento regiæ auctoritatis, præcipiens vt pari conſenſu ad corroborationis auctoritatem identidem noſtra ſanciret Eccleſia. Quod iuxta deſiderij ardorem exequens, vt dehinc ſicut ſtatuimus maneat, cum conſenſu Ducis noſtri Ottonis videlicet, totiúſque Eccleſiæ noſtræ, hoc præceptum confirmationis ſcriptum manibus propriis roborauimus, & roborandum ram prædicto Duci, quámque coepiſcopis noſtris, fidelibúſque dedimus: in Domino, & propter Dominum, omnes ſucceſſores noſtros humiliter poſtulans, vt ſicut diffiniuimus, vtque volunt ſua quę diffinierint, rata habere conſentiant noſtra. Actum Metis publicè, ſub die Idus Martij, Indictione XV. concurrente V. anno XIII. adeptionis Epiſcopatus domni & venerabilis Epiſcopi Adelberonis, hoc teſtamentum fuit coram cunctis in palatio recitatum, & ab omnibus voluntariè corroboratum.

CONCILIVM VIRDVNENSE.

IN QVO SEDES REMENSIS ARTALDO adiudicata eſt, menſe Nouembri celebratum anno DCCCCXLVII.

De hac Synodo ſcribit Flodoardus tum in Chronico, tum in Hiſtoria Remenſi lib. IV. *cap.* XXXIII. *iiſdem ferè vtrobique verbis in hunc modum.* Anno, *inquit*, DCCCCXLVII. conuentus placiti regum Ludouici & Ottonis ſuper Charam fluuium intrante menſe Auguſto celebratur, Hugone principe circa Moſomum & Duodeciacum caſtra metato. Vbi res litis inter Artaldum & Hugonem Remenſis Eccleſiæ præſules ab Epiſcopis auditur. Et quia Synodus tunc conuocata non fuerat, altercatio determinari non potuit. Synodus autem circa medium menſis Nouembris habenda denuntiatur. Interim verò ſedes Remenſis Artaldo conceditur: Hugo autem Præſul in Moſomo commorari permittitur. ET POST ALIA. Synodus prædicta Virduni habita eſt, præſidente Rotberto Treuerenſi Præſule, cum Artaldo Remenſi, Odolrico Aquenſi, Adelberone Metenſi, Goſlino Tullenſi, Hildebaldo Tranſrhenenſi Mimegardovvrdenſi, Iſraele Brittone, præſente Brunone Abbate fratre regis Ottonis, Agenoldo quoque, & Odilone, cum aliis quibuſdam venerãdis Abbatibus. Ad quam Hugo Epiſcopus euocatus, miſſis etiam duobus ad

eum deducendum Epiſcopis Adalberone & Goſlino, venire noluit. Vniuerſa verò Synodus domno Artaldo Remenſe tenendum adiudicauit Epiſcopium. Indicitur iterum Synodus Idibus Ianuarij habenda.

ANNO CHRISTI 948. LVDOVICI IV. REGIS 12.

CONCILIVM MOSOMENSE.

IN QVO SEDES REMENSIS ARTALDO ITERVM adiudicata, Hugoni communio vſque ad generalem Synodum interdicta eſt, menſe Ianuario celebratum anno DCCCCXLVIII.

FLODOARDVS *idem in Chronico.* Anno, *inquit*, DCCCCXLVIII. Synodus prædicta celebratur in Eccleſia ſancti Petri, ante proſpectum caſtri Moſomi, à domno Rotberto ceteriſque Treuerenſis diœceſeos Epiſcopis, & aliquibus Remenſis. Veniens autem illuc Hugo Præſul, & locutus cum Rotberto, ſynodum noluit ingredi: litteras verò quaſdam ex nomine Agapiti Papæ miſit ad Epiſcopos per clericum ſuum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes, hoc tantùm præcipientes, vt Hugoni Remenſe redderetur Epiſcopium. Quibus lectis, ineuntes Epiſcopi conſilium cum Abbatibus & ceteris ſapientibus qui aderant, reſponderunt, non eſſe dignum vel congruum, vt mandatum legationis Apoſtolicæ, quam dudum Rotbertus Archiepiſcopus, deferente Friderico Præſule Moguntiacenſi, coram regibus & Epiſcopis tam Galliæ quàm Germaniæ ſuſceperat, & partem iam præceptionis ipſius exegerat, propter illas litteras intermitteret, quas inſidiator Artaldi Præſulis exhibebat: immo quod regulariter cœptum fuerat, canonicè pertractaretur. Sícque præceptum eſt, vt recitaretur Capitulum XIX. Carthaginienſis Concilij de accuſato & accuſatore. Quo recitato, iudicatum eſt ſecundum definitionem ipſius Capituli, vt Artaldo Præſule retinente communionem & parrochiam Remenſem, Hugo, qui ad duas Synodos euocatus venire contempſerat, à communione & regimine Remenſis Epiſcopij abſtineret, donec ad vniuerſalem Synodum, quæ indicebatur Kalendis Auguſti, ſe purgaturus occurreret. Ipſúmque Capitulum mox in charta deſcribi fecerunt Epiſcopi coram ſe, ſubnectentes hanc etiam definitionem ſuam, & eidem Hugoni miſerunt. Qui poſt alteram diem eandem chartam Rotberto Pręſuli remiſit, hoc verbis remandans, quòd ipſorum iudicio nequaquam obediturus eſſet.

CONCILIVM ENGILENHEIMENSE.

IN QVO ARTALDO SEDES REMENSIS reſtituta, Hugo Comes Ludouico regi perduellis excommunicarus eſt, præſidente Marino ſedis Apoſtolicę legato celebrarum Indictione VI. ſeptimo Idus Iunias, anno Chriſti DCCCCXLVIII. Agapeti II. Papæ anno II. Ludouici eiuſdem Tranſmarini regis, qui Concilio aderat, anno XIII.

TITVLI CANONVM.

1. *Hugo Comes, qui Ludouici regnum infeſtabat, excommunicatus.*
2. *Artaldo ſedes Remenſis reſtituta, Hugoni, qui eam vſurpabat, anathema dictum.*
3. *Hugo idem Comes ob Epiſcopum Laudunenſem ſede ſua eiectum excõmunicatus.*
4. *Vt laici ſine licentia Epiſcopi Eccleſias non dent, nec auferant.*
5. *Vt laici presbyteros non vexent.*
6. *Quot diebus feriandum ſit in Paſcha & Pentecoſte.*
7. *Vt in Litania maiore ieiunetur.*
8. *Vt oblationes altaris à laicis non attingãtur.*
9. *Vt decimarum cauſa non apud ſæculares, ſed in Synodo diſcutiantur.*
10. *De inceſtis nuptiis.*

PRÆFATIO.

IN nõmine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini DCCCCXLVIII. Indictione VI. VII. Idus Iunias, anno ſerehiſſimi regis Ottonis XIII. ipſo quoque cum illuſtriſſimo rege Ludouico in præſentia manente, ſancta ac generalis Synodus apud Engilenheim, in Eccleſia S. Remigij Confeſſoris Chriſti, in pago Nagauui dicto collecta eſt, præſidenre videlicet domni Agapeti Papæ apocriſiario, venerabili Polymartienſis Eccleſiæ Epiſcopo Marino, & conſidentibus Archiepiſcopis, Vvicfredo ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Friderico ſanctæ Moguntinæ ſedis Archiepiſcopo, Rotberto ſanctæ Treuerenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Artaldo ſanctæ Remenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Adalgago ſanctæ Hammaburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Richauone Vangionenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Geroldo Iuuanenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Vdalrico Auguſtenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Bernardo Halberſtatenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Theodardo Hildinesheimenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Dudone Padebrunnenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Conrado Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopo, Starcando Eiſtetenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Reginbaldo Nemetenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Poppone Vvirciburgenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Adalberone Metenſis Ec-

cleſiæ Epiſcopo, Goſlino Tullenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Berengero Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Balderico Traiectenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Vvichardo Baſileenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Dodone Oſnaburgenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Eboriſo Mimidonenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Hildiboldo Mimigardeuurdenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Faraberto Tungrenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Fulberto Cameracenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Rudolfo Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Michaele Ratiſbonenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Adalberto Laureacenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Liopdago Ripuenſis Eccleſię Epiſcopo, Oredo Sueuuicenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Reginbrando Aruſuēſis Eccleſiæ Epiſcopo, cum cœtu Abbatum, Canonicorum, necnon & monachorum, vnius ſpiritus amore feruentium, quatenus cœlitus adminiculati, zizania diuini cultus agro ab inimica manu ſuperſita canonicarum ſarculis ſententiarum radicitùs extirparentur.

Igitur recitato primitùs Euangelio, oraminéque finito, & ſanctorum canonum quamplurimis inſtitutionibus linguarum clauibus coràm recluſis, Miſſus Apoſtolicę ſedis chartam ſuę legationis honorificè protulit, in qua pro debitæ reuerentiæ dono Romano Pontifici exhibendo commoniti ſunt, vt vniuerſalis Eccleſiæ puppis exoptatæ tranquillitatis portui ſecura ſuccedat, ſeque proceloſo tribulationum turbine vexari diutiùs non timeat. Significatum eſt autem in eiuſdem recitaminis ſententia, prędictum præſulem Marinum ab ipſo vniuerſali Papa tali tenore ad noſtros fines directum fuiſſe, quo in omni Eccleſiaſticarum legum diſcuſſione ipſius exiſtens vicarius, quæcumque liganda eſſent Apoſtolica auctoritate ligaret, & quæ ſoluenda viderentur, pauli ſolueret poteſtate. Huiuſmodi proculdubio affaminis tam ſalubri miſſarico glorioſiſſimi reges præfati, cum pontificibus, omníque clero, congratulantes, vt dignum fuit, ſe in omnibus conſentire & obedire profeſſi ſunt. A quibus, auctorante & confirmante legato Apoſtolico, capitula ſubſequentia ſtatuta ſunt.

CANONES.

I. *Hugo Comes, qui Ludouici regnum infeſtabat, excommunicatus.*

DE hinc ex ſeſſionis ſuæ loco ſe ſubrigens inclytus rex Ludouicus, ad præſentiam ſereniſſimi regis Ottonis, totiúſque ſanctiſſimi Concilij vnanimitatem, ſatis lacrymoſi conqueſtus protulit querimoniam: videlicet quòd regia priuaretur poteſtate à quodam principe Hugone nominato, quondámque ſibi ſubiecto. Cuius anxietati & multimodæ reclamationi condolentes in vnitate ſpiritus coadunati ſanctiſſimi patres, eiuſmodi ſuper hac re ſententiam protulere. NVLLVS deinceps regiam poteſtatem præſumat populari, ſeu aliquam perfidiæ maculam ſibi fallaciter exhibere. Decreuimus enim, Toletani Concilij iudicium exequendo, Hugonem regis Ludouici regni inuaſorem & raptorem excommunicationis gladio feriendum, niſi fortè tempore ſtatuto ad ſynodale Concilium veniat, & à tam nefaria proteruitate ſatisfaciendo reſipiſcat.

Conc. Tolet. IV. can. 75.

II. *Artaldo ſedes Remenſis reſtituta, Hugoni, qui eam vſurpabat, anathema dictum.*

Artoldus Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus propria dè ſede expulſus, ex canonica auctoritate in priſtinum honorem inthronizatus, Hugo autem, qui eius ſedem contra fas ſibi vſurpat, anathematis eſt mucrone mulctatus: eiúſque ordinatores, & qui ab eo ſunt ordinati, niſi VI. Idus Septembris Treuiris veniant, & ibi pro erratibus dignam ſatisfaciendo pœnitentiam ſubeant, ſimilem excommunicationis ſententiam ſuſtineant.

III. *Hugo idem Comes ob Epiſcopum Laudunenſem ſede ſua eiectum excommunicatus.*

De antedicto Hugone Comite, qui Rudolfum Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopum propria de ſede, non cauſa alicuius criminis, ſed pro fidelitate Ludouici regis proprij ſenioris expulit, decreuimus eum in ſancta Synodo pro hac re, ſicut de præſcripta, excommunicandum, niſi veniendo ſatisfecerit.

IV. *Vt laici ſine licentia Epiſcopi Eccleſias non dent, nec auferant.*

Vt laici ſine Epiſcopali licentia presbyteris Eccleſias dare, vel eos dimittere non præſumant.

V. *Vt laici presbyteros non vexent.*

Vt nullus laicorum presbyterum flagitare, ſeu fatigare, vel aliquam ſibi iniuriam inferre audeat.

VI. *Quot diebus feriandum ſit in Paſcha & Pentecoſte.*

Vt Paſchalis hebdomada feſtiuè tota celebretur, & in Pentecoſten ſecunda, tertia, quarta feria, non minùs quàm dies Dominicus, ſolemniter honorentur.

VII. *Vt in Litania maiore ieiunetur.*

In Litania maiore ieiunium, ſicut in Rogationibus ante Aſcenſionem Domini, exerceatur.

VIII. *Vt oblationes altaris à laicis non attingantur.*

Vt oblationes fidelium, quatenus altari deferantur, nihil omnino ad laicalem pertineant poteſtatem, dicente ſcriptura: *Qui altario deſeruiunt, de altario participentur.* 1.Cor. 9. 13.

IX. *Vt decimarum cauſæ non apud ſæculares, ſed in Synodo diſcutiantur.*

Vt decimæ, quas Dominus præcipit in horreum ſuum deferri, ſi Eccleſiis Dei non fuerint redditæ, ſed nefaria cupiditate, quæ

ſæuior Ætnæ ignibus ardet, à ſæcularibus fuerint retentæ, ſæcularia ſuper hoc non exerceantur iudicia, nec in forenſibus diſcutiantur cauſis, ſed in ſancta Synodo ab ipſis ſacerdotibus, quorum deputatæ ſunt vſibus, quid exinde debeat actitari, certis diffiniatur promulgationibus.

X. De inceſtis nuptiis.

Vt Euangelica auctoritate & ſacrorum canonum inſtitutione * pœnáſque proponere diuini iudicij, vt noſtra ſit abſoluta conſcientia, & illarum pro ſe rationem Deo reddat intentio. Cauendum eſt quippe, quod de earum moribus actibúſque beatus Paulus teſtatur Apoſtolus. Quod pleniùs exponere prætermimus, ne ſexus inſtabilis non tam deterreri quàm admoneri videatur.

SYNODI EIVSDEM APVD ENGELENHEIM habitæ actorum narratio altera.

Ex Flodoardo lib. IV. Hiſtoriæ Remenſis cap. XXXV.

Domnvs igitur Agapitus Papa vicarium ſuum Marinum Epiſcopum mittit ad Ottonem propter euocandam & congregandam generalem Synodum. Litteræque ipſius Papæ mittuntur ab vrbe Romana ſpeciatim quibuſdam Epiſcopis Galliç, Germaniæque, vocantes eos ad Synodum. Quæ Synodus congregata eſt in Engelenheim palatio regali, in Eccleſia B. Remigij honori dicata, VII. Idus Iunij, cauſa videlicet maximarum diſſenſionum, quæ agitabãtur inter regem Ludouicum, & Hugonem principem, inter Artaldum quoque Remenſem Epiſcopum, & Hugonẽ illicitè ſubſtitutum eiuſdem vrbis Præſulem: quæ diſſenſiones omne perturbauerant regnum Francorum. Ad quam Synodum celebrandam, adueniente prædicto Marino ſedis Apoſtolicæ Vicario, conuenerunt etiam Germaniæ præſules, cum quibuſdam Galliarum Epiſcopis. Rotbertus videlicet Treuirenſis Archiepiſcopus, Artaldus Remenſis, Vvicfridus Colonienſis, Hildebaldus Mimigardouurdenſis, Adalbero Metenſis, Berengarius Virdunenſis, Fulbertus Cameracenſis, Rodulfus Laudunenſis, Richoo Vvatmatienſis, Raimbaldus Spirenſis, Poppo Vvitzburgenſis, Conradus Conſtantienſis, Odelricus Auguſtenſis, Terhardus Hildesheimenſis, Bernardus Halberſtatenſis, Dudo Padetbornenſis, Fridericus Moguntinenſis, Adalgagus Hammaburgenſis, Goſlenus Tullenſis, Michael Ratiſponenſis, Farabertus Tungrenſis, Lioptacus Ribunenſis, Dodo Oſnaburgenſis, Eueris Mindenſis, Baldricus Traiectenſis, Heroldus Salſburgenſis, Adelbertus Bazſoenſis, Srarcandus Eiſtadienſis, Horat Neouicenſis, Vvicardus Baſilecnſis, Lidac Ribuenſis. Reſidentibus his Præſulibus in Eccleſia dicti loci, poſt præmiſſas preces ſecundum ordinem celebrandi Concilij, & poſt lectiones ſacræ auctoritatis, ingreſſis glorioſis regibus Ottone ac Ludouico, & ſimul reſidentibus, poſt allocutionem præfati Marini ſedis Apoſtolicæ legati, exurgens Ludouicus rex è latere & conſenſu domni regis Ottonis, proclamationis ſuæ querimoniam propalauit coram præmiſſo Romanæ ſedis Vicario, ceteriſque conſidentibus Epiſcopis: referens qualiter accerſitus fuerit à tranſmarinis regionibus per legatos Hugonis, ceterotúmque Franciæ principum, ad ſuſcipiendum ſuç paternæ hereditatis regnum, cunctorúmque votis & acclamationibus procerum, militiæque Francorum, ſublimatus & conſecratus ſit ad apicem regalis moderaminis obtinendum: poſtea verò eiectus ſit à præfato Hugone, & dolis appetitus ac comprehenſus per annum integrum ſub cuſtodia fuerit ab eo detentus: nec aliter eius abſolutio potuerit obtineri, niſi Laudunum caſtrũ, quod ſolum tunc regina Gelberga

cum fidelibus ſuis regiis ſedibus retinebat, Hugone id occupãte dimitteret. De his omnibus malis, quæ poſt regni ſuſceptionem paſſus fuerat, ſi quis obiiceret quòd ſui facinoris cauſa eidem fuiſſent illata, inde ſe iuxta ſynodale iudicium, & regis Ottonis præceptionẽ, purgaret, vel certamine ſingulari defenderet. Deinde ſurgens Artaldus Archiepiſcopus protulit ſecundum iuſſionem Papæ Romani, quam ei delegauerat, initium atque renorem litis, quæ verſabatur inter ipſum & Hugonem ſubrogarum ſibi Eccleſię Remenſis Antiſtitem. Et recitaræ ſunt litteræ quæ ſequuntur.

Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ ſedis Vicario domno Marino, vniuerſæque ſanctæ Synodo apud Engelenheim congregatæ Artaldus diuinâ propitiante clementia Remorum Archiepiſcopus.

DOMNVS Agapitus Papa litteras nobis & ceteris Coepiſcopis noſtræ diœceſeos direxit, in quibus præcepit, vt ad hoc ſanctitatis veſtræ Concilium conuenire ſtuderemus, ita inſtructi de omnibus, vt rei veritas de miſeriis noſtræ ſedis, quas patimur, coram ſanctitate veſtra manifeſta fieri poſſet. Quocirca propalare prudentiæ veſtræ commodum duximus, qualiter res exordium ceperit litis huius, quæ adhuc inter me & Hugonem miſerrimè ventilatur. Defuncto ſiquidem Heriueo Archiepiſcopo, Seulfum, qui Archidiaconatus vrbis noſtræ tunc officio fungebatur, ad præſulatum eiuſdem ſedis elegimus. Qui Pontifex ordinatus, aſſumens zelum contra proximos prædeceſſoris ſui, cùm eos per ſemet à loco depellere non valeret, conſilio inito cum quibuſdam laicis, ſcilicet conſiliariis ſuis, amicitiam quæſiuit Heriberti Comitis, quam dato iure iurando per eoſdem conſiliarios obtinuit eo tenore, vt poſt obitum ipſius ad electionem Pontificis milites Eccleſiæ nullatenus adſpirarent ſine conſilio ipſius Heriberti: idem verò Comes fratrem Heriuei præſulis, & nepotes ipſius, à participatione rerum Remenſis Epiſcopij ſepararet. Quibus patratis, inſimulati ſunt iidem propinqui Heriuei Præſulis à conſiliariis Seulfi Epiſcopi de infidelitate ipſius ſenioris ſui, accerſitóque Heriberto Comite cum pluribus ſuis iubentur ad rationem reddendam coram ipſis venire. Et quia contra eos, à quibus accuſari fuerant, ſinguları congredi certamine noluerunt, ſublatis ab eis rebus, quas ex Epiſcopio poſſidebant, comprehenſi ſunt, atque deducti per Heribertũ Comitem ad Robertum regem, à quo etiam ſub cuſtodia ſunt detenti vſque ad mortem ipſius Roberti. Tertio demum ſui Epiſcopatus anno Seulfus Epiſcopus, vt plures aſſerunt, ab Heriberti familiaribus veneno potatus defungitur. Mox itaque Comes Heribertus vrbem Remenſem adiit, & Eccleſiæ milites, clericorum quoque quoſdam, de rectoris electione ad ſuum conſilium, ceu iuratum fuerat, intendere fecit. Cum quibus ad Rodulfum regem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo, vt ſibi committeretur idem Epiſcopium eo tenore, vt tam clericis quàm laicis debitum honorem concederet & conſeruaret, nec iniuſtitiam alicui faceret: ſed ipſum Epiſcopium æquo iure gubernaret, donec talem clericum eidem regi præſentaret, qui ad Epiſcopale miniſterium exequendum ritè ordinari valeret. Qui Comes ad eandem vrbem regreſſus, res Epiſcopij, prout ſibi placuit, fautoribus ſuis diuiſit, ceteris abſtulit, & abſque vllo iudicio vel lege quos voluit rebus exſpoliauit, vel ab vrbe propulit. Odalricum denique Aquenſem Epiſcopum in eadem vrbe ſuſcipiens, Epiſcopale inibi miniſterium celebrare præcepit. Sicque annos ſex, & eo ampliùs, idem Epiſcopium ſuo dominio vindicauit, pro libitu proprio illud tractans, & in ſede Præſulis reſidens tam ipſe quàm coniux ſua, donec ſeptimo tandem anno ortis inter ipſum & regem Rodulfum atque Hugonem Comitem quibuſdam ſimultatibus, Rodulfus rex cum Hugone & Boſone fratre ſuo, ceteriſque pluribus tam Epiſcopis quàm Comitibus, Remorum obſidet vrbem, ſuccenſentibus ſibi Epiſcopis, & conquerentibus aduerſus eum, quòd tam diuturno tempore contra diuinæ legis auctoritates hanc vrbem permiſerit vacare paſtore. Quorum querimoniis permotus rex admonet clerum & populum de paſtoris electione, dans eis id agẽdi facultatem ad Dei honorem & ſui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis tam clericis quàm laicis, qui extra obſidionem erant, pluribus etiam eorum, qui clauſi tenebantur, in idipſum fauentibus, eligitur humilitatis noſtrę perſona in hoc

magis onere quàm honore ſubeundo. Aperientibus tãdem tam militibus quàm ciuibus portas vrbis regi Rodulfo,& Epiſcopalem benedictionem mihi tradentibus Epiſcopis, qui erant decem & octo, & ſuſcipientibus noſtram humilitatem tam clero vniuerſo, quàm reliquis ciuibus, inthronizatus ab Epiſcopis noſtræ diœceſeos, impoſitum mihi, prout Deus cõceſſit, miniſterium per annos ferme nouem tractaui, ordinans per diœceſim Epiſcopos octo, & in Epiſcopio multos, prout competens videbãtur, clericos: quouſque nono poſtmodum anno, poſtquam Ludouicum regem, fauente Hugone, cunctiſque regni principibus, Gerbergam quoque reginam benedixeram, & ſacro perfuderam chriſmate, inſtigatus Hugo Comes iracundia, quòd ei conſentire vel cõiungi noluerim ad ipſius regis infidelitatem, adhibitis ſecum Heriberto Comite, & Vuillelmo Nortmannorum principe, Remenſem obſidet vrbem. Nec longum, ſexta ſcilicet obſidionis die, deſeror ab omni pene cœtu laicalis militiæ: ſicque derelictus ab his, ad Hugonem & Heribertum compellor exire. A quibus coarctatus & conterritus cogor memet Epiſcopali procuratione abdicare. & ita me propellentes in cœnobio S. Baſoli habitare conſtituunt: Hugonem verò filium Heriberti, qui Autiſiodori diaconus ordinatus fuerat, in vrbem introducunt, & ciuitate potiuntur. Ludouicus autem rex à Burgundia rediens, me apud S. Baſolum reperit, & aſſumens ſecum ſimul cum propinquis meis, quorum res Heribertus Comes abſtulerat, Laudunum deducit, quod caſtrum tunc obſidebant Heribertus & Hugo: ſolutâque obſidione oppidum ingredimur, nobiſque metatus degendi diſponitur. Interim clerici noſtri loci, ſed & laici quidam peſſimè ab Heriberto tractantur, & quidam clericorum in cuſtodiis retruduntur, res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam vrbem latè perpetrantur. Interea conuocantur Epiſcopi noſtræ diœceſeos ab Hugone & Heriberto, ſatagentibus & quærentibus ab eis de ordinatione Hugonis filij Heriberti. Qui Sueſſionis congregati, mittunt ad me Laudunum Hildegarium Epiſcopum, cum aliis quibuſdam legatis, mãdantes vt ad eos venirem, ad conſentiendum ſcilicet huius ordinationis peruerſitati. Quibus remandaui quòd non eſſet mihi competens ad eos illò proficiſci, vbi aduerſarij & inimici mei cum ipſis erant aggregati. Quòd ſi loqui mecum vellent, ad talem locum deuenirent, vbi ſine periculo ad eos accedere poſſem. Quibus aduenientibus in locum ab eiſdem delectum, profectus ſum ad eos, veniénſque proſternor coram ipſis, obſecrans vt propter amorem & honorem Dei tam mihi quàm ſibi competens conſilium dare ſtuderent. Qui me de ordinatione prædicti Hugonis interpellare cœperunt, & hoc omnimodis ſuadere, vt eis in hac ordinatione conſenſum præberem, promittentes res nonnullas Epiſcopij mihi ſe impertituros. At ego, poſtquam reſponſum diu diſtuleram, videns eos cunctos in propoſito quod ceperant perſeuerantes, ſurgens interdixi palam cunctis audiẽtibus, excommunicans auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filij, & Spiritus ſancti, vt nullus eorum ad eandem ordinationem accederet, nec alicui in Epiſcopali honore me viuente manus imponeret: ſed nec vllus eandem benedictionem ſuſcipere præſumeret. quod ſi fortè fieret, ad ſedem Apoſtolicam eos prouocabam. Illis inde furentibus, vt poſſem exire de medio eorum, & Lauduuum reuerti, temperaui reſpõſum, dicens vt mitterent mecum, qui eis renuntiaret, quid conſilij reperire valerem ſuper hac re in domina mea regina & fidelibus eius, quia rex non aderat. Ad hæc illi mittunt Deroldum Epiſcopum, putantes me eſſe muraturum conſilium. Quo veniente, & coram domina regina & fidelibus eius inde me interpellante, iterum exurgens præfatæ modum excõmunicationis in eoſdem Epiſcopos iaculatus ſum: vocationem quoque ad ſedem Apoſtolicam iterare curaui, excommunicans ipſum hunc Deroldum, vt id eis omnino non taceret, ſed cunctis manifeſtè proferret. His ita geſtis, paruipendentes illi noſtram excommunicationem, Remis accedunt, & quidam eorum ordinationi huic manus applicuerunt, quidam verò ſe ſubduxiſſe ſciũtur. Ego verò cum rege manens, quas ille ſcitur anguſtias pertuliſſe, & ſecum pertuli, & quando cum bello aggreſſi ſunt Hugo & Heribertus, cum ipſo eram, & vix euaſi mortis periculum. Prolapſus itaque, auxilio & protectione Dei, de medio inimicorum, profugus & vagabundus loca inuia quæque, ſiluáſque perluſtro, non auſus certo conſiſtere loco. Comites autem Hugo & Heribertus, affari quoſdam amicos noſtros ſibi ſubditos, ſuadent vt me requi-

tentes ad ipſos deducant, pollicentes ſe mihi benefacturos, & rebus quas ipſi petiſſent ditaturos. Requirentes ergo me amici reperiunt per diuerſa vagantem, & ita perducor à fratribus meis & amicis ad præfatos Comites. Qui poſtquam me in poteſtate ſua conſpiciunt, quærere cœperunt, vt eis pallium à ſede Romana mihi collatum traderem, & ſacerdotali me miniſterio penitus abiurarem. quod ego nullatenus me facturum, neque pro amore vitæ huius præſentis, atteſtor. Diſtrictus igitur & coanguſtiatus ab eis, Epiſcopij tandem rebus abrenuntiare compellor: ſicque rurſus ad S. Baſolum, quaſi vacans, habitaturus deducor. Manſi denique paucis diebus in ipſo cœnobio, quoaduſque comperiens per certos ex familiaribus Heriberti Comitis nuntios, quòd ab eo malè de mea tractabatur perditione, iterum iterúmque nuntiis huiuſmodi pauefactus & impulſus, locum deſerui, & abdita luſtra ſiluarum vagabundus repetij: horíſque ſilentibus, & itinere deuio Laudunum reuertor, ibique ſuſceptus à rege ſecum manere conſtituor. Manſi verò ibidem cum ipſo, vel fidelibus eius, expectans & deprecans miſericordiam Dei, donec ipſe eſt dignatus in cor domini regis Ottonis mittere, vt ad ſubuentionem ſenioris mei regis & noſtram properaret in Franciam. Denique, poſtquam domina noſtra regina Laudunum propter abſolutionẽ domini regis reliquerat, egreſſus inde ad dominum regem Ottonem cum ſeniore meo deueni rege, ſimúlque Remos acceſſimus. Cingitur itaque vrbs exercitibus, & Epiſcopi, qui aderant, me ſedi noſtræ reſtitui cenſent. Mandatur ergo Hugoni à domino rege Ottone, vt egrediatur, & peruaſã deſerat vrbem. At ille nutans aliquandiu, & pro poſſe, vbi vidit ad reſiſtendum penitus ſufficere ſe nequaquam valere, nec amicorum ſibi præſidia ſubuenire, decernit exeundum, quærens vt liber cum ſuis dimitteretur abſcedere. Permittitur itaque ſanus exire cum omnibus, qui ſecum voluere comitari, & quæcumque ſecum voluit ferre, nullo contradicente aſportauit. Sicque cum regibus introgreſſus vrbem, præcipior loco noſtro & honori reſtitui. Suſceptus igitur à dominis Archiepiſcopis, Rotberto Treuerenſi, & Frederico Mogõtiacenſi, comitãtibus ceteris, & cõgratulantibus, tam clericis Eccleſiæ noſtræ, quàm reliquis ciuibus, ab ipſis reſtituor cathedræ Epiſcopali. Hugo verò Remis egreſſus Moſomum caſtrum cum ſuis occupat, & muniens contra fideles regis ſenioris noſtri detinet. Habito denique conloquij placito inter reges, ſeniorem meum videlicet ac dominum Ottonem, ſuper Charam fluuium, conuenimus ad illud tam ego quàm ipſe Hugo cum ordinatoribus ſuis. Ibique res litis huius ab Epiſcopis auditur: protulítque litteras ad ſedem Romanam quaſi ex perſona noſtra datas excuſationis meæ, ac ſi vacationem petentes adminiſtrationis Epiſcopij noſtri: quas me vnquam dictaſſe, neque ſubſcribendo aliquatenus corroboraſſe proteſtatus ſum, atque proteſtor. Et quia tunc Synodus conuocata non fuerat, id opponentibus fautoribus ipſius Hugonis, altercatio noſtra determinari non potuit. Synodus autem circa medium menſis Nouembris habenda Virduni, vtriuſque partis Epiſcopis annuentibus, denuntiatur. interim verò, ſedes Remenſis mihi regenda decernitur, idem verò Hugo Moſomi commorari permittitur. Nec longum, inſtante ſcilicet vindemiæ tempore, hic noſter æmulus Hugo, aſſumens ſecum Theobaldum regis inimicum, & regni noſtri, cum aliis pluribus malefactoribus, in villas Remenſis Epiſcopij contiguas vrbi deuenit, & omne pene vinum ex his colligens in diuerſos pagos abduci fecit. Tum multa mala inibi perpetrata, & Eccleſiæ noſtræ homines captiui abducti, & ad redemptionem variis ſunt adacti tormentis. Synodus autem denuntiata Virduni celebratur, præſidente Rotberto pręſule Treuirenſi, pręcepto domni Papæ Romani, præſente quoque domino Brunone, cum Epiſcopis & Abbatibus nonnullis. Ad quam præfatus Hugo euocatus, miſſis etiam duobus ad eum deducendum Epiſcopis, Adalbetone & Gozlino, venire contempſit. Vniuerſa verò Synodus mihi Remẽſe regendum decernit Epiſcopium. Indicitúrque iterum Synodus habẽda die Iduum menſis Ianuarij, quæ & adgregatur, vt denuntiatum fuerat, in Eccleſia ſancti Petri, ante proſpectum caſtri Moſomi, à domino Rotberto, cõuenientibus ceteris quoque Treuerenſis diœceſeos Epiſcopis, & aliquibus Remenſis. Veniens autem illuc æmulus noſter Hugo, & locutus cum domino Rotberto, Synodum noluit ingredi: litteras verò quaſi ex nomine domini Papæ direxit ad Epiſcopos per clericum

ſuum, qui eas Roma detuliſſe ferebatur, nihil auctoritatis canonicæ continentes, ſed hoc tantùm præcipientes, vt Hugoni Remenſe redderetur Epiſcopium. Quibus recitatis, ineuntes Epiſcopi conſilium cum Abbatibus, & ceteris qui aderant ſapientibus, reſponderunt non eſſe dignum vel congruum, vt mandatum legationis Apoſtolicæ, quam dudum Rotbertus Archiepiſcopus, deferente Friderico Præſule Mogonriacenſi, coram regibus & Epiſcopis tam Galliæ quàm Germaniæ ſuſceperat, & partem iam præceptionis ipſius exegerat, propter illas litteras intermitteret, quas inſidiator noſter exhibebat: immo quod regulariter cœptum fuerat vt canonicè pertractaretur vnanimiter cenſent. Præcipitùrque recitari capitulum Carthaginienſis Concilij xix. de accuſato & accuſatore. Quo recitato, iudicatum eſt iuxta definitionem ipſius Capituli, vt communionem & parrochiam Remenſem me retinente, Hugo, qui ad duas iam Synodos euocatus intereſſe contempſerat, à communione & regimine Remenſis Epiſcopij abſtineret, donec ad vniuerſalem Synodum, quæ indicebatur ad Kalendas Auguſti, ſeſe purgaturus, vel rationem redditurus præſentaret. Ipſúmque Capitulum mox in charta Epiſcopi coram ſe deſcribi fecerunt, ſubnectentes hanc etiam definitionem ſuam. Qui poſt alteram diem chartam eandem Rotberto præſuli remiſit, hoc verbis remandans, quòd ipſorum iudicio nequaquam obediturus exiſteret. Sicque abſoluto Concilio, ipſe Moſomum contra mandata regum & Epiſcoporum tennet, & ego Remos regreſſus reclamationis mox querelas ad ſedem Romanam per legatos domini regis Ottonis deſtinaui, præſtolans mandata ipſius ſedis, eius decretis, & vniuerſalis huius ſancti Concilij veſtri iudiciis parere paratus.

Post quam litterarum recitationem, & earum propter reges iuxta Theotiſcam linguam interpretationem, ingreſſus Synodum quidam Sigeboldus, premiſſi Hugonis clericus, attulit litteras, quas Roma detulerat, quáſque iam in alia Synodo Moſomi propalauerat, aſſerens eaſdem litteras ſibi Romę ab ipſo, qui aderat, Marino Vicario datas. Qui Marinus profetens litteras, quas idem Sigeboldus Romam tulerat, præcepit eas coram Synodo recitari. In quarum recitatione repertum eſt, prout ipſæ litteræ fatebantur, quòd Vvido Epiſcopus Sueſſionicus, Hildegatius quoque Bellouacenſis, Rodulfus Laudunenſis, ceterique cuncti Remenſis diœceſeos Epiſcopi, eaſdem litteras ad ſedem delegauerant Apoſtolicam pro reſtauratione Hugonis in ſede Remenſi, & expulſione Artaldi. Poſt quam lectionem, exurgentes Artaldus & præfatus Rodulfus, qui in iiſdem litteris nominabantur, Fulbertus quoque Cameracenſis Antiſtes, eaſdem litteras refutarunt, adſtruentes quòd eas antea nunquam viderint, vel audierint, neque in earum delegatione conſenſum præbuerint. Quibus cùm idem clericus contraire non poſſet, licet in eos calumniis obſtrepens; præcepit dominus Marinus, ſuggerens vniuerſæ Synodo, vt ſibi conſilium & rectum iudiciū proferrent ſuper huiuſmodi calumniatore, & calumniarum in Epiſcopos delatore. At illi, poſtquam delator publicè confutatus eſt falſa detuliſſe, lectis Capitulis de huiuſmodi calumniatoribus, iudicant & vnanimiter cenſent, eum qui fruebatur honore priuari debere, ac ſecundum capitulorum tenorem in exilium detrudi. Diaconatus igitur, quo fungebatur, miniſterio multatus, à conſpectu Synodi reprobatus abſceſſit, Artaldo vero Præſuli, qui omnibus ſe Synodis præſentabilem fecerat, nō refugiens ſynodale iudicium, Epiſcopium Remenſe, iuxta canonum conſtitura, & ſanctorum patrum decreta, omnino retinēdum atque diſponendū decernunt, laudant, atque corroborant. Secvnda confeſſionis die, poſt recitatas diuinæ auctoritatis lectiones & Matini Vicarij adlocutionem, ſuggeſſit dominus Rotbertus Treuirenſis Archiepiſcopus, vt quoniam iuxta factæ legis inſtituta reſtauratum atque reſtitutum fuerat Remenſe Artaldo præſuli Epiſcopium, in eiuſdem ſedis inuaſorem ſynodale peragerecur iudicium. Præcepit itaque Marinus Vicarius, vt canonicam ſuper hac pręſumptione Synodus proferret ſententiam. Iubentur ergo ſanctæ legis catholicæ recitari Capitula. Quibus recitatis, ſecundum ſacrorum canonum, & ſanctorū decreta patrū Xyſti, Alexandri, Innocentij, Zoſimi, Bonifacij, Cæleſtini, Leonis, Symmachi, ceterorúmque ſanctorum Eccleſiæ doctorum, excommunicauerunt, atque ab Eccleſiæ Dei gremio repulerunt prædictum Hugonem Remenſis Eccleſiæ peruaſorem, donec ad pœnitentiam & dignam ſatisfactionem venire procuraret.

procuraret. Ceteris quoque diebus tractata ſunt quædam neceſſaria de inceſtis coniugiis, & Eccleſiis, quæ preſbyteris in partibus Germaniæ dabantur, immo venundabantur indebitè, & auferebantur à laicis illicitè. Prohibitum igitur atque ſtatutum eſt, ne id omnino præſumeretur ab aliquo. Sed & de aliis Eccleſiæ Dei vtilitatibus tractata ſunt & definita nonnulla.

Anno Christi 948. Ludovici IV. Regis 12.

CONVENTVS EPISCOPORVM IN ECCLESIA ſancti Vincentij Laudunenſis.

DE *hoc Epiſcoporum conuentu, eiúſque actis, ſcribit in Chronico Flodoardus, vbi res bellicas à Ludouico rege, Lotharienſibúſque cum eo Conrado Duce coniunctis, hoc anno aduerſus Hugonem Comitem geſtas perſequitur.* Obſident, *inquit,* Dux & exercitus quandam munitionem, quam ædificauerat & tenebat Tetbaldus in loco qui dicitur Monsacutus, qui & Laudunum contra regem retinebat. Hoc etiam oppidum oppugnantes tandem non ſine mora capiunt. Indéque Laudunum adeunt, & in Eccleſia S. Vincentij Epiſcopi prædictum Tetbaldum excommunicant. Hugonem verò principem vocant litteris ex parte Marini legati Apoſtolicæ ſedis, & ſua, venire ad emendationem pro malis quæ contra regem & Epiſcopos egerat.

Anno Christi 948. Ludovici IV. Regis 39.

CONCILIVM TREVIRENSE.

IN QVO EXCOMMVNICATVS ITERVM HVGO Comes, Ludouici regis perduellis, cum Epiſcopis aliquot ab Hugone Remenſi ordinatis, à Marino legato celebratum eodem anno DCCCCXLVIII.

Actorum Synodalium breuiarium ex Chronico Flodoardi.

POST HÆC Artaldus Treuiros proficiſcitur ad Synodum, cum Epiſcopis Vvidone Sueſſionico, Rodulfo Laudunenſi, & Vvicfredo Morinenſi. Quò peruenientes Marinum ſeſe præſtolantem repererunt cum Rotberto Archiepiſcopo Treuirenſi: ceterorum verò Lotharienſium atque Germanorum Præſulum illic inuenere neminem. Conſidentibus igitur illis, ſciſcitari cœpit Marinus Vicarius, quid egiſſet poſt præmiſſam Synodum Hugo princeps erga ipſos, & regem Ludouicum. At illi referunt ſupra memorata, quæ ipſis & Eccleſiis eorum intulerat, mala. Requirit ergo de vocatione ipſius principis Marinus: vtrum perlatę fuiſſent litteræ vocationis, quas ei perferendas delegauerat. Cui reſpondetur ab Artaldo Archiepiſcopo, quòd quædam earum perlatæ ſũt, quædam verò perferri non potuerunt, earum gerulo ab ipſis graſſatoribus intercepto: vocatus tamen fuerit tam litteris, quam internuntiis. Requiritur itaque, ſi adſit aliquis ex parte ipſius legatus. vbi cùm nullus fuiſſet

inuentus, decernitur expectandum, ſi fortè aduenturus eſſet in craſtinum.

Sessio II. Quod cùm minimè contigiſſet, & omnes qui aderant tam clerici, quàm illuſtres laici, excommunicandum eſſe acclamarent, definitur ab Epiſcopis hanc excommunicationẽ differendam vſque ad diem tertiam. Tractatur autem de Epiſcopis, qui vocati fuerant, & venire diſtulerant, vel his qui ordinationis Hugonis participes extiterant. Et Vvido quidem Sueſſonicus ſe culpabilem, proſtratus coram Marino Vicario, & Artaldo Archiepiſcopo, profitetur. Intercedentibus autem pro eo apud Marinum Rotberto & Artaldo Archiepiſcopis, abſolui ab hac noxa meretur. Vvicfredus Morinenſis immunis ab hac ordinatione reperitur. Adeſt Tranſmari Nouiomenſis Epiſcopi legatus quidam presbyter, adſtruens eundem Præſulem ita graui languore detentum, vt ad eandem Synodum venite non valuerit. Idque noſtrates, qui aderant, teſtabantur Epiſcopi.

Sessio III. Tertia tandem die, inſiſtente præcipuè Liudulfo legato & capellano regis Ottonis, quoniam idem rex id omnino fieri præcipiebat, excommunicatur Hugo Comes, inimicus Ludouici regis, pro ſupra memoratis malis ab ipſo perpetratis: eo tamen modo, donec reſipiſcat, & ad ſatisfactionem coram Marino Vicario, vel Epiſcopis, quibus iniuriam fecit, deueniat. Quod ſi facere contempſerit, Romam pro abſolutione ſui proficiſcatur. Excommunicantur & duo pſeudoepiſcopi ab Hugone damnato ordinati, Tetbaldus & Iuo: prior poſt expulſionem ipſius in Ambianenſi vrbe, alter poſt damnationem eiuſdem Hugonis in Siluanectenſi ab eo conſtituti. Excommunicatur etiam clericus Laudunenſis nomine Adelomus, quem accuſauit Rodulfus Epiſcopus ſuus, eo quòd Tetbaldum excommunicatum in Eccleſiam introduxerit. Vocatur Hildegarius Bellouacenſis Epiſcopus litteris præfati Marini, vt veniat coram eo, vel eat Romam, rationem redditutus coram Domino Papa pro illicita ordinatione prædictorum pſeudoepiſcoporum, cui interfuerat. Vocatur & Heribertus Heriberti Comitis filius ad ſatisfactionem venire pro malis quæ contra Epiſcopos agebat. His geſtis, Epiſcopi reuertuntur ad ſua.

Anno Christi 949. ovici IV. egis 13.

CONCILIVM ROMANVM.

IN QVO CONFIRMATA EST SYNODVS Engelenheimenſis.

HVIVS *Synodi paucis etiam meminit Flodoardus in Chronico anni* DCCCCXLIX. Agapitus, *inquit*, Papa Synodum habuit apud ſanctum Petrum, in qua damnationem Hugonis Epiſcopi apud Ingulenheim factam confirmauit: excommunicans etiam Hugonem principem, donec Ludouico regi ſatisfaciat.

ANNO CHRISTI 953. LVDOVICI IV. REGIS 17.

CONCILIVM APVD SANCTVM Theodericum.

ADVERSVS RAGENOLDVM COMITEM.

FLODOARDVS *in Chronico*. Anno DCCCCLIII. Synodus quinque Epiſcoporum apud ſanctum Theodericum in territorio Remenſi celebratur, Artaldo Archiepiſcopo præſidente. ad quam vocatus Ragenoldus Comes ob res Eccleſiaſticas ab eo peruaſas, venire noluit, ſed deprecatus eſt regem, ne excommunicaretur, vt ad Synodum mitteret: cuius excommunicatio, rege petente, tunc intermiſſa eſt. *Idem auctor ab Odalrico Artaldi ſucceſſore anno tandem* DCCCCLXVI. *excommunicatum docet.* Odelricus, *inquit*, Archiepiſcopus Ragenoldum Comitem excommunicat pro villis Eccleſiæ Remenſis, quas pertinaciter detinebat: & ipſe Comes loca quædam eiuſdem Epiſcopij cum ſuis peruadens, rapinis incendiiſque deuaſtat.

ANNO CHRISTI 962. LOTHARII REGIS 8.

CONCILIVM AD MATRONAM FLVVIVM in pago Meldenſi, anno DCCCCLXII.

POST *obitum Artaldi Archiepiſcopi, quem anno* DCCCCLXI. *pridie Calendas Septembres vita functum tradunt, adnitentibus Epiſcopis quibuſdam, vt Hugoni vacua iam ſedes Remenſis redderetur, res in Synodo diſcuſſa eſt Epiſcoporum* XIII. *qui ex duabus prouinciis, vt auctor eſt in Chronico Flodoardus, hoc anno ſub medium Aprilem conuenere, nihilque ſibi de Hugonis cauſa inconſulto Romano Pontifice ſtatuendum cenſuere.* Synodus, *inquit*, tredecim Epiſcoporum in pago Meldenſi ſuper Maternam fluuium, ex Remenſi videlicet, ac Senonenſi diœceſi celebratur, præſidente Senonenſi Præſule, ſatagentibus quibuſdam Epiſcopis, vt Hugoni ſæpedicto redderetur Remenſe Epiſcopium: renitentibus autem præcipuè Roricone Laudunenſi & Gibuino Catalaunenſi præſulibus, & aſſerentibus quòd à tot Epiſcopis excommunicatus à minore numero abſolui non poterat, ita relinquitur, vſque ad interrogationem Papæ Romani. *Et paucis interiectis, poſt allatum Roma reſponſum, reiecto Hugone, Odalricum in Remenſi Eccleſia ordinatum fuiſſe docet his verbis*: Legatio veniens ab Ioanne Papa intimat præfatum Hugonem, quondam Epiſcopum, tam ab ipſo Papa, quàm ab omni Romana Synodo excommunicatum: ſed & ab alia Synodo apud Papiam

celebrata. Cuius legationis redditi certiores per Brunonem Archiepiſcopum, elegimus ad Epiſcopum Remenſem Odolricum illuſtrem clericum, Hugonis cuiuſdam Comitis filium, fauente Lothario rege, cum regina matre, præfatóque Brunone. quique Remis ordinatur ab Epiſcopis Vvidone Sueſſionico, Roricone Laudunenſi, Gibuino Catalaunenſi, Hadulfo Nouiomenſi, Vvicfredo Virdunenſi.

IOANNIS XIII. PAPAE EPISTOLA.

Ad Epiſcopos citerioris Britanniæ.

Vt Archiepiſcopo Turonenſi debitam reuerentiam exhibeant.

IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, Epiſcopus Romanæ vrbis, in Chriſto fratribus vniuerſis Epiſcopis citerioris Britanniæ ſalutem in Chriſto & viſitationem.

Vi a vice B. Petri Apoſtolorum principis, domino Deo dignante, omnium Eccleſiarum curam ſuſcepimus, ſollicitudinem, qua vniuſcuiuſque fides integra in eodem Domino reſeruetur, ſine qua nullus ei placere valebit, vbique ſeuerè obſeruare debemus. Ideóque notum ſit vobis, quoniam cariſſimus frater noſter Arduinus, ſanctæ Turonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, veniens ad Apoſtolorum limina Romam moratum, interpellauit nos, quòd iura ſui Archiepiſcopatus, quæ ab antiquis temporibus per decreta ſanctorum Pontificum ſanctæ Romanæ matris Eccleſiæ ſuis prædeceſſoribus conceſſa & confirmata fuerunt, à veſtro Archiepiſcopo, & ſuis deceſſoribus, per violentiam, & paganorum Nortmannorũ contrarietatem ſublata videntur. Vnde Apoſtolica auctoritate vobis ſciatis eſſe interdictum, ne illius vllomodo iuri reſiſtatis deinceps de omnibus, quæ prædictus Archiepiſcopus confirmat Archiepiſcopatui ſuo pertinere debere: quouſque ille veſter Archiepiſcopus, aut aliquis ex vobis, cum Arduino Archiepiſcopo, ſiue cum ſuo ſuffraganeo, vel alio fideli miſſo, ad noſtram ſanctam Eccleſiam matrem veniat: vt ibi percognitis cauſis inter vos & illum, quod æquum comprobabimus diffiniatur ad laudem Dei & Domini noſtri Iesv Chriſti. Quòd ſi aliter quàm quod iubemus cõtra voluntatem eius feceritis, cognoſcatis voſmetipſos Dei, & B. Petri principis Apoſtolorum, per noſtræ humilitatis mandatum, auctoritate excommunicatos ab omni Eccleſiaſtico officio. Quòd ſi verò debitam reuerentiam circa prædictum fratrem noſtrum obſeruare vobis placuerit, ſecundum iuſtitiæ decretum à ſancta Romana Eccleſia ſtatutum, permaneatis cum Dei benedictione in vnitate noſtræ catholicæ communionis. Inter hæc ſciant veſtri regni homines, maximè nobiliores, nominatim Berengarius & filius ſuus

Conanus, & Hoel cum fratre ſuo Guerech, cum ceteris maioribus, vt ſi contra iuſtitiam inobedientes fuerint huic noſtræ iuſſioni, & contrarij, ſeu rebelles extiterint prædicto fratri noſtro Turonenſi Epiſcopo, ſint & ipſi excommunicati, & noſtra benedictione Apoſtolica priuati.

ANNO CHRISTI 975. LOTHARII REGIS 21.

CONCILIVM REMENSE.

IN QVO THEOBALDVS EPISCOPVS, AMBIANENSIS Eccleſiæ vſurpator, excommunicatus eſt, præſidente Stephano Diacono Benedicti VII. Papæ Legato, celebratum anno Chriſti DCCCCLXXV.

Epiſtola Adalberonis Remenſium Archiepiſcopi, & Stephani Romani Diaconi, ad Theobaldum Epiſcopum Ambianenſem.

INVETERATE dierum malorum, vide quid lucri tua tibi contulit abſentia, noſtra vt abutaris patientia, contemptor legum diuinarum atque humanarum. Sedem Apoſtolicam appellaſti, nec adiſti. Litteras pecunia & mendacio tuo Romæ editas à te accepimus XIV. Kalendas Auguſti, pluſculum in te quàm pro te continentes. Cui Synodo nec interfuiſſes, niſi interpoſita conditione reſeruandi honoris: quod abeſſe fuit, non adeſſe. Cur latitas? cur ſanctam Synodum fugis? Ei quæ acta eſt V. Nonas Iulias exhibere te noluiſti: & præſenti, quæ denuntiata eſt agi VIII. Kalendas Octobris, intereſſe recuſas. Conuenerunt pro te reuerendi medici, qui morbos tuos optimè nouerint, tyrannicam ſcilicet vim, qua infulatus es contra regium velle, ac illum tuum pſeudoarchiepiſcopum cum Epiſcopis excommunicatis, qui ſuarum manuum impoſitione velut quodam contagio te infecerunt. Et quoniam iudicio domni Benedicti VII. Papæ in Synodo, qua Bonifacius damnatus eſt, incurabilis repertus es, nec eius filius Stephanus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus mederi tibi præualet, velut morbidum & morboſum hircum, ſeparamus te à grege Dominico, & ex auctoritate omnipotentis, & ſanctæ Mariæ, ſanctique Petri principis Apoſtolorum, damnamus te, & excommunicamus, ſacriſque liminibus Eccleſiæ arcemus, vſque ad veram tui recognitionem & dignam ſatisfactionem.

Ego STEPHANVS ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus ad vicem domni Benedicti Papæ VII. huic ſtatuto præfui & præſcripſi.

Ego ADALBERO ſanctæ Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus interfui, & firmaui, cum reliquis.

Anno Christi 983. Lotharii Regis 29.

CONCILIVM APVD MONTEM ſanctæ Mariæ.

IN QVO A COMPROVINCIALIBVS EPISCOPIS confirmatum eſt decretum Adalberonis Archiepiſcopi Remenſis, qui monachos in Moſomenſi cœnobio pro canonicis collocarat, habitum anno Chriſti DCCCCXCIII.

Decretum Adalberonis Archiepiſcopi de reformatione cœnobij Moſomenſis, & monachis in eo conſtitutis.

ADALBERO diuina propitiante clementia ſanctæ Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. NOTVM fiat vniuerſis cum præſentibus tum etiam futuris fidelibus, quondam nobis Epiſcopio gratia Dei ac benignitate regia contradito, Sanctorum quoque loca quædam honore integro reperiſſe plurimùm valentia, quædam verò priſtinæ dignitatis ſtatu deficiente prorſus neglecta. Inter quæ, etiam ille Moſomi cœnobialis locus, antiquitatis ſtudio certatim conſtructus, ab exordio ſcilicet ſanctimonialium vitæ aptatus, poſtmodum verò canonicorum ordine ab Heriueo prædeceſſore noſtro meliùs informatus, atque in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ dignè conſecratus, ſed nefandis vſibus vtrobique negligenter incultus, rebus quidem partim ſubtractis, partim verò intercurrentibus malis, ſiniſtræ ceſſit fortunæ. Quo igitur comperto, adhibito fidelium noſtrorum diligenti conſilio, liquidò perpendens eundem locum, pro mundi infelicitate, in canonicali ordine ſtare non poſſe, æternorum ſpe, prout opportunum extitit, ibidem monaſticæ religionis vitam ordinato Abbate Ledaldo conſtitui, vt eiuſdem loci religioſi cultores, tam rebus delegatis, quàm etiam fortè delegandis vtentes, continua vota Deo ſoluentes, ſint pro nobis, pro poſteris noſtris, ceteriſque ordinibus iugiter orantes. Quocirca paternitatem loco noſtrî ſubrogandorum in illa caritate enixiùs imploramus, quo ſub diuini amoris reſpectu huius rei geſtæ conducibili negotio conſentaneæ pietatis faueant zelo, idque liberalis auxilij indeficienti baſe dignentur curriculis conſolari atque fulcire: vt ex eo gratiam Dei feliciter adipiſcentes, huius præſtantioris emolumenti mereantur fore conſortes. Sed & hoc ex decretis ſanctorum patrum ſub auctoritate paſtorali omnimodis inhibemus, immo etiam cum diuini nominis obteſtatione omnino interdicimus, ne vnquam huiuſcemodi ſtatutum qualibet temeritate ab vllo veſtri ordinis violetur: quin potius in reliquum ſtabile & inconcuſſum iure perpetuo id ipſum venerabiliter conſeruetur. Si per laicos in rem hanc iniuria inuehatur, in eos proculdubio excommunicationis iaculum cum anathemate intorquetur. Anno igitur Incarnationis IESV Chriſti D. N. DCCCCXCIII. prouinciali Synodo menſe Maio generaliter congregata apud Montem

S. Mariæ in pago Tardanenſi hoc decretum ſolenniter recitatum eſt, coram venerandis Epiſcopis, Abbatibus, ceteriſque nonnullis fidelibus, huic noſtræ inſtitutioni pro aſſenſu fauentibus, immo etiam collaudantibus, atque confirmantibus. Quorum videlicet primus ego Adalbero, iam præſcriptus Archipręſul, eidem Concilio Deo auctore pontificatus auctoritate præſidens, manu noſtra ſubſcribens idem corroboraui. Sed & ceteri non ſecus cenſuerunt manibus impoſitis ſolidari.

Prætermiſſum pag. 421.

ODONIS EPISCOPI BELLOVACENSIS Inſtitutio.

De rebus Eccleſiæ S. Petri congregationi deſtinatis, & de quinquagenario in ea numero canonicorum.

ODO gratia Domini noſtri IESV Chriſti Bellouacenſis Eccleſiæ Præſul. NOTVM ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, maximéq; ſucceſſoribus noſtris, quoniam vnanimis congregatio parique voto, ſcilicet canonici S. Petri iam fatæ Eccleſiæ, cui Deo auctore deſeruio, expetiit noſtram obnixè liberalitatem, quatinus res ſibi à noſtris prædeceſſoribus iuxta confinia ſingularum conceſſas, paritérque noſtra ſibi conſolidatione firmatas, canonicè, iuxta aliarum morem Eccleſiarum, dono liberalitatis, regíſque præcepto, abſque vllius contradictionis quietis, conceſſa diſponerem. Enimuero videns excedere huiuſmodi negotium meæ ſolummodo diffinitionis vires, paritérque gratia ſuperni conſilij præeunte prouidens iam dictæ congregationi ſibi profutura quærere, & illis ſuper hoc aſſenſum præbendo, timens ne ouilia dominici gregis, quod abſit, tyrannica irrumperentur aliquando infeſtatione, expetij conſilium tam metropolitanæ Remorum prouinciæ Hincmari, quàm ceterorum venerabilium videlicet Archiepiſcoporum, ſeu Coepiſcoporum meorum, vt quorum ſanctione Eccleſiaſtica pertractantur negotia, eorum taxatio, inſpirante gratia ſuperni numinis, mihi noſtræque Eccleſiæ vtile afferret ac ſalubre prouentum. Quorúmque conſultu adij piiſſimi Karoli regis ſerenitatem, vt ſolita miſericordia ſua, ſicut omnibus vbique ſupernæ maieſtati famulantibus, ita huic Eccleſiæ mihi, nullis præcedentibus meritis, ad regendum commiſſę profutura quiete præuideret cum præceptione ſolidæ firmitatis. Ille verò, gratuita ſua clementia precibus noſtris pium præbens aſſenſum, decreuit ordinatiſſima ſua auctoritate ſtabile fore, quod noſtra etiam præuidit beniuolentia. Vnde neceſſitatibus iam dictæ noſtræ congregationis deſtinamus canonica inſtitutione villulas infra ſcriptas in pago Bellouacenſe, cum omnibus adiacentiis ad ſe pertinentibus, necnon & cum omnibus habitatoribus ad ſe legitimè pertinentibus. Hoc eſt, Burcinas, Pretioſas, Velena, Mauerciaco Frotmaro-curte, Hilgia, Cambariaco. In Ballicino valle de vinea bunnar. IV. & arpennum I. In ſuburbio noſtræ ciuitatis molendina duo, & cambas II. & hortos cultos II. & curticulos X. pratum I. Precariã vbi ſunt manſi XXIV. S. quam Sigebertus tenet cum cenſu. Obſecrantes vt nullus ſucceſſorum noſtrorũ, quod Deo auctore à nobis conſtitutum eſt, exinde aliquid minuendo ſubtrahat, nec ſuis propriis, ſuorúmque vſibus aliquid impertiatur: ſed hęc, quę diuino amore & animarũ ſalute patrauimus, inconcuſſa obſeruent, æqualem & vnam nobiſcum à Domino mercedem ſperantes. Numerus verò canonicorum inibi degentium volumus, atque expreſsè conſolidari nitimur, niſi res addantur, vnde facultas ſubminiſtretur, non tranſcendat quantitatem quinqua-

genarij numeri. Verùm & cum quilibet diuina vocatione deceſſerit, alius ſubrogetur, ne præfatus numerus minuatur. Et vt etiam noſtræ deuotionis auctoritas firmiorem obtineat vigorem, non ſolùm præcepto magni & piiſſimi Karoli regis, verùm etiam dominorum patrum, venerabiliúmque coepiſcoporum meorum, quorum conſenſu iſta peregimus, canonica auctoritate roborare obnixè decreuimus.

Hincmarvs ſanctæ metropolis Eccleſiæ Remorum Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Ansegisvs Senonum Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Vvenilo Rotomagenſium Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Hrothadvs Sueſſonicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Immo Nouiomagenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Lvpvs Catalaunicæ ciuitatis Epiſcopus ſubſcripſi.

Folcoinvs ciuitatis Morinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Theodericvs Eccleſiæ Cameracenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ragenarivs Eccleſiæ Ambianenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Erpoinvs Siluanectenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Datum in ipſis Kalendis Martiis in ciuitate Sueſſionis, ante altare ſanctorum martyrum Geruaſij & Protaſij, anno xxxv. regni domni Karoli regis glorioſi, qui hoc priuilegium ſua pietate conſenſit, & regia auctoritate roborauit, Indictione viii.

Prætermiſſum pag. 583.

CONCILIVM
TRENORCHIANVM
anno Chriſti DCCCCXLIV.

AVCTOR *eſt Petrus à ſancto Iuliano in originibus Trenorchianis, anno Chriſti* DCCCCXLIV. *Giſalberti Ducis euocatione congregatam fuiſſe Synodum in eius loci monaſterio, ad eámque conueniſſe Archiepiſcopos duos, Guidonem Lugdunenſem & Goffridum Veſontionenſem, Epiſcopis quinque, Goteſcalcum Lauſanenſem, Rotmundum Aeduenſem, Hildebadum Cabillonenſem Maimbodum Matiſconenſem & Alchierum Gratianopolitanum, cum Abbatibus, clericis, & monachis permultis. Ab his autem vno conſenſu decretum, vt ſacræ Monaſterij reliquiæ, quæ orto inter monachos diſcidio propter Ducem, qui ineptum illis Abbatem imponere nitebatur, ad S. Portianum apud Aruernos exportatæ fuerant ante triennium, miſſa legatione repoſcerentur, ſolemnique pompa excepta in priſtinis ſedibus collocarentur. Re peracta, omnem protinus, qua vexati fuerant, calamitatem deſiiſſe.*

CONCILIVM

CONCILIVM NAMNETENSE.

QVI CONCILIVM HOC IN LVCEM PRIMI DEDERVNT, cùm incertum haberent quo tempore actum ſit, paulo ante annum Chriſti DCCCC. ſtatuendum cenſuerunt. Nobis etſi coniecturæ non deerant, quæ antiquius id fuiſſe innuerent, quia tamen de tempore certi nihil conſtabat, ſeorſim hîc potius extra ordinem collocari placuit.

TITVLI CANONVM.

1. *De alterius parrochiano, & de diſcordantibus ad Miſſam non recipiendis.*
2. *Quòd alterius parrochianum itineris vel placiti cauſa recipere ad Miſſam liceat.*
3. *Vt ſacerdos in domo ſua feminas non habeat, ne illas quidem, quas canones concedunt: & vt femina ad altare non accedant.*
4. *De viſitandis infirmis à presbytero.*
5. *De infirmis qui confitentur peccata ſua, & ſe reconciliari expoſcunt.*
6. *Vt pro ſepultura nihil exigatur, & vt in Eccleſia nullus ſepeliatur.*
7. *De clericis alterius parrochiæ non ordinandis.*
8. *Vt nullus presbyter plures Eccleſias habere præſumat.*
9. *De eulogiis populo dandis à presbytero.*
10. *Vt de decimis quatuor fiant portiones.*
11. *De examinandis iis qui ſacros ordines accepturi ſunt.*
12. *De pœnitentia adulterij.*
13. *De pœnitentia fornicationis.*
14. *De pœnitentia eorum, quorum alter eſt coniugatus.*
15. *De quibuſdam confraternitatibus.*
16. *Eccleſia vacans non eſt per ambitionem petenda.*
17. *De pœnitentia homicidij voluntarij.*
18. *De pœnitentia eius qui non volens fecerit homicidium.*
19. *Ne feminæ publicis conuentibus ac placitis ſe immiſceant.*
20. *De quodam cultu ſuperſtitioſo abolendo.*

CANONES.

I. *De alterius parrochiano, & de diſcordantibus ad Miſſam non recipiendis.*

VT dominicis & feſtis diebus preſbyteri, antequàm Miſſas celebrent, plebem interrogent, ſi alterius parrochianus in Eccleſia ſit, qui proprio cõtempto preſbytero, ibi Miſſam velit audire. Quem ſi inuenerint, ſtatim ab Eccleſia eiiciant, & ad ſuam parrochiam redire compellant. Similiter interrogent, ſi aliqui diſcordantes ſint, qui inter ſe litem implacabilem habeant. Et ſi inuenti fuerint, ſtatim reconcilientur. Quòd ſi renuerint pacem ſuſcipere, ab Eccleſia eiiciantur, vſquequo ad caritatem re-

9. q. 2. In Dominicis. Ivo Part. 11. c. 111.

deanr. Non enim poſſumus munus vel oblationem ad altare offerre, donec priùs frarri reconciliemur. His ita peractis, ſacerdotes Miſſarum ſolennia rirè peragant.

II. *Quòd alterius parrochianum itineris vel placiti cauſa recipere ad Miſſam liceat.*

9.q 2 Nullus preſbyter. Lib. 1. Cap. c. 153.

Vt nullus preſbyter alterius parrochianum, niſi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Miſſam recipiat.

III. *Vt ſacerdos in domo ſua feminas non habeat, ne illas quidem, quas canones concedunt: & vt feminæ ad altare non accedant.*

Lib VII. Cap. c. 191. Iuo Part VI. cap. 192.

Prohibendum, & modis omnibus interminandum eſt, vt nullus ſacerdos eas perſonas feminarum, ſicut & in Canone inſertum continetur, de quibus ſuſpicio eſſe poreſt, in domo ſua habeat. Sed neque illas, quas canones concedunt, (quia, inſtigante diabolo, etiam in illis ſcelus frequenrer perperrarum reperitur, aut eriam in pediſequis illarum) ſcilicet matrem, amitam, ſororem. Sed ſi quis de his habuerit talem neceſſitatem parienrem, cui ſit neceſſaria ſuſtentatio preſbyreri, habear in vico, aur in villa, domum longè à preſbyteri conuerſarione, & ibi eis ſubminiſtrer quæ neceſſaria ſunt. Sed & hoc, ſecundum auctoritatem canonum, modis omnibus prohibendum, vt nulla femina ad altare pręſumat accedere, aut preſbytero miniſtrare, aut infra cancellos ſtare, aur ſedere.

IV. *De viſitandis infirmis à presbytero.*

Cùm ſacerdos audierir aliquem infirmari in ſua plebe, quàm citiùs ad eum pergat, & ingreſſus cubiculum, aquam benedictam ſuper eum & per omne cubiculũ adſpergat, cum antiphona, *Aſperges me Domine*, & verſu, *Exurgat Deus*. Deinde dicat orationē, *Deus qui ſacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam cõtuliſti*, &c. Deinde cantet ſeptem pſalmos, cum precibus pro infirmis. Poſt hęc, omnes iubeat extra cubiculum ſecedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbir, eum blandè lenirérque adloquatur, vt omnem ſpem ſuam in Deo ponat, vt flagellum Dei patienter toleret, vt hoc ad purgationem & caſtigarionem ſuam prouenire credat, vt peccara ſua confitearuꝛ, vt emendarionem promitrat, ſi Dominus vitam conceſſerit: pœnitentiam pro culpis commiſſis ſpondeat: vt ſubſtantiam ſuam, dum adhuc ſenſus & ratio in eo vigent, diſponat: vt peccata ſua eleemoſynis redimat, vt his qui in ſe peccauerũt indulgeat, vt rectam fidem & credulitarem renear, vr de Dei miſericordia nunquam deſperer. Cum his & huiuſcemodi allocutionibus fuerir mens infirmi releuata, dara benedictione recedat ſacerdos, non poſt mulrum reuerſurus, détque locum vt ægrotus de peccatis ſuis poſſit cogirare.

V. *De infirmis, qui confitentur peccata ſua, & ſe reconciliari expoſcunt.*

Infirmus, qui neceſſitate mortis vrgente confitetur peccara ſua, ſub ea conditione à ſacerdote reconcilietur, vt ſi ei Dominus vitam donauerit, ſanitatémque reddiderit, ſecundum qualitatem delicti omnimodis pœniteat.

V I. *Vt pro ſepultura nihil exigatur, & vt in Eccleſia nullus ſepeliatur.*

Præcipiendum, ſecundum canonum auctoritatem, vt de ſepulcris & hominibus ſepeliendis nihil muneris exigant, niſi fortè qui ſepelirur, viuens iuſſerit Eccleſiæ, in cuius arrio ſepelitur, de ſuis aliquid tribuere, aut etiam poſt mortem illius, quibus commiſſum eſt eius eleemoſynam facere, de rebus illius aliquid dare ſponte voluerint. Tamen nullarenus à preſbyteris illis aliquid exigatur, ſiue ab illis qui locis & vicis præſunt. Prohibendum etiam, ſecundum maiorum inſtituta, vt in Eccleſia nullarenus ſepelianrur, ſed in atrio, aut in porticu, aut extra Eccleſiam. Infra Eccleſiam verò, aut prope altare, vbi corpus Domini & ſanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam ſepeliendi. 13. q. 2. Præcipiendum. Iuo P. XII. cap. 22.

V I I. *De clericis alterius parrochiæ non ordinandis.*

Omnibus miniſtris Eccleſiaſticæ dignitatis interdicimus, vt nullus, quocumque munere aut fauore corruprus, clericum alterius parrochiæ larenrer aur furtiuè ad ordinarionem ſubintroducere præſumat. Quod ſi fecerit, iuxta Calchedonenſe decretum, is qui ordinatus eſt, donum ſancti Spirirus, quod furari conarus eſt, amittat: & qui mediator extiterit, ſi clericus eſt, proprio gradu decidat, ſi laicus aut monachus, anathematizetur. Iuo Part. V. cap. 208. Can. 2.

VIII. *Vt nullus presbyter plures Eccleſias habere præſumat.*

Sicut enim Epiſcopus non plus poteſt habere, quàm vnam ciuitatem, & vir vnam vxorem, ita preſbyter vnam tantùm Eccleſiam. Iraque nullus preſbyter plures præſumat habere Eccleſias: niſi fortè alios preſbyteros ſub ſe in vnaquaque habeat, qui nocturnum atque diurnum officium ſolemniter adimpleant, & Miſſarum celebrationes quotidianis expleant ceremoniis. Iuo Parte III. c. 31.

IX. *De eulogiis populo dandis à presbytero.*

Vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus, quos offerunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis, preſbyter conuenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, vt poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerunt rati, eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis

exinde accipiant, & illa, vnde eulogias preſbyter daturus eſt, antè in hæc verba benedicat. ORATIO. Domine ſancte pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua ſancta & ſpirituali benedictione, vt ſit omnibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & vniuerſas inimicorum inſidias tutamentum. per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum filium tuum, panem vitæ, qui de cælo deſcendit, & dat vitam ac ſalutem mundo, & tecum viuit & regnat, &c.

X. Vt de decimis quatuor fiant portiones.

Lib. vii. Capit c. 290 Iuo Part. iii. cap. 204.

Inſtruendi ſunt preſbyteri, paritérque admonendi, quatenus nouerint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum & hoſpitum & peregrinorum eſſe ſtipendia, & non quaſi ſuis, ſed quaſi commendatis vti. de quibus omnibus ſciant ſe rationem poſituros in conſpectu Dei, & niſi eas fideliter pauperibus & his qui præmiſſi ſunt adminiſtrauerint, damna paſſuros. Qualiter verò diſpenſari debeant, canones ſancti inſtituunt: ſcilicet vt quatuor partes inde fiant, vna ad fabricam Eccleſiæ releuandam, altera pauperibus diſtribuenda, tertia presbytero cum ſuis clericis habenda, quarta Epiſcopo reſeruanda, vt quicquid exinde iuſſerit, prudenti conſilio fiat.

XI. De examinandis illis qui ſacros ordines accepturi ſunt.

D. xxiv. Quando Epiſcopus. Iuo P. vi. cap. 21.

Epiſcopus quando ordinationem facere diſponit, omnes qui ad ſacrum miniſterium accedere volunt, feria quarta ante ipſam ordinationem euocandi ſunt ad ciuitatem, vnà cum Archipreſbyteris, qui eos præſentare debent. Et tunc Epiſcopus è latere ſuo dirigere debet ſacerdotes, & alios prudentes viros, gnaros legis diuinæ, & exercitatos in Eccleſiaſticis ſanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, inſtitutionem, locum vbi educati ſunt, ſi ſint bene litterati, ſi in lege Domini inſtructi, diligenter inueſtigent. Ante omnia, ſi fidem Catholicam firmiter teneant, & verbis ſimplicibus aſſerere queant. Ipſi autem, quibus hoc committitur, cauere debent, ne aut fauoris gratia, aut cuiuſcumque muneris cupiditate illecti, à vero deuient, vt indignum & minus idoneum ad ſacros gradus ſuſcipiendos Epiſcopi manibus applicent. Quod ſi fecerint, & ille qui indignè acceſſit, ab altari remouebitur, & illi, qui donum ſancti Spiritus vendere conati ſunt, coram Deo iam condemnati, Eccleſiaſtica dignitate carebunt. Igitur per tres continuos dies diligenter examinentur, & ſic ſabbato, qui probati inuenti ſunt, Epiſcopo repræſententur.

XII. *De pœnitentia adulterij.*

Si cuius vxor adulterium perpetrauit, & hoc à viro deprehenſum fuerit & publicatum, dimittat vxorem, ſi voluerit, propter fornicationem: illa verò ſeptem annis publicè pœniteat. Vir verò eius illa viuente nullatenus aliam accipiat. Quòd ſi voluerit adulteram ſibi reconciliari, licentiam habeat: ita tamen, vt pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia, poſt ſeptem annos ad communionem vterque accedat. Similis forma & in muliere ſeruabitur, ſi eam vir eius adulterauit.

XIII. *De pœnitentia fornicationis.*

Si qua mulier non habens virum, aut vir non habens vxorem, fuerint fornicati, tribus annis pœniteant.

XIV. *De pœnitentia eorum, quorum alter eſt coniugatus.*

Quòd ſi vir non habens vxorem, alterius vxorem adulterauit, Iuo P. viii. cap. 207. aut ſi qua mulier non habens virum, cum alterius viro, ille qui fœdus violauit coniugij, ſeptem annis, vt ſupradictum eſt, pœniteat: ille qui lege coniugij non tenetur, quinque annis pœniteat. Neque enim æqualis pœnitentia danda eſt his, quibus ſufficere poterat ad explendam libidinem ſuam coniugum amplexus, & illis, qui coniuge carentes, ardore libidinis impellente, in fornicationem ceciderunt.

XV. *De quibuſdam confraternitatibus.*

De collectis, vel confratriis, quas conſortia vocant, ſicut verbis monuimus, & nunc ſcriptis expreſſè præcipimus, vt tantum fiat, quantum rectum ad auctoritatem & vtilitatem, atque ad ſalutem animæ pertinet. Vltra autem nemo nec ſacerdos, neque fidelis quiſquam, in parrochia noſtra progredi audeat. Id eſt, vt in omni obſequio religionis, videlicet in oblatione, in luminaribus, in orationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemoſynariis, & ceteris pietatis officiis. Paſtos autem & comeſſationes, quas diuina auctoritas vetat, vbi & grauedines, & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiæ, & rixæ, ſæpè etiam, ſicut experti ſumus, vſque ad homicidia, & odia, & diſſenſiones accidere ſolent, adeo penitus interdicimus, vt qui contra hoc decretum agere præſumpſerint, ſi presbyter fuerit, vel quilibet clericus, gradu priuetur: ſi laicus eſt, aut femina, ab Eccleſia vſque ad ſatisfactionem ſeparetur. Conuentus autem talium confratrum, neceſſe ſi fuerit vt ſimul conueniant, aut fortè aliquis contra parem ſuum diſcordiam habuerit, quem reconciliari ne-

ceſſe ſit, & ſine conuentu preſbyterorum & ceterorum eſſe non poſſit, poſt peracta illa quæ Dei ſunt, & Chriſtianæ religioni conueniunt, & poſt debitas admonitiones, ſi contigerit vt veræ caritatis & fraternæ inuicem conſolationis omnes ad refectionem conueniant, ſic talia fieri permittimus, vt ſeruata modeſtia, & temperantia, & ſobrietate, pacíſque concordia, ſicut decet fratres, in ædificationem fraternitatis, & laudẽ & gloriam Dei, & gratiarum
Luc. 21. 34. actiones fiant. Et hoc omnino caueatur, quod Saluator ait: *Videte ne grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate.* Qui voluerint, eulogias à preſbytero accipiant: & panem tantùm frangentes, ſingulos accipiant biberes, & nihil ampliùs contingere præſumant. Et ſic vnuſquiſque ad ſua cum benedictione Domini redeat.

XVI. *Eccleſia vacans non eſt per ambitionem petenda.*

Iuo Part. III. cap. 169. Vt ſi quilibet preſbyterorum defunctus fuerit, vicinus preſbyter apud ſæcularem ſeniorẽ nulla precatione, vel aliquo xenio, Eccleſiam illam obtineat, quia titulus per ſe conſtans antea extitit, ſed neque capellam, ſinę conſultu Epiſcopi. Quod ſi fecerit, definitam ſententiam ſibi prolatam ſuſcipiat, ſicuti de Epiſcopo canonica decreuit auctoritas, vt ſi per ambitionem maiorem ciuitatem appetierit, & illam perdat, quam tenuit, & illam nequaquam obtineat, quam vſurpare tentauit.

XVII. *De pœnitentia homicidij voluntarij.*

Iuo Part. x. cap. 141. Si quis voluntariè & per inſidias hominem interfecerit, iugi ſe pœnitentiæ ſubmittat. Et ſi hoc publicè actum conſtat, ſi laicus eſt, à communione orationum quinquennio remoueatur: poſt quinquennium, tantùm in orationum communionem recipiatur, non autem offerat, non corpus Domini contingat. In quo perdurans XIV. annis, tunc ad plenam communionem cum oblationibus re-
Exod. 21. 14. cipiatur. Si quis de induſtria & per inſidias occiderit hominem, ab altari meo euelles eum, vt moriatur, dicit Dominus.

XVIII. *De pœnitentia eius qui non volens fecerit homicidium.*

Iuo Part. x. cap. 145. Si quis caſu non volens homicidium perpetrauit, quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat. Quibus peractis, biennio ab oratione fidelium ſegregetur: non communicet, nec offerat. Poſt biennium in communione orationis offerat, non tamen communicet: poſt quinquennium ad plenam communionem recipiatur. Abſtinentia ciborum in arbitrio ſacerdotis maneat.

XIX. *Ne feminæ publicis conuentibus & placitis ſe immiſceant.*

Iuo Part. VII. cap. 105. Cùm Apoſtolus dicat: *Mulieres in Eccleſia taceant, non enim*
1. Cor. 14. 34. *permittitur eis loqui: turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia*, mirum

videtur, quòd quædam mulierculæ, contra diuinas humanáſque leges attrita fronte impudenter agentes, placita generalia & publicos conuentus indeſinenter adeant, & negotia regni, vtilitatéſque reipublicæ magis perturbent, quàm diſponant: cùm indecens ſit, & etiam inter barbaras gentes reprehenſibile, mulieres virorum cauſas diſcutere: & quæ de lanificiis ſuis, & operibus textilibus, & muliebribus, inter genitiarias ſuas reſidentes, debuerant diſputare, in conuentu publico, ac ſi in curia reſidentes, ſenatoriam ſibi vſurpant auctoritatem. Quæ ignominioſa præſumptio fautoribus magis imputanda videtur, quàm feminis. Vnde, quia diuinæ leges, vt ſuprà monſtratum eſt, hoc contradicunt, & humanæ nihilominus id ipſum prohibent, vt feminæ nihil aliud proſequantur in publico, quàm ſuam cauſam: ait enim lex Theodoſiana: Nulla ratione feminæ amplius quàm ſuas cauſas agendi habeant poteſtatem, nec alicuius cauſam à ſe nouerint proſequendam. Idcirco ex auctoritate canonica interdicimus, vt nulla ſanctimonialis virgo, vel vidua, conuentus generales adeat, niſi à principe fuerit euocata, aut ab Epiſcopo ſuo: niſi fortè propriæ neceſſitatis ratio impulerit, & hoc ipſum cum licentia Epiſcopi ſui. Interpret. L. v. Cod. TH. De cognitor. & procur.

XX. *De quodam cultu ſuperſtitioſo abolendo.*

Summo decertare debent ſtudio Epiſcopi, & eorum miniſtri, vt arbores dæmonibus cõſecratæ, quas vulgus colit, & in tanta veneratione habet, vt nec ramum vel ſurculum indè audeat amputare, radicitùs excindantur, atque comburantur. Lapides quoque, quos in ruinoſis locis & ſilueſtribus dæmonum ludificationibus decepti venerantur, vbi & vota vouent & deferunt, funditùs effodiantur, atque in tali loco proiiciantur, vbi nunquam à cultoribus ſuis inueniri poſſint. Et omnibus adnuntietur, quantum ſcelus ſit idololatria: & quòd qui hęc veneratur & colit, quaſi Deum ſuum negat, & Chriſtianitati abrenuntiat, & talem pœnitentiam inde debet ſuſcipere, quaſi idola adoraſſet. Omnibúſq; interdicatur, vt nullus votum faciat, aut cãdelam, vel aliquod munus pro ſalute ſua rogatutus alibi deferat, niſi ad Eccleſiam Domino Deo ſuo. Scriptum eſt enim: *Vouete & reddite Domino Deo veſtro.* Nouimus ſiquidem, quanta Dominus antiquo populo per prophetas ſuos interminatus eſt, qui in lucis ſacrificabant, & in excelſis immolabant. Si quis hoc tranſgreſſus fuerit, fidem perdidit, & eſt infideli deterior. Et idcirco omnimodo à ſanctæ Eccleſiæ conſortio abſcindatur, & niſi dignè pœnituerit, non recipiatur. Ivo Part. xi. cap. 38. Pſal 75. 12.

FINIS TERTII TOMI.

APPENDIX AD TOMVM III. CONCILIORVM GALLIAE

Tria membra continens, Prætermiſſa, Hincmari Remenſis Capitula, & Iſaac Lingonenſis canones.

PRÆTERMISSA IN TOMO III. CONCILIORVM GALLIÆ.

Nunc primùm in lucem edita ex codice S. Mariæ Laudunenſis.

INDEX.

1. *Gregorij IV. Papæ epiſtola de reſtitutione Ebonis Archiepiſcopi.*
2. *Nicolai Papæ epiſtola ad Hincmarum de conuocanda Synodo Sueſſionenſi.*
3. *Caroli regis epiſtola ad Nicolaum Papam de Vulfado.*
4. *Nicolai Papæ ad Carolum regem epiſtola de Vulfado.*
5. *Clericorum Remenſium gradibus ſuis reſtitutorum epiſtola ad Nicolaum Papam.*

I.

Epiſtola Gregorij IV. Papæ, qua Ebonem Archiepiſcopum Remenſem depoſitum in priſtinum gradum reſtituit.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, reuerentiſſimis in Chriſto ſanctiſſimiſque fratribus coepiſcopis, cunctis quoque principibus orthodoxis, & vniuerſis catholicæ Eccleſiæ fidelibus.

CVM diuina inſtigatione ſolliciti circa gregem dominicum diligenti cura ſemper inuigilare debeamus in proſperis, quanto magis in aduerſis, nimiis quæ pro peccatis contigerunt nunc in diebus noſtris? ſicut dolendi ſunt illi, qui inter flagella Dei maligna ſemper intentione perſeuerando pereunt, ita & congratulandi, non abiiciendi ſunt, qui correpti tanta caſtigatione, corde contrito & humiliato ſe corrigibiles reddunt; ſuper omnia etiam magnificandi ſunt, qui in preſſuris corde perfecto & optimo probari, ſalutaribus exemplis fructum vitæ inuiti minoribus conferunt. Gratias igitur immenſas domino Deo noſtro meritò agimus, cariſſimi, pro tanto triumpho veſtro, qui inter medias mundanas acies, & nimias tentationes diabolicas, vos examinando probauit, atque ſibi ſeruauit inlæſos: ita vt neque in dexteram, neque in ſiniſtram declinantes, offenſionem Dei vitando, cautiſſima ſubtilitate mundana pericula ſuperaſtis. ſicut & inter multa alia magna certamina veſtra, non fuiſſe minima fratris noſtri Ebonis Archiepiſcopi cauſa, vt & per multos relatores fideles ſæpe comperimus. quòd nec canonicè vocatus, ſed violenter ab Eccleſia raptus, diuerſáque exilia paſſus, arta

quoque ſub cuſtodia truſus, nullo certo crimine conuictus, nec ſponte confeſſus, quia abſente Eccleſia ſua alterius ſub poteſtate erat conſtrictus, & ſic à mundana potentia vobis adductus eſt diſcutiendus, vel deponendus. Quam ergo vulgo naram irrationabilem vim compariendo mirabili circumſpectione placaſtis, cùm furores perſequentium humili ſatisfactione eius ſic mitigaſtis, quatenus diuinam vel humanam offenſionem pariter euaderetis: ſicque fratrem inlæſum aptiori tempore prouida induſtria re-
1.Cor.12.26. parandum ſeruaſtis. ſicut & de veris Chriſti membris legitur: *Cùm patitur vnum membrum, compatiuntur cetera membra.* Claruit etiam hæc benigna intentio veſtra, dum quantulacumque vobis Eccleſiaſtica pace, mox imperiali, Epiſcopalíque auctoritate in ſede reſtitutus debita, cui facta fuerat direptio violenta. ibique publico ex conſenſu pontificale, vt debuit, recepit & geſſit ſolitum officium, donec ſuccenſis iterum litibus principum, pro pacificanda dira ſeditione cum ceteris regni fidelibus ſe obrulit. Qua mitigata, protinus repentina imperiali iuſſione, pro concordia & vnitate Chriſtiani populi, partibus Orientis directus, præceptoribus ſuis libenter pro viribus obediuit. Quibus autem omnibus ſic laudabiliter actis, votum viſitationis, quod in anguſtiis ſuis Domino, vel B. Petro principi Apoſtolorum vouit, multis laboribus feſſus ad ſedem Apoſtolicam tendens promiſſa fideliter impleuit. Qui & ſancti principis Apoſtolorum ſuffragiis fidus. cui ligandi ſoluendíque diuinitus erat data poteſtas, ſicut eum à corporalibus eripuit periculis, ita & propitius à cunctis peccatorum abſolueret vinculis. Quapropter & nos hæc omnia diligenter conſiderata, ipſam confeſſionem, quam ſecretè vobiſcum egit, nobiſcum & per omnia contulit. Subſcriptionem etiam, quam perterritus vt euaderet compoſuit, ſimiliter & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ oſtendendo ſatisfecit. In quibus verò omnibus, quia certum depoſitionis, aut legitimæ abſolutionis, crimen nullum reperimus, ideo inuiolabili caritati veſtræ fidenter ipſum committimus. quia ſi abſque crudeli perſecutione eius poſſibile eſt, vnâ vobiſcum illum debitæ ſedi reſtituendum cupimus. alioquin tamen non oporter Epiſcopos diuinitus ſibi conſortem negligere Epiſcopum: cui non ſolùm ſimiliter, ſed etiam per pœnitentiam innouatum ſanctum ipſius dignitatis cognouimus ſpiritum Dauitica recuperatione: qui pœnitens ſpiritu ſancto recto, ſiue principali, innouatus atque confirmatus, ſumma cum fiducia etiam & impios poſtea docendos & reuocandos pro domino Deo ſuo ſpopondit, perpetuíſque benignitatis exemplis exſoluere fideliter procurauit. Nam & ſummus Apoſtolorum, cuius vicem indigni gerimus, ſi diſcipulatum in periculis negauit, non tamen abiectus, ſed piè reuocatus, priſtinam dignitatem obtinuit, & quomodo aliis miſerandum eſſet in ſemetipſo didicit. Pater inſuper ille Euangelicus larga pietate prodigum filium non repulit, ſed perditum gauiſus recepit, honoratúmque ſtatui priſtino reparauit. Ipſe etiam veris ſectatoribus ſuis inſtituit dicens: *Eſtote miſericordes,*
Luc.6.36. Matth.5.7. *ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Quia & beatos eſſe miſericordes in cunctis mundi partibus, copioſus in miſericordiis idem dominus dominantium declarauit. His etenim multiplicibúſque veteris ac noui Teſtamenti documentis inſtructi, Euangelicam atque Eccleſiaſticam diſpoſitionem fideliter agimus, ſi perſecutionem paſſis, & ad aliam ciuitatem confugientibus

Epiſcopis proficiendi in locis vacantibus liberam annuimus facultatem. Quanto magis huic præfato fratri noſtro, qui quondam ex glorioſi Cæſaris totiúſque imperij conſenſu nobis coniunctus, & Apoſtolicis priuilegiis inſolubili caritatis vinculo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ confirmatus? Vbi & euangelizandi legatione percepta, quocumque meliùs poterit proficere loco, pro viribus ita ſemper inſiſtat, vt à diuino cœpto negotio lucrandíque talento nequaquam deficiat. quia ſicut de neglecto tanto officio illi diuinam offenſionem, ita & impedientibus cœleſtem indicimus vltionem: & ſicut adiutoribus eius diuinam imploramus gratiam, ita & nocentibus, quam non optamus, terribilem damnationis denuntiamus vindictam. Qua denique ſumma auctoritate vndique munitum, more prædeceſſorum noſtrorum, ipſum ſacro ordini noſtro meritò adſcribimus, vel omni priſtino Epiſcopali officio decoratum eſſe præfigimus, ſiue ſcriptis hiſ publicis dignè permanendum inuiolabili confirmatione, ſicut in priuilegiis eius prioribus continetur, iure Apoſtolico roboramus.

COD. LAVDVN. *Hæc compilata epiſtola ex parte Gregorij quàm ſit mendax, ipſa euidens ratio monſtrat: quia tempore Gregorij, ex cuius nomine iſta conſcribitur, Imperator Hludouuicus ab imperio eſt depulſus, & Ebo poſt reſtitutionem ipſius Imperatoris ſuo & Epiſcopali iudicio eſt depoſitus, & à Sergio ſucceſſore Gregorij ſub laica tantùm communione eſt condemnatus.*

II.

Epiſtola Nicolai Papæ ad Hincmarum Archiepiſcopum, qua Synodum pro cauſa Vvlfadi, & ſociorum eius, apud Sueſſionem conuocari iubet.

Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, reuerentiſsimo & ſanctiſsimo confratri noſtro Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi.

MVLTORVM à partibus Galliarum, ad limina vel ſedem confluentium Apoſtolicam, relatione didicimus, ſanctitatem tuam quoſdam clericos, qui de conſecratione fuerant Ebbonis quondam Remenſis Antiſtitis, propriis gradibus pepuliſſe. Quorum deiectionem audientes, quia etiamſi nullo ſpeciali priuilegio ad hanc curandam principaliter incitaremur, oppreſſis tamen ſubuenire, & ad exemplum dominicum eliſos erigere & compeditos ſoluere nos oportet, operæ pretium duximus in archiuis ſanctæ Romanæ, cui Deo auctore deſeruimus, Eccleſiæ ſtudioſiùs quærere, & ſi ſcripto fortè memoria quælibet apud nos, ſiue de illis, ſiue de ordinatore ipſorum eſſet recondita, diligenter inueſtigare. quod & fecimus. Siquidem ex his quibuſdam Deo reuelante repertis, nihilominus etiam Concilij quod nobis ipſe miſiſti, videlicet in quo præſignati clerici degradati ſunt, acta relegimus. Sed his omnibus, id eſt tam illis monumentis, quæ penes nos habentur, quàm his quæ ſanctitas tua nobis deſtinauit, ritè collectis, enucleantérque recenſitis, nondum liquidò patet eoſdem clericos regulariter gradu proprio caruiſſe. Verùm nos nec hos interim iuſtificamus, nec pro hoc quemlibet condemnamus, nec facilè vocem iſtorum ſpernimus, nec reuerentiam tuam improuidè reprehendimus. Illud quidem, ne obturare aures ad clamores pauperum, id eſt humi-

Digitized by Google

lium, dinoſcamur: hoc verò, ne de incognitis immaturè iudicare quippiam videamur. Proinde neceſſariò præſentis epiſtolæ ſalubribus fraternitatem tuam hortamur affatibus, vt commemoratos viros, Vvlfadum ſcilicet, collegáſque ipſius, clementi animo & tranquilla ſtudeat ad ſe magnanimitate vocare, depoſitáque omni funditus animoſitate, de teſtitutione ipſorum ſecum fraternè tractare, atque miſericorditer conſummare contendat. Laudabilius quippe iudicauimus, ac coram Deo acceptius eſſe credidimus, ſi reſpectu diuinitatis interrogata conſcientia ſolus illorum teſtaurationem ſine quauis ipſe refragatione admiſeris, quàm ſi priùs renitens, detecta tamen iuſtitia cum multis hanc poſtea fueris amplexatus. Iam verò ſi flecti ad hoc te munda conſcientia non permittit, præcipimus fratres noſtros, Remigium Lugdunenſem, Adonem Viennenſem, Vvenilonem Rotomagenſem, vnà cum ceteris Archiepiſcopis & Epiſcopis Galliarum & Neuſtriæ, quibus tamen poſſibilitas eſt, in idipſum cum beatitudine tua, & ſuffraganeorum tuorum, apud Sueſſionem vrbem diœceſeos tuæ pariter conuenire. Ad quorum venerandum conuentum Vvlfadum quoque, cum iam præſignatis paribus eius, vos accerſire proculdubio volumus. Siquidem omnibus, videlicet tam Archiepiſcopis & Epiſcopis, quàm ipſi Vvlfado & ſociis eius, noſtras hoc iubentes literas deſtinauimus. Vbi canonicè per ordinem cuncta, quæ in eis geſta ſunt, examinãtes & ſubtiliùs inueſtigantes, ſi de illorum reformatione iuſtum quid vel pium ſenſeritis, ſine contradictione perficite, & eos in ſuis ordinibus reſtituite. Præterea ſi diſceptantibus, vel fortaſſis alia atque alia decernentibus vobis, præfati deiecti ſedem appellauerint Apoſtolicam, & eius ſpeciali ſe iudicio damnari vel abſolui petierint, præcipimus vt ſi ſanctitas tua, vel ſi Vvlfadus, aut ſocij eius, ad nos venire per ſe non poſſunt, vicarios veſtros ad hoc negotium ventilandum & finiendum, mox poſt conſummatum Concilium xv. Kalendas Septemb. præſentis xiv. Indictionis auctoritate noſtra collectum, veſtras præſentaturos perſonas, nullam penitus excuſationem prætendentes, vtrique ad ſedem B. Petri emittatis. In quo ne fortè ſiniſtra cogitatio ſubrepat, dicens eoſdem remotos clericos nullam iam vocem proclamationis habere, pro eo quòd anni metas tempus deiectionis eorum exceſſerit: ſciendum eſt, nihil tale in canonibus, vbi de appellationibus ad Romanum præſulem legitur, penitus reperiri. aliâs autem & iſtos forſitan intra annum prouocaſſe clarebit. Denique, ſicut epiſtola penes nos inuenta ſanctæ memoriæ quarti Papæ Leonis innuit, ſedem Apoſtolicam eos appellaſſe iam nos incunctanter agnouimus. Quamuis longè inter ſe diuerſa ſit omnimoda depoſitio, de qua nunc agitur, & ſuſpenſa excommunicatio, cuius vocem poteruè vtique clamantem, non humiliter petentem, poſt annum non audiendam quædam regula ſtatuit. Quia verò nonnulli, Pharaonem miniſtróſque ipſius imitantes, ſæpe cùm ſenſerint oppreſſos quóſque atque deiectos, de ſuis neceſſitatibus, ſicut olim Iſraël filios, vociferari, iniquis eos operibus opprimunt, & oneribus exquiſitis affligunt: idcirco coram Deo ſanctitatem tuam admonemus, vt cùm fortaſſis noſtris apicibus animati crebrò dicti viri deiectionis ſuæ cauſam venire ad examen obtinuerint, nullam ex his quilibet indignationem tuam ſuſtineat, nullum ad cœpta peragenda per ſuggeſtionem reuerentiæ tuæ

patiatur incommodum. Sed dicturus es, ſedis Apoſtolicæ te priuilegia confirmantia quæ de ipſis ſtatuta ſunt viris habere. Bene & argutè. Sed ſi penes te, ſicur exemplaria quæ apud nos reiacent, fideliter reſeruantur, & ea diligenter relegeris, profectò reperies quia ſumma firmitáſque ipſorum in Apoſtolicæ ſedis reſeruata ſit arbitrio poteſtatis. Nimirum quæ ſic aliena iura cuſtodit, vt ſua non minuat: ſic honorem debitum dat, vt ſuum non tribuat alienis: ſicque dilectionem tuam texit ab hoſte, vt ipſa ſe flagitantium exhiberi nequeat hoſtis. Vnde ſicut nos contra cunctos aduerſantes tibi, Deo iuuante, clypeum protectionis noſtræ parati ſumus opponere: ita fraternitas tua ſtudeat his, qui Apoſtolorum ſuffragia poſtulant, benigno ſemper fauore ſuccurrere, & arma quæ contulimus ſic pro te ſint valida, vt totius pro nobis, vbi neceſſe eſt, non contra nos, roboris firmitatem obtineant. Agat igitur in his fraternitas tua, vt præter debitam obedientiæ reuerentiam, quantus ſit in mente tua circa nos amor, qui auro & lapidibus pretioſis potior eſt, luce clariùs innoteſcat, & per horum exhibitionem det ſpeciale ſuæ caritatis indicium: & quæ intus nonnunquam ſolummodo flagrat, in his propriæ nunc radios ſuæ claritatis foras emittat. Porrò ſcito nos fratri & coepiſcopo noſtro Remigio Lugdunenſi Antiſtiti præcepiſſe, vt te priùs adiens noſtras dilectioni tuæ litteras porrigat: & ſic demum, ſi reſtitutioni præfatorum conſentire ſolius tuæ auctoritatis auſu vereris, ad conuocandum ſtatutum ſententia noſtra iam deſignatum Concilium epiſtolas noſtras ſibi delatas quibus à nobis deſtinatæ ſunt mittere ſatagat. Quicquid verò in Concilio fuerit à vobis examinatum atque repertum, ſub geſtorum ſerie diſcretioni noſtræ, ſicut veneranda decreta ſtatuunt, mittite, & noſtræ auctoritati quæ ſalubria videbuntur roboranda, plena fideliſque relatione dirigite. Ad extremum verò prouide, ne vllo pacto quod de præfatis remotis clericis ſanximus æſtimes negligendum, eùm à nobis incunctanter noſſe poteris, ſi contemptum fuerit, omnimodis vlciſcendum. quippè quod nec caritas fraternitatis, nec diſpenſatio loci, cui Deo auctore præſidemus, quouſque regularem finem opitulante ipſo capiat, à nobis patitur omittendum. Optamus ſanctitatem ſeu fraternitatem tuam in Chriſto bene valere. Data III. Nonas Aprilis, Indictione XIV.

Alia rurſus ad Carolum regem de cogenda Synodo eadem Nicolai epiſtola, ſed mutila, legebatur in ſchedis Nic. Fabri.

III.

Epiſtola Caroli regis ad Nicolaum Papam, paulo ante Synodum Sueſſionenſem ſcripta, vt Eccleſiam Bituricenſem Vulfado interim committere liceat.

Sanctiſſimo & reuerentiſſimo patri Nicolao, catholicæ atque Apoſtolicæ ſedis ſummo Pontifici, & vniuerſali Papæ, Karolus gratia Dei rex, & ſpiritalis filius veſter.

SANCTITATEM paternitatis veſtræ ſi quotidie corporali præſentia, veluti mentis aſpectu, videre mereremur, multiplici immo ineffabili gaudio lætaremur, & quem viſceribus animi amplectimur, humili deuotóque ſtringeremus amplexu. Sed quia, vt cupimus, ſpatia ter-

rarum id facere denegant, nacta occaſione ad ſublimitatem ſanctitatis veſtræ ſæpe dirigere optamus, vt ſaltem affamine litterarum colloquentes certificari de ſancta ſoſpitate veſtra mereamur, de qua multi aliis ex partibus varia nuntiantes nos terrere non ceſſant. Non enim modico lætaremur gaudio, ſi aliquem veſtrorum de vobis proſpera nuntiantem frequenter reciperemus. Et quia nobis tantas gratias de receptione vnius refertis, quem non vt voluimus, ſed vt tunc tempus dictauit pro honore & amore veſtro ſuſcepimus, appareret maior deuotio, ſi ſæpe hoc agere contingeret. Nam ſi quod optamus, & quod Deus omnipotens ſua miſericordia concedat, celſitudinem ſanctitatis veſtræ aliquando has in partes recipere, vel illic videre meremur, tunc verè cognoſceretis, quàm deuoti & fideles erga vos Eccleſiámque vobis à Deo commiſſam exiſtimus. Omnino enim ſicut ſpecialem patrem diuina diſpoſitio vos vniuerſali Eccleſiæ ſuæ præpoſuit, ita ſpecialiter in caritate Chriſti ſanctam paternitatem veſtram diligimus, atque ſacris iuſſionibus veſtris obedire deſideramus. Quod enim à vobis præcipitur, ſapientia & pietate munitur. Quapropter hæc conſiderantes quicquid nuper veſtra ſanctitas nobis agere mandauit de cauſa fidelis miniſterialis noſtri Vvlfadi, ſociorúmque eius, qui deiecti ſunt propter ordinationem Ebbonis quondam Remenſis Archiepiſcopi, prout valuimus executi ſumus. atque Hincmaro venerabili Archiepiſcopo quibuſcumque modis potuimus ſuadere laborauimus, vt conſentiret iuſtitiam præceptúmque ſanctitatis veſtræ de ipſis: quod & ille dulcis promittit verbis, quid tamen ſub melle lateat adhuc ignoramus. Sed quia nobis mandaſtis, ſi illum ad nos trahere vt vobis obediret non valeremus, ſollicitè caueremus ne ipſe nos ad ſe trahere quibuſcumque valeret argumentis, quo aut ne vobis obediret fautorem nos haberet, aut contra memoratos deiectos animum noſtrum commoueret: è contra obnixè precamur, vt nullo ſuadente conſentientes quod vos agere pro amore Dei cœpiſtis dimittatis, & quod nos pro iuſſione veſtra facimus, ad opprobrium & contumeliam euenire non poſſit. Etenim, ſicut iuſſiſtis, celebraturi ſumus Synodum xv. Kalendas Septemb. in qua omnes Epiſcopi & fideles regni noſtri parati ſunt in reſtauratione prædictorum deiectorum vnanimiter adeſſe, & quod mandaſtis perficere, veſtríque etiam partem ſaluare. Et ne miremini, quare nunc ſanctitati veſtræ talia, & per tales miſſos inculcamus, dum ſimilia vobis, poſtquam ad nos miſiſtis, per Ericum hominem cariſſimi nepotis noſtri Hludouuici Imperatoris mandauimus; ne pro aliqua leuitate factum & inconſtantia animi deputetis, breuiter vobis intimabimus. Rodulfus Bituricenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus nuper defunctus eſt, & ipſa Eccleſia ſapienti, & ſtrenuo viriliſque paſtore indiget, propter quorumdam leuitatem morum, & inconſtantiam ipſius gentis. Vnde conſilio accepto omnes Epiſcopi & fideles regni noſtri, ipſaque etiam diœceſis, vnanimiter in electione prædicti Vvlfadi conſenſerunt. Nam ſi illum talem non haberemus in regno noſtro, trahendus eſſet ex alio, propter maximam neceſſitatem ipſius loci. Maximè tamen, quia commendauimus ipſum regnum, ipſámque Eccleſiam, dilectiſſimo filio noſtróq; æquiuoco, cuius infantiam, infirmitatémque, quæ ei peccatis noſtris merentibus accidit, conſiderantes, non potuimus recuperationem ſimilem repetire.

Sed quia nondum in futura Synodo cauſa ſuæ reſtitutionis definita erat, noluimus antequam vos conſuleremus, cui omnia noſtra conſilia, vxorem, prolémque noſtram, regnum, vniuerſáque noſtra committimus, & per vos ſanctis principibúſque Apoſtolis, quorum tutamen quotidie imploramus, quorúmque auxilium humili deprecatione depoſcimus, vllo modo illum prædictæ Eccleſiæ præponere. Idcirco nunc tam citò ad veſtram remiſimus ſanctitatem, quia veremur ne aliquo ingenio ordinatio illius ab aliquo dilatari poſſit. Penitus enim dimittere nec decet, nec iuſtum eſt: neque nos & Epiſcopi noſtri fieri patiemur tantam auctoritatem habentes. Et ideo rogamus, vt auctoritate ſanctitatis veſtræ, nediu contra auctoritatem canonicam viduata prædicta Eccleſia maneat, poſſit ordinari in officio preſbyteratus menſe Septembri, vt mox futurus Epiſcopus agat quæ huic miniſterio conueniunt. Aliâs autem non modica perturbatione poteſt vndique tanta mater Eccleſia concuti, pro qua ſola neceſſitate accelerari neceſſariò depoſcimus. Si verò hoc vobis diſplicet, antequam vobis de iam dicta Synodo renuntietur, liceat mihi vel ipſam Eccleſiam propter ſæpedictam neceſſitatem illi committere, ne vndique à prauis concutiatur hominibus. Fatemur enim, ſi ita vitam illius cognouiſſetis, veluti nouimus, & ſi ille nollet, à vobis ad ordinem Epiſcopatus traheretur. Et quia talem illum nouimus, vbi maxima neceſſitas regni noſtri imminet, conſtituere volumus, immo prouidentia diuina, ſine cuius nutu nunc nullomodo credimus accidiſſe, vt talis homo tali præponeretur loco, qui ſecundum Deum regere poſſet & ſciret. maxima tamen ſtrenuitate laboris agente. Nam ſi inter barbaras nationes illum mitteremus, nec maiorem laborem, nec maiorem fructum mercedis acquirere illi valeremus. Et niſi zelo diuino tacti, & ſpe fructuoſi ſui laboris animati, nullomodo à præſentia noſtra ſeparare voluiſſemus, ſcientes noſtris vtilitatibus illum proficuum eſſe, atque ſupplemento obſequij ipſius nos ex parte quieſcere. Quicquid verò reſtat, totum ſapientiæ ſanctitatis veſtræ committimus. & ſicut ſub clypeo protectionis noſtræ ipſum ſociósque eius commiſiſtis, ita ipſum collegáſque illius veſtræ ſanctitati commendamus. ne ſpe fruſtrata quod ex vobis acceperunt, æternam pro ipſis inter innumera bona recipiatis mercedem.

IV.

Epiſtola Nicolai Papæ ad Carolum regem. vt de Vvlfado & ſociis eius ante Synodi definitionem nihil innouetur.

Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Carolo glorioſo regi.

EXcellentiæ veſtræ litteras, quæ pro verbis mella ſtillabant, perlegentes, denuo fidei, qua circa ſanctam Romanam flagratis Eccleſiam, comperimus patenter inſignia: denuo humilitatis & promptiſſimæ deuotionis veſtræ reperimus erga ſedem Apoſtolicam difficulter exponenda virtutum faſtigia. Verumtamen nihil in illis verbis veſtra caritas aſſerit, niſi quod noſtra iam dudum experimento ſollertia didicit: nihil ſcriptis oſtendere nititur, niſi quod nos pene quotidie factis adſpici-

mus. Quod enim poteſt eſſe manifeſtius ſummæ deuotionis veſtræ, ac laudabilis affectus indicium, quàm id quod in cauſa venerabilis Abbatis Vvlfadi, vel ſociorum eius, veſtra ſtudet exhibere benignitas? Denique nos quidem ad eorum auxilium vos primitus incitauimus: ſed tanta nunc pietas veſtra ſollicitudine, reuerentiam circa primos Apoſtolorum ſeruando, quorum præſidium petunt, pro illis vrgetur, vt pluſquam nos poſtulaſſe viſi ſumus, modò veſtra pia noſcatur ex hac anhelare prorſus induſtria. Siquidem nos tamquam clementiſſimum principem, & geminam caritatem habentem, vos ad iuſtam deiectorum releuationem inuitauimus, non ad immaturam erectionem eorum improuidè prouocauimus. Verùm qualiter vos hinc ſimus hortati, prima vobis ex hoc epiſtola negotio miſſa luce clariùs indicat. Sic ergo veſtra, quemadmodum illa dictat nos à vobis poſtulaſſe, pro eis exequatur prouidentia, & veſtra ſine culpa manebit apud Deum æquiſſima, ſicut credimus, excellentia. Præterea nos alacrem veſtram olim nobis præcognitam, & innumeris probatam experimentis, ceu deuotiſſimi filij obedientiam recolentes, & vt in hac quoque cauſa circa reuerentiam principum Apoſtolorum hanc oſtenderetis affectantes, ſcripſimus vobis, vtpote cariſſimo filio, quatenus eos, quorum clamor ad ſedem ipſorum peruenerat, benigno in ſua iuſtitia iuuantes affectu, vobis quoque nihilominus per interceſſiones eorum adquirere ſatageretis auxilium: non vt ſuper Dei reprehenſionis induceretis Eccleſiam ſeminarium. Talem quippè nos Eccleſiam Dei, qui ei per abundantiam ſupernæ gratiæ præſumus, iuxta modum acceptæ diſtributionis exhibere debemus, qualem hanc auctor eius proprio ſanguine purgans exhibuit: id eſt, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. Quomodo autem nunc irreprehenſibiliter agi poteſt, quod de præfato viro depoſcitis, quando penes nos tam de illo, quàm de ordinatione ipſius, diuerſa ſcripta reiacent, quædam hos accuſantia, quædam etiam defendentia? Pro quibus examinandis & diſcernendis Synodum, ſicut noſtis, iſto in tempore reuerentiſſimorum Epiſcoporum in regno veſtro iuſſimus celebrari. Quorum relatione ſub geſtorum ſerie, quæ in ea de repulſione præſignatorum virorum reperta fuerint, nobis volumus, quemadmodum decretalia conſtituta præcipiunt, referari, ſicque demum decernentibus nobis quod Deo placet ordinari. Nam nos, qui cunctorum hominum, ſed præcipuè ſacerdotum, maturam cupimus fore ſententiam, quomodo definitiuum de minùs cognitis iudicium proferamus penitus ignoramus, antequam per memoratos Antiſtites cuncta quæ ventilanda eſſe ab eis decreuimus, pleniter per ordinem agnoſcamus. Iam verò, ſi priuſquam quid de illis inuentum fuerit nobis ab Epiſcopis intimetur, deiectorum clericorum aliquem reſtituamus, & examen ab eis Synodicè patrandum iudicio noſtro præuenimus, vt quid eos fruſtra vexari, vt quid ſuperuacuè tanto itinere fatigari volumus? aut quid opus fuit eis tantam iniuriam vel confuſionem ingerere? Itaque ſi vultis vt iuſtitiæ ac pietatis negotium, quod cœpimus, Chriſto duce ad calcem vſque ſicut dignum eſt perducamus; quæque in Synodo ſæpedicta de prænotatis eiectis clericis reperta fuerint, agite quo nobis omnium Epiſcoporum qui conueniunt relatu pandantur: & ita dein quod Dominus reuelauerit à nobis diffiniendum proculdubio præſtolamini. quoniam ſi ſapientia

pientia eſt ſicut theſaurus effodiendus, reſtat vt etiam quæ ſapienter agenda ſunt omni ſcrutinio ſint, velut obriza, penitus inquirenda. Optamus gloriam veſtram nunc & ſemper in Chriſto bene valere, dilectiſſime fili. Data IV. Kalendarum Septembrium, Indictione XIV.

V.

Epiſtola clericorum Remenſium ad Nicolaum Papam, cuius auctoritate gradibus ſuis fuerant reſtituti.

Domino reuerentiſſimo & Apoſtolatus culmine decenter ſublimato Nicolao vniuerſali Papæ, Remenſis Eccleſiæ filij ab Eccleſiaſticis gradibus quondam prohibiti, ſed pietatis veſtræ ſacro ſtudio eiſdem auctore Deo redditi.

MVLTIPLICES totius famulatus noſtri laudum actiones perſoluimus, quòd ſollicitudine qua vniuerſali proſpicitis ſollertet Eccleſiæ, noſtris quoque precibus atque clamoribus clementer miſereri, nóſque à gradibus propriis pulſos canonicè reſtitui, miſericorditérque redintegrari iuſſiſtis. Sed & patrem noſtrum reuerendum Archiepiſcopum Hincmarum ſuper noſtra reſtitutione beniuolum atque deuotum piis veſtri Apoſtolatus adhortationibus in omnibus perſenſimus, nóſque deinceps paterno moderamine, piáque lenitate tractare incunctanter credimus. cui impigro & ſummiſſæ deuotionis obſequio obedienter in cunctis parere gaudemus. Ceterum Egilo venerandus Archiepiſcopus regreſſus à veſtræ dominationis præſentia nobis veſtra de parte iniunxit, tamdiu in receptis gradibus immorari, quouſque benigniſſimam pietatis veſtræ ſerenitatem noſtri placuerit reminiſci, & clementiùs, iuxta quod veſtra ſagaciſſima delegauerit clementia, de nobis terminari. Et idcirco veſtræ clementiæ prouoluti veſtigiis ſupplices preces fundimus, vt ſicut hactenus noſtris clamoribus aurem accommodare dignati fuiſtis, ita de cetero, ſi forte Deo miſerante aliquem noſtrûm Eccleſia mater ad altiora vocare, ac neceſſariò promouere quæſiuerit, veſtræ auctoritatis in hoc ſibi clementiam propitiari ſentiat, vt apices ſanctitatis veſtræ ad venerabilem Hincmarum noſtrum Archiepiſcopum deſtinare, nobíſque, quibus manum pietatis porrigere veſtra conſueuit ſublimitas, in præſenti quoque poſtulatione, licet immeritis, pro ſanctæ paternitatis veſtræ intuitu ſubuenire non renuat pietas, ſitque prædux & præuia in noſtri promotione clementia, ſicut extitit in reſtitutione veſtra largiſſima gratia. Gloriam ſancti Apoſtolatus veſtri diuina virtus protegat, & perpetua felicitate corroboret, ornet, & amplificet, Papa beatiſſime.

HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS CAPITVLA.

Ad preſbyteros parochiæ ſuæ.

Nunc primùm in lucem edita ex codice S. Laurentij Leodienſis.

INDEX.

I. *Capitula presbyteris data anno* DCCCLII.
II. *Capitula de quibus inquiri & renuntiari debet Epiſcopo.*
III. *Capitula anno duodecimo Epiſcopatus ſuperaddita.*
IV. *Capitula in Synodo Remis data anno* DCCCLXXIV.
V. *Capitula Archidiaconibus presbyteris data.*

I.

CAPITVLA PRESBYTERIS DATA ANNO DCCCLII.

ANNO DCCCLII. Kalendis Nouembris conuentu habito preſbyterorum in Metropoli ciuitate Remorum, inter cetera monita ſaluberrima, dum de legibus atque rebus Eccleſiaſticis ab Hincmaro Præſule tractaretur, hæc in vltimo prolata ſunt memoriæ commendanda, & ſummopere obſeruanda.

CAP. I. *Vt presbyteri diſcant expoſitionem Symboli & orationis Dominicæ*, &c. *cum Symbolo Athanaſij.*

Vt vnuſquiſque preſbyterorum expoſitionem Symboli, atque orationis Dominicæ, iuxta traditionem orthodoxorum patrum plenius diſcat. exinde prædicando populum ſibi commiſſum ſedulò inſtruat. Præfationem quoque canonis, & eundem canonem intelligat, & memoriter ac diſtinctè proferre valeat. & orationes Miſſarum, Apoſtolum quoque & Euangelium bene legere poſſit. pſalmorum etiam verba & diſtinctiones regulariter, & ex corde, cum canticis conſuetudinariis pronuntiare ſciat. Necnon & ſermonem Athanaſij de fide, cuius initium eſt, *Quicumque vult ſaluus eſſe*, memoriæ quiſque commendet, & ſenſum illius intelligat, & verbis communibus enuntiare queat.

II. *De ſcrutinio & ordine baptizandi.*

Vt ſcrutinium, & omnem ordinem baptizandi, nulli penitus liceat ignorare.

III. *De exorciſmis catechumenorum, & de baptiſmo infirmorum. Item de fontibus, ac vaſis ad corporalia & pallas abluendas.*

Exorciſmos & orationes ad catechumenos faciendum, ad fontes quoque conſecrandum, & ceteras preces ſuper maſculos & feminas, pluraliter atque ſingulariter, diſtinctè & rationabiliter memoriæ commendet. Similiter & ordinem baptizandi ad ſuccurrendum infirmis. Et qui fontes la-

pideos habere nequiuerit, vas conueniens ad hoc ſolummodo baptizandi officium habeat, & ſimiliter ad corporale lauandum, & ad pallas altaris, propria vaſa habeantur, in quibus nihil aliud fiat.

IV. *De ordine reconciliandi, & vngendi infirmos. déque exequiis defunctorum, & de benedictione ſalis & aquæ.*

Ordinem reconciliandi, iuxta modum ſibi canonicè reſeruatum, atque vnguendi infirmos, orationes quoque eidem neceſſitati competentes memoriter diſcat. Similiter ordinem & preces in exequiis atque agendis defunctorum. nec minùs exorciſmos & benedictiones aquæ & ſalis.

V. *De aqua omni die Dominico ante Miſſam benedicenda.*

Vt omni Dominico die quiſque preſbyter in ſua Eccleſia ante Miſſarum ſolemnia aquam benedictam faciat in vaſe nitido & tanto miniſterio conuenienti, de qua populus intrans Eccleſiam aſpergatur: & qui voluerit in vaſculis ſuis nitidis ex illa accipiant, & per manſiones, & agros, & vineas, ſuper pecora quoque ſua, atque ſuper pabula eorum, necnon & ſuper cibos & potum ſuum conſpergant.

VI. *De thuribulo & incenſo.*

Vt omnis preſbyter thuribulum & incenſum habeat, vt tempore quo Euangelium legitur, & finito offertorio, ſuper oblationem incenſum, vt in morte videlicet Redemptoris, ponat.

VII. *De pane ad eulogias benedicendo.*

Vt de oblatis, quæ offeruntur à populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis, preſbyter conuenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido & conuenienti, vt poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis, exinde accipiant. Et illa, vnde eulogias preſbyter daturus eſt, antè in hæc verba benedicat, & ſic accepturis diſtribuat, & micas ne incautè defluant cuſtodiat: DOMINE ſancte pater, om- « nipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua ſancta & ſpi- « rituali benedictione, vt ſit omnibus cum fide, & reuerentia, ac gratiarum « tuarum actione ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes « morbos, & vniuerſas cunctorum inimicorum inſidias tutamentum. Per « Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, filium tuum, panem vitæ, qui de « cœlo deſcendit, & dat vitam ac ſalutem mundo, & tecum viuit & regnat « Deus in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. «

VIII. *De Homiliis S. Gregorij, & de computo, cantúque Eccleſiaſtico.*

Homilias XL. Gregorij quiſque preſbyter ſtudioſè legat, & intelligat: & vt cognoſcat ſe ad formam ſeptuaginta duorum diſcipulorum in miniſterio Eccleſiaſtico eſſe promotum, ſermonem prædicti doctoris de LXXII. diſcipulis à Domino ad prædicandum miſſis pleniſſimè diſcat, ac memoriæ tradat. Compoto etiam neceſſariò, & cantu per anni circulum, pleniſſimè inſtruatur.

IX. *De matutinali officio, & Horis explendis: & poſt Miſſam quid agere presbyter debeat ante prandium.*

Iuo P. vi. 181. Ex C. Namn. De celebrat. Miſſarum c. 1. ex Agathenſi.

Manè matutinali officio expleto, penſum ſeruitutis ſuæ canendo primam, tertiam, ſextam, nonámque perſoluat. ita tamen, vt poſtea horis competentibus, iuxta poſſibilitatem, aut à ſe, aut ab Eccleſiaſticis, publicè compleatur. Deinde peractis Miſſarum ſolemniis, & feſſis infirmis viſitatis, ad opus rurale, & quod ſibi competit, exeat ieiunus: vt iterum neceſſitatibus peregrinorum hoſpitum, ſiue diuerſorum commeantium, infirmorum quoque atque defunctorum, ſuccurrere poſſit, vſque adſtarutam horam pro qualitate temporis & opportunitate.

X. *De cura hoſpitum & peregrinorum.*

Iuo P v. 257. ex Conc. Namnetenſi.

Vt curam hoſpitum, maximè pauperum atque debilium, orphanorum quoque atque peregrinorum habeat, hóſque ad prandium ſuum cotidie iuxta poſſibilirarem conuocet, eiſque hoſpitium competenter tribuat.

XI. *De ſacris miniſteriis ad vvadium non dandis.*

De pignoribus & aliis caut. c. 1. ex Conc. Rem.

Vt nullus presbyter præſumat calicem, vel patenam, aut pallam altaris, vel veſtimentum ſacerdotale, aut librum, tabernario vel negotiatori, aut cuilibet laico, vel feminæ, in vadimonium dare. quia tanta eſt ſanctitas ſacri miniſterij, vt ſalua altioris myſterij intelligentia, etiam per prophetam Dominus prohibuerit, ne cum ſanctis veſtimentis ſacerdos procedat ad populum, ſed intra ſancta illa dimittat ad eum à colloquio diuino rediens. (Ezech. 44. 19.) Et cui in tabernas ad bibendum à ſacris canonibus ingredi prohibetur, ſanctificata ſacro miniſterio nec ad contingendum immundis, quanto minùs in vadimonium? exhibere debet, ſicut Stephanus ſanctus Papa & martyr ad ſanctum Hilarium in ſuis decretalibus docuit. (Epiſt. 2.)

XII. *Vt in Eccleſia ſine conſultu Epiſcopi nullus ſepeliatur, & vt pro ſepeliendis nihil exigatur.*

Vt nemo presbyterorum quemquam in Eccleſia ſepeliat ſine conſultu Epiſcopi, exceptis huiuſmodi duntaxat perſonis, quas ſingillatim & priuatim in Synodo ſignauimus. nec pro ſepeliendis quiddam exenij exigat, vel extorqueat. Si quid autem altari, vel Eccleſiæ, aut ſibi gratis oblatum fuerit à deuotis quibuslibet, cum benignitate recipere non interdicimus.

XIII. *Vt presbyteri à publicè peccantibus, vel à pœnitentibus, quo eis faueant, munera non accipiant.*

De Simonia cap. 14. ex Alexādro III.

Vt nemo presbyterorum exenium, vel quodcumque emolumentum temporale, immo detrimentum ſpiritale, à quocumque publicè peccante vel inceſtuoſo accipiat, vt nobis vel miniſtris noſtris peccatum illius reticeat: nec pro reſpectu cuiuſque perſonæ, aut conſanguinitatis, vel familiaritatis, alienis peccatis communicans, hoc nobis vel miniſtris noſtris innoteſcere detractet. nec à quocumque pœnitente aut gratiam, aut fauorem, aut munus ſuſcipere præſumat, vt minùs dignè pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat, & quocumque

liuore alium quemlibet digniùs pœnitentem à reconciliatione remoueat. quia hoc Simoniacum, & Deo & hominibus abominabile eſt.

XIV. *Quomodo in conuiuiis defunctorum, aliarúmue collectarum gerere ſe debeant.*

Vt nullus presbyterorum ad anniuerſariam diem, vel triceſimam tertiam, vel ſeptimam alicuius defuncti, aut quacumque vocatione ad collectam presbyteri conuenerint, ſe inebriare præſumat. nec precari in amore Sanctorum, vel ipſius ânimæ, bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel ſe aliena precatione ingurgitare: nec plauſus & riſus inconditos, & fabulas inanes ibi referre aut cantare præſumat. nec turpia ioca cum vrſo, vel tornatricibus ante ſe facere permittat. nec laruas dæmonum, quas vulgo talamaſcas dicunt, ibi anteferre conſentiat. quia hoc diabolicum eſt, & à ſacris canonibus prohibitum. Sed cum honeſtate & religione prandeat, & ad tempus ad ſuam Eccleſiam redeat. Summopere etiam quiſque cauens, ſicut de ſtatu ſuo vult gaudere, vt non quacumque occaſione, aut parem ſuum, aut alium quemlibet, ad iram & rixam vel contentionem, quanto magis ad pugnam, vel ad cædem, aliquo verbo irritet, ſeu prouocet, nec prouocatus ad hoc quiſque proſiliat. quia in talibus comeſſationibus & potationibus, ſicut irreligioſi faciunt, ſemper ſe immiſcet diabolus. Quando autem conuenerint presbyteri ad aliquod conuiuium, Decanus, aut aliquis prior illorum, verſum ante menſam incipiat, & cibum benedicat. Et tunc ſecundum ſuum ordinem conſedeant, alter alterius honorem portantes. & per viciſſitudines cibum & potum benedicant, & aliquis de illorum clericis aliquid de ſancta lectione legat. & poſt refectionem ſimiliter ſanctum hymnum dicant, ad exemplum Domini & ſaluatoris ac diſcipulorum eius, ſicut illum in cœna feciſſe legimus. Et ſic ſe contineant omnes presbyteri in omni loco, maximè in talibus, ne ſicut dicit Apoſtolus vituperetur miniſterium noſtrum.

D. XLIV. Nullus presbyterorum. ex Namnetenſi.

D. XLIV. Quando presbyteri. ex Namnetenſi.

Matth. 26.30.

2. Cor. 6.3.

XV. *Quid cauendum ſit presbyteris, quando per Kalendas inter ſe conueniunt.*

Vt quando presbyteri per Kalendas ſimul conuenerint, poſt peractum diuinum myſterium, & neceſſariam collationem, non quaſi ad prandium ibi ad tabulam reſideant, & per tales inconuenientes paſtellos ſe inuicem grauent, quia inhoneſtum eſt, & oneroſum. Sæpe enim tardè ad Eccleſias ſuas redeuntes maius damnum de reprehenſione conquirunt, & de grauedine mutua contrahunt, quàm lucrum ibi faciant. Nam de huiuſmodi conuentu, qui ſub religionis obtentu agebatur, Paulus Apoſtolus conuenienter reprehendit Corinthios, qui inconuenienter cœnam dominicam manducare conueniebant. Sic & qui ad cœnam dominicam, id eſt ad collationem verbi ſub occaſione conueniunt, & ex veritate ventris cauſa coniunguntur, reprehenſibiles & coram Deo, & coram hominibus habentur. Et ideo peractis omnibus, qui voluerint, panem cum caritate & gratiarum actione in domo confratris ſui ſimul cum fratribus ſuis frangant, & ſingulos biberes accipiant, maximè autem vltra tertiam vicem poculum ibi non contingant, & ad Eccleſias ſuas redeant.

D. XLIV. Quando presbyteri. ex Namnetenſi.

1. Cor. 11.20.

XVI. *De confratriis, carúmque conuentibus, quomodo celebrari debeant.*

Vt de collectis, quas geldonias vel confratrias vulgò vocant, ſicut iam verbis monuimus, & nunc ſcriptis expreſsè præcipimus, tantùm fiat, quantum ad auctoritatem, & vtilitatem, atque rationem pertinet. vltra autem nemo neque ſacerdos, neque fidelis quiſquam, in parochia noſtra progredi audeat. Id eſt, in omni obſequio religionis coniungantur: videlicet in oblatione, in luminaribus, in oblationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemoſynis, & ceteris pietatis officiis. ita vt qui candelam offerre voluerint, ſiue ſpecialiter, ſiue generaliter, aut ante Miſſam, aut inter Miſſam, antequam Euangelium legatur, ad altare deferant. Oblationem autem, vnam tantummodo oblatam, & offertorium, pro ſe ſuiſque omnibus coniunctis & familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit in butticula vel canna, aut plures oblatas, aut ante Miſſam, aut poſt Miſſam, presbytero vel miniſtro illius tribuat, vnde populus in eleemoſyna & benedictione illius eulogias accipiat, vel presbyter ſupplementum aliquod habeat. Paſtos autem & comeſſationes, quas diuina auctoritas vetat, vbi & grauedines, & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiæ & rixæ, ſæpe etiam, ſicut experti ſumus, vſque ad homicidia, & odia, & diſſenſiones accidere ſolent, adeo penitus interdicimus, vt qui de cetero hoc agere præſumpſerit, ſi presbyter fuerit, vel quilibet clericus, gradu priuetur, ſi laicus, vel femina, vſque ad ſatisfactionem ſeparetur. Conuentus autem talium confratrum, ſi neceſſe fuerit vt ſimul conueniant, vt ſi fortè aliquis contra parem ſuum diſcordiam habuerit, quem reconciliari neceſſe ſit, & ſine conuentu presbyteri & ceterorum eſſe non poſſit, poſt peracta illa quæ Dei ſunt, & Chriſtianæ religioni conueniunt, & poſt debitas admonitiones, qui voluerint eulogias à presbytero accipiant, & panem tantùm frangentes, ſinguli ſingulos biberes accipiant, & nihil ampliùs contingere præſumant, & ſic vnuſquiſque ad ſua cum benedictione Domini redeat.

XVII. *Vt defuncto presbytero nullus ſine conſultu Epiſcopi Eccleſiam illius, aut Capellam appetat.*

Vt ſi quilibet presbyterorum defunctus fuerit, vicinus presbyter apud ſeniorem ſæcularem nulla precatione, vel aliquo exenio, Eccleſiam illam obtineat, quæ titulus per ſe conſtans antea extitit, ſed neque Capellam, ſine conſultu noſtro. Quòd ſi fecerit, diffinitam ſententiam ſibi prolatam ſuſcipiat, ſicuti de Epiſcopo canonica decreuit auctoritas, vt qui per ambitionem maiorem ciuitatem adpetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat, quam vſurpare tentauit.

II.

CAPITVLA QVIBVS DE REBVS MAGISTRI & Decani per ſingulas Eccleſias inquirere, & Epiſcopo renuntiare debeant.

HAEC OMNI ANNO INVESTIGANDA SVNT à magiſtris & Decanis presbyteris per ſingulas matrices Eccleſias, & per Capellas parochiæ noſtræ, & nobis Kalendis Iulii renuntianda. Similiter etiam inueſtigandum & renuntiandum eſt nobis, qualiter obſeruentur & cuſtodiantur illa, quæ capitulatim obſeruanda presbyteris dedimus.

I. INQVIRENDVM in qua villa, aut cuiuſlibet Sancti honore, prætitulatus ſit presbyter, vel à quo fuerit ordinatus.

II. SI habeat manſum habentem bunnuaria duodecim, præter cœmeterium, & cortem, vbi Eccleſia & domus ipſius continetur, aut ſi habeat mancipia quatuor.

III. QVOT manſos habeat in ſua parochia ingenuiles & ſeruiles, aut accolas, vnde decimam accipiat.

IV. QVALIA ſint indumenta altaris, quot noua & quot vetuſta, qualiter nitida. quo metallo ſint capſæ, & cruces coopertæ. aut ſi diligenter reconditæ ſunt reliquiæ in altari. aut ſi ipſæ capſæ feris munitæ ſunt.

V. QVOS & quot libros habeat, aut ſi bene ſint recitati.

VI. QVALIA aut quot ſacerdotalia veſtimenta habeat, & qualiter ſint nitida, aut in nitido loco collocentur.

VII. SI habeat locum præparatum, vbi effundi poſſit aqua quando abluuntur vaſa altaris, aut os, vel manus poſt perceptionem ſacræ communionis. aut ſi ipſe presbyter propriis manibus, aut diaconus, aut ſubdiaconus eius, lauet primò corporale.

VIII. QVO metallo ſit calix & patena, aut qua diligentia cuſtodiantur, aut ſi habeat pyxidem, vbi congruè poſſit recondi ſacra oblatio reſeruanda ad viaticum infirmis.

IX. VT chriſma & oleum conſecratum ſub ſera recondantur.

X. SI ipſe presbyter viſitet infirmos, & inungat oleo ſancto, & communicet per ſe, & non per quemlibet, & ille ipſe communicet populum: nec tradat communionem cuiquam laico ad deferendum in domum ſuam cauſa cuiuſlibet infirmi.

XI. SI habeat clericum, qui poſſit tenere ſcholam, aut legere epiſtolam, aut canere valeat, prout neceſſarium ſibi videtur.

XII. INVESTIGANDVM nihilominus de luminaribus Eccleſiæ, aut quot cerarios habeat ipſe Titulus.

XIII. QVALITER ſit cooperta Eccleſia, aut ſi ſit camerata, & vt ibi columbæ, vel aliæ aues non nidificent, propter immunditiem, vel importunitatis inquietudinem.

XIV. QVO metallo habeant ibidem ſigna.

XV. SI atrium habeat munitum, aut ſi cellam propriam habeat iuxta Eccleſiam, aut ſi ſuſpicioſa in circuitu oſtiola ſint.

Digitized by Google

XVI. Vt ex decimis quatuor portiones fiant iuxta inſtitutionem canonicam, & ipſæ ſub teſtimonio duorum aut trium fidelium ſtudioſè & diligenter diuidantur. & vt de duabus portionibus, Eccleſiæ & Epiſcopi, ratio reddatur per ſingulos annos, quid inde profecerit in Eccleſia.

XVII. Vt matricularios habeat iuxta qualitatem loci, non bubulcos aut porcarios, ſed debiles & pauperes, & de eodem dominio. Niſi fortè ipſe presbyter habeat fratrem, aut aliquem propinquum debilem, aut pauperrimum, qui de eadem decima ſuſtentetur. reliquos autem propinquos, ſi iuxta ſe habere voluerit, de ſua portione veſtiat atque paſcat.

De peculio clericorum cap. 1. Iuo Part. III. cap. 94.

XVIII. Investigandum ſimiliter, ſi nihil patrimonij habens, quando prouectus eſt ad ordinem Eccleſiaſticum, poſtea emerit prædia, cuius iuris ſint. quoniam Eccleſiæ, ad quam de nihil habentibus promotus eſt, eſſe debent iuxta canonicæ auctoritatis decretum.

De peculio clericorum cap. 4.

XIX. Inquirendum, ſi occaſione huius præcedentis Capituli aliquis presbyterorum abhinc de reditibus Eccleſiæ, vel oblationibus ac votis fidelium, alieno nomine res comparauerit, & ibi ſtructuras fecerit, vel quæ ad Eccleſiam pertinent ibi collocauerit, & mulierum frequentationem inibi fieri permiſerit, vel, quod turpius eſt, tales mulieres ibi habuerit, quæ lanificium ſuum exerceant, & curam domus agant: & ad eadem loca presbyter incongruè recurrerit, frequentauerit, vel manſerit. quoniam contra decreta canonum hoc malum agitur, à quibus perpetratur. quia ſicut nec ſuo, ita nec alieno nomine presbyter, vel quilibet ſub regula, fœnus exercere debet, multo minùs autem fraudem facere de facultatibus Eccleſiaſticis. quoniam hoc agere ſacrilegum eſt, & par crimen Ananiæ & Saphiræ, atque Iudæ furis, qui ſacras oblationes, quæ ad vſus fidelium ac pauperum mittebantur, aſportabat & furabatur. Nam aliud eſt ſine diſpendio Eccleſiæ amicis vel parentibus pauperibus, aut quibuſlibet neceſſuoſis, ex caritate cum menſura & ratione ſubuenire, vel adiutorium ferre, & aliud cum deſtructione Eccleſiæ, vel diſſipatione facultatum Eccleſiaſticarum, quaſi furtim, immo furtim, quæ Eccleſiæ eſſe debuerant, & vſibus illius ac pauperum ſeu hoſpitum impendi, carnalium carnaliter vſibus ſine diuino reſpectu inſeruire. Et de nihil habentibus promotus presbyter non præſumat quæ de facultatibus Eccleſiæ comparauerit vendere, vel quaſi ad caſam Dei tradere, niſi ad Eccleſiam cuius propriæ eſſe debent, ſine conſultu Epiſcopi.

XX. Inquirendum, ſi de tabernis & de comeſſationibus, & de familiaritate indebita mulierum ſe cuſtodiant presbyteri, ſicut ſæpiſſimè interdiximus & interdicimus. quia ad contumeliam noſtram laici me petunt, vt ſi euidenter cum teſtibus, quo negari non poſſit à quoquam, presbyterum in tabernis inuenerint, caballum & cappam inde eis habere liceat. Quapropter ſi abhinc presbyteri ſe de talibus non cauerint, quia diuinum non timent iudicium, temporalem illis inueniemus contumeliam, & ſæculare illorum incorrigibilitati adinueniemus detrimentum.

De inlicito clericorum acceſſu ad feminas, & qua ratione de illo arguendi vel purgandi ſint.

XXI. De acceſſu autem, & frequentatione, ac cohabitatione cleri-

clericorum cum feminis, vnde ſecundum ſacros canones in omnibus Sy- Conc Treſleianum cap. ix.
nodis ſpecialiter interdiximus, firmiter & expreſsè atque ſollicitè à nobis
& à comminiſtris noſtris eſt inquirendum. Sicut enim his qui Domini in
carne aduentum præceſſerunt, & his qui ſubſequentur, pro temporum ra-
tione ſunt ſacramenta diſparia; ad religionem tamen vnius eiuſdémque fi-
dei & ſalutis recurrentia, & vt ſcriptum eſt, *Pertranſibunt plurimi, & multi-* Dan. 12. 4.
plex erit ſcientia. per incrementa temporum tam per ſeipſum, quàm & per
Angelos in veteri Teſtamento, in nouo autem ſimiliter per ſe, & per do-
ctores catholicos & magiſtros Eccleſiæ, qui & atteſtante propheta Angeli
nominantur, aucta eſt ſubtilitas & multiplicatio præceptorum. Per ſe qui-
dem Dominus in paradiſo Adæ, & poſt diluuium Noë & Abrahæ de cir-
cumciſione dedit præcepta: legem autem per Angelos Moyſi mediatori
inter ſe & populum, vt oſtendit Apoſtolus. In nouo autem Teſtamento
incarnatus per ſe dicens: *Audiſtis quia dictum, Diliges proximum tuum, & odio* Matth 5. 43.
habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros. &, *Niſi* Ibid. 20.
abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis
in regnum cælorum. &, *Dictum eſt antiquis, Qui occiderit, reus erit iudicio. Ego* Ibid. 5. 21.
autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Et per ſan-
ctos ſuos, de quibus dictum eſt: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus pa-* Matth. 10. 20.
tris veſtri qui loquitur in vobis, per incrementa temporum virtutem caſti-
tatis excreſcere, maximè autem apud miniſtros Eccleſiæ docuit, decernens
hoc modo per myſticam Nicænam Synodum: Interdixit per omnia ma- Can 3.
gna Synodus, non Epiſcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui om-
ninoqui in clero eſt, ſubintroductam habere mulierem, niſi fortè matrem,
aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas quæ ſuſpiciones effu-
giunt. Et inde lex à Chriſtianis Imperatoribus eſt promulgata hoc modo:
Quicumque clericatus vtuntur officio, extranearum mulierum familiari- Aniani Interp. cod.
tatem habere prohibentur: matrum, ſororum, vel filiarum ſibi ſolatia in- Theod de Epiſc. Eccl.
tra domum ſuam nouerint tantùm eſſe conceſſa. Sed quia ſub occaſione & c. l. 44.
iſtarum perſonarum aliæ mulieres ſubintroduci cœperunt, ſancti Africani Conc. Afric. can. 3.
canones decreuerunt, vt nec ipſi Epiſcopi, aut presbyteri, ſoli habeant ac-
ceſſum ad viduas, vel virgines, vel ad quaſcumque feminas: ſed vbi aut cle-
rici præſentes ſint, aut graues aliqui Chriſtiani. Vnde, ſicut B. Gregorius Greg. lib vii. Ind. 2. ep. 39.
ad miniſtros Eccleſiæ Romanæ ſcripſit, B. Auguſtinus nec cum ſorore habi-
tare conſenſerit dicens, Quæ cum ſorore mea ſunt ſorores meæ non ſunt.
Et ex hoc dicit S. Gregorius: Docti ergo viri cautela magna nobis eſſe de-
bet inſtructio. Nam inhoneſtæ præſumptionis eſt, quod fortis pauet, mi-
nùs validum non timere. Sapienter enim inlicita ſuperabit, qui didicerit
etiam non vti conceſſis. Et hinc Chriſtiani Imperatores legem decreue-
runt dicentes: Presbyteris, & diaconis, & ſubdiaconis, & aliis in clero ſcri- Nouella Iuſtiniani
ptis, non habentibus vxores, ſecundum diuinas regulas interdicimus & 123. c. 29.
nos mulierem habere in ſua domo, exceptò matre & filia & ſorore, & aliis
perſonis, quæ omnem querelam effugiunt. Si quis autem aduerſus iſtam
obſeruationem mulierem in ſua domo habuerit, quæ poteſt ſuſpicionem
inferre turpitudinis, & ille à conclericis ſuis audierit, quòd cum tali mu-
liere non debeant habitare, & noluerit eam à ſua domo repellere, vel accu-
ſatore emergente probatus fuerit inhoneſtè cum tali muliere verſari; tunc

» Epiſcopus ſecundum Eccleſiaſticos canones clero eum repellat, curiæ ciui-
Inno. ep. 2. » tatis cuius clericus eſt tradendum. Et vt S. Innocentius, & prædeceſſor eius
ad Victricium. » Siricius, ſcribunt: Si priſcis temporibus de templo Dei ſacerdotes anno vi-
» cis ſuæ non diſcedebant, ſicut de Zacharia legimus, nec domum ſuam om-
» nino tangebant; quibus vtique propter ſobolis ſucceſſionem vxoris vſus
» fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præter ex ſemine Aaron, ad ſacerdo-
» tium nullus fuerat præceptus accedere, quanto magis hi ſacerdotes vel Le-
» uitæ pudicitiam ſeruare debent, quibus vel ſacerdotium, vel miniſterium
» ſine ſucceſſione eſt, nec præterit dies, quo vel à ſacrificiis diuinis, vel à ba-
1. Cor. 7. 5. » ptiſmatis officio vacent? Nam ſi Paulus etiam laicis ſcribit dicens, *Abſtinete*
» *ad tempus, vt vacetis orationi*, quanto magis ſacerdotes, quibus & orandi &
» ſacrificandi iuge officium eſt, ſemper debebunt ab eiuſmodi conſortio ab-
» ſtineri? Qui ſi contaminatus fuerit à carnali concupiſcentia, quo pudore
» vel ſacrificare forſitan vſurpabit? aut qua conſcientia, quóue merito exau-
Tit. 1. 15. » diri ſe credit, cùm dictum ſit, *Omnia munda mundis, inquinatis autem & infi-
delibus nihil mundum?* Et ne quis dicat, ſi habito cum mulieribus, ſufficit mihi conſcientia mea, dicente Apoſtolo, *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*; attendat quod item idem dicit Apoſtolus, per quem, vt
Rom. 12. 17. ipſe veraciter fatetur, loquitur Chriſtus, *Prouidentes bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus*. Et item præcipit, vt ſine offenſione omnibus ſimus, ne pereat in noſtra conſcientia frater, propter quem Chri-
1. Cor. 8. 12. ſtus mortuus eſt, ſic inquiens: *Peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis*. Et ideo repleti ſpiritu ſancto ſtatuerunt ſancti patres noſtri, vt miniſtri altaris mulieribus non cohabitent, neque ſubintroducant ſecum mulieres; ne vel concupiſcentia conſcientiam ſuam vrant, vel conſenſu peſſimo polluant, & ne vel mala ſuſpicione infirmorum conſcientias maculent. Proinde de concubitu presbyterorum cum feminis per parochianos vel vicinos cuiuſcumque presbyteri inquirere non laborabimus. Abolita eſt quippe vetus hæreſis, quæ cynica, id eſt canina, propter impudentiam fuerat appellata, dicens concubitum eſſe naturalem, & ob id agendum ſine verecundia publicè, cùm legamus primos homines mox poſt peccatum inobedientiæ ſenſiſſe concupiſcentiam in membris genitalibus, & à mutuis conſpectibus contexiſſe. Nam licet humanæ mentis cæcitas in operatione turpitudinis diuinis & Angelicis, atque ſanctorum qui in cælis ſunt, oculis abſcondi non poſſit; tamen etiam quilibet ruſticanus concumbens & cum propria coniuge, prout poteſt, plurimorum deuitat adſpectus: quanto magis presbyter, ſi ſenſum hominis habet, malum agens curabit abſcondere, propter quod patefactum ſcit ſe non ſolùm Eccleſiaſticum gradum amittere, ſed & ſua quæ habet in ſæculo perdere? Non igitur de hoc inuerecundè quæremus, quod & Apoſtolus non nudo, ſed velato nomine, loquens apud legitimè coniugatos, ſtuduit
1. Cor 7. 5. 1. Theſſ 4. 6. appellare dicens: *Iterum reuertimini in idipſum*. &, *Ne quis circumueniat in negotio fratrem ſuum*. Tantummodo autem de acceſſu, & frequentatione ac cohabitatione presbyterorum contra canonicum interdictum cum fe-
Conc. Afric. can. 96. 98. minis per tales homines inquiremus, ſicut ſancti Africani canones iubent. id eſt, quos publicæ leges ad accuſationem vel teſtimonium recipiunt, ſiue in mallo, ſiue in audientia. Et ſi quiſcumque presbyter, non ſolùm in noſtra

patochia, ſed in noſtra diœceſi, confeſſus, vel legali ac regulari iudicio fuerit conuictus, de cohabitatione, vel frequentatione, ſiue acceſſu cum feminis contra canones, modis omnibus, ſecundum decreta B. Gregorij, ſine gradus ſui teſtitutione deponetur, & iuxta capitulum magni Leonis Papæ, quod dicit: Hoc itaque admonitio noſtra denuntiat, quòd ſi quis fratrum contra hæc conſtituta venire tentauerit, & prohibita fuerit auſus admittere, à ſuo ſe nouerit officio ſubmouendum, nec communionis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius noluit eſſe diſciplinæ. Ne quid verò ſit quod prætermiſſum fortè à nobis credatur, omnia decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita à veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus, vt ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari. Nam & B. Auguſtinus ſuo Archiepiſcopo de Abundantio preſbytero ſuæ patochiæ ita ſcripſit: Quia cùm non ambularet vias ſeruorum Dei, non bonam famam habere cœpit. Qua ego conterritus, non tamen temerè aliquid credens, ſed planè ſollicitior factus, operam dedi, ſi quo modo poſſem ad aliqua malæ conuerſationis eius certa peruenire indicia. Ac primò comperi eum pecuniam cuiuſdam ruſticani de vino apud ſe commendato interuertiſſe, ita vt nullam inde poſſet probabilem rationem reddere. Deinde conuictus atque confeſſus eſt, cùm ſecum nullum clericum haberet, apud quandam malæ famæ mulierem, & prandiſſe, & cœnaſſe, & in vicina, & in eadem domo manſiſſe. Nam quæ negauit Deo dimiſi: quæ occultare permiſſus non eſt iudicaui. Propterea, ſicut S. Gregorius decreuit, per idoneos, vt præmiſimus, teſtes ſacramento inquiretur de malæ famæ preſbytero. & qui proinde iurabunt, hoc modo ſinguli iurent: De hoc quod me interrogabis de iſto preſbytero, quid inde ſciam, me ſciente nec mendacium tibi dicam, nec veritatem reticebo, ſi me Deus adiuuet, & iſti ſancti Dei. Poſt iſtud ſacramentum, interrogari debet hoc modo. Sancti canones præcipiunt, vt preſbyter talem acceſſum, & frequentationem, ac cohabitationem cum feminis non habeat, vnde mala ſuſpicio, & inconueniens ſacerdoti fama poſſit exire. Propterea dic mihi, ſi vidiſti, aut pro certo ſcis talem acceſſum, vel frequentiam, aut cohabitationem feminas habere cum iſto preſbytero, vnde mala ſuſpicio eſſe poſſit, & mala fama exire poſſit, in illo ſacramento quod modo iuraſti vt veritatem inde non reticeas, & mendacium inde non dicas. Et exceptis accuſatoribus ſeptem ſint teſtes idonei, qui inde veritatem per ſacramentum dicant, ex quibus ſex iurent, & ſeptimus, ſi conditio vel qualitas perſonæ permittit, ad iudicium exeat quòd illi ex veritate inde per ſacramentum dixerunt: quia multi iam deprehenſi apud nos habentur, quoniam pretio conducti ſe periurauerunt. Et ſi hoc modo preſbyter conuictus fuerit de inconuenienti cohabitatione cum feminis, deponetur, ſicut Zoſimus Papa decreuit dicens: Sciat quiſquis poſtpoſita patrum & Apoſtolicæ ſedis auctoritate neglexerit, à nobis diſtrictiùs iudicandum, vt loci ſui minimè dubitet ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat poſt tot prohibitiones impunè poſſe tentari. Contumeliæ enim ſtudio fit, quicquid interdictum toties vſurpatur.

Leo ep. i. Epiſcopis per Campaniam. — *Aug ep 136.* — *Ep ad Heſychium c. 2.*

XXII. In lege eſt ſtatutum, quod & in Euangelio eſt confirmatum, *Matth. 18 16.*

1.Tim.5.19. vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Et Apoſtolus Timotheo præcipit, in cuius perſona, vt Leo dicit, omnium Chriſti ſacerdotum numerum erudiuit, vt accuſatio aduerſus preſbyterum non recipiatur,
Can.2. niſi ſub duobus vel tribus teſtibus. Et ſacrum Nicænum Concilium neophytum Epiſcopum, à duobus vel tribus teſtibus redargurum, à clero abſti-
Dan.13. nere præcepit. Sed quia in hiſtoria Suſannæ duos teſtes, qui idonei populis
3.Reg.21. videbantur, & in hiſtoria Nabuthæ, verùm & in hiſtoria paſſionis Domini,
Matth.26.60. duos teſtes dixiſſe falſum teſtimonium legimus. quoniam Chriſtus Dei
Prou.8.15. virtus & Dei ſapientia dicit, *Per me conditores legum iuſta decernunt*: & S. Gregorius frequenter in epiſtolis ſuis cauſam miniſtrorum Eccleſiaſticorum legaliter & regulariter præcipit definiri; & S. Auguſtinus exponens ſen-
1.Cor.5.11. tentiam Apoſtoli, *Si quis frater nominatur fornicator*, & cetera, dicit: Noluit » Apoſtolus hominem ab homine iudicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam » extraordinario vſurpato iudicio: ſed potiùs ex lege Dei ſecundum ordi- » nem Eccleſiæ, ſiue vltro confeſſum, ſiue accuſatum atque conuictum, eam » nominationem volens intelligi, quæ fit in quemquam cum ſententia or- » dine iudiciario, & quæ cum integritate profertur. nam ſi nominatio ſola » ſufficit, multi damnandi ſunt innocentes, quia ſæpe falsò in quemquam crimen nominatur. In accuſatione preſbyterorum de numero teſtium idoneorum auctoritatem legum ſequendam vidimus, vt ſeptem teſtes, vt ſupra diximus, idonei requirantur: & ſi ratio vel cauſa coëgerit, quatuordecim, vel viginti & vnus teſtes quærantur, vt veritas patefacta monſtretur.

2.q.5. Si mala fama. XXIII. Si autem mala fama ex veriſimilitudine per parochiam de preſbytero exierit, & accuſatores atque teſtes legales defuerint, ne infirmorum corda de mala fama preſbyteri percutiantur, & ne vituperetur miniſterium noſtrum, néue ſecuriores preſbyteri exiſtentes licentiùs in peccatum labantur, ſecundum decretum Gregorij iunioris ſit iuſiurandum in medio, & habeat malæ famæ preſbyter in ſacramento purgationis ſuæ eum teſtem, quem habebit & iudicem.

XXIV. Et quoniam legimus in epiſtolis B. Gregorij, ſæpe infamatum ſacerdotem in purgatione ſuæ famæ tantùm iuſiurandum præbuiſſe, & legalis atque Apoſtolica & canonica auctoritas trium teſtium teſtimonium recipit ad condemnationem, non ab re videtur ſi recipiatur ad purgationem. In hiſtoria quoque ſacra, & in epiſtola B. Gregorij, legimus B. Petrum Apoſtolorum principem, cùm à fidelibus reprehenſus fuerit cur ad gentiles intraſſet, humili eos ratione placaſſe, atque in cauſa reprehenſio-
Act.11.12. nis ſuæ etiam teſtes adhibuiſſe dicens, *Venerunt autem mecum & ſex fratres*
Can.xx. *iſti*. Et Carthaginenſes canones decernunt, vt ſi preſbyteri vel diaconi fuerint accuſati, adiuncto ſibi ex vicinis locis proprius Epiſcopus legitimo numero collegarum, id eſt vnâ ſecum in preſbyteri nomine ſex, in diaconi tres, auctoritati conuenire ducimus, vt ſi preſbyter infamatus fuerit, & accuſatores vel teſtes idonei defuerint, ſecundum qualitatem ac quantitatem cauſæ atque perſonæ, & vtilitatem ac ſanationem cordium infirmorum, aut ſingulis, aut cum aliis duobus teſtibus, aut cum aliis ſex teſtibus, ſeipſum ſacramento à mala opinione purget. Et non eſt contrarium decreto Gregorij iunioris, ſi plures teſtes ad purgationem infamati preſbyteri requirantur: quia ſcribens idem Pontifex ad Bonefacium Epiſcopum per De-

nualdum preſbyterum dicit, vt ſi probari idoneis teſtibus preſbyter infamatus nequiuerit, ſit iuſiurandum in medio, & non diffiniuit, vtrum ipſe ſolus, an cum aliis iuret.

XXV. Et quoniam, vt ſcriptum eſt, & in Angelis reperta eſt nequitia, & teſte Malachia Propheta, atque Ioanne Euangeliſta, ſacerdotes Angeli appellantur, & experti ſumus quoſdam ad inuicem conſpiraſſe, vt ſe mutuo in ſua purgatione adiuuarent, ſed reuera nocerent, ſicut & preſbyteri pleni iniqua cogitatione aduerſus Suſannam conſpirauerunt, non incongruè videtur, vt cum credibili Miſſo Epiſcopi, preſbyteri qui in purgatione infamati ſacerdotis, & vnà cum eo ad iuſiurandum ſe obtulerint, talem examinationem per aduocatum infamati preſbyteri recipiant, vt in ſacramento ſe Deo non perdant, ſicut quoſdam hinc iam reuictos comperimus.

XXVI. Qvia verò, vt S. Auguſtinus dicit, noua morborum genera noua quærere cogunt medicamentorum experimenta, ac præfatis auctoritatibus inſtructi, non præiudicantes, ſi quæ ſunt, ſaniùs intelligentium ſententiis, hoc modo agenda vidimus, quatenus & preſbyteros à luxuriæ charybdis præcipitio reuocare, & toties repetitam canonum prohibitionem à præuaricantibus quoquo modo poſſimus euindicare, & nos de diſſoluta correptione non iudicemur, ſicut Heli ſacerdos damnatus eſt, quia filios ſuos ſegniùs ac leniùs quàm debuerit corripuerat, & ipſi filij eius
perierunt. quia, vt Leo dicit, Inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis Decret. c. 14. «
referendæ ſunt, quàm ad deſides negligentéſque rectores, qui multam ſæpe «
nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam. «
& S. Gregorius dicit, Qui non corrigit reſecanda, committit. & item Leo «
ſcribens ad Ianuarium Epiſcopum ſingulis nobis dicit: Non autem dubi- Ibid. c. 14.
tet dilectio tua, nos ſi, quod non arbitramur, neglecta fuerint quæ pro «
cuſtodia canonum & pro fidei integritate decernimus, vehementiùs com- «
mouendos. quia vt Hilarus Papa dicit, Non minùs in ſanctarum traditio- «
num delinquitur ſanctiones, quàm in ipſius Domini iniuriam proſilitur. «
Qualiter autem his agendum ſit, qui per contemptum in ſanctarum traditionum ſanctiones delinquunt, vel in ipſius Domini iniuriam proſiliunt,
S. Leo ad Ruſticum Epiſcopum decernit, Huiuſmodi inquiens lapſis ad Decret. c. 16. «
promerendam miſericordiam Dei priuata eſt expetenda ſeceſſio, vbi illis «
ſatisfactio ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa. A qua diſtrictionis regula, «
ſancto ſpiritu promulgata, non licet nobis quacumque pietate indebita declinare: quia etſi debetur compaſſio proximis, rectitudo tamen debetur vitiis. Vnde ſacra ſcriptura ſimplicitati rectitudinem ſemper coniungit: quia ſimplicitas ſine rectitudine fatuitas eſt. Simplicitas igitur erga vitia, ſicut catholici doctores dicunt, diſſoluta & ſtulta eſt: & rectitudo erga proximos, ſine pietatis ſimplicitate, auſtera exiſtit & dura.

AB ISTO LOCO VSQVE AD FINEM ISTIVS Capituli non eſt datum preſbyteris.

Quòd de crimine confeſſi vel conuicti meritò ſint à gradu Eccleſiaſtico deponendi.

Et ne quidam, contra Apoſtolum, delectantes non ſolùm vo- 1. Tim. 6. 10.

cum, ſed & conſtitutionum ac factorum nouitate, qui vt audiuimus dicunt, non debere presbyterum vel diaconem de crimine confeſſum ſiue conuictum deponere, ſed tantùm ſuſpendere, quia ſic poſſunt confeſſionem & pœnitenriam, ſicut & alij homines, facere, nos dicant cum Nouatianis pœnitentiam quibuſlibet denegare; quæ cum orthodoxis doctoribus de pœnitentia, & degradatione Eccleſiaſticorum miniſtrorum ſentimus, eorum ſenſibus & verbis dicemus. Ipſi autem, iuxta Apoſtolum, ſanam doctrinam non ſuſtinentes, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, quia vt S. Ambroſius in explanatione pſalmi *Beati immaculati*, & B. Cœleſtinus Papa ſcribens ad Neſtorium dicunt, Eſt pietas ex qua naſcitur frequẽter impietas, viderint qualiter ſe à laqueo liberẽt, quo ſe innectunt, ponentes in cœlum os ſuum, & loquentes aduerſus ſacros canones, vt Leo dicit, ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, qui ſequentes Apoſtolicam doctrinam dicunt in crimine detectos non oportere ad Eccleſiaſticum gradum accedere, vel in clericatu manere, vel ad clericatum redire. Vnde magnus Leo maximo rugitu de vrbe Roma, orbis ſcilicet capite, per totum mundum intonat, decernens vt Epiſcopi à præſtitutis canonibus nulla aut negligentia, aut præſumptione diſcedant; & ſi quis ſacerdotum contra conſtituta venire tentauerit, & prohibita fuerit auſus admittere, à ſuo ſe nouerit officio ſubmouendum.

1. Tim. 4. 5.

Decret. c. 5.

Decret. c. 18.

» Et Hilarus Papa dicit, quia non minùs in ſanctarum traditionum ſanctiones delinquitur, quàm in ipſius Domini iniuriam proſilitur. Et Gelaſius: Comperimus, inquit, nonnullos in ipſis ordinibus conſtitutos grauibus facinoribus non repelli, cùm & Apoſtolus clamet nemini citò manus imponendas, neque communicandum peccatis alienis. & maiorum veneranda conſtituta pronuntient huiuſmodi, etiamſi fortè ſubrepſerint, tam qui antè peccauerunt detectos oportere depelli, quàm ſacræ profeſſionis oblitos præuaricatoreſque ſancti propoſiti proculdubio ſubmouendos. Et S. Gregorius ad Anthemium ſubdiaconum: Quia tantæ nequitiæ malum digna non debet vltione tranſire, ſupradictum fratrem noſtrum Paſcaſium admonere te volumus, vt Hilarum priùs ſubdiaconi, quo indignus fungitur, priuet officio, atque verberibus publicè caſtigatum faciat in exilio deportari, vt vnius pœna multorum poſſit eſſe correctio. Et ad Columbum Epiſcopum: Peruenit ad nos, quod Deidona diaconus pro corporali fuiſſet peccato depoſitus. dilectio veſtra ſubtili hoc inquiſitione perquirat: & ſi ita eſt, in pœnitentia retrudendus eſt, vt commiſſi flagitij vinculum lacrymis poſſit abſoluere. Et ad Sabinianum Epiſcopum: Presbyterum, inquit, de quo nos fraternitas tua latoris præſentium relatione conſuluit, nulla ratione in ſacro ordine poſt lapſum, aut permanere, aut reuocare poſſe cognoſcas. Circa quem tamen mitiùs agendum eſt, propter quòd commiſſum facinus facili dicitur profeſſione confeſſus. Et ad Ioannem Archiepiſcopum: Quæ aduerſus Lucillum Melitanæ ciuitatis Epiſcopum querela commota ſit, in geſtorum quæ ad nos direxiſtis, pagina declaratum eſt. Et ideo quia tanti facinoris vltio nulla debet dilatione differri, fraternitas veſtra tres aut quatuor de fratribus ac conſacerdotibus ſibi noſtris adhibeat, vt ipſis quoque præſentibus patefacta ac ſatisfacta veritate, prædictum Lucillum de Epiſcopatus ordine, quem huius ſceleris contagium

Lib. IX. ep. 66.

Lib. X. ep. 8.

Lib. VII. ep. 25.

Lib. VII. Ind. 2. ep. 62.

maculauit, ſtudeat ſine ambiguitate deponere. Quia igitur in regula paſtorali S. Gregorius, legis exponens ſententiam, monſtrat non debere eum accedere ad miniſterium Dei, nec offerre Deo ſuo panes, qui paruo, vel grandi, aut torto eſt naſo, id eſt, qui ad tenendam menſuram diſcretionis idoneus non eſt, vel qui ſubtilitate immoderata rectitudinem ſuæ actionis confundit, in pœnitentia vel degradatione lapſorum ex gradibus Eccleſiaſticis, ſecundum traditionem catholicam & Eccleſiæ magiſtrorum nobis eſt tenenda diſcretio. Ait enim B. Gregorius, Nonnumquam à reatu adulterij nequaquam diſcrepat culpa fornicationis, cùm veritas dicat, *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Quia enim Græco verbo mœchus adulter dicitur, cùm non aliena coniunx, ſed mulier videri prohibetur, apertè veritas oſtendit quia & ſolo viſu, cùm vel innupta concupiſcitur, adulterium perpetratur. Quod tamen plerúmque ex loco vel ordine concupiſcentis diſcernitur, quia ſicut hunc in ſacro ordine ſtudioſa concupiſcentia, ſic illum adulterij inquinat culpa. In perſonis tamen non diſſimilibus idem luxuriæ diſtinguitur reatus: in quibus fornicationis culpa, qua ab adulterij reatu diſcernitur, prædicatoris lingua teſtatur, quæ inter cetera aſſerit dicens: *Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri regnum Dei poſſidebunt.* Quòd enim diſiunctæ reatui ſententiæ ſubdidit, quoniam valde à ſe diſſidet oſtendit. Et item idem dicit: Matth. 5. 28. 1. Cor. 6. 9.

Scimus quia aliquando minus eſt in corporis corruptionem cadere, quàm « cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare. ſed cùm minùs turpis ſu- « perbia creditur, minùs vitatur: luxuriam verò eo magis erubeſcunt homi- « nes, quo ſimul omnes turpem nouerunt. Vnde fit plerúmque, vt nonnulli « per ſuperbiam in luxuriam corruentes experto caſu malum culpæ labentis « erubeſcant; & tunc etiam maiora corrigant, cùm proſtrati in minimis « confunduntur. Reos enim ſe inter minora conſpiciunt, qui ſe liberos in- « ter grauiora crediderunt. Pia ergo Domini diſpenſatione laxatos non- « numquam malignus ſpiritus de culpa ad culpam trahit, & dum plus percu- « tit, inde eum quem cepetat amittit, atque vnde vicisse cernitur, inde ſupera- « tur. Ad hoc enim in ſcriptura ſacra vitorum talium, id eſt Dauid & Petri, « peccata ſunt indita, vt cautela minorum ſit ruina maiorum. Ad hoc verò « vtrorumque illic & pœnitentia inſinuatur, & venia, vt ſpes pereuntium ſit « recuperatio perditorum. De ſtatu ergo ſuo Dauid cadente nemo ſuperbiat: « de lapſu etiam ſuo Dauid ſurgente nemo deſperet. Et S. Auguſtinus: Vt « enim conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicuius criminis pœni- « tentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu ma- « neat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ. Alio- « quin contra claues datas Eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt, *Quæ* « *ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in cælo.* Sed ne forſitan etiam detectis crimi- « nibus ſpe honoris Eccleſiaſtici animus intumeſcens ſuperbè ageret pœnitentiam, ſeueriſſimè placuit, vt poſt actam de crimine damnabili pœni- « tentiam nemo ſit clericus, vt deſperatione temporalis altitudinis medi- « cina maior & verior eſſet humilitaris. Nam & ſanctus Dauid de crimini- « bus mortiferis agit pœnitentiam, & tamen in honore ſuo perſtitit: & B. Pe- « trum, quando amariſſimè lacrymas fudit, vtique Dominum negaſſe pœni- « tuit, & tamen Apoſtolus manſit. Sed non ideo ſuperuacua putanda eſt po- « Epiſt. 50. Matt. 18. 18

„ ſterior diligentia, quia vbi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid ad-
„ diderunt, quo ſalus tutiùs muniretur. experti credo aliquorum fictas pœ-
„ nitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas inueni-
„ re medicinas multorum experimenta morborum. Detecti ergo, ſiue confeſſione ſua, ſiue conuictione legali ac regulari, de criminibus ad gradus Eccleſiaſticos non accedant, & in gradibus Eccleſiaſticis non maneant, vel ad Eccleſiaſticos gradus non redeant, ſicut ſacri canones, & decreta ſedis Romanæ Pontificum apertè atque expreſsè decernunt. Hoc enim nos admonens Apoſtolus ait: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum.*

Epheſ.5.11.

„ Et quia, inquit S. Auguſtinus, parum erat non conſentire, id eſt non com-
„ municare, ſi ſequeretur negligentia diſciplinæ, *Magis*, inquit, *& redar-
„ guite.* Quid eſt, *nolite communicare?* nolite conſentire, nolite approbare.
„ Quid eſt, *magis & redarguite?* reprehendite, corripite, coërcete. Sicut item idem dicit Apoſtolus: *Peccantes coram omnibus argue, vt ceteri metum habeant.*

1.Tim.5.20.

Sicut arguit Petrus Ananiam & Saphiram, vt ceteri metum haberent: ſicut damnauit Simonem, quem tamen ad pœnitentiam inuitauit: ſicut fornicatorem arguit Paulus, quem tradidit Satanæ, vt ſpiritus ſaluus fieret in die Domini. Vnde ſapientis verba clauis atque ſtimulis comparantur, dicente Salomone: *Verba ſapientiæ quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi.* quia culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere. Sed in ipſa correptione vel coërcitione alienorum peccatorum, ſicut B. Auguſtinus dicit, cauendum eſt, ne ſe extollat qui alterum corripit, & qui ſe putat ſtare, videat ne cadat: foris terribiliter perſonet increpatio, intus benignitatis teneatur dilectio. Neque enim conſentientes ſumus malis, vt approbemus: neque negligentes, vt non arguamus: neque ſuperbientes, vt inſultantes arguamus, ſicut ſatis B. Gregorius in regula paſtorali nobis oſtendit. Lapſos autem in ordine Eccleſiaſtico, ſed non detectos, iudicio Dei committimus, cuius miſericordiæ, vt Leo dicit, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora diffinire: apud quem nullas patitur veniæ moras vera confeſſio, dicente Dei ſpiritu per Prophetam, *Cùm ingemueris, tunc ſaluus eris.* & alibi: *Dic iniquitates tuas priùs, vt iuſtificeris;* quia apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio. & Apoſtolus: *Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Vnde doctores catholici: Eo tunc Dominus ſaluator inuenitur, quo nunc præ timore Domini peccatum noſtrum à nobiſmetipſis redarguitur. Vnde electi quique culpis ſuis nũquam ſciunt parcere, vt poſſint culparum iudicem placatum inuenire. & verè eum poſtmodum inuenire ſaluatorem credunt, quem diſtrictè modò iudicem metuunt. Nam qui ſibi nunc à culpa parcit, ei poſtmodum in pœna non parcitur. Culpas nunc ſingulorum Deus enumerat, cùm nos ipſos ad ſingula quæ fecimus deflenda exponit. quas miſericorditer relaxat, quia ea dum nos punimus, ipſe nequaquam in extremo examine iudicat. Neque enim piè Dominus ante diligentium oculos flenda peccata opponeret, ſi per ſemetipſum ea diſtrictè ferire voluiſſet. Conſtat enim quia à ſuo iudicio abſcondere voluit, quos miſerando præueniens ſibimetipſis iudices fecit. Hinc enim ſcriptum eſt: *Præueniamus faciem eius in confeſſione.* &, *Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur.* Qua diiudicatione maiorem in ſe quiſque ſeueritatem debet exercere, quo ſe recognoſcit grauiùs deliquiſſe, vt à ſeipſo iudicatus

Eccleſ.12.11.
Epiſt. ad Theodorum.
1.Cor.11.31.
Pſal.94.2.
1.Cor.11.31.

non

non iudicetur à Domino. Quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta, & Deo
acceptabilis, ſi aſcenderit homo aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ, & conſti-
tuerit ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat, ſicut comminatur Deus pec-
catori: *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* atque ita conſtituto in cor- Pſal. 49. 22.
de iudicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, iudex ratio, carnifex
timor. Dehinc dolore torquente ſanguis animæ confitentis per lacrymas
profluat. & quo ſollicitiùs ſuam quiſque conſcientiam diſcutiendo exami-
nat, eo latiores ex intimo cordis fonte lacrymarum fluuios fundat: & coti-
diano baptiſmate, lacrymis ſuæ compunctionis ab omnium vitiorum, non
ſolùm criminalium, ſed & quotidianorum ſubripientium contagione pur-
getur, iuxta eum qui dicit: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis* Pſal. 6. 7.
ſtratum meum rigabo: quia vita noſtra indigna non iudicatur, quæ lacrymis
lauatur. Vnde quia poſt baptiſmum inquinauimus vitã, & iterum baptiſmi
aquis lauari non poſſumus, conſcientiam noſtram lacrymis baptizemus, &
renouemur ſpiritu mentis noſtræ de die in diem. Neſcit enim mens per
corpus veteraſcere, quæ ſtudet per deſiderium ſemper inchoare. Hinc nam-
que per Paulum dicitur: *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.* hinc Pſalmiſta, Epheſ. 4. 32.
qui ad perfectionis iam culmen peruenerat, quaſi inchoans dicebat: *Dixi* Prou. 8. 15.
nunc cœpi. quia videlicet ſi laſſeſcere ab inchoatis bonis nolumus, neceſſe eſt,
vt inchoare nos quotidie credamus. A feruore etenim mentis, vel inter ſpi-
ritales inimicos, vel inter carnales quoſque proximos, ipſo aliquo modo
viuendi vſu veteraſcimus, & aſſumptæ nouitatis ſpecie fuſcamur. A qua ta-
men vetuſtate quotidie, ſi ſtudia circumſpectionis inuigilent, orando, le-
gendo, bene viuendo renouamur: quia vita noſtra dum lacrymis lauatur,
bonis operibus exercetur, ſanctis meditationibus tenditur, ad nouitatem
ſuam ſine ceſſatione reparatur. quia peccata, ſiue parua, ſiue magna, impu-
nita eſſe non poſſunt: quoniam aut homine pœnitente, aut Deo iudicante
plectuntur. ceſſat autem vindicta diuina, ſi conuerſio præcurrat humana.
Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos qui ſemetipſos iudicant non
iudicare. Et S. Gregorius, quod & prædeceſſor eius S. Calliſtus ſcripſerat, de Epiſt. 1.
lapſis in ordine Eccleſiaſtico, ſed non detectis, interroganti ſe reſpondit,
Nos inquiens præcedentes nobis patres ſequimur, qui auctore Deo ſacra «
doctrina illorum non diſcordamus. A capite itaque incipientes, vſque in «
quartum altaris miniſterium, hanc formam ſeruandam cognoſcimus, vt «
quia minorem maior præcedit, ſicut honore, ita & crimine, & quem maior «
ſequitur culpa, maior importetur vindicta, & poſt pœnitentiam credatur «
eſſe fructuoſa. Quid enim prodeſt triticum ſeminare, & fructum illius non
colligere? poſt dignam ſatisfactionem credimus poſſe redire ad honorem,
propheta dicente: *Numquid qui cadit non adiiciet vt reſurgat: & qui auerſus* Pſal. 40. 9.
eſt non reuertetur? Idem propheta ait: *In quacumque die conuerſus ingemueris,*
tunc ſaluaberis. Vnde & pſalmiſta ait: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiri-* Pſal. 50. 12.
tum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & ſpiritum ſan-
ctum tuum ne auferas à me. Dum enim petiit ne à Deo proiiceretur prolapſus
culpa, alienam rex & propheta ſimul rapuiſſe vxorem tremefactus expauit,
propheta indicante flagitium ſuum, & pœnitentiam agens addidit: *Redde* Ibid. 13.
mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Si enim ſe dignum

Deo per pœnitentiam non feciſſet, nequaquam aliis prædicaret. Ait enim: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Dum, inquit, peccata ſua proſpexit propheta mundata per pœnitentiam, non dubitauit prædicando curare aliena, & ſacrificium de ſemetipſo offerre Deo ſtuduit cùm dicebat: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, & reliqua, quæ deuotus ac ſtudioſus le-» ctor ſuo loco inuenire valebit. Et item alibi: Sed pœnitentiam agere dignè » non poſſumus, niſi modum quoque eiuſdem pœnitentiæ cognoſcamus. » Pœnitentiam quippe agere eſt, & perpetrata mala plangere, & plangenda » non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, vt tamen alia committat, adhuc » pœnitentiam agere aut ignorat, aut diſſimulat. Quid enim prodeſt, ſi pec-» cata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc auaritiæ æſtibus anhelat? aut quid » prodeſt, ſi iræ culpas iam lugeat, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabeſcat? » Vnde neceſſe eſt, vt qui peccata deplorat, ploranda minimè committat, & » qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat. Et ſi quis in fornicationis culpa, » vel fortaſſe, quod eſt grauius, in adulterio, vel in inceſtu, vel in eo quod tur-» pe eſt etiam dicere, lapſus eſt, tanto à felicita debet abſcidere, quanto ſe me-» minit & inlicita perpetraſſe. attendens conſilium B. Ioannis Baptiſtæ dicen-

Luc. 3. 8. » tis: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Qua ſententia vniuſcuiuſque conueni-» tur conſcientia, vt tanto maiora quærat bonorum operum lucra per pœni-» tentiam, quanto grauiùs ſibi intulit damna per culpam: & ſingula quæque » admiſſa conſideret, & dum per vnumquodque erroris ſui inquinationem » defleт, ſimúlque ac totú lacrymis mundet. Vnde bene per prophetam Hie-

Trem. 3. 48. » remiam dicitur, cùm Iudæ ſingula delicta cenſerentur: *Diuiſiones aquarum* » *deduxit oculus meus.* Diuiſam quippe ex oculis aquam deducimus, quando » peccatis ſingulis diſpertitas lacrymas damus. Neque enim vno eodémque » tempore æquè mens de omnibus dolet: ſed dum nunc huius, nunc illius » culpæ memoria acriùs tangitur, ſimul de omnibus in ſingulis commota purgatur. Sic nimirum erga lapſos atque detectos, cum catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ doctrina, ſacrorum canonum ſeueritatis cenſuram ſequimur. Sic de lapſis, ſed non detectis, & peccata ſua perfectè lugentibus, cum Eccleſia catholica de omnipotentiſſima Domini benignitate ſentimus. quia nullum peccatum eſt, vt dicit Gelaſius, pro quo aut non oret Eccleſia remittendum, aut quod data ſibi diuinitus poteſtate deſiſtentibus ab eo-

Ioan. 20. 23. Matth. 18. 18. dem non poſſit abſoluere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur: *Quæcumque dimiſeritis ſuper terram, dimiſſa erunt & in cælis: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cælis.* In quibuſcumque omnia ſunt, quantacumque ſint, & qualiàcumque ſint. Sic Euangelicas ſententias in-

Matth. 7. 16. ter ſe non diſcordare intelligimus, quibus dicitur: *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* De quibus malæ operationis fructibus, id eſt de manifeſtis peccatis, ſicuti ſunt ſtupra, vel blaſphemiæ, vel furta, vel ebrietas, & ſi quæ

Matth. 7. 1. ſunt alia, nobis iudicare præcipitur. Cùm autem dicitur: *Nolite iudicare &*

1. Cor. 4. 5. *non iudicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini.* &, *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, & inluminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet conſilia cordis*, de illis factis dictum intelligimus, quæ dubium eſt quo animo fiant, vel quæ facta nos latent. Et ſicut Euangelicæ ſententiæ inter ſe non diſcordant, ita nec Apoſtolica ſedes eſt ſibi ipſa

diuerſa, ſiue aduerſa, quæ ſecundum ſacros canones de manifeſtis peccatis confeſſos, ſiue conuictos, à gradu Eccleſiaſtico iubet deponi, & non publicè confeſſos, vel legaliter ac regulariter conuictos, damnari vel degradari nulla ratione permittit.

III.

CAPITVLA ANNO DVODECIMO Epiſcopatus ſuperaddita.

HÆC CAPITVLA ANNO XII. EPISCOPATVS NOSTRI, IV. Idus Iunias, aliis Capitulis, quæ iam conſacerdoribus noſtris decreuimus, auctoritatem patrum ſequentes ſuperaddidimus, & fratribus ac conſacerdotibus noſtris obſeruanda tradidimus.

CAP. I. *Quòd presbyteri curare debeant, vt publici peccatores pœnitentiam accipiant, & Epiſcopo referre quomodo illam agant. De pœna eorum qui ad pœnitentiam venire contemnunt, & presbyterorum, qui peccatores non indicant. & quòd vltima pœnitentia nulli neganda ſit.*

VT vnuſquiſque ſacerdos maximam prouidentiam habeat, quatenus, ſi fortè in parochia ſua publicum homicidium, aut adulterium, ſiue periurium, vel quodcumque criminale peccatum publicè perpetratum fuerit, ſtatim, ſi auctorem facti vel conſentientem adire potuerit, hortetur eum quatenus ad pœnitentiam veniat coram Decano & compreſbyteris ſuis, & quicquid ipſi inde inuenerint vel egerint, hoc commiſtris noſtris, magiſtris ſuis, qui in ciuitate conſiſtunt, innoteſcat: vt infra quindecim dies ad noſtram præſentiam publicus peccator, ſi intra parochiam noſtram fuerimus, veniat, & iuxta traditionem canonicam publicam pœnitentiam cum manus impoſitione accipiat. & ſi longiùs à parochia noſtra fuerimus, annus & dies Kalendarum ſubtiliter deſcribatur, quando peccatum publicum quiſque admiſit, & quando ad pœnitentiam coram miniſtris venit, vel quando ad impoſitionem manus noſtræ peruenit. Et ſemper de Kalendis in Kalendis menſium, quando presbyteri de Decaniis ſimul conueniunt, conlationem de pœnitentibus ſuis habeant, qualiter vnuſquiſque ſuam pœnitentiam faciat, & nobis per comminiſtrum noſtrum renuntietur, vt in actione pœnitentiæ penſare valeamus, quando quiſque pœnitens reconciliari debeat. Et ſi fortè quis ad pœnitentiam venire noluerit infra quindecim dies poſt perpetrationem peccati, & exhortationem preſbyteri in cuius parochia actum fuerit, & ſedulitatem Decani ac compreſbyterorum ſuorum, atque inſtantiam comminiſtrorum noſtrorum, decernatur qualiter qui peccatum perpetrauit, & ad pœnitentiam redire contemnit, à cœtu Eccleſiæ, donec ad pœnitentiam redeat, ſegregetur. Et ſciat quiſque preſbyter, quia ſi per alium nobis cognitum fuerit quod in ſua parochia admittatur, & tardiùs ad noſtram notitiam perlatum fuerit, tantos dies à miniſterio ſuſpenſus in pane & aqua

excommunicatus morabitur, quantos dies noſtram vel comminiſtrorum noſtrorum notitiam ipſa actio, ſine illius ſuggeſtione, & debita ac iuſſa commonitione, ſupertranſierit: & in cuius negligentia peccator publicus non commonitus poſt tantos dies ſicut præfiximus obierit, ſciat ſe quiſque presbyter gradum amiſſurum. Hoc tamen omnimodis ab omnibus caueatur, vt nemo pœnitens, & cum deuotione petens, vltima pœnitentia, vel vltimo viatico defraudetur: ea conuenientia, vt ſi conualuerit, ſecundum Eccleſiaſticas regulas pœnitentiam agat, & reconciliationem, quantum Deus ſibi conceſſerit, in ordine pœnitentium expetat & expectet.

II. *Vt pro loco ſepulturæ nihil exigatur, & locum hæreditario iure nemo ſibi arroget, ſed à presbytero accipiat. & de ſepulcris non violandis.*

Vt pro loco ſepulturæ, ſicut ſacra & canonica ſanxit auctoritas, nemo à quocumque quiddam exenij exigat. Si autem aliquid quiſquam gratis offerre voluerit poſt ſepultum cari ſui vel caræ ſuæ corpus, hoc ſuſcipi non vetamus. Et nemo Chriſtianorum præſumat, quaſi hæreditario iure, de ſepultura contendere: ſed in ſacerdotis prouidentia ſit, vt parochiani ſui, ſecundum Chriſtianam deuotionem, in locis quibus viderit ſepelianrur. Ipſe tamen ſacerdos, memor ordinis ſui, prouideat & congruam cuique ſepulturam, & ne ſcandalum, quantum vitari poteſt, fiat ſuis parochianis. Et prouideat, ſicut de miniſterio ſuo & coram Deo & coram ſæculo vult gaudere, vt nullius Chriſtiani corpus de ſepulcro ſuo eiiciatur, & nec ſepulcra confringantur, vel caminatæ ſicut ſolent inde fiant. quia ſicut crudele eſt quemquam de domo ſua expellere, & miſericordiæ opus eſt, egenum & vagum iuxta dominicum dictum in domum recipere: ita ſacrilegum eſt, corpus indeuotè ac inreligioſè propter cupiditatem à ſepulcro eiicere, vbi quiſque dominicam vocationem, vt in aduentu iuſti iudicis reſurgat, in pace quieſcens debuerat expectare.

III. *Vt nullus Miſſam celebret in altari non conſecrato, vel ſine tabula ab Epiſcopo conſecrata.*

Vt quia quidam presbyteri, præter Eccleſiam in qua titulati ſunt, etiam Capellas habent, & quidam etiam veteres Eccleſias reſtaurant, aut altaria nona conſtruunt propter loci conuenientiam, vel immutant, nemo presbyterorum in altario ab Epiſcopo non conſecrato ante conſecrationem cantare præſumat. Quapropter, ſi neceſſitas popoſcerit, donec Eccleſia vel altaria conſecrentur, & in Capellis etiam quæ conſecrationem non merentur, tabulam quiſque presbyter, cui neceſſarium fuerit, de marmore, vel nigra petra, aut litio honeſtiſſimo, ſecundum ſuam poſſibilitatem, honeſtè affectatam habeat, & nobis ad conſecrandum afferat, quam ſecum cùm expedierit deferat, in qua ſacra myſteria ſecundum ritum Eccleſiaſticum agere valeat.

Digitized by Google

IV.

CAPITVLA IN SYNODO REMIS data anno DCCCLXXIV.

HÆC CAPITVLA DATA SVNT PRESBYTERIS IN Synodo Remi, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXIV. in menſe Iulio.

CAP. I. *Quod iidem parochiarum presbyteri, & canonici in Monaſteriis ſimul eſſe non poßint.*

QVIA non ſolùm inlicita, ſed etiam pernicioſa ſibi ac commiſſæ plebi præſumptione, contra ſacros canones, presbyreri noſtræ parochiæ dicunrur Eccleſias ſuas neglegere, & præbendam in monaſterio Montis Falconis obtinere, ſed & canonici ipſius Monaſterij Eccleſias ruſticanarum parochiarum occupare: neceſſe nobis eſt, non ſolùm quid inde ſacri canones definiant demonſtrare, ſed & vigorem ac cenſuram eorumdem ſacrorum canonum, ſi ſe non correxerint, in contemprores exercere. Vt igitur de his interim ſileamus, qui cerris de cauſis ſecundum ſacros canones de aliis parochiis in noſtram parochiam veniunt, & regularirer à nobis ſuſcipiuntur, vel qui vacantes Eccleſiis vacantibus incardinantur, vel cauſa regulis conueniente ſecundum eaſdem regulas de Eccleſiis ad alias Eccleſias transferunrur; de canonum tranſgreſſoribus iidem canones ſacri decernunt, vt in illa Eccleſia tantummodo quique miniſtrét, in qua priùs ordinati fuerunr: ſi verò iam quis tranſlarus eſt ex alia in aliam Eccleſiam, prioris Eccleſiæ rebus in nullo communicent. eos verò qui auſi fuerinr, poſt diffinirionem magnæ & vniuerſalis huius Synodi, quicquam ex his quæ ſunr prohibira perperrare, decreuit ſancta Synodus à proprio huiuſinodi gradu recedere. Et S. Leo Papa ſedis Romanæ hinc ad Aquileienſem Archiepiſcopum ſcripſir dicens: Illam parrem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, qua olim à ſanctis parribus & à nobis ſæpe decretum eſt, vt nec in presbyreratus gradu, nec in diaconatus ordine, nec in ſubſequenti ordine clericorum, ab Eccleſia ad Eccleſiam cuiquam tranſire ſit liberum, vt in integrum reuoces admonemus, vt vnuſquiſque non ambitione illectus, non cupidirate ſeductus, non perſuaſione hominum deprauatus, vbi ordinarus eſt perſeueret. Ita vt ſi quis ſua quærens, non quæ IESV Chriſti, ad plebem ſuam & Eccleſiam ſuam redire neglexerit, & ab honoris priuilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus. Quæ verba B. Leonis ſi quis intelligere attentè curauerit, & omnem prauam occaſionem excluſam, & omnem vrilitaris ac neceſſiraris rationem conceſſam inuenier. Ait enim, vt vnuſquiſque non ambirione inlectus, non cupiditate ſeductus, non perſuaſione hominum deprauatus, vbi ordinatus eſt perſeueret. Si enim quis non fuerit ambitione inlectus, de minori ad maiorem Eccleſiam non quæreret aſcendere: ſi non fuerit cupidirare ſeductus, non quæreret quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV Chriſti, ac per hoc non plebem ſuam deſerere, & ad monaſterij quaſi tuitionem confugere, vel canonicus ordinatus in monaſterio, obſequia monaſterialia derelinquens, turpis lucri cupiditate

Epiſt 8, ad Nicætam.

ob emolumentum decimæ ruſticanarum parochiarum Eccleſias ſtudebit inuadere, non curans ſi infantes ſine baptiſmate mortui caſu fuerint, vel ſine communione & reconciliatione infirmi obierint. Conſtat enim & certum eſt, quia & clauſtra monaſterij atque obſequia debita, & quæ ſunt neceſſaria plebi in ruſticanis parochiis, inſimul exequi nemo valebit. Quomodo enim, ſi intempeſtæ noctis ſilentio, aut infans natus periclitatur, aut infirmus viaticum munus petierit, canonicus à clauſtris monaſterij exiet, & ad villam infirmorum neceſſitatibus pergens ſuccurrere præualebit? Quod videns S. Gregorius, tractans coram populo Ezechielem prophetam

Dan. 7. 9. dicit: *Thronus eius*, quin Domini, *flamma ignis, rotæ eius ignis accenſus*. Hi, » inquit, qui animarum cuſtodes ſunt, & paſcendi gregis onera ſuſceperunt, » mutare loca minimè permittuntur: ſed quia vno in loco poſiti, diuinitatis » in ſe præſentiam portantes ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur. Quapropter non nobis eſt negligendum, ſed ſtudioſiùs exequendum, quod iſti ſancti Dei ex hac cauſa obnixiùs tenendum decreuerunt. Vnde S. Leo, ea

Leo Decret. c. 14. quæ præmiſimus ad Aquileienſem Archiepiſcopum ſcribens, mox ſubdi- „ dit: Non inquiens dubitet dilectio tua, nos ſi, quod non arbitramur, ne- „ glecta fuerint quæ pro cuſtodia canonum, & pro fidei integritate decer- „ nimus, vehementiùs commouendos. quia inferiorum ordinum culpæ ad „ nullos magis referendæ ſunt, quàm ad deſides negligentéſque rectores, qui „ multùm ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum auſteriorem diſſimulant adhibere diſciplinam. Si ergo quiſquam preſbyter parochiæ noſtræ, aut infirmitate corporis, aut latente animæ peccato, ſenſerit ſe non poſſe proficere plebi ſibi commiſſæ, vel non debere præeſſe, & voluerit monaſterij portum ad agendam pœnitentiam ſecundum decreta B. Leonis expetere, profeſſionis ſuæ libello ab ordine, & titulo atque regimine plebis, ſecundum Gregorij decreta ſe exuat, vt in monaſterium intret. Sin autem, Eccleſiam ſuam & plebem ſibi commiſſam ſecundum ſacras regulas teneat & gubernet. Si verò contra prædicta canonum interdicta quiſque preſbyter in parochia noſtra præſumpſerit, modis omnibus ſe ab ordine abiiciendum cognoſcat.

II. *Quòd pro loco matriculæ nihil à quoquam requiri, vel accipi debeat.*

Sæpe vos admonui de matriculariis, quales ſuſcipere debeatis, & qualiter eis partem decimæ diſpenſare debeatis: ſed admonitionem noſtram, immo Dei per noſtram exiguitatem, quoſdam parui pendere comperi. Vnde neceſſe mihi eſt iterare, quod quoſdam cognoſco negligere. Interdixi enim vobis Dei auctoritate, vt nemo preſbyter pro loco matriculæ quodcumque xenium, vel ſeruitium in meſſe, vel in quocumque ſuo ſeruitio, præſumat requirere vel accipere: & matriculariis debitam partem decimæ, quam fideles pro peccatis ſuis redimendis Domino offerunt, nemo præſumat vendere. Quod & nunc iterũ interdico, oſtendens vobis diuinam auctoritatem. Vt enim plurima de ſanctis ſcripturis prætermittam, & pauca vobis, ſed notiſſima in medium deuocẽ, ſanctus Spiritus per B. Dauid quod

Pſal. 58. 18. cantaris cantauit, *Deus meus miſericordia tua.* & decima à fidelibus data, miſericordia eſt, & miſericordiæ quæ Deus eſt datur. quæ miſericordia dicet in

iudicio miſericordibus: *Quamdiu feciſtis vni ex minimis iſtis, mihi feciſtis.* Elee- Matth.25.40.
moſyna enim Græcè, miſericordia dicitur Latinè: & qui eleemoſynam ven-
dit, Deum, id eſt miſericordiam noſtram vendit: & ſimilis eſt Iudæ, de quo
in Euangelio ſcriptum eſt, quia loculos habebat Iudas. Ea quæ mitteban- Ioan 12.6 & 13.29
tur, id eſt quæ fideles Domino dabant, vnde ipſe & ſui diſcipuli ſecundum
carnem ſubſiſterent, & eleemoſynas Dominus faciebat, Iudas portabat, id
eſt aſportabar & furabatur. Et presbyrer, qui de redemptione peccatorum,
id eſt de decima fidelium, quodcumque exenium requiritaur accipir, non
eſt dignus inter presbyteros nuncupari, ſed deiici: ſicut Iudas nuncupaba-
tur inter Apoſtolos, ſed de Apoſtolorum numero deiectus eſt, in conſor-
tium diaboli eſt in æternum abiectus Et ſciatis, quia quicumque presbyter
ex hoc Iudæ latrocinio fuerit reuictus, non ſolùm à presbyterali ordine
deiicietur, ſed nec etiam partem de illa decima, quam matricularij acci-
piunt, accipere promerebitur: ſed partem cum illo habebit, cuius fieri con-
ſors maluerit. In ſe, inquit S. Hilarus Papa, quicquid in alium quis non re-
ſecarit, inueniet: & S. Gregorius, Qui non corrigit reſecanda, committit.

III. *De indebito acceſſu ad feminas, & à miniſterio deiiciendis iis qui ſe non correxerint.*

Iam vobis Capitulum ex ſanctis ſcripturis & catholicorum dictis do-
naui de inconuenienti acceſſu, & indebira familiaritate ad feminas. Sed
video quoſdam veſtrûm illud parui pendere. Vnde iterum illud in con-
uentu veſtro volo recitari, cum ſentenria Zoſimi Papæ dicentis: Sciat In De...
quiſquis hoc poſtpoſita parrum & Apoſtolicæ ſedis auctorirate neglexe- «
rit, à nobis diſtrictiùs vindicandum: vt loci ſui minimè dubitet ſibi non «
conſtare rationem, ſi hoc putat poſt tot prohibitiones impunè poſſe ten- «
tari. Contumeliæ enim ſtudio fit, quicquid inrerdictum totiens vſurpatur. «
Et ſciaris pro certo, quia non in quocumque requiram de viſo concubitu
veſtro cum feminis, ſed de interdicto canonico in acceſſu ad feminas. quia
vt Hilarus Papa dicit: Non minùs in ſanctarum traditionum ſanctiones Epiſt. ad Ve-ranium Le... & Victur
delinquitur, quàm in ipſius Domini iniuriam proſilitur. Et cui veſtrûm
ampliùs placuerit indebita feminarum familiariras, quàm ſacri miniſterij
puriras, habeat quod elegerit: quia inſimul & ſacri miniſterij puritarem,
& immundi contubernij habere non poterit impuritatem. Deiicietur er-
go à ſacro miniſterio, cui non poterit prodeſſe correptio. ſicut S. Leo Papa Epiſt. 82. Di-
ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum decreuit dicens: Debet ligentiam.
diligentia tua vigilanter inſiſtere, ita vt his, quibus prodeſſe non poterit «
correptio, non parcat abſciſio. Oportet enim nos Euangelici meminiſſe «
mandati, quod ab ipſa veritate præcipitur, vt ſi nos oculus, aut pes, aut dex-
tera ſcandalizauerit manus, à compage corporis auferatur: quia melius eſt
his in Eccleſia carere membris, quàm cum ipſis in æterna ire ſupplicia. Abii-
cienda prorſus peſtifera hæc à ſacerdotali vigore patientia eſt, quæ ſibimet
peccatis aliorum parcendo non parcit: ſicut Heli quondam ſacerdos, filio-
rum ſuorum delicta tolerando, cum ipſis diuinæ iuſtitiæ ſenrenriam me-
ruir experiri, quia ſegni indulgentia diſſimulauit plectere peccatores. Cùm,
inquit Ambroſius, vni ſacerdos indulget indigno, plurimos facit pro- «

» lapſionis contagium prouocari. faciliras enim veniæ incentiuum tribuir
» delinquendi. Er S. Gregorius: Dum enim vnus corripitur, plurimi emen-
» dantur, & melius eſt, vt pro multorum ſaluatione vnus condemnetur, quàm
» per vnius licentiam multi periclitentur. Nec mirum ſi inter homines hæc
ratio cuſtodirur, cùm inter iumenta hæc fieri perſæpe cognouimus, vt ea
quæ ſcabiem aut imperiginem habere videntur, ſeparentur à ſanis, ne illo-
rum morbo cetera damnentur, vel pereant. Sarius eſt enim, vt manifeſtè
corrigantur, quàm pro illis boni pereant, ſicut verus agricola noſter Chri-
Ioan.15.2. ſtus dominus in Euangelio monſtrat dicens: *Omnem palmitem non ferentem fructum*, ſcilicet bonæ operationis, *tollam eum*. Et hoc eſt quod à Domino
Leuit.14. per Moyſem in Leuitico figuratè præcipitur, vt lapis in domo leproſus à ſacerdote inſpiciatur, & ſi purificari nequiuerit, iam inter immundos com-
putetur, ac de ordine mundorum lapidum, id eſt Eccleſiaſticorum conſor-
tio eruatur, atque alius qui dignus eſt loco eius ſubſtituatur. Videlicet abie-
cto de cæleſti, id eſt Eccleſiaſtico ædificio, tamquam mortuo lapide, quo-
Apoc.3.11. libet noxio, qui noluit ſeruare quod dicitur: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, iuxta Petrum Apoſtolum, tamquam lapis viuus in domo ſpiritali, inædificio ſcilicet ſanctæ Eccleſiæ Hieruſalem cæleſtis, quæ conſtat ex Angelis & hominibus, & ædificatur vt ciuitas, vtilis ſuperædificetur.

IV. *De iis qui de facultatibus Eccleſiaſticis alodes comparant, & illos Eccleſiæ non derelinquunt.*

Quoſdam veſtrûm Eccleſias veſtras neglegere, & alodes audio comparare, & in eis manſos extruere atque excolere, ac in eiſdem manſis feminarum habitationem habere, eoſque manſos non Eccleſiis ſecundum ſacros canones derelinquere, ſed contra ſacros canones vel propinquis veſtris, vel aliis quibuſcumque diſtrahere. Vnde ſciaris, quoniam à quocumque hoc fieri comperero, ſecundum canonicam ſeueritatem iudicare curabo. Nullum enim alodem Epiſcopus, vel preſbyter, meliùs vel firmiùs poteſt habere, quàm qui eſt Eccleſiæ atrributus, ſi ſecundum ſuum ordinem viuere voluerit. Si autem ordinem pro ſua culpa perdiderit, nec alodem, quem à die ordinationis ſuæ de Eccleſiaſticis facultatibus adquiſiuit, habere valebit. Quam fraudem de facultatibus Eccleſiarum contra ſacros canones, & ſanctarum ſeriem ſcripturarum, prædicationémque maiorum, ex magna parte poſſent retundere comminiſtri noſtri, ſi ſecundum Capitulum ex ſacris regulis à nobis collectum, & illis ac vobis datum, ſtuderent requirere quid de decimis ſinguli agant preſbyteri, &, quoniam nihil ab eis in parochiæ circuitione exigo, quæ per ſingulos annos pateant in Eccleſiis, de his quæ à nobis ſunt Eccleſiis conſtituta, & qualiter quique preſbyteri hoſpi-
1.Pet.4.9. tales exiſtant ſecundum præceptionem B. Petri Apoſtoli iubentis, *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione, vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum*
Hebr.13.1. *illam adminiſtrantes.* & S. Paulus dicit, *Caritas fraternitatis maneat apud vos, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis ho-*
Iac.1.27. *ſpitio receptis.* Et Iacobus Apoſtolus dicit: *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.*

V. *Quod*

. V. *Quòd pro Eccleſiis viduatis præmia patronis dari non debeant.*

Sæpe vos admonui de exeniis ſuperfluis contra ſacras regulas pro Eccleſiis viduatis non dandis. ſed ſicut audiui, vos non inde caſtigaſtis, ſed vos ipſos, & veſtros nutritos, in maledictionem Simoniacæ hæreſeos traditis: quam hæreſim S. Petrus princeps Apoſtolorum primam damnauit dicens ad Simonem, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Si enim hominis ſenſum Act.8.20. haberetis qui hoc facitis, (non enim de omnibus dico) potuiſſetis adtendere, quia ſi vos bene viueretis, & veſtros nutritos in bona vita & in bona conſcientia nutriretis, non vobis eſſet neceſſe, & veſtra perdere, & vos ipſos in damnationem mittere. Ipſi enim ſcitis, quia nemo fidelis in parochia noſtra in ſua Eccleſia ſine presbytero eſſe cupit, & ſine ordinatione Epiſcopali presbyterum ibi habere non poteſt. quapropter quiſque defuncto presbytero in ſua Eccleſia presbyterum petit. Apud quem cùm clericum bonum quæſiero, vt illi presbyterum ordinem, ipſe clericum bonum quæret: & ſi eum bonum mihi adduxerit, ordinabo illum. ſin autem, alium requiram: & ipſe tamdiu clericum bonum quæret, vſque dum conuenientem ordini ſacro inueniat. Et non neceſſe eſſet vobis petere Eccleſias cum ſuperfluo exenio: quia quique fideles, ſi veſtra culpa non eſſet, plus quærerent bonos clericos, quàm veſtros denarios. & hoc non ſufferris: ſed vos & veſtros nutritos in maledictionem mittitis, cùm dato patronis præmio vobis & illis peccatum emitis.

V.

CAPITVLA EODEM ANNO ARCHIdiaconibus presbyteris data.

ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ DCCCLXXIV. v. Idus Iulias, Hincmarus Archiepiſcopus dedit comminiſtris ſuis hæc Capitula, quæ ſequuntur, GVNTARIO ET ODELHARDO Archidiaconibus presbyteris.

BEATVS Petrus Apoſtolus, cuius vice in Eccleſia funguntur Epiſcopi, & ſub eorum diſpoſitione ipſorum comminiſtri, in epiſtola ſua commonet illos dicens: *Seniores qui in vobis ſunt obſecro* 1.Pet.5. *conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda eſt gloriæ communicator, paſcite qui eſt in vobis gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in clero, ſed forma facti gregis, & ex animo.* Cuius verbum atque exemplum ſecutus ſanctus Leo Papa, eum, cui ſuas vices Leo epiſt.82. commiſit in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, ab in- Anaſtaſio Theſſalonic. debito appetitu præſumptionis per diſtincta capitula coërcuit fræno diſcretionis. Iuxta quorum doctrinam, vos in exordio commiſſi miniſterij paucis capitulis patenter ac diligenter commoneo. à quibus vos, quantum patitur humana fragilitas, non deuiare ſub teſtificatione Chriſti præcipio.

CAP. I. *Vt non grauent presbyteros quando parochias circumeunt.*

Egregius doctor gentium diſcipulis ſuis dicit: *Imitatores mei eſtote, ſicut* 1.Cor.11.1.

& ego Chriſti. Et vos, quando ruſticanas parochias vobis commiſſas, vel mecum, vel per vos circuitis, ſicut & ego, non graues ſitis preſbyteris in paratis quærendis: neque ducatis ſuperfluè vobiſcum homines, vel veſtros proprios; vel propinquos veſtros, per quos illos grauetis in cibo, & potu, & fodro ad caballos. Et prouidete, ne homines veſtri, qui vobiſcum ibunt, illos dehonorent, vel hominibus illorum graues ſint. Nec diu in manſionibus ipſorum preſbyterorum immoremini. & ſi neceſſitas euenerit, vt in aliquo loco immorari debeatis, ſic diſponite victualia veſtra per circummanentes preſbyteros, vt nemini graues ſitis, & non otioſi & infructuoſi ſtipendia Eccleſiaſtica inſumatis, ſicut nec ego grauis ſum preſbyteris, per quos parochias circumeo.

II. *Vt parochias non occaſione victus, ſed inſtructionis cauſa circumeant.*

Vt non occaſione victus parochias circumeatis, quatenus de aliorum ſtipendiis viuentes veſtra ſtipendia conſeruetis: ſed verbo & exemplo non ſolùm preſbyteros, ſed & laicos, de veſtra bona conuerſatione & inquiſitione ſecundum miniſterium vobis commiſſum inſtruatis.

III. *Ne munera à presbyteris accipiant, vt eorum vitia diſſimulent.*

Vt à preſbyteris exenia non accipiatis, quatenus illorum mala fama cooperiatur: ſed omnibus verbo & exemplo notum facite, quia plus valet apud vos Dei & proximi dilectio, quàm terrenum lucrum adquirendi occaſio: plus benignitas quàm ſeueritas, plus commonitio quàm commotio, plus caritas quàm poteſtas. Erga bonos & bene agentes eſtote æquales vt fratres: erga prauos eſtote vitiorum correctores, & fratrum amatores. Similiter & erga alios in veſtris miniſteriis delinquentes.

IV. *Ne à presbyteris quicquam petant quod ſecum auferant dum redeunt.*

Quando parochias circuitis, nolite graues eſſe preſbyteris, petentes friſkingas, vel piſces, aut formaticos, aut annonam, aut alias quaſlibet res, vt habeatis quãdo ad ciuitatem reuerſi fueritis, vnde quaſi fratribus refectionem faciatis, vt ſaluis ſtipẽdiis veſtris habeatis vnde vos & veſtros cõducatis.

V. *Ne denarios à presbyteris vel eulogias exigant, ſed ſponte oblata tantùm accipiant.*

Nolite quaſi pro aliquo adiutorio ad quamcumque rem denarios apud preſbyteros poſtuletis: neque quando ad Synodum, vel pro inquiſitione miniſterij ſui, ſeu pro chriſma accipiendo venerint, eulogias exigatis: ſed ſi cui fortè commodum fuerit pro ſua voluntate & commoditate aliquid gratis offerre, cum gratiarum actione accipite.

VI. *Ne paſcendis ſuis vel amicorum caballis presbyteros grauent.*

Nolite quaſi per precationem caballos veſtros, vel amicorum veſtrorum, ad paſtum preſbyteris commendare præſumatis, neque annonam, vel fodrum ab eis exigatis. Ideo enim vobis de facultatibus Eccleſiaſticis, iuxta
1. Tim. 5. 18. quod Apoſtolus de lege dicit, *Non obturabis os boui trituranti,* ſolatium præbeo, vt preſbyteros non grauetis.

VII. *Vt parochias ruſticanas confundere vel diuidere non præſumant, & vt Eccleſias omnes, Capellaſque illis ſubiectas deſcribant.*

Expreſsè vobis in nomine Chriſti præcipio, vt ruſticanas parochias pro alicuius amicitia vel petitione, aut pro aliquo præmio, non præſumatis confundere, nec diuidere: neque Eccleſias illas, quæ ex antiquo presbyteros habere ſolitæ fuerunt, aliis Eccleſiis quaſi loco Capellarum non ſubiciatis. neque Capellas de illis Eccleſiis, quibus antiquitus ſubiectæ fuerunt, ad alias Eccleſias ſubiicere præſumatis. Et per omne miniſterium veſtrû, vnuſquiſq; veſtrûm deſcribat omnes Eccleſias & titulos, quæ antiquitus presbyteros habuerunt, & Capellas antiquitus illis ſubiectas, & mihi ſcripto renuntiate.

VIII. *Vt nulli Capellam domi habere, aut Miſſam in domo celebrari ſine Epiſcopi licentia concedant: & vt Capellas eiuſmodi omnes deſcribant.*

Nemo veſtrûm Capellam alicui in domo ſua habere concedat ſine mea licentia, neque in domo ſua Miſſas celebrari concedat ſine mea licentia. & vnuſquiſque veſtrûm deſcribat per ſuum miniſterium, quicûque Capellam extra Eccleſiam principalem habet à tẽpore Ebonis vſq; ad tempus meum, & à tempore meo, vel mea, vel alterius licentia factam. & in cuiuſcumque presbyteri parochia quæcumque vel cuiuſcumque Capella ſit facta.

IX. *Ne pœnitentes pro munere aliquo ad reconciliationem adducantur, vel poſt eam negligantur.*

Sollicitè prouidete, ne vos, vel presbyteri, negligenter pœnitentes pro aliquo munere ad reconciliationem adducatis, vel poſt reconciliationem eos negligatis, quod Simoniacum eſt.

X. *De relapſis poſt publicam pœnitentiam.*

Sollicitè prouidete, vt ſi aliqui poſt reconciliationem publicam in publicum peccatum ceciderint, ad notitiam meam perferatis, vt ſciatis qualiter inde & vos, & presbyteri, agere debeatis.

XI. *Ne ad ordinationem pro aliquo munere adducantur non idonei.*

Sollicitè prouidete de vita & ſcientia clericorum, quos ad ordinationem adducetis: ne pro aliquo munere tales ad ordinandum introducatis, qui introduci non debent, quoniam Simoniacum eſt.

XII. *Vt videant quomodo capitula ſibi data obſeruent presbyteri.*

Sollicitè prouidete, ſecundum capitula presbyteris à nobis data, de portione Eccleſiæ, quid inde in Eccleſiis pateat: ſed & de matriculariis, & de aliis capitulis presbyteris à nobis datis, qualiter illa teneant & conſeruent.

XIII. *Quomodo eligendus ſit Decanus in locum defuncti vel inutilis.*

Si Decanus in miniſterio veſtro aut neglegẽs, aut inutilis, & incorrigibilis fuerit, vel aliquis eorum obierit, non inconſideratè Decanum eligite. Et ſi ego in propinquo ſum, ad me illam electionem referte, & ſi ego in longinquo ſum, Decanum illum qui electus eſt interim conſtituite, donec ad meam notitiam electio illa referatur, & mea conſtitutione aut confirmetur, aut immutetur.

MMmm ij

ISAAC EPISCOPI LINGONENSIS CANONES.

Nunc primùm editi ex codice R^mi Archiepiſcopi Toloſani.

TITVLVS in veteri codice nullus eſt. eum indidimus, quem ſuggerebat Chronicum S. Benigni, vbi huius operis fit mentio his verbis: *Compoſuit idem B. Iſaac Epiſcopus librum qui dicitur* CANONES ISAAC, *eóque ex libris canonum vtiliora quæque eligendo in vnum volumen coartauit.* Excerpſit autem ex libris Capitularis, vt vocat: præcipuè verò ex tribus libris poſterioribus, quos Benedictus leuita ad Anſegiſi Abbatis collectionem adiecit. Et quamquam quæ in his libris continentur, omnia, vt idem Benedictus ſub finem libri VII. tradit, per ſedis Apoſtolicæ legatos fuerant confirmata: conſtat tamen, ad Bonifacium & Zachariam non omnia, quod innuere ſequens Præfatio videtur, ſed ea tantùm pertinere, quæ initio libri V. deſcripta ſunt.

PRÆFATIO.

CVM opportunitas Eccleſiaſtica exegerit, vt contra delinquentes & errantes paſtoralis ſententia proferatur, frequenter euenit, vt remedia quæ ſummo caritatis & pietatis ardore à patribus anxiis præparantur, à filiis ægrotantibus ad ſuam perniciem reſpuantur. Et quia nec affectum medentium, nec ſuum vt expedit periculum damnationis perpendunt, oblata quæque faſtidiunt, & velut inefficacia, quia ſunt domeſtica, medicamenta contemnunt. Idcirco ego ISAAC indignus Lingonenſis Epiſcopus, propter quorumdam minùs adquieſcentium deſidiam, & querelam contra paſtoralem ſollicitudinem, atque improborum inſolentiam, qui omnia, quæ ad emendationem vel ad ſuam cautelam dicuntur, à nobis ficta & excogitata garriunt & inuenta, vtile duximus, quædam ſaluberrimarum capitula ſanctionum, quæ ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Legatus Bonefacius venerabilis Maguntiacenſis Archiepiſcopus Zachariæ Papæ, vnà cum orthodoxo Karlomanno Francorum principe, in duobus Epiſcoporum Conciliis ad honorem & profectum Eccleſiæ Dei conſcripſit, quæque etiam idem Papa Zacharias ſub anno Incarnationis Dominicæ DCCXLII. auctoritate Apoſtolica confirmauit, & omnibus Eccleſiæ Dei fidelibus inrefragabiliter obſeruanda conſtituit, reuoluere, & ad meam meorúmque vtilitatem quædam ex his, quæ in quæſtionem ſæpiſſimè veniunt, colligere, & in vnum corpuſculum adgregare: quatinus ſi noſtra calumniauerint, vel ſiniſtra interpretatione labefactare tentauerint, Apoſtolica pariter & regali auctoritate compreſſi de cetero conticeſcant, & ſalutiferis curationibus vel inuiti cùm cauſa exegerit adquieſcant.

De mallis vel placitis ſæcularibus, quibus temporibus obſeruari non debeant.

Volumus omnibus Comitibus, omnibúſque reipublicæ miniſtris firmiter denuntiare, vt à quarta feria ante initium Quadrageſimæ, nec in ipſa

quarta feria, vſque poſt in octauas Paſchæ, mallum vel placitum publicum, niſi de concordia & pacificatione diſcordantium, tenere non præſumant. Similiter etiam à quarta feria ante Natiuitatem Domini, vſque poſt conſecratos dies obſeruent. Nec non & in ieiuniis quatuor temporum, & in rogationibus, & in diebus Pentecoſtes, ſimili obſeruatione eoſdem feriatos dies venerari omnimodis ſtudeant.

Vt in immunitatibus Eccleſiarum mallum vel placitum publicum nemo tenere præſumat.

Placuit vt nullus Comes, neque aliquis ex iudiciaria poteſtate, mallum aut placitum in immunitatibus vel atriis Eccleſiarum tenere, aut quemquam de familia earumdem Eccleſiarum, quacumque occaſione aut temeritate iniuriare præſumat. Quòd ſi fecerit, bannum dominicum perſoluat, & inſuper Deo, & Eccleſiæ quam læſit ſecundum canonicam inſtitutionem in omnibus ſatisfaciat. Quam etiam ſi facere diſtulerit, tamdiu à cœtu fidelium arceatur, donec pœnitentia accepta reatum quem commiſit emendet.

De manſis vniuſcuiuſque Eccleſiæ.

Sancitum eſt, vt vnicuique Eccleſiæ vnus manſus integer abſque aliquo ſeruitio attribuatur, & presbyteri in eis conſtituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis vel hortis iuxta Eccleſiam poſitis, neque de præſcripto manſo, aliquod ſeruitium faciant præter Eccleſiaſticum. Et ſi aliquid ampliùs habuerint, inde ſenioribus ſuis debitum ſeruitium impendant.

INDEX TITVLORVM.

1. DE POENITENTIBVS.
2. DE HOMICIDIIS.
3. DE ADVLTERIIS.
4. DE INCESTIS.
5. DE RAPTORIBVS.
6. DE RAPACIBVS.
7. DE SACRILEGIS.
8. DE IVRAMENTIS.
9. DE EXCOMMVNICATIS.
10. DE STABILITATE SACERDOTVM IN TITVLIS.
11. CAPITVLA ECCLESIASTICIS VTILITATIBVS SATIS CONGRVA.

TIT. I. DE POENITENTIBVS.

Cap. I. *De pœnitentibus non cogendis vinum bibere.*
Ex libro v. Capitularis cap. LIV.

Vt nullus presbyter, aut laicus, pœnitentem cogat vinum bibere, aut carnem manducare, niſi ad præſens pro ipſo vnum vel duos denarios iuxta qualitatem pœnitentiæ dederit.

Cap. II. *De homine publicam pœnitentiam agente interfecto.*
Ex eodem libro cap. CVII.

Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum in triplo componat, & vvirgildum proximis eius ſoluat.

Cap. III. *De pœnitente cuius crimen peruulgatum eſt.*
Ex eodem libro cap. cxvii.

Lib. v. cap. 53. In Concilio Carthaginenſi de hac re præcipitur, vt ſi cuiuſquam pœnitentis publicum & vulgariſſimum crimen eſt, quod vniuerſam commouerit Eccleſiam, ante abſidem manus ei imponatur. Et alibi in canonibus vel decretalibus Leonis Papæ, præcipitur de eadem re, vt abſolutio pœnitentum per manus impoſitionem Epiſcoporum ſupplicationibus fiat. Et reliqua multa talia, & horum ſimilia.

Cap. IV. *De pœnitentibus qui Euchariſtiam acceperint in infirmitate.*
Ex eodem libro cap. cviii.

v.54. Pœnitentes qui infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint.

Cap. V. *De pœnitentum abſolutione, vt per manus impoſitionem Epiſcoporum, vel ſacerdotum precibus fiat.*
Ex eodem cap. cxx.

v.56. Si quis in periculo, vel pace, aut infirmitate pœnitentiam acceperit, ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.

Cap. VI. *Vt pœnitens oſtenſis pœnitentiæ fructibus communionem recipiat.*
Ex eodem cap. cxxi.

v.57. Vt pœnitens oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiat.

Cap. VII. *Vt pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, ſuper caput cilicium à ſacerdote conſequantur.*
Ex eodem cap. cxxii.

v.58. Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput, à ſacerdote, ſicut vbique conſtitutum eſt, conſequantur.

Cap. VIII. *Vt omni tempore ieiunij manus pœnitentibus à ſacerdote imponatur.*
Ex eodem libro cap. cxxiii.

v.59. Omni tempore ieiunij manus pœnitentibus à ſacerdote imponantur.

Cap. IX. *Vt lapſi per manus impoſitionem Epiſcopi abſoluantur.*
Ex eodem cap. cxxiv.

v.60. Ne abſolutos lapſos in fide credamus, niſi per impoſitionem manus Epiſcopi.

Cap. X. *Vt pœnitentes communicent qui ante reconciliationem moriuntur.*
Ex eodem cap. cxxv.

v.61. Placuit his qui accepta pœnitentia ante reconciliationem migrant ad Deum communicari, pro eo quòd honorauerunt pœnitentiam. Qui ſi

ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentum: vt legitimam communionem ſtatuto tempore reconciliatione & manus impoſitione Epiſcopi, vel eius iuſſu preſbyteri, recipiant.

Cap. XI. *Vt criminalia peccata multis ieiuniis, & crebris manus impoſitionibus à ſacerdote purgentur.*

Ex eodem cap.cxxvi.

Criminalia peccata multis ieiuniis, & crebris manus ſacerdotum impoſitionibus, eorúmque ſupplicationibus, iuxta canonum ſtatuta, placuit purgari. Ita vt nemo ſine manus impoſitione Epiſcopi, aut eius iuſſu alicuius preſbyteri, ſe credat eſſe à ſuis facinoribus abſolutum. Non eſt mirandum, ſi abſolutio peccatorum per manus impoſitionem precibus fit ſacerdotum, cùm Dominus in veteri lege ſuper caput hoſtiæ manum ſacerdotis præceperit imponi. Etenim ſicut nunc per illam hoſtiam, ita nunc inuocatione ſancti Spiritus, qui eſt remiſſio peccatorum, per manus Epiſcoporum, vel eorum auctoritate reliquorum ſacerdotum, impoſitionem, vel ſupplicationibus eorum remittuntur peccata. Nam quando Dominus Lazarum ſuſcitauit, ait ſuis diſcipulis, *Tollite lapidem*, ſubauditur, vt mortuus reſurgat. dans exemplum, vt ſicut ipſi manibus tollunt lapidem, vt mortuus ſurgat: ita & ipſi, & ſucceſſores eorum, manus pœnitentibus imponant, vt per impoſitionem manuum ſuis precibus mortuum de ſepulcro, id eſt peccatorem de vitiis ſurgere & releuare faciant. Et ſicut illi Lazarum inſtitis, id eſt funibus, conligatum iubente Domino ſoluunt, qui ait, *Soluite eum, & ſinite abire*: ita iſti eorum ſupplicationibus auxiliante Domino, & comitante Spiritu ſancto, qui in his ſemper operatur, per manus impoſitionem peccatorum ſoluant vincula, eóſque tempore à ſanctis patribus conſtituto ſacra Euchariſtia communicent, & abſolutos ire permittant. v.11. Ioan. 11.

Cap. XII. *Vt pœnitentibus iuxta canonicam auctoritatem pœnitentia detur, & antè ſuſpenſos à communione excubare faciant ad Eccleſiæ officium.*

Ex eodem cap.cxxviii.

Vt ſecundum formam canonum pœnitentibus detur pœnitentia: & priùs eos à communione ſuſpenſos ad officium Eccleſiarum excubare faciant, & inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebrò recurrere. Expleto autem ſatisfactionis tempore, ſacerdotali prece per manus impoſitionem, iuxta ordinem ſacramentorum & canonum, reconcilient pœnitentes, & ſacra communione confirment. v.13.

Cap. XIII. *De his qui ſeparati à communione fuerint pœnitentibus.*

Ex eodem libro cap.cxxix.

Qui à communione ſeparantur, in locis quibus ſecluſi fuerant per manus impoſitionem recipiant communionem. Nec ſe quiſquam à peccatis abſolutum ſine reconciliatoria manus impoſitione credat: ſed per manus impoſitionem precibus ſacerdotum reconcilietur, ſicut auctoritas habet Eccleſiaſtica. v.14.

Cap. XIV. *Ne in confinio mortis pœnitens à reconciliatione diutinè ſuſpendatur.* Ex eodem cap.cxxx.

v.65. Qui pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutinè à reconciliatio-
nis gratia differendus eſt. ſed ſi pto certo mortis vrget periculum, pœni-
tentia per manus impoſitionem accepta, ſtatim & teconciliatio adhiben-
da eſt: ne ptiùs ab humanis rebus æger abſcedat, quàm donum reconcilia-
tionis accipiat; ſicque ſuperſtitibus quodammodo doloris videatur eſſe
perpetui, ſi præciſum ab Eccleſiæ membtis eum, qui vtique reconcilia-
tionis non meruit gratiam, raptim à præſenti vita mortis natura ſubduxe-
Epiſt. ad Theodorū Foroiul. » tit. Vnde iuxta Papæ Leonis edictum: His qui in tempote neceſſitatis, &
» in periculi vtgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ & mox roconcilia-
» tionis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio dene-
» ganda: quia miſeticotdiæ Dei nec menſutas ponere poſſumus, nec tempo-
» ra definire. De his autem qui accepta pœnitentia antequam reconcilientur
» ab hac vita receſſetint, quamquam diuerſitas ptæceptorum de hoc capitulo
» habeatut, illorum tamen nobis ſententia placuit, qui multiplici numero de
» huiuſmodi humaniùs decreuerunt, vt & memoria talium in Eccleſiis com-
» mendetur, & oblatio pto eotum dedicata ſpiritibus accipiatur.

Cap. XV. *De pœnitentibus qui ex grauioribus leuioribuſque commiſſis pœnitentiam gerunt.* Ex eodem cap.xxxi.

v.67. De pœnitentibus, qui ſiue ex gtauiotibus commiſſis, ſiue ex leuioribus,
pœnitentiam gerunt, ſi nulla interuenit ægritudo, quinta feria ante Paſ-
cha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Ceterùm
de pondere æſtimando delictorū ſacerdotis eſt iudicare; vt attendat ad con-
feſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigendi. ac tum iu-
bete dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem. Sanè ſi quis ægritudi-
nem incidetit, atque vſque ad deſperationem deuenetit, ei eſt ante tem-
pus Paſchæ telaxandum, ne de ſæculo abſque communione diſcedat.

Cap. XVI. *Vt pœnitentes, qui ex grauioribus peccatis pœnitentiam gerunt, tribus annis ſint inter audientes, ſi veram pœnitentiam geſſerint.*

Ex eodem cap.cxxxii.

v.69. Pœnitentes, qui ex grauioribus commiſſis pœnitentiam gerunt, ſi ex
Can.11. corde pœniteant, ſicut Nicæna Synodus de lapſis conſtituit, tribus annis
ſint intet audientes, quinque vetò vel ſeptem annis ſubiaceant inter pœ-
nitentes manibus ſacerdotum, duobus etiam oblationes non ſinantur of-
ferre, ſed tantummodo populis in otatione ſocientur. Non confundantur
Deo colla ſubmittere, qui eum non timuerunt abnegare. Quòd ſi, vt pote
mortales, intra metas præſcripti remporis cœperit vitæ finis vrgere, ſubue-
niendum eſt implorantibus, ſeu ab Epiſcopo qui pœnitentiam dedit, ſeu
ab alio, qui tamen datam eſſe probauerit, aut ſimiliter à ptesbytero, iuſſu
aut petmiſſu tamen proprij Epiſcopi, per manus impoſitionem, abſolu-
tione precum ſacerdotalium, viaticum abeuntibus de ſæculo non negetur.
Pueris autem, quibus à putitate vocabulum eſt, ſeu clericis, ſeu laicis, aut
etiam

etiam ſimilibus puellis, quibus ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquamdiu ſub manus impoſitione detentis reddenda communio eſt. Quòd ſi ante præfinitum pœnitentiæ tempus deſpecti à medicis, aut euidentibus mortis preſſi indiciis, recepta communionis gratia conualuerint, ſeruemus in eis quod Nicæni canones ordinarunt, vt habeantur inter illos qui in oratione ſola communicant, donec impleatur ſpatium temporis eiſdem præſtitum.

Cap. XVII. *Vt qui pœnitentiam publicè gerunt vno anno cum cilicio ſint inter audientes.* Ex eodem cap. cxxxvi.

Qui pœnitentiam publicam gerunt, debent vno anno eſſe cum cilicio inter audientes, vel vſque ad magnum diem: & populum, quando intrat Eccleſiam, perfuſi lacrymis debent veniam poſtulare, precarique eum humiliter, vt pro eis dignetur orare. Tribus verò annis ſubiaceant inter pœnitentes manibus ſacerdotum in loco retro oſtium Eccleſiæ pœnitentibus conſtituto, & ſeorſum infra ipſam Eccleſiam populo ſecluſo, tamen iam non in terram proſtrati, ſed vultu & capite humiliato, humiliter & ex corde, vt ſupradictum eſt, veniam poſtulent, & pro ſe orare expoſcant. Duobus etiam annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed populis tantummodo in oratione ſocientur, vt perfectionem ſeptimo in cœna Domini conſequantur, id eſt per Epiſcopi, vel eius iuſſu, ſi ipſe abeſt, aliorum ſacerdotum manus impoſitionem, abſolutione ſacerdotalium precum communionis catholicæ gratiam recepturi. In his verò ſeptem annis multipliciter ieiuniis, orationibus, fletibus, & eleemoſynarum, prout melius potuerint, exhibitionibus & lacrymis perſiſtant. & ne vlterius eis talia contingant admodum caueant, vt mereantur illam Domini vocem audire inquientem, *Vade & amplius noli peccare.* V.71. Ioan.8.11.

Cap. XVIII. *De pœnitentibus tranſgreſſoribus.*
Ex eodem libro cap. cxxxvii.

Vt hi qui frequenti præuaricatione peccant, vel pœnitentiam iterant, frequenti ſententia, niſi per ſatisfactionem quæ præuaricati ſunt emendare nitantur, coërceantur vel condemnentur, vt hæc quæ voluntariè non diluerunt inuiti emendent. Quòd ſi aliquis renuerit, & præceptis ſui ſacerdotis inobediens apparuerit, ſecundum modum culpæ excommunicetur. Si quis autem his ante reconciliationem, & eorum ſatisfactionem, abſque proprij Epiſcopi licentia communicare præſumpſerit, ſimili excommunicationi ſubiaceat. Sacerdotes autem, ad quos pertinere noſcuntur, ſi eos quolibet munere, aut fauore, vel neglegentia admonere noluerint, aut per ſatiſfactionem reuertentes non ſuſceperint, aut contemnentes de Eccleſia non reiecerint, ſimili ſententia plectantur, quouſque vel emendationis, vel eorum damnationis ſententia promulgetur. V.72.

Cap. XIX. *De neglegentioribus pœnitentibus.*
Ex eodem cap. cxxxix.

Vt negligentiores pœnitentes tardiùs recipiantur. V.74.

Cap. XX. *De eo qui pœnitentiam in infirmitate petit.*

Ex eodem cap.XL.

V.75. Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dùm ad eum ſacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia. Si ſuperuixerit, commoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatuto pœnitentiæ tempori, quamdiu ſacerdos qui pœnitentiam dedit probauerit.

Cap. XXI. *Vt pœnitentes non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione.*

Ex eodem cap.XLI.

V.76. Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperunt, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint.

Cap. XXII. *De pœnitentibus qui antequam leges pœnitentiæ exequantur, ſi caſu in itinere aut in mari mortui fuerint.*

Ex eodem cap.XLII.

V.77. Pœnitentes, qui antequam leges pœnitentiæ exſequantur, ſi caſu in itinere vel in mari mortui fuerint, vbi eis ſacerdos ſubuenire non potuerit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.

Cap. XXIII. *Vt nullus vitam ſine communione finiat, nec vnctione benedicti olei careat.* Ex libro VI. cap.LXXV.

VI.75. Si in infirmitate deprehenſus quis fuerit, vitam ſine communione non finiat, nec vnctione ſacrati olei careat: & ſi finem perſpiciat, ſacroſancto corpore Deo anima eius à ſacerdote precibus commendetur.

Cap. XXIV. *Vt nullus presbyter ampliùs quàm vnam Eccleſiam ſibi vindicet.* Ex eodem cap.LXXVI.

VI.73. Quapropter omnibus placuit, vt nullus presbyter ampliùs quàm vnam Eccleſiam ſibi vindicet: quia ſicut vnuſquiſque ſæcularis non ampliùs quàm vnam habere debet vxorem, ita vnuſquiſque presbyter non ampliùs quàm vnam habere debet Eccleſiam.

Cap. XXV. *De non recipiendis alienis pœnitentibus.*

Ex eodem libro cap.CXXXI.

Lib. VI. cap.139. Qui pro delicto ſuo à communione ſeparantur, placuit vt in quibuſcunque locis fuerant excluſi, eiſdem locis communionem conſequantur.

Cap. XXVI. *Vt tempus pœnitentium in conſideratione Epiſcopi conſiſtat.*

Ex libro VII. cap.V.

Lib. VII. cap.5. Penes Epiſcopos erit poteſtas, modum conuerſationis pœnitentum probantes, vel humaniùs erga eos agere, vel amplius tempus adiicere. Ante

omnia verò, præcedens eorum vita, & poſterior inquiratur: & ita eis impartiatur humanitas.

Cap. XXVII. *De pœnitentum conuerſatione & fide.*
Ex eodem libro cap. VI.

Conuerſatio pœnitentum & fides tempus adbreuiat. VII.4.

Cap. XXVIII. *De ſatisfactione pœnitentiæ.*
Ex eodem cap. XX.

Satisfactio pœnitentiæ non eſt tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione penſanda. VII.12.

Cap. XXIX. *De menſura pœnitentiæ.*
Ex eodem cap. XXI.

Tempora pœnitudinis habita moderatione & arbitrio ſunt conſtituenda, prout conuerſorum animos ſacerdotes viderint eſſe deuotos: pariter etiam habentes ætatis ſenilis intuitum, & periculorum quorumque aut ægritudinum reſpicientes neceſſitates. V.48.

Cap. XXX. *De arbitrio Epiſcopi erga pœnitentes.*
Ex eodem libro cap. XXX.

Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. VII.18.

Cap. XXXI. *De remiſſione pœnitentiæ.*
Ex eodem cap. XXXVI.

Pœnitentes, quicumque ex grauioribus ſiue ex leuioribus culpis pœnitentiam gerunt, ſi nulla interuenit ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis eſt remittendum. Ceterùm de pondere æſtimando delictorum ſacerdotis eſt iudicare. V.67.

Cap. XXXII. *Quòd pœnitentibus nulla lucra negotiationis exercere conueniat.* Ex eodem cap. LXVII.

Nulla lucra negotiationis pœnitentibus exercere conuenit, quia difficile eſt inter vendentis ementiſque commercium non interuenire peccatum. VII.44.

Cap. XXXIII. *Vt nemo pœnitentem alterius parochiæ abſoluat.*
Ex eodem cap. LXXVII.

Nullus ſacerdos in alterius ciuitate, vel diœceſi, pœnitentem, vel ſub manu poſitum ſacerdotis, vel qui reconciliatum ſe eſſe dixerit, ſine conſenſu & litteris Epiſcopi, vel preſbyteri, in parochia preſbyter, aut Epiſcopus in ciuitate ſuſcipiat. VII.49.

Cap. XXXIV. *De his qui pœnitentia accepta moriuntur.*
Ex eodem cap. CXXXVIII.

De his qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine recon- VI.20.

ciliatoria manus impoſitione eis communicare. quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum definitiones patrum, qui huiuſmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quòd ſi ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentum, vt oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.

Cap. XXXV. *Vt nullus presbyter pœnitentes inconſulto Epiſcopo reconciliare audeat.* Ex eodem libro cap. CCII.

VII.141. Statutum eſt, & in ſanctis canonibus prohibitum, vt nullus preſbyter pœnitentem publicè inconſulto Epiſcopo reconciliare præſumat, niſi mortè forte periclitantem: ſed omnes publicè pœnitentes quinta feria ante Paſcha, quæ eſt cœna Domini, ad ciuitatem in cinere & cilicio in præſentiam Epiſcopi proſtrato vultu conueniant. & ibi ab Epiſcopo canonicè & ordinabiliter, ſicut in ſacramentario & in Romano ordine continetur, reconcilientur atque diiudicentur, conſolentúrque & prædicentur, quid deinceps agere, quidue vitare debeant inſtruantur: atque inſuper diuinis precibus per manus impoſitionem ab Epiſcopo ſanentur. Nullo namque tempore preſbytero in publica Miſſa pœnitentem reconciliare ſine licentia Epiſcopi conceſſum eſt. Si quis hoc facere præſumpſerit, canonica correctione mulctetur.

Cap. XXXVI. *Qui luget abſtinere debet à conuiuiis.* Ex eodem cap. CCXLIII.

VII.143. Qui luget abſtinere debet à conuiuiis, ac ornamentis & alba veſte.

Cap. XXXVII. *De pœnitentibus, qualiter pœnitentiam debeant accipere.* Ex eodem cap. CCCX.

VII.131. Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manus & cilicium à ſacerdote conſequantur; & ſi aut comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutauerint, abiiciantur: & niſi dignè pœnituerint, non recipiantur. Iuuenibus etiam non facilè pœnitentia committenda eſt, propter ætatis fragilitatem. Viaticum tamen omnibus in morte poſitis non denegandum.

Cap. XXXVIII. *De pœnitentibus, quæ defunctis viris aliis nubere præſumunt.* Ex eodem cap. CCCXVII.

VII.137. Pœnitens, quæ defuncto viro alio nubere præſumpſerit, & quæ vel ſuſpecta, vel interdicta familiaritate cum extraneo ſe coniunxerit, cùm eodem à liminibus Eccleſiæ arceatur. Hæc etiam & de viro in pœnitentia poſito placuit obſeruari.

Cap. XXXIX. *De confeſſionibus fidelium accipiendis, qualiter pro modulo & qualitate peccati ſit pœnitentiæ temporis inſtitutio.* Ex eodem cap. LXXVIII.

VII.194. Quærendum namque eſt, cùm accipit quiſlibet fidelis confeſſionem peccatorum, qualiter primò peccatum perpetratum, aut ſi poſtea iteratum,

aut frequenter actum ſit: ſi ſponte, ſi coacte, ſi per ebrietatem, aut quodliber ingenium factum ſit. & cùm inuenerit vnde radix illius peccati proceſſit, tunc congruam adhibeat medicinam. Qualis verò peccati adhibenda ſit medicina, ſecundum canonum authenticorum & ſanctorum patrum eſſe debet inſtitutionem, & non ſecundum placitum hominis, ſed ſecundum Dei voluntatem: nec in hac parte voluntas aut gratia hominis ſectanda eſt, ſed voluntas Dei in omnibus exquirenda. quatinus dignis precibus & pœnitudine digna placare poſſit omnipotentis Dei vindictam, quam ſuo vitio prouocauit.

TIT. II. DE HOMICIDIIS.

Cap. I. *De presbyteris occiſis.* Ex libro v. cap. clxxxvi.

Presbyteri interfecti Epiſcopo, ad cuius parochiam pertinent, ſoluantur ſecundum Capitulare glorioſi Karoli genitoris noſtri. ita videlicet, vt medietatem vvirgildi eius Epiſcopus vtilitatibus Eccleſiæ cui præfuit tribuat, & alteram medietatem in eleemoſyna illius iuſte diſpenſet. quia nullus nobis eius heres proximior videtur, quàm ille qui ipſum Domino ſociauit. Lib. iv. cap. 151.

Cap. II. *De homicidiis in Eccleſiis vel in atriis eorum perpetratis.*
Ex eodem cap. ccxx.

Si quis aut ex leui cauſa, aut ſine cauſa, hominem interfecerit in Eccleſia, de vita componat. Si verò foris rixati fuerint, & vnus alterum in Eccleſiam fugerit, & ibi ſe defendendo eum interfecerit, ſi huius facti teſtes non habuerit, cùm duodecim coniuratoribus legitimis, per ſacramentum affirmet ſe defendendo eum interfeciſſe: & poſthæc DC. ſolidos ad partem Eccleſiæ, quam illo homicidio polluerat, & inſuper bannum noſtrum ſoluere cogatur: is verò qui interfectus eſt abſque compoſitione iaceat. ac deinde interfector ſecũdum iudicium canonicum congruam facinoris, quod admiſit, accipiat pœnitentiam. Si ſeruus hoc admiſerit, iudicio aquæ feruentis examinetur, vtrum hoc ſponte, an ſe defendendo fecit. & ſi manus eius exuſta fuerit, interficiatur: ſi autem non fuerit, dominus illius iuxta quod vvirgildus illius eſt ad Eccleſiam perſoluat, aut eum ſi voluerit eidem Eccleſiæ tradat. De Eccleſiaſtico, & fiſcalino, & beneficiario ſeruo, volumus vt pro vna vice vvirgildus eius pro eo componatur, altera vice ipſe ſeruus ad ſupplicium tradatur. hereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit iudicatus, ad legitimos heredes illius perueniat. Si in atrio Eccleſiæ, cuius porta reliquiis ſanctorum conſecrata eſt, huiuſcemodi homicidium perpetratum fuerit, ſimili modo emendetur vel componatur. Si verò porta Eccleſiæ non eſt conſecrata, eo modo componatur quod in atrio committitur, ſicut componi debet quod emunitate violata committitur. IV. 15.

Cap. III. *De homine publicam pœnitentiam agente interfecto.*
Ex eodem cap. ccxxxiv.

Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum in triplo componat, & vvirgildum proximis eius perſoluat. IV. 18.

Cap. IV. *De homicidiis prohibendis.* Ex eodem cap.ccxxvi.

IV.10. Quicumque hominem aut ex leui cauſa, aut ſine cauſa interfecerit, vuirgildum eius iis, ad quos ille pertinet, componat: ipſe verò propter talem præſumptionem in exilium mittatur ad quantum tempus nobis placuerit, res tamen ſuas non amittat.

Cap. V. *De occiſione clericorum, & ſacerdotum, atque monachorum.*
Ex eodem cap.cclxi.

III.15. Qui ſubdiaconum occiderit, CCC. ſolidos componat: qui diaconum, CCCC. ſolidos: qui presbyterum, DC. ſolidos: qui Epiſcopum, DCCCC. qui monachum, CCCC. ſolidos culpabilis iudicetur.

Cap. VI. *De eo qui propriam reliquit vxorem, vel ſine culpa interficit, & aliam ducit.* Ex eodem cap.ccc.

V.149. Quicumque propria vxore derelicta, vel ſine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depoſitis publicam agat pœnitentiam: & ſi contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in cuſtodiam mittatur, donec res ad noſtram notitiam deducatur.

Cap. VII. *Vt non ſit ſanguinis Chriſtianorum temeraria effuſio.*
Ex eodem cap.cccxxxii.

V.180. Volumus atque præcipimus noſtra auctoritate denunciari omnibus,
immo & à ſacerdotibus prædicari, ne tam temeraria Chriſtianorum ſan-
guinis effuſio in regno noſtro fieri ſinatur. ſemper illud attendentes quod
Gen.9.5.&6. Dominus poſt diluuium dixit famulo ſuo Noë: *De manu hominis, & de manu*
viri & fratris eius, requiram animam eius. Quicumque effuderit humanum ſangui-
nem, fundetur ſanguis illius. ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. Et in Lege,
Leuit.24.17. Rom.13.3. *Qui occiderit hominem morte moriatur.* & Apoſtolus: *Nam principes non ſunt*
timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & ha-
betis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bono. Si autem malum feceris, time:
non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui ma-
lum agit. De illo enim ſpecialiter diuina auctoritas dicit, *Gladium Dei por-*
tat ad vindictam malorum, non de quolibet alio. E contra verò neſcimus qua
inuentione à nonnullis vſurpatum eſt, vt hi qui nullo miniſterio publico
fulciuntur, propter ſua odia, & diuerſiſſimas voluntates peſſimas, indebi-
tum ſibi vſurparint in vindicandis proximis & interficiendis hominibus
vindictæ miniſterium. Et quod rex ſaltem in vno exercere debuerat pro-
pter terrorem multorum, ipſi impudenter in multis perpetrare non metuunt propter odium: & putant ſibi licere ob inimicitiarum vindictas, quod nolunt vt rex faciat propter Dei vindictam.

Cap. VIII. *De eo qui occiderit clericum, aut monachum, vt arma relinquat.*
Ex libro VI. cap.xc.

VI.90. Qui occiderit monachum aut clericum, arma relinquat, & Deo in monaſterio ſeruiat cunctis diebus vitæ ſuæ, numquam ad ſæculum reuerſurus, & ſeptem annorum ſpatio publicam pœnitentiam gerat.

Cap. IX. *De ſacerdotibus & leuitis atque monachis interfectis vel debilitatis.* Ex eodem cap. XCVIII.

Si quis ſacerdotem, vel leuitam, aut monachum interfecerit, vel debilitauerit, iuxta ſtatuta priorum Capitulorum, quæ legi Salicæ ſunt addita, componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt LX. ſolidos, nobis perſoluat, & arma relinquat, atque in monaſterio diebus vitæ ſuæ ſub ardua pœnitentia Deo ſeruiat, numquam poſtmodum ſæculo vel ſæcularibus militaturus, neque vxori copulaturus. VI.97.

Cap. X. *Quòd homicidæ ante Deum deputentur, qui res Eccleſiæ vaſtant.* Ex eodem cap. CCCCXXI.

Volumus omnes ſcire, quòd qui Chriſti & Eccleſiæ pecunias auferunt, réſque eius fraudant, rapiunt, vaſtant, vel diripiunt, homicidæ apud Deum eſſe deputantur, quia res pauperum, quos Eccleſia paſcere debet, diripiunt. VI.314.

Cap. XI. *De homicidiis infantum.* Ex libro VII. cap. CLXVI.

Si quis infantem necauerit, vt homicida teneatur. VII.121.

Cap. XII. *De homicidis quid agendum ſit.* Ex eodem libro cap. CCLV.

De homicidiis ita iuſſimus obſeruare, vt quicumque auſu temetario alium ſine cauſa occiderit, vitæ periculo feriatur, & pretio ſe redimere numquam valeat: & ſi conuenerit, vt ad compoſitionem quiſque deſcendat, nullus de parentibus aut amicis eum quicquam adiuuet. Quòd ſi fecerit, ſuum vvirgildum omnino componat. VII.183.

Cap. XIII. *De his qui priùs non habentes odium, ſed ſe defendentes, aliquem occiderint, qualiter corrigendi ſint.* Ex eodem cap. CCLCXX.

Si quis quietè gradiens per viam, aut ſi etiam in domo ſua fuerit, aut in platea ciuitatis, aut in villa, ſubitò ab alio ſit ſuperuentus, aut litis commotione, volens ſe defendere, non habens contra illum antè odium, interfecerit hominem, ſeptem annis ſecundum canonicam inſtitutionem pœniteat: tres verò à communione priuetur. quatuor autem in communione orationum & oblationum ſuſceptus, in ſacerdotis pendeat arbitrio, vtrum dignus ſit corpus Chriſti accipere, aut vſque ad plenitudinem pœnitentiæ ab eo ſeparari. Abſtinentia ciborum in prouidentia ſacerdotis erit, ſecundum poſſibilitatem pœnitentis, & deuotionem, & affectum. VII.193.

Cap. XIV. *De mulieribus & viris infantes opprimentibus.* Iuxta prætitulatum caput.

Mulier, quæ dormiens filium ſuum oppreſſerit, & mortuus fuerit, ſex annis pœniteat: vir eius, ſi in domo illius fuit, quatuor; ſi verò in vno lecto, ſimili modo pœniteat. duos in pane & aqua, reliquos quatuor, ſecundum quod ſacerdos viderit, abſtinentiam imponat ciborum. VII.197.

TIT. III. DE ADVLTERIIS.

Cap. I. *De eo qui habet mulierem legitimam, ſi frater eius adulterauerit eum ea.* Ex libro v. cap. xxi.

V.19. Si quis homo habens mulierem legitimam, ſi frater eius adulterauerit cum ea, ille frater, vel illa femina, qui adulterium perpetrauerunt, interim quòd viuunt, numquam habeant ampliùs coniugium: ille verò, cuius vxor fuit, ſi vult poteſtatem habet vxorem accipere aliam.

Cap. II. *De his qui virginibus Deo ſacratis ſe ſociant.* Ex libro vi. cap. ccccii.

* De his qui ſacris virginibus ſe ſociant, ita in decretis Papæ Gelaſij cap. xx. » continetur. Virginibus ſacris temerè ſe quoſdam ſociare cognouimus, & » poſt dicatum Deo propoſitum inceſta fœdera ſacrilegáque miſcere. Quos » protinus æquum eſt à ſacra communione detrudi, & niſi publicam proba» támque egerint pœnitentiam, omnino non recipi. aut his certè viaticum » de ſæculo tranſeuntibus negatur. Si verò de copulatione ſacrarum virginum tam ſeuerè feriuntur, quanto ſeueriùs feriendi ſunt qui eas rapiunt? Ideo, ſicut præmiſſum eſt, neceſſe eſt ab omnibus in Chriſtiana religione conſiſtentibus rigore auctoritatis diuinæ vel humanæ hoc malum radicitus amputari.

Cap. III. *Quòd blaſphemiam Deo inferat, qui ſe eum Deo ſacrata miſcuerit.* Ex eodem cap. cccciii.

VI.309. Scire vos conuenit, quia blaſphemiam Deo inrogat, qui cum Deo ſacrata, vel cum velata femina ſe commaculauerit.

Cap. IV. *Si clericus eum Deo ſacrata ſe commiſcuerit.* Ex eodem libro cap. cccciv.

VI.310. SI clericus cum velata femina, vel cum Deo ſacrata ſe maculauerit, proprio honore priuetur.

Cap. V. *Quòd ſacrilegi & violatores iuxta Apoſtolum ſunt, qui violant ſacratarum feminarum corpora.* Ex eodem cap. ccccv.

VI.313. Sciendum eſt omnibus, quia Deo ſacratarum feminarum corpora per votum propriæ ſponſionis, & verba ſacerdotis, Deo ſacrata templa eſſe ſcripturarum teſtimoniis comprobantur: & ideo violatores earum ſacrilegi, ac iuxta Apoſtolum filij perditionis eſſe noſcuntur.

Cap. VI. *Quòd fornicatio omnibus peccatis periculoſior eſſe perhibetur.* Ex eodem cap. ccccvi.

VI.312. Quòd penè omnibus peccatis grauior & deterior ſit fornicatio, & veraciter dici poteſt laqueus mortis, & puteus inferni, ac vorago perditionis, eo quòd adulteri vel luxurioſi propter cordis inopiam perdunt animas ſuas. Nam,

Nam, vt ait ſcriptura, *pretium ſcorti vix vnus eſt panis*, & qui ſe iungit meretrici, vnum corpus efficitur, & qui luxuriatur mortuus eſt in corpore viuente. Prou.6.26. 1.Cor.6.16. 1.Tim.5.6.

Cap. VII. *De ſæcularibus qui ſuas vxores derelinquunt.*
Ex libro VII. cap.ccev.

Hi verò ſæculares, qui coniugale conſortium abſque culpa grauiore dimittunt, vel etiam dimiſerunt, nullas culpas diſcidij probabiliter proponentes, & propterea ſua matrimonia dimittunt, vt aut illicita aut aliena præſumant, ſi antequam apud Epiſcopos comprouinciales diſcidij cauſas dixerint, & priuſquam vxores iudicio damnentur abiecerint, à communione Eccleſiæ, & ſancti populi cœtu, pro eo quòd coniugium & fidem maculant, præcidantur. VI.216.

Cap. VIII. *De muliere quæ duobus fratribus nupſerit, & de viro eius.*
Ex eodem libro cap.ccclxxxi.

Mulier quæ duobus fratribus nupſerit, abiici debet vſque ad diem mortis, ſed propter humanitatem in extremis ſuis ſacramentis reconciliari oportet: ita tamen vt priùs ſoluatur coniugium, & maneat innupta, & vir eius abſque vxore ſimili pœnitentiæ ſit ſubditus. Quòd ſi duo fratres cum vna femina fornicati fuerint neſcientes ad alterutrum fornicationem, ſtatim vt cognouerint adulterium, qui eam habet vxorem dimittat. Et ille quidem poſt actam pœnitentiam, ſi vxor defuncta fuerit, poteſt alteri ſociari; illa viuente, nequaquam. Illa verò numquam vlteriùs poterit in coniugium aſſumi, & iugi pœnitentiæ ſummiſſa ad exitum vitæ communionis gratiam percipiat. VII.296.

Cap. IX. *De muliere quæ adulterauit virum ſuum: ſimiliter & de viro, qui vxorem ſuam adulterauerit.*
Ex eodem cap.ccclxxxii.

Mulier habens virum, ſi adulterium perpetrauerit, & occultè ad confeſſionem venerit, ſeptem annis pœniteat; tres in pane & aqua, ceteros quatuor in prouidentia erit ſacerdotis, qualiter eam viderit poſſe, & ita ei ciborum abſtinentia imponatur. Similiter & vir habens vxorem, ſi adulterium perpetrauerit, faciat, id eſt, per triennium vt non communicet. Si cuius vxor adulterium perpetrauerit, & hoc à viro deprehenſum fuerit & publicatum, dimittat vxorem ſi voluerit propter fornicationem: illa verò, ſecundùm quod ſuperiùs inſertum eſt, publicè agat pœnitentiam: vir verò eius, illa viuente, nullatenus habeat licentiam aliam ducere vxorem. Quòd ſi voluerit adulteram ſibi reconciliare, licentiam habeat: ita tamen, vt pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia ad communionis, ſicut ſuperiùs continetur inſertum, vtrique accedant. Similis forma & in muliere ſeruabitur. Si eam vir eius adulterauerit, habet poteſtatem dimittendi virum propter fornicationem. maneat tamen innupta, quamdiu vir eius vixerit. Quia nec ille habet poteſtatem aliam accipere prima viuente, nec illa primo. Habent tamen poteſtatem ſemetipſos reconciliare. VII.198.

TIT. IV. DE INCESTIS.

Cap. I. *De inceſtis.* Ex libro v. cap. ix.

Lib v. cap. 7. Si homo inceſtum commiſerit cum Deo ſacrata, aut cum matte ſua, aut cum matrina ſua de fonte aut confirmatione, aut cum marre & filia, aut cum duabus ſororibus, aut cum marris filia, aut cum ſororis filia, aut cum nepta, aut cum conſobrina aut ſobrina, aut cum amita vel matertera, aut cum his quibus canones prohibent copulare, de iſtis criminibus pecuniam ſuam perdat, ſi habuerit. Et ſi hoc emendare noluerit, nullus eum recipiat, nec cibum donet, & ſi fecerit, LX. ſolidos domno regi componat, vſque dum ipſe homo ſe correxerit. Et ſi pecuniam non habuerit, ſi liber eſt, mittatur in carcerem vſque ad ſatisfactionem: ſi autem ſeruus aut libertus eſt, vapuletur plagis multis. Et ſi dominus ſuus eum permiſerit ampliùs in talem lapſum incidere, ipſe LX. ſolidos domno regi componat. De reliquis verò propinquis, iuxta conſtituta ſanctorum patrum, & iuxta decreta canonum iudicetur.

Cap. II. *De inceſtuoſis.* Ex eodem libro cap. xci.

De inceſtuoſis, vt canonicè examinentur, & nec propter alicuius amicitiam quidam relaxentur, quidam verò conſtringantur.

Cap. III. *Item de inceſtuoſis.* Ex eodem libro cap. clxv.

v. 51. Vt Epiſcopi inceſtuoſos pariter inueſtigare ſtudeant omnino præcipimus. Et ſi pœnitere noluerint, de Eccleſia expellantur, donec ad pœnitentiam reuertantur.

Cap. IV. *Vt Epiſcopi inceſtuoſos emendent & corrigant.* Ex eodem cap. ccciii.

v. 151. Vt Epiſcopi inceſtuoſos homines emendent, & magnam diligentiam habeant ex eis, ſeu & de viduis infra ſuam parochiam poteſtatem habeant ad corrigendum.

Cap. V. *Vt inceſti & parricidæ canonicè coërceantur.* Ex libro vi. cap. lxxi.

vi. 71. De inceſtuoſis & parricidis vt canonicè coërceantur, ſicut de illo iudicatum eſt, qui materteræ ſuæ filiam ſtuprauit, vt coniugium vltra non repetat, & militiæ cingulum derelinquat, & aut monaſterium petat, aut ſi foris remanere voluerit, tempora pœnitentiæ ſecundum canones plenè exſoluat.

Cap. VI. *De inceſtis & criminoſis, ac de infirmis & pœnitentibus, atque de ieiunio quatuor temporum.* Ex eodem cap. cvi.

vi. 105. Vt de inceſtis & criminoſis maximam curam habeant ſacerdotes, ne in ſuis pereant ſceleribus, & animæ eorum à diſtricto iudice Chriſto eis requirantur. Similiter de infirmis ac pœnitentibus, vt morientes ſine re-

conciliatione & viatico non deficiant. & vt quatuor temporum ieiunia à fidelibus diligenter cuſtodiantur.

Cap. VII. *De eo qui ſe inceſtuoſo ordine his perſonis, quibus regulis prohibitum eſt, coniunxerit.* Ex eodem cap.cccc.

Si quis non eo gradu, ſed inceſtuoſo ordine cum his perſonis quibus à VI.306.
diuinis regulis prohibitum eſt coniunxerit, vſquequo pœnitentiam ſequeſtratione reſtentur, vtrique communione priuentur: & neque in palatio habere militiam, neque in foro agendarum cauſarum licentiam habebunt. Nam ſi ſe quoquomodo prædicto inceſtu coniunxerint, Epiſcopi ſeu preſbyteri, in quotum diœceſi vel pago actum fuerit, regi vel iudicibus ſcelus perpertatum denuntient: vt cum ipſis denuntiatum fuerit, ſe ab eorum communione aut cohabitatione ſequeſtrent. Res autem eorum ad primos parentes vſque ad ſequeſtrationem perueniant, ſub ea conditione, vt antequam ſegregentur, per nullum ingenium, neque per patentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam, ad proprias perueniant facultates, niſi præfatum ſcelus ſequeſtrationis ſeparatione & pœnitentia fateantur.

Cap. VIII. *Ex libro legum Theodoſij tertio, cap.XII. De inceſtis.*
Ex eodem libro cap.ccccI.

Quod inceſti non ſint legitimi heredes, ſed infamia ſint notatæ vtræ- VI.307.
que perſonæ.

Cap. IX. *Vt deuotam Deo virginem, vel viduam, nullus coniugem accipiat.*
Ex eodem cap.ccccII.

Vt deinceps, ſicut canones Eccleſiaſtici prohibent, nullus Deo deuo- VI.308.
ram virginem, nullus ſub religionis habitu conſiſtentem, ſiue viduitatis continentiam profeſſam, vel ſui proximam generis, aut etiam de cuius admixtione inceſtiuæ notam poſſit ſubire infamiæ, inlicito connubio, aut vi aut conſenſu accipiat coniugem: quia nec verum poterit eſſe coniugium, quod à meliori propoſito deducitur ad deterius, & ſub falſi nominis copula inceſtiua pollutione & fornicationis immunditia perpetratur. Hoc verò nefas ſi agere amodò cuiuſlibet gentis homines ſexus vtriuſque tentauerint, inſiſtente ſacerdote vel iudice, etiamſi nullus accuſator, ab inuicem omnimodis ſeparati exilio perpetuo relegentur.

Cap. X. *De inceſtis quid agendum ſit.* Ex libro VI.cap.CCLVII.

Vt inceſtum nullus ſibi vnquam ſociet coniugium. Quòd ſi contigerit, VII.185.
ab Epiſcopo loci illius ſeparentur, & publicam ſeptem annorum iuxta canonicos gradus agant pœnitentiam. Qui autem hoc agere noluerint, anathema ab omnibus habeantur.

Cap. XI. *De his qui cum pecoribus coitu mixti ſunt, aut more pecudum vſque ad affinitatis lineam cum conſanguineis inceſtum commiſerunt, ſiue cum maſculis concubuerunt.*
Ex eodem cap.ccccLVI.

In hoc titulo Græca verba poſita ſunt, id eſt, περὶ τῶν ἀλογευσαμένων, ἢ καὶ ἀλο- VII.273.

γευομένων. quod nos Latinè poſſumus dicere, *De his qui inrationabiliter verſati ſunt, ſiue verſantur.* In qua ſententia ſenſus duplex eſt. id eſt, De his qui cum pecoribus, aut more pecudum cum conſanguineis vſque ad affinitatis lineam inceſtum commiſerint, aut cum maſculis concubuerint, quiſquis ex his vnum egerit, aut capite puniatur, aut ſi ei vita conceſſa fuerit, iuxta Ancyrani Concilij ſententiam, quæ in capitulo XVI. continetur, pœnitentiam veraciter agat.

Cap. XII. *Vt inceſti à ſacerdotibus & Deum timentibus hominibus fideliter perquirantur, & canonicè puniantur.*

Ex eodem cap.CCCLXXVII.

VI.291. De inceſtis omni ſtudio perquirendum eſt ſacerdotibus per homines veraces, & timorem Dei ante oculos habentes: & ſi reperti fuerint, ſtatim aut per ſe emendare ſtudeant, aut cum adiutorio Archidiaconi ſui Epiſcopi hoc ipſum exſtirpare ſatagant, ne tanto flagitio & ſcelere & illi polluantur & pereant, & alij in eorum vicinitate omnipotentis Dei iram incurrant.

Cap. XIII. *Quòd inceſtum committit, qui ſe conſanguineæ ſuæ vſque ad affinitatis lineam coniungit.*

Ex eodem cap.CCCCXXXII.

VII.335. Nullus fidelium vſque ad affinitatis lineam, id eſt vſque ad ſeptimam progeniem, conſanguineam ſuam ducat vxorem, vel eam quoquomodo inceſti macula polluat. Si quis verò hoc ſcienter temerare præſumpſerit, ſi liber eſt, bannum noſtrum, id eſt LX. ſolidos, fiſco noſtro perſoluat, & inſuper canonicè vt inceſtus luat, ac publicè iuxta canonicos gradus pœniteat. Si autem ſeruus vel Eccleſiaſticus fuerit, publicè flagelletur ac decaluetur, & iuxta proprij Epiſcopi iuſſionem pœnitentiam publicè & canonicè gerat. Quòd ſi aliquis, tam liber, quàm ſeruus, aut Eccleſiaſticus vel fiſcalinus, Epiſcopo proprio, vel ſuo ſacerdoti, aut Archidiacono inobediens vel contumax, ſiue de hoc, ſiue de alio quolibet ſcelere extiterit, omnes res eius à Comite & à miſſo Epiſcopi e contendantur, vſque dum Epiſcopo ſuo obediat, aut canonicè pœniteat. Quòd ſi nec ſe ità correxerit, & ad Epiſcopum & canonicam pœnitentiam venire diſtulerit, à Comite comprehendatur, & in carcere ſub magna ærumna retruſus teneatur, nec rerum ſuarum poteſtatem habeat, quouſque Epiſcopus iuſſerit. Quòd ſi Comes, vel eius miniſtri hæc adimplere diſtulerint, canonicè ab Epiſcopo, vel à ſuo miniſtro excommunicetur, & vſque dum hæc pleniter Comes adimpleat, ſemper communione catholicorum careat, vſque dum ipſi Epiſcopo humaniùs erga eum aliquid agere placuerit. Si verò, quod non optamus, ipſe Comes, aut de prædictis cauſis, aut de ipſa excommunicatione inobediens, aut neglegens ſuo Epiſcopo apparuerit, honore Comitatus pariter & communione careat, vſque dum ambo in noſtram præſentiam veniant, vt nos illum Epiſcopali auctoritate, atque imperiali metu, ita corrigamus, vt ceteri timorem habeant, nec deinceps talia committere vllatenus audeant.

Digitized by Google

Cap. XIV. *Vt inceſti, quamdiu in ſcelere manent, non fidelium Chriſtianorum, ſed tantùm aut gentilium, aut catechumenorum, vel energumenorum locum teneant.*

Ex eodem libro cap.cccciv.

Inceſti, dum in ipſo deteſtando atque nefando ſcelere manent, non inter fideles Chriſtianos, ſed inter gentiles, aut catechumenos, vel energumenos habeantur. id eſt, cum Chriſtianis non cibum ſumant, non potum; non in eodem vaſculo edant aut bibant, ſed ſoli hoc faciant: non oſculentur, aut ſalutentur ab eis. Et ſi ſuis ſacerdotibus inobedientes extiterint, & à tam nefandiſſimo ſcelere ſegregari, atque ad publicam pœnitentiam redire noluerint, inter eos habeantur qui ſpiritu periclitantur immundo, vel etiam inter eos, de quibus ipſa veritas dicit: *Si te non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Nam cum fidelibus non debent orare, nec in Eccleſiam intrare, ſed ad ianuam Eccleſiæ excubare, & intrantibus in eadem, atque exeuntibus ex ea, vultu in terram proſtrato veniam poſtulare, & vt pro ſe orare non dedignentur flagitare, & lacrymis perfuſo vultu, contrito corde, atque humiliato ſpiritu omnibus apparere, vſque ad ſatisfactionem Eccleſiæ, & proprij Epiſcopi canonicam reconciliationem manere, & ad priſtinum inceſtum numquam redire: nec ſæcularia negotia exercere, nec placitis aut accuſationibus vel teſtimoniis intereſſe: ſed crebris ſacerdotum precibus, manúſque Pontificis proprij impoſitionibus, eleemoſynarum largitionibus, atque ceterorum bonorum omnium exhibitionibus, eos purgari ſanaríque oportet.

VII.336. Matth. 18.17.

Cap. XV. Item, *De inceſtis.* Ex eodem libro cap.cccexxxiv.

Inceſtos nullo coniugij nomine præualendos eſſe cenſemus. VII.337.

TIT. V. DE RAPTORIBVS.

Cap. I. *De raptu viduarum.* Ex libro v. cap. vi.

Qui viduam intra primos xxx. dies viduitatis vel inuitam vel volentem ſibi copulauerit, bannum noſtrum, id eſt LX. ſolidos, in triplo componat. & ſi inuitam eam duxit, legem ſuam ei componat: illam verò vlteriùs non attingat. Lib. IV. cap. 17.

Cap. II. *De raptis & earum raptoribus:* Ex eodem libro cap.ccxxiii.

De raptis & de raptoribus, quamquam ſpecialiter decreuimus quid pati debeant qui hoc nefas deinceps facere tentauerint; quid tamen de his ſacri canones præcipiant hîc inſerendum neceſſarium duximus: quatinus omnibus pateat quantum malum ſit, & non ſolùm humana, ſed & diuina auctoritate conſtricti, ab hinc hoc malum caueatur. I.103.

Cap. III. *De puellis raptis necdum deſponſatis.*

Ex eodem cap. ccxxiv.

De puellis raptis necdum deſponſatis in Concilio Calchedonenſi, vbi I.104.

» DCXXX. patres adfuerunt, capitulo XXVIII. ita habetur. Eos qui rapiunt
» puellas ſub nomine ſimul habirandi, cooperantes & cohibentes raptori-
» bus, decreuit ſancta Synodus, ſiquidem clerici ſint, decidant gradu pro-
» prio, ſi verò laici anathematizentur. Quibus verbis aperrè datur intelligi qualiter huius mali auctores damnandi ſunt, quando participes & cohibentes tanto anathemate feriuntur, & iuxta canonicam auctoritatem ad coniugia legitima raptas ſibi iure vindicare nullatenus poſſint.

Cap. IV. *De deſponſatis & ab aliis raptis.*

Ex eodem cap. CCXXV.

I.105. De deſponſatis puellis & ab aliis raptis, ita in Concilio Ancyrano cap. x.
» legitur: Deſponſatas puellas, & pòſt ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi
» quibus antè fuerant deſponſatæ, etiamſi eis à raptoribus vis inlata conſtiterit. Proinde ſtatutum eſt à ſancto conuentu, vt raptor publica pœnitẽtia multetur. Raptæ verò, ſi ſponſus eam recipere noluerit, & ipſe eiuſdem criminis conſentiens non fuerit, licentia nubendi alij non negetur. Quòd ſi & illa conſenſit, ſimili ſententia ſubiaceat. Quòd ſi poſt hæc ſe coniungere præſumpſerint, vtrique anathematizentur.

Cap. V. *De raptu alienarum ſponſarum.*

Ex eodem libro cap. CCXXXVIII.

IV.12. Si quis ſponſam alienam rapuerit, aut patri eius, aut ei qui legitimus eius defenſor eſſe debet, cum ſua lege eam reddat. Et quicquid cum ea tulerit, ſemotim vnamquamque rem ſecundum legem reddat. Et ſi hoc defenſor eius perpetrari conſenſit, & ideo raptori nihil quærere voluerit, Comes ſingula de vnaquaque re freda noſtra ab eo exactare faciat, & quanto tempore nobis placuerit in exilio maneat, & illam feminam ei habere non liceat.

Cap. VI. *Vt nullus occultas nuptias aut raptum faciat, vel quam propinquus habuit ducat vxorem, ſed dotatam & à parentibus traditam, per benedictionem ſacerdotum accipiat quam vult habere vxorem.*

Ex libro VII. cap. LXXVIII.

VII.117. Sancitum eſt, vt publicæ nuptiæ ab his qui nubere cupiunt fiant, quia ſæpe in nuptiis clàm factis grauia peccata, tam in ſponſis aliorum, quàm & in propinquis, ſiue adulterinis coniugiis, & quod peius eſt dicere, cum conſanguineis, adcreſcunt vel adcumulantur. Ex his autem procreari ſolent cæci, claudi, gibbi, & lippi, ſiue aliis turpibus maculis adſperſi. Et hoc ne deinceps fiat omnibus cauendum eſt. Sed priùs conueniendus eſt ſacerdos, in cuius parochia nuptiæ fieri debent, in Eccleſia coram populo: & ibi inquirere vnà cum populo ipſe ſacerdos debet, ſi eius propinqua ſit an non, aut alterius vxor, vel ſponſa, vel adultera. Et ſi licita & honeſta omnia pariter inuenerit, tunc per conſilium & benedictionem ſacerdotis, & conſultu aliorum bonorum hominum, eam ſponſare & legitimè dotare debet.
» Scribit namque de legitimo matrimonio B. Auguſtinus ita: Sit caſta in
» virginitate, & dotata legitimè, & à parentibus tradita ſponſo, & à para-
» nymphis accipienda, & ita ſecũdum legem & Euangelium publicis nuptiis

honeſtata in coniugio licitè ſumenda, & omnibus diebus vitæ ſuæ, niſi ex «
conſenſu & cauſa vacandi Domino, numquam propter hominem ſepa- «
randa. Et ſi fornicata fuerit, & vir eius voluerit, dimittenda, ſed illa viuente «
altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei non poſſidebunt, & pœni- «
tentia illi accipienda. Nolite vos viri habere vxores, quarum priores ma- «
riti viuunt: adulterina enim ſunt iſta coniugia. Et hoc, vt diximus, omninò «
prouidendum eſt, ne eius ſit propinqua, quia ſcriptum eſt, *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius*. Similiter ſcriptum eſt, *Cum vxore proximi tui non coibis, nec ſeminis eius commixtione maculaberis*. Et in Decretalibus Papæ Gregorij legitur: Si quis diaconam, aut monacham, aut commatrem ſpiritalem, aut fratris vxorem, aut neptam, aut nouercam, aut nurum ſuam, aut conſobrinam, aut de propria cognatione, vel quam cognatus habuerit, duxerit vxorem, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis viduam rapuerit, vel furatus fuerit in vxorem, vel conſentientes ei, anathema ſit. & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Et ſi quis virginem, niſi deſponſauerit eam, rapuerit vel furatus fuerit in vxorem, vel conſentientes ei, anathema ſit. & reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Et alibi in canonibus præceptum eſt, vt nemo vſque ad affinitatis lineam ex propinquitate ſui ſanguinis connubia ducat, neque virginibus ſine benedictione ſacerdotis quis nubere præſumat. Oppidò enim iſta omnia cauenda ſunt ne fiant. Sed poſtquam iſta omnia probata fuerint, & nihil impedierint, tunc ſi virgo fuerit, cum benedictione ſacerdotis, ſicut in ſacramentario continetur, & cum conſilio multorum bonorum hominum, publicè & non occultè ducenda eſt vxor, vt boni ab his filij Domino miſerante procreentur, & non tales, ſicut ſuperiùs dictum eſt.

Leuit. 18. 6.
Ibid. 10.

Cap. VII. *De raptoribus viduarum vel virginum, & vt feminæ ſacris altaribus non miniſtrent.* Ex eodem cap. CCXLVIII.

Sancitum eſt, vt raptores viduarum, vel virginum, ab Eccleſiæ communione pellantur, & vt feminæ ſacris altaribus non miniſtrent, vel aliquid ex his quæ virorum ſunt officiis deputata præſumant.

Cap. VIII. *De his qui rapiunt feminas, vt eas non habeant vxores. & qualiter de raptis agendum ſit.*

Ex eodem cap. CCCXCV.

Placuit, vt hi qui rapiunt feminas, vel furantur, aut ſeducunt, vt eas nullatenus habeant vxores, quamuis eis poſtmodum conueniat, & eas dotauerint, vel nuptialiter cum conſenſu parentum ſuorum acceperint. Si quis autem vxorem habere voluerit, canonicè & legaliter eam accipiat, & non rapiat. Qui verò eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut ſeduxerit, numquam eam vxorem habeat, ſed propinquis ſuis eam legibus reddat, & in triplo plenum bannum dominicum componat; & inſuper canonicè publicam pœnitentiam gerat. Ad quod omnes vna voce clamauerunt dicentes: Iſta omnes tenere firmiter volumus, & in perpetuum ab omnibus conſeruari optamus. VII. xxi.

TIT. VI. DE RAPACIBVS.

Cap. I. *De his qui infra regnum per vim aliquid rapuerint.*
Ex libro v. Capitulo CCCXLI.

Lib.v. cap.189. Si quis in exercitu infra regnum, ſine iuſſione dominica, per vim hoſtilem aliquid prædari voluerit, aut fœnum tollere, aut granum, ſiue pecora maiora vel minora, domóſque infringere vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quòd ſi ab aliquo præſumptiosè factum fuerit, LX. ſolidos, ſi liber eſt, ſit culpabilis, & omnia ſimilia reſtituat, aut duodecim teſtibus ſe purget. Si verò ſeruus hoc fecerit, capitali crimini ſubiaceat, & dominus omnia ſimilia reſtituat, quia ſeruum ſuum non correxit, nec cuſtodiuit, vt talia non perpetraret. Quòd ſi nos ipſos comedimus, citò deficiemus. Vnuſquiſque tamen cuſtodiat exercitum ſuum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat.

Cap. II. *De his qui rapinas infra regnum faciunt.*
Ex libro VI. cap. XCVII.

VI.96. Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam noſtro fideli eiuſque homini aliquid vi abſtulerit, in triplo cui aliquid abſtulit legibus componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt LX. ſolidos, nobis perſoluat. Poſtmodùm verò ante nos à Comite adducatur, vt in baſtonico retruſus vſque dum nobis placuerit pœnas luat. Nam ſi publicè actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam iuxta ſanctorum canonum ſanctionem. Si verò occultè, ſacerdotum conſilio ex hoc agat pœnitentiam. quoniam *raptores*, vt ait Apoſtolus, niſi veram egerint pœnitentiam, *regnum Dei non poßidebunt.* Qui verò de rebus Eccleſiarum aliquid abſtulerit, grauiùs inde iudicetur, quia ſacrarum rerum ablatio ſacrilegium eſt, & ſacrilegus vocatur, qui ex eis aliquid aut abſtulerit, aut rapuerit. Infames quoque tales perſonæ vſque ad ſatisfactionem Eccleſiæ, quam læſerunt, ſunt habendæ.

Cap. III. *Vt ſocios ſuos nominet apud quem pars rapinæ fuerit inuenta.*
Ex eodem cap. CCCLV.

VI.315. Apud quem ſcelus agnoſcitur, & pars rapinæ fuerit inuenta, ſtatim ſocios ſuos nominare cogatur. Quòd ſi nominare noluerit, teneatur ad vindictam. Quòd ſi honeſtior perſona eſt, pro ſe rationem reddat, & quæ ablata vel euerſa fuerint, in quadruplum reſtituat. Quòd ſi certè apud ſeruum rapinæ pars reperiatur, centum quinquaginta flagella publicè extenſus accipiat, & ſocios ſuos nominare non differat.

Cap. IV. *De his qui diripienda indicare reperiuntur.*
Ex eodem cap. CCCLVI.

VI.316. Quicumque ingenuus, vel ſeruus, aliquid diripiendum indicauerit, vt cuiuſcumque res euertatur, aut pecora, aut iumenta diripiantur, & hoc certis probationibus publicè conuictus inueniatur, pro eo quòd indicauit, ſi ingenuus eſt, ea quæ ablata vel euerſa ſunt in duplo reſtituat, & nobis bannum

num noſtrum, id eſt LX. ſolidos componat. Si verò ſeruus vel colonus fuerit, CL. flagella, vt ſupra, publicè extenſus bene preſſa accipiat, & inſuper ea quæ ablata ſunt ſecundum ſuam legem reſtituat.

Cap. V. *De eo qui facultatem deprædationis dederit.*
Ex eodem libro cap. CCCLXXV.

Si quis ſcelerata factione facultatem deprædationis dederit, vel ſi quis VI.288.
factam diuiſerit, comburatur viuus.

Cap. VI. *Vt hi qui res Eccleſiæ inuadunt, vaſtant, vel diripiunt, ſi monente Epiſcopo non ſe correxerint, communione priuentur.*
Ex libro VII. cap. CCLXVII.

Si quis cuiuſcumque munuſcula Eccleſiæ ſanctis ſcripturarum titulis VI.391.
conlata, nefaria calliditate abſtulerit, fraudauerit, inuaſerit, retentauerit, atque ſuppreſſerit, & non ſtatim à ſacerdote commonitus Deo conlata reddiderit, ab Eccleſiæ catholicæ communione pellatur.

Cap. VII. *De his qui res Eccleſiæ traditas inuadunt, vel vaſtant, aut abſque proprij Epiſcopi conſenſu accipiunt.*
Ex eodem cap. CCLXXV.

Si quis res Eccleſiæ debitas, vel proprias ſacerdotis, horrendæ cupidita- VII.199.
tis inſtinctu occupauerit, retinuerit, aut à poteſtate ex competitione perceperit, ſi eas non reſtituerit, communione priuetur. Quòd ſi agnito iure Eccleſiaſtico non ſtatim Eccleſiæ vel ſacerdoti reformauerit, aut vt ipſum ius agnoſcere poſſit in iudicium electorum venire diſtulerit, tamdiu à communione Eccleſiaſtica ſuſpendatur, quamdiu reſtituris rebus tam Eccleſiam quàm ſacerdotem reddat indemnem.

Cap. VIII. *De his qui oblationes defunctorum retinent.*
Ex eodem cap. XX.

Similis etiam his qui oblationes defunctorum Eccleſiis vel ſacerdoti- VII.199.
bus legaliter dimiſſas quolibet modo adſignare tardauerint, vel retinere præſumpſerint, diſtrictionis Eccleſiaſticæ iuxta priores canones forma ſeruetur. Cui etiam ſententiæ ſubiacebit quiſquis ſibi quolibet ordine, quod pro deuotione ſua Eccleſiis dedit, reuocare præſumpſerit.

Cap. IX. *De Abbatibus, presbyteris, vel reliquis miniſtris rebus Eccleſiaſticis non alienandis.*
Ex eodem cap. XXXVI.

Abbatibus, preſbyteris, ceteriſque miniſtris, de rebus Eccleſiaſticis, vel ſacro miniſterio traditis, nihil alienare vel obligare abſque permiſſione & ſubſcriptione Epiſcopi ſui liceat. Quòd ſi præſumpſerint, degradentur communione conceſſa, & quod temerè præſumptum vel alienatum eſt, ordinatione Epiſcopi reuocetur.

TIT. VII. DE SACRILEGIS.

Cap. I. *Quòd prædones Eccleſiæ ſacrilegi ſint, ſicut ſcripturæ teſtimonio comprobatur.* Ex libro VI. cap. CCCLXXXV.

Lib VI. cap. 295. Sacrilegi ſunt Eccleſiæ prædones. vnde & in Concilio Agathenſi ſub
» quarto capitulo decretum habetur ita: Amico quippiam rapere furtum eſt,
» Eccleſiæ verò fraudari, vel abſtrahi, ſubripíque, ſacrilegium. Omnes enim contra legem facientes, teſque Eccleſiæ diripientes, vel Eccleſias ſacerdotéſque contra diuinas ſanctiones vexantes, ſacrilegi vocantur, atque indubitanter infames ſacrilegíque habendi ſunt.

Cap. II. *Quòd ea quæ Domino conſecrantur ad ius Eccleſiaſticum pertinent.* Ex eodem cap. CCCLXXXVI.

VI. 296. Ea quæ Domino offeruntur vel conſecrantur, ad ius pertinent ſacerdotum, & ſacrilegi ſunt omnes, qui ea auferunt, vel in aliud transferunt.

Cap. III. *Vt ſi quis dignitatem præſumpſerit, quam non meruit, à principe vel iuſto ſeniore, ſacrilegus habeatur.* Ex eodem libro cap. CCCLXXXVII.

VI. 297. Si quis præſumpſerit, quam non meruit, à principe vel ſeniore iuſto, dignitatem, ſacrilegus habeatur. Homicidæ, malefici, fures, ſacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falſum teſtimonium dixerint, ſeu qui ad ſortilegos magóſque cucurrerint, nullatenus erunt ad accuſationem vel ad teſtimonium admittendi.

Cap. IV. *De ſacrilegis, quòd fures ſint teſte ſcriptura.* Ex eodem cap. CCCXCV.

VI. 301. Omnibus ſciendum eſt, quòd ſacrilegi fures ſint cuncti qui res Eccleſiæ diripiunt, vaſtant, inuadunt, vexántque, aut à iure Eccleſiarum, quibus traditæ fuerant, iniuſtè alienanr. Vnde & B. Auguſtinus in Homilia XLVIII.
» Euangelij Ioannis, ita dicit: Ecce inter ſanctos eſt Iudas, ecce fur eſt Iu-
» das, & ne contemnas, fur & ſacrilegus: non qualiſcumque fur, ſed fur lo-
» culorum, ſed dominicorum: loculorum, ſed ſacrorum. Si crimina diſcer-
» nuntur in furto, non qualiſcumque fur, ſed peculatus. Peculatus enim dici-
» tur furtum de re publica, & non ſic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo
» publicæ: quanto vehementiùs iudicandus eſt ſacrilegus fur, non vnde-
» cumque tollere, ſed de Eccleſia tollere? Qui aliquid de Eccleſia aufert vel
» furatur, Iudæ perdito comparatur. Nota quòd aliquid de Eccleſia tollere furtum eſſe B. Auguſtinus aſſeuerat, & patratorem tanti furti furem ſacrilegum appellet, necnon & Iudæ perdito æquiperet. Et poſt pauca: Quare,
» inquit, loculos habuit, cui Angeli miniſtrauerunt? niſi quia Eccleſia ipſius
» loculos habitura erat? Ecce quibus tanti doctoris documentis inſtruimur, quia quod in capite præceſſit, in corpore eius quod eſt Eccleſia videtur impletum. Porrò Chriſtum & Eccleſiam vnam perſonam eſſe non neſcimus. & ideo quæ Eccleſiæ ſunt, Chriſti ſunt, & quæ Eccleſiæ offeruntur, Chriſto

offeruntur, & quæ ab Eccleſia eius tolluntur, proculdubio Chriſto tolluntur. Ergo futurum erat vt Eccleſia Chriſti nummos haberet. ſi nummos, vtique & prædia, & mancipia, & diuerſarum ſpecierum innumera ornamenta. Et quia inlicitum ſit ea quæ conferuntur Eccleſiæ auferri B. Hieronymi ſcribentis in expoſitione Matthæi Euangeliſtæ verba teſtantur. Omnes, inquit, qui ſtipe templi, & his quæ conferuntur in vſus Eccleſiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus ſuam expleant voluntatem, ſimiles ſunt ſcribarum & ſacerdotum redimentium mendacium & ſanguinem ſaluatoris.

Cap. V. *Quòd quicquid offertur Domino ſanctum ſanctorum ſit, & ad ius pertineat ſacerdotum.*

Ex eodem cap. cccxcvi.

Nulli liceat ignorare, quòd omne quod Domino cõſecratur, ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager, vel quicquid ſemel Deo fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino, & ad ius pertinet ſacerdotum. Propter quod inexcuſabilis erit omnis, qui ea quæ Domino & Eccleſiæ competunt, aufert, vaſtat, inuadit, vel diripit, vſque ad emendationem, Eccleſiæque ſatisfactionem, quòd ſit ſacrilegus, & non tantùm ſacrilegus, ſed etiam fur ſacrilegus. VI.363.

Cap. VI. *De his ſacrilegis, qui Eccleſiæ eiuſque ſacerdotibus iniurias inferunt.* Ex eodem libro cap. cccxcvii.

Si quis in hoc genus ſacrilegij proruperit, vt in Eccleſias earúmque res irruens, ſacerdotibus & miniſtris, vel ipſo cultui aut loco aliquid importet iniuriæ, vel inferat ad diuini cultus iniuriam, conuictos ſiue confeſſos reos capitali ſententia nouerit vindicandos. Nec expectetur vt Epiſcopus iniuriæ propriæ vltionem depoſcat, cui ſanctitas ignoſcendi ſolam gloriam dereliquit: ſitque cunctis non ſolùm liberum, ſed etiam laudabile, factas atroces ſacerdotibus aut miniſtris iniurias, veluti publicum crimen, perſequi, ac de talibus reis vltionem mereri. IV.304.

Cap. VII. *Quòd omnia quæ Domino offeruntur proculdubiò & conſecrantur.* Ex eodem libro cap. cccxcviii.

Omnia quæ Domino offeruntur proculdubiò & conſecrantur: & non ſolùm ſacrificia, quæ à ſacerdotibus ſuper altare Domino conſecrantur, oblationes fidelium dicuntur: ſed quæcumque ei à fidelibus offerũtur, ſiue in mancipiis, ſiue in agris, vineis, ſiluis, pratis, aquis, aquarúmque decurſibus, artificiis, libris, vtenſilibus, petris, ædificiis, veſtimentis, pellibus, lanificiis, pecoribus, paſcuis, membranis, mobilibus & immobilibus, vel quæcumque de his rebus, quæ ad laudem Dei fiunt, vel ſupplementum ſanctæ Dei Eccleſiæ, eiúſque ſacerdotibus, atque ornatum præſtare poſſunt, Domino Eccleſiæque ſuæ à quibuſcumque vltro offeruntur, Domino indubitanter conſecrantur, & ad ius pertinent ſacerdotum. Et quia Chriſtum & Eccleſiam vnam perſonam eſſe veraciter agnoſcimus, quæcumque Eccleſiæ ſunt, Chriſti ſunt; & quæ Eccleſiæ, vel in ſupradictis, vel in quibuſcumque ſpeciebus, ſiue pollicitationibus, ſiue pignoribus, ſiue ſcriptis, ſiue corporalibus rebus offeruntur, Chriſto offeruntur. Et quæ ab Eccleſia eius VI.393.

PPpp ij

quocumque commento alienantur, vel tolluntur, ſiue alienãdo, ſiue vaſtãdo, ſiue inuadendo, ſiue minorando, ſiue diripiendo, Chriſto tolluntur. Et ſi ab amico quippiam rapere furtum eſt, præcipuè Chriſto Domino noſtro, qui eſt rex regum & dominus dominantium, aliquid auferre vel alienare, ſubripere, vel vaſtare, ſacrilegium eſt. Omnes namque Eccleſiæ prædones manifeſtiſſimè ſunt ſacrilegi, & nullus ſacrilegus, niſi per puram probatámque atque publicam pœnitentiam, & per Eccleſiæ ſatisfactionem, Epiſcoporúmque per manus impoſitionem iuxta canonicas ſanctiones reconciliationem, regnum Dei poſſidebit. Et non ſolùm à regno Dei fit alienus, ſed etiam à liminibus ſanctæ Eccleſiæ, & præcipuè ab illius, quam læſit, vſque ad prædictam ſatisfactionem extorris efficitur. Talium verò ſcelerum patratoribus, niſi poſt prædictam ſatisfactionem, nec viuis, nec mortuis communicare debemus. Quia qui rapit pecuniam proximi ſui iniquitatem facit: qui non ſolùm ſacrilegi, ſed etiam fures ſacrilegi, & lupi atque homicidæ, pauperúmque necatores ſunt, & inſuper anathematis vinculo damnati coram Deo & ſanctis eius efficiuntur.

Cap. VIII. *Vt omnes agnoſcant quantum malum ſit Deo ſacratas, vel reliquas inceſtare.* Ex eodem libro cap. cccexv.

VI. 99. Iubemus omnes ſcire, omnibúſque populis à ſacerdotibus prædicari, quantum malum & quàm maximum flagitium ſit, cum Deo deuotis feminis viduis vel virginibus, ſiue cum velatis, ſiue cum Deo deuotis, maximéque cum ſanctimonialibus & ſacratis Deo virginibus vel viduis, tam in monaſteriis, quàm extra monaſteria, commiſceri. Nam hoc peccatum duplex eſſe non dubium eſt. Verbi gratia dicamus, cuius vindictæ reus ſit puer ante dominum ſuum, qui vxorem domini ſui adulterio violauerit: quantò magis ille, qui ſponſam Chriſti creatoris cæli & terræ putredine ſuæ libidinis commaculauerit? dicente B. Paulo Apoſtolo: *An neſcitis quia iniqui*
1. Cor. 6. 9. *regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare, quia neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei non poſſidebunt.*

Cap. IX. *Vt capitali ſententia multentur qui ſacrilegia, adulteria, prædationes aut deuaſtationes exercuerint.*
Ex eodem cap. cccexxii.

VI. 315. Sub pœna capitali ſacrilegia, adulteria, prædationes, vaſtationéſque in regno noſtro à quibuſcumque fieri prohibemus. ita vt ſi voluntariè quis ex his vnum fecerit, de vita componat; & omnes res eius, tam mobiles quàm immobiles, fiſco noſtro ſocientur, vel Eccleſiæ, cuius res vaſtauerit, vel alienauerit, aut abſtulerit, tradantur. Maximum enim ſacrilegium eſt, oblationes fidelium, quæ ſunt res Eccleſiarum, auferre, vaſtare, alienare, inuadere, vel ſubripere. Nam vt ait ſcriptura: *neque ſacrilegi, neque adulteri*, neque prædones, vel vaſtatores, qui ſunt raptores, *regnum Dei poſſidebunt.* Et ſi hi qui res fratrum diripiunt, à regno Dei alieni ſunt, quid ſuper his fieri putatis, qui res Deo dicatas diripiunt vel auferunt? Nam quanto grauiùs quis in hoc ſæculo peccat, tanto grauiùs in inferno torquebitur.

Digitized by Google

Cap. X. *De plebe aduerſus ſacrilegos cuſtodienda.*

Ex libro VII. cap. LV.

Ante tribunal Domini de reatu negligentiæ ſe non poterit excuſare, qui plebem ſuam contra ſacrilegæ perſuaſionis auctores noluerit cuſtodire. VII.55.

TIT. VIII. DE IVRAMENTIS.

Cap. I. *De ſacramentis leuiter non iurandis.*

Ex libro V. cap. CCCXLIX.

Volumus vt ſacramenta citò non fiant: ſed vnuſquiſque iudex priùs cauſam veraciter cognoſcat, vt cum veritas latere non poſſit, ne facilè ad ſacramentum veniant. Lib. V. cap. 349.

Cap. II. *De periuriis cauendis.* Ex libro VI. cap. CCLXXVII.

Præcipimus vt periuria caueantur, nec admittantur teſtes ad iuramentum antequam diſcutiantur: & ſi aliter diſcuti non poſſint, ſeparentur ab inuicem, & ſingulariter inquirantur. Et non liceat accuſatori teſtes eligere abſente ſuo cauſatore. Et omnino nullus niſi ieiunus ad iuramentum vel ad teſtimonium admittatur. Si verò aliquis refutatur, dicat ille qui eum refutat, & probet quare illum recipere nolit. Et de ipſo pago non de altero teſtes eligantur. niſi fortè longiùs extra Comitatum cauſa ſit inquirenda. Et ſi quis conuictus fuerit periurij perdat manum, aut redimat. III.10.

TIT. IX. DE EXCOMMVNICATIS.

Cap. I. *Cum excommunicatis non licere communicare.*

Ex libro V. cap. XXV.

Cum excommunicatis non licere communicare, nec cum his, qui per domos conueniunt deuitantes orationes Eccleſiæ, ſimul orandum eſt. Ab alia Eccleſia non ſuſcipiatur qui in alia minimè congregatur. Lib. V. cap. 25.

Cap. II. *De eo qui excommunicatus pro ſuo neglecto fuerit.*

Ex eodem libro cap. CCXXXVIII.

Si quis excommunicatus pro ſuo neglecto fuerit, & tempore excommunicationis ſuæ ante audientiam communicare præſumpſerit, ipſe in ſe damnationis iudicetur protuliſſe ſententiam. V.238.

Cap. III. *De his qui cum excommunicato communicauerint.*

Ex eodem libro cap. LXXV.

Vt qui cum excommunicato præſumptiosè communicauerit excommunicetur & ipſe. I.34.

Cap. IV. *De his qui Epiſcoporum vocationem vel correptionem contempſerint.* Ex libro VI. cap. LXXXVIII.

VI.88. Si quis ſæcularium tam maioris ordinis, quàm & inferioris, peccatum egerit, & vocatus ſui Epiſcopi auctoritate ad emendationem ac pœnitentiam venire diſtulerit, tamdiu ſit ab Eccleſia extorris, & catholicorum conſortio ſequeſtratus, quouſque quod commiſit emendet, ac reatum ſuum vſque ad ſatisfactionem canonicè diluat, atque reconciliatione proprij Epiſcopi diuinis precibus indulgentiam conſequatur, & per veniam Eccleſiæ gremio, à cuius vtero deuiauerat, peracta ſatisfactione ab eodem melioratus Epiſcopo canonicè reddatur.

Cap. V. *De his qui Epiſcopo aliquam iniuriam vel dehonorationem fecerint.* Ex eodem libro cap. XCIX.

VI.98. Si quis Epiſcopo aliquam iniuriam aut iniuſtam dehonoratioẽ fecerit, de vita cõponat, & omnia quæ habere viſus fuerit Eccleſiæ, cuius Epiſcopus præeſſe dignoſcitur, integerrimè ſocientur; & nobis in triplo bannum noſtrum, id eſt LX. ſolidos, perſoluat, aut ipſe in ſeruitio fiſco noſtro ſeruiturus ſemper ſocietur, vſque ſe redimere in triplo iuxta vvirgildum ſuum potuerit. Sancta verò Eccleſia in ſacerdotibus conſtat. Idcirco magna pœna plectendi ſunt, qui Epiſcopis vel reliquis ſacerdotibus iniuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio ſacerdotum ad Chriſtum pertinet, cuius vice legatione in Eccleſia funguntur.

Cap. VI. *De non paruipendenda excommunicatione ſacerdotum.* Ex eodem cap. CCXLVIII.

VI.224. Placuit, vt fideles ne paruipendant excommunicationem ſacerdotum illorum: quoniam ſi hoc fecerint, iuſtè ſegregabuntur à cœtu Chriſtianorũ.

Cap. VII. *Vt quicumque Synodalem excommunicationem tranſgreſſus fuerit, in alia Synodo ſpem recuperationis non habeat.* Ex libro VII. cap. IX.

VII.6. Si quis Epiſcopus damnatus à Synodo, vel presbyter aut diaconus à ſuo Epiſcopo, auſi fuerint de ſacro miniſterio aliquid cõtingere, ſiue Epiſcopus iuxta præcedẽtem conſuetudinem, ſiue presbyter aut diaconus, nullomodo liceat ei, nec in alia Synodo reſtitutionis ſpem, aut locũ habere ſatisfactionis. ſed & communicantes ei omnes abiici de Eccleſia: & maximè ſi poſtquam didicerint hoc factum eſſe, communicare tentauerint.

Cap. VIII. *Quòd excommunicati à ſacerdote, antequam canonicè reconcilientur, non poßint maiores natu accuſare.* Ex eodem cap. CLXXX.

VI.128. Vt excommunicatus à ſacerdote, quamdiu in ipſa eſt excommunicatione, maiores natu accuſare non præſumat. Quòd ſi præſumpſerit, non recipiatur, ſed aut maiori excommunicationi ſubiaceat, aut ab Eccleſia pellatur.

Cap. IX. *De modis excommunicationis tam de clericis, quàm de laicis.*

Ex libro v. cap. LXIII.

Si quis preſbyter ab Epiſcopo ſuo degradatus, vel excommunicatus fuerit, & ipſe per contemptum poſtea aliquid de ſuo officio ſine commeatu facere præſumpſerit, & poſtea ab Epiſcopo correptus & excommunicatus fuerit, qui cum ipſo communicauerit ſcienter, ſciat ſe eſſe excommunicatum ſimiliter. Quicumque clericus, aut laicus, vel femina, inceſtum commiſerit, & ab Epiſcopo ſuo correptus ſe emendare noluerit, & ab ipſo excommunicatus fuerit, qui poſtea cum ipſo communicauerit, ſimiliter excommunicetur. Et vt ſciatis, qualis ſit modus iſtiûs excommunicationis, in Eccleſiam non debet intrare, nec cum vllo Chriſtiano cibum vel potum ſumere, nec eius munera quiſquam accipere debet, vel oſculum porrigere, nec oratione ſe iungere, nec ſalutare, antequam ab Epiſcopo ſuo ſit reconciliatus. Quòd ſi aliquis ſe reclamauerit quòd iniuſtè ſit excommunicatus, licentiam habeat ad Metropolitanum Epiſcopum venire, vt ibidem ſecundum canonicam inſtitutionem diiudicetur, & interim ſuam excommunicationem cuſtodiat. Quòd ſi aliquis iſta omnia contempſerit, & Epiſcopus hoc emendare minimè potuerit, regis iudicio condemnetur. V. 4.

Cap. X. ITEM, *De eadem re.* Ex eodem libro cap. LXIV.

Hæc verò per ſingula capitula in ſtatutis Nicæni Concilij legere poteſtis, ſeu in aliis ſanctorum patrum Synodalibus edictis, & in Antiocheno Concilio, quòd hij qui dânati ſunt à Synodo, vel à ſuo Epiſcopo, & poſtea miniſtrare præſumût, præcipitur vt nullus audeat eis communicare. Si quis verò eis communicat, ſimili ſententia ſubiaceat, ſicut & damnatus.

TIT. X. DE STABILITATE SACERDOTVM IN TITVLIS PROPRIIS.

Cap. I. *Vt clericus in Eccleſia in qua prætitulatus eſt permaneat.*

Ex libro v. cap. XVIII.

Clericum permanere oportet in Eccleſia, cui initio ab Epiſcopo prætitulatus ac ſortitus eſt, & ad quam confugit quaſi ad potiorem. Hoc autem refutantem reuocari debere ad ſuam Eccleſiam in qua primitus ordinatus eſt, & ibi tantummodo miniſtrare. Si quis hanc definitionem tranſgreſſus fuerit, decreuit ſancta Synodus à proprio gradu decidere. Lib. V. cap. 16.

Cap. II. *Vt in titulis, in quibus presbyteri conſecrantur, ante ſuam promotionem ſtabilitatem promittant.*

Ex eodem cap. LXXV.

Vt preſbyteri, qui in titulis conſecrantur, ſecundum canones, ante quàm ordinentur, promiſſionem ſtabilitatis loci illius faciant. EXPLICIT. V. 108.

TIT. XI. INCIPIVNT ALIA CAPITVLA EX QVINTO, SEXTO, ET SEPTIMO LIBRO CAPITVLARIS COLLECTA, SATIS ECCLESIASTICIS VTILITATIBVS CONGRVA.

Cap. I. *De eo qui filiaſtrum aut filiaſtram ante Epiſcopum tenuerit.*

Ex libro v. Capitulo vii.

Lib. v. cap. 5. Si quis filiaſtrum aut filiaſtram ante Epiſcopum ad confirmationem tenuerit, ſeparetur ab vxore ſua, & alteram non accipiat. Similiter & mulier alterum non accipiat.

Cap. II. *De eo qui filiaſtram ſuam contra voluntatem ipſius dederit ingenuo vel ſeruo.*

Ex eodem libro cap. xix.

v. 17. Si quis homo filiaſtram ſuam contra voluntatem ipſius, & matris, & parentum, dederit viro ingenuo, aut Eccleſiaſtico, vel ſeruo, & illa noluerit habere illum, & reliquerit eum, poteſtatem habeant parentes illius dare illi alium maritum.

Cap. III. *De presbytero ſuſpicioſo.*

Ex eodem cap. xxxvi.

Sacerdos ſi ſuſpicioſus aut incredibilis ſuo Epiſcopo, aut reliquis ſuis conſacerdotibus, ſiue bonis & iuſtis de ſuo populo vel de ſua plebe hominibus fuerit, ne in crimine, aut in prædicta ſuſpicione remaneat, cum tribus aut quinque vel ſeptem bonis ac vicinis conſacerdotibus, exemplo Leonis Papæ, qui duodecim Epiſcopos in ſua purgatione habuit, vel eo amplius, ſi ſuo Epiſcopo viſum fuerit, aut neceſſe propter tumultum populi id eſſe perſpexerit, & cum aliis bonis & iuſtis hominibus, ſe ſacramento coram populo ſuper quatuor Euangelia purgarum Eccleſiæ reddat. Si quis autem ſcire deſiderat quales teſtes ad accuſationem ſacerdotum recipi debeant, & quid de accuſatore faciendum ſit, pleniter in canonibus reperiri poterit.

Cap. IV. *Vt presbyteri chriſma diligenter cuſtodiant.*

Ex eodem libro cap. clxv.

v. 20. Presbyteri ſub ſigillo cuſtodiant chriſma, & nulli ſub prætextu medicinæ vel maleficij donare præſumant. Quod ſi fecerint, honore priuentur.

Cap. V. *Item vnde ſuprà in eodem.* Cap. civ.

Vt presbyter qui ſanctum chriſma donauerit ad iudicium ſubuertendum, poſtquam de gradu ſuo depoſitus fuerit, manum amittat.

Cap. VI. *Vt malum ebrietatis omnino vitetur.*

Ex eodem cap. clxi.

v. 96. Magnum malum ebrietatis, vnde omnia vitia pullulant, modis omnibus cauere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum eum eſſe decreuimus vſque ad emendationem congruam.

Cap. VII.

Cap. VII. *De Eccleſia ædificanda.* Ex eodem libro cap. cccLxxxii.

Nemo Eccleſiam ædificet antequam ciuitatis Epiſcopus veniat, & ibidem crucem figat publicè, & ante præfiniat qui ædificare vult, quid ad luminaria, & ad cuſtodiam, & ad ſtipendia cuſtodum ſufficiat, & facta donatione ſic domum ædificet. V.229.

Cap. VIII. *De non iudicando quemquam abſque legitimo accuſatore.* Ex eodem cap. cccxcviii.

Iudicis non eſt quemlibet iudicare, vel condemnare, abſque legitimo accuſatore. quoniam & Dominus Iudam furem eſſe ſciebat: ſed quia non eſt accuſatus, ideo non eſt eiectus. V.244.

Cap. IX. *Quòd laicis non ſit de religione præſumendum.* Ex eodem libro cap. cccciii.

Laicis, quamuis religioſis, nulla tamen de Eccleſiaſticis facultatibus, vel de Deo dicatis hominibus, aliquid diſponendi attribuatur facultas. V.249.

Cap. X. *Si quis Epiſcopus, presbyter, diaconus, vel ſubdiaconus, ad bellum proceſſerit, deponatur.* Ex libro vi. cap. lxi.

Si quis Epiſcopus, presbyter, diaconus, vel ſubdiaconus, ad bellum proceſſerit, & arma bellica indutus fuerit ad bellicandum, ab omni officio deponatur, in tantum vt nec laicam communionem habeat. VI.61.

Cap. XI. *De his qui volunt aquam conſecratam in ſabbato ſancto accipere.* Ex eodem libro cap. lxxxii.

Quòd in ſabbato ſancto Paſchæ, vel in ſabbato Pentecoſtes, ſi qui velint aquam conſecratam ad adſperſionem in domos ſuas accipere, ante chriſmatis accipiant infuſionem. VI.77.

Cap. XII. *De confirmatione Epiſcoporum à plebe ſollicitè quærenda.* Ex eodem cap. lxxiii.

Vt omnes maximam curam habeant, ne ſine confirmatione Epiſcopi quis vitam finiat, animáque periclitetur. VI.81.

Cap. XIII. *De viro & muliere in matrimonio copulatis. & poſtea dicente ea non poſſe eum nubere cum ea.* Ex eodem cap. xci.

Si vir & mulier coniunxerint ſe in matrimonio, & poſtea dixerit mulier de viro, non poſſe nubere cum ea, ſi potuerit probare quòd verum ſit, accipiat alium, eo quòd iuxta Apoſtolum non potuit illi reddere vir ſuus debitũ. VI.88.

Cap. XIV. *De raptoribus & raptis virginibus & viduis.* Ex eodem cap. xcvi.

Si quis alterius ſponſam, virginem aut viduam, necdum deſponſatam rapuerit vel furatus fuerit, placuit vt, ſiue eam poſtea ſponſauerit, ſiue do- VI.93.

tauerit, ſiue non, ſiue cum parentum eius voluntate quocumque commento ipſam accipere vel tenere potuerit, numquam illam vxorem habeat: ſed raptori aut furi auferatur, & proximis ſuis alio viro tempore congruo, ſi ipſa hoc malum non conſenſerit, nuptura legibúſque acceptura reddatur. Raptor verò, ſiue fur, omnéſque ei conſentientes, publica pœnitentia iuxta canonicam auctoritatem multentur: & proximis illius quicquid iniuſtè in tam nefando ſcelere egerint in triplo componant, & vnamquamque rem ſemotim legibus in triplo reſtituant. Ipſa autem quæ rapitur, ſi aut primò, aut poſtmodum, tam nefario ſceleri libens conſenſerit, numquam poſtea nubat, ſed publica pœnitentia multetur, & ſub tali cuſtodia ponatur, vt ei nullatenus luxuriari cum quoquam liceat. Taliter enim memorata flagitia puniantur, vt omnes cognoſcant, quoniam nec ſæculi leges tam nefandis coniunctionibus conſentiant, nec ſacri canones conſilium vllum præbeant.

Cap. XV. *De his qui in domo ſua oratorium fecerint.*

Ex eodem libro cap. CII.

V.101. Qui in domo ſua oratorium habuerit, orare ibidem poteſt, miſſas tamen in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat, ſine permiſſu & dedicatione Epiſcopi illius loci. Quòd ſi fecerit, domus illius fiſci viribus addicatur. Comes verò, qui hoc cognouit & non prohibuit, publica pœnitentia multetur, vel honore priuetur.

Cap. XVI. *De expoſitis infantibus ac collectione eorum.*

Ex eodem libro cap. CXLIV.

VI.142. Si expoſitus ante Eccleſiam cuiuſquam fuerit miſeratione collectus, conteſtationis ponat epiſtolam: & ſi is qui collectus eſt intra decem dies quæſitus agnitúſque non fuerit, ſecurus habeat qui collegit. Sanè qui poſt prædictum tempus eius calumniator extiterit, vt homicida, Eccleſiaſtica diſtrictione damnabitur, ſicut patrum ſanxit auctoritas.

Cap. XVII. *De quorum baptiſmate abſque diſſimulatione dubitatur, vt rebaptizentur præceptum eſt.*

Ex eodem cap. CLXXXIV.

VI.181. De quibus dubium eſt vtrum ſint baptizati an non, omnimodis abſque vllo ſcrupulo baptizentur: his tamen verbis præmiſſis, Non te rebaptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Cap. XXVIII. *Quot ſint dies purificationis mulieris.*

Ex eodem cap. CCVII.

VI.204. Cùm enixa fuerit mulier, poſt quot dies debeat Eccleſiam intrare, Teſtamenti veteris præceptione didicimus, vt pro maſculo diebus XXXIII. pro femina LXVI. debeat abſtinere. Quod tamen, ait S. Gregorius, ſciendum eſt quia in myſterio accipitur. Nam ſi hora eadem qua genuerit actura gratias intret Eccleſiam, nullo peccati pondere grauatur. Voluptas etenim carnis, non dolor, in culpa eſt. In carnis autem commixtione voluptas eſt, in prolis

verò prolatione gemitus. Vnde & ipſi primo matrimonio dicitur, *In dolo-ribus paries.* Si itaque ipſam mulierem prohibemus Eccleſiam intrare, ipſam ei pœnam ſuam culpam deputamus. Gen.3.16.

Cap. XIX. *De conſeruanda fide inter virum & vxorem.*

Ex eodem cap.ccccxxiv.

Scire omnes volumus, ſicut & ſæpiùs à dominis Epiſcopis, & à reliquis Dei ſeruis admoniti ſumus, quòd viri vxoribus ſuis, & vxores ſimiliter viris ſuis, veraciter fidem & dilectionem ſeruare debent, & non in aliquo ab his declinare: & quòd non liceat coniugatis, neque pellicem, neque concubinam habere. VI.327.

Cap. XX. *De ſacerdotibus qui miniſterium ſuum adimplere non valent.*

Ex libro vii. cap. cxxxvii.

Sacerdotes qui ritè non ſapiunt adimplere miniſterium ſuum, nec diſcere iuxta præceptum Epiſcoporum ſuorum pro viribus ſatagunt, vel contemptores canonum exiſtunt, ab officio proprio ſunt remouendi, quouſque hoc pleniter emendatum habeant. VII.100.

Cap. XXI. *Vt nullus iudex neque presbyterum, neque diaconum, aut clericum, ſine conſcientia Epiſcopi ſui diſtringat.* Ex eodem cap.cxxxix.

Vt nullus iudex neque preſbyterum, neque diaconum, aut clericum, aut iuniorem Eccleſiæ, ſine conſcientia Pontificis per ſe diſtringat, aut códemnare præſumat. Quòd ſi fecerit, ab Eccleſia, cui iniuriam fecit quam intogare dinoſcitur, tam diu ſit ſequeſtratus, donec reatum ſuum cognoſcat, & emendet. VI.1[illegible]

Cap. XXII. *Vt presbyteri in Eccleſiis inconſulto Epiſcopo non conſtituantur, vel de Eccleſiis expellantur.* Ex eodem cap clxv.

Sancitum eſt, vt ſine auctoritate vel conſenſu Epiſcoporum preſbyteri in quibuſlibet Eccleſiis nec conſtituantur, nec expellantur. Et ſi quis deinceps hoc facere tentauerit, Synodali ſententia diſtrictè feriatur. VII.110.

Cap. XXIII. *Vt inlicitus acceſſus feminarum ad altare non fiat, nec vllæ femina vaſa ſacra, aut corpus & ſanguinem Domini contrectare præſumant.*

Ex eodem libro cap.cxc.

Statutum eſt, vt inlicitus feminarum acceſſus ad altare non fiat, quia contra omnem auctoritatem diuinam & canonicam inſtitutionem eſt, feminas ſanctis altaribus ſe vltro ingerere, aut ſacrata vaſa impudenter contingere, ſiue indumenta ſacerdotalia preſbyteris miniſtrare, aut corpus & ſanguiné Domini contingere, populíſque porrigere: quod omni ratione caret, & ne vlteriùs fiat omnimodis prohibitum eſt. Et quæcumque feminæ deinceps hoc facere præſumpſerint, iudicio canonico vſque ad ſatisfactionem ſubdantur. Quòd autem mulieres ingredi ad altare non debeant, in Concilio Calchedonenſi, & in decretis Gelaſij Papæ copioſiſſimè inuenitur. VII.114.

Cap. XXIV. *De violatoribus ſepulcrorum.* Ex eodem cap.cxcii.

Qui ſepulcra violauerint puniantur, tam ingenui, quàm ſerui. Si maior perſona in hoc ſcelere fuerit deprehenſa, amiſſa medietate bonorum ſuo- VII.196.

rum perpetua notetur infamia. ſi clericus, depoſitus omni honore clericali perenni exilio deputetur. Si iudex hoc perſequi aut implere diſtulerit, facultatibus & honore priuetur.

Cap. XXV. *De clericis ſi ebrietatem non vitauerint, aut excommunicentur, aut verberentur.* Ex eodem cap. CCLXX.

Ante omnia clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix eſt, nec quis poteſt liberum corporis ſui ac mentis habere iudicium. Qui eſt captus vino à ſenſu probatur eſſe alienus, & procliuius ad iudicium mens labefacta ducitur: ac plerumque ſolet peccatum aut crimen dum neſcit incurrere. Ignorantia verò talis non poteſt effugere pœnam, quam ex voluntaria amentia manaſſe conſtiterit. Itaque quemcumque ebrium fuiſſe conſtiterit, vt ordo patitur, aut XL. dierum ſpatio à communione ſtatuimus ſubmouendum, aut corporali ſubdendum eſſe ſupplicio.

Cap. XXVI. *Vt teſtes, priuſquam de cauſa interrogentur, ſacramento conſtringantur.* Ex eodem cap. CCLXXXIII.

VII.207. Teſtes, priuſquam de cauſa interrogentur, ſacramento debere conſtringi, vt iurent ſe nihil niſi rei veritatem eſſe dicturos. Hoc etiam iubemus, vt honeſtioribus magis, quàm vilioribus teſtibus, fides potiùs admittatur. Vnius autem teſtimonium, quamlibet ſplendida & idonea videatur eſſe perſona, nullatenus audiendum.

Cap. XXVII. *Vt mancipia, quæ Iudæi emerint aut circumciderint, ab eorum poteſtate auferantur.* Ex eodem cap. CCLXXVI.

VII.209. Si quis Iudæorum Chriſtianum ſeruum, vel cuiuſlibet alterius ſectæ, emerit vel circumciderit, à Iudæi ipſius poteſtate ſublatus in libertate permaneat.

Cap. XXVIII. *De vagis & leuibus ſacerdotibus ac clericis.* Ex eodem cap. CCXCVI.

VII.217. Hoc etiam placuit, vt vagus atque inſtabilis clericus, ſiue etiam in diaconali miniſterio, vel presbyterali officio conſtitutus, ſi Epiſcopi à quo ordinatus eſt præceptis non obedierit, vt in delegata ſibi Eccleſia officium dependat aſſiduum, quouſque in vitio permanet, communione & honore priuetur.

Cap. XXIX. *De caſtitate eorum qui coniugio ſunt copulati.* Ex eodem libro cap. CCCLXXXIX.

VII.305. Sciendum eſt omnibus, & firmiter retinendum, quòd hi qui vxores ducere voluerint, ſicut eas caſtas & incorruptas cupiunt inuenire, ſic ad eas caſti & incorrupti debent accedere, eáſque cum benedictione ſacerdotis, ſicut in ſacramentario continetur, accipere: ſed priùs eas dotali titulo debent conligare.

Cap. XXX. *De his qui à Chorepiſcopo confirmati ſunt.* Ex eodem libro cap. CCCCII.

VII.317. Si quis non ab Epiſcopo, ſed à Chorepiſcopo, qui non eſt Epiſcopus, ſed vicarius Epiſcopi, priuſquam prohibiti eſſent, fuerit confirmatus, reiterari

aliis benedictionibus debet. Nam Chorepiſcopi, ante Apoſtolicam atque Synodalem prohibitionem, non ex numero Apoſtolorum, ſed ex LXX. diſcipulorum, vt ſacri canones teſtatur, ordine erant, quos numquam ſpiritum paracletum tradidiſſe nouimus. Sed quia olim, vt dictum eſt, iam dicti Chorepiſcopi prohibiti ſunt, ideo modò nihil ſunt, nec ſpiritum paracletum vllo vnquam tempore tradere potuerunt, nec modò poſſunt.

Cap. XXXI. ITEM, *De Chorepiſcopis.* Ex eodem libro cap. CCCCXXIII.

Placuit vt, ſicut Leonis Papæ & omnium Epiſcoporum noſtrorum atque reliquorum fidelium generali & Synodali conſultu decreuimus, nullus Chorepiſcopus per manus impoſitionem ſpiritum ſanctum tradere, aut ſacerdotes, vel leuitas, aut ſubdiaconos ſacrare, vel virgines velare, aut ſanctum chriſma conficere, vel Eccleſias vel altaria ſacrare, aut benedictionem in publica Miſſa populis tribuere præſumat. Quæ omnia ſummis Pontificibus, id eſt cathedralibus Epiſcopis debentur, & non Chorepiſcopis, vel preſbyteris, quorum formam iuxta ſanctorum canonum decreta Chorepiſcopi gerunt. Si autem hi aliquid ex his agere tentauerint, irrita erunt quæ ab eis geruntur, & ipſi omni Eccleſiaſtico honore funditus priuentur. VII. 318.

Cap. XXXII. *De his qui ſeipſos necant.* Ex eodem cap. CCCCXLII.

Quicumque ſe propria voluntate aut in aquam iactauerit, aut collum ligauerit, aut de arbore præcipitauerit, aut ferro percuſſerit, aut cuilibet voluntariæ ſe morti tradiderit, iſtorum oblatio non recipiatur. VII. 344.

Cap. XXXIII. *Qualiter hæc ſtatuta ſeruanda ſint. & de his qui hæc contempſerint, ſiue clericus, ſiue laicus, quid agendum ſit.*
Ex eodem cap. CCCCLXXVI.

Has omnes conſtitutiones Eccleſiaſticas, quas ſummatim breuitérque perſtrinximus, ſicut plenius in canonibus continetur, manere perenni ſtabilitate ſancimus. Si quis ergo clericus, aut laicus, harum ſanctionum inobediens eſſe voluerit, ſi clericus fuerit, excommunicationi ſubiaceat; ſi verò laicus, & honeſtioris loci perſona, medietatem facultatum ſuarum amittat fiſci viribus profuturam: ſi verò minoris loci perſona eſt, amiſſione rerum ſuarum multatus in exilio deputetur. VII. 375.

Digitized by Google

IACOBI SIRMONDI
SOC. IESV PRESBYTERI
NOTÆ AD TOMVM III.
CONCILIORVM GALLIÆ.

In quibus ea potiſſimum obſeruantur, quæ in hac noſtra editione diſcrepant à præcedentibus.

CAPITVLARE TOLOSANVM.

Pag. 1. EDITVM eſt cum ceteris Caroli calui Capitulis Tit. v. In Synodo actum non fuiſſe præfatio ipſa docet. Ideo in collectione illa Capitulorum Synodis aliquot propter earum auctoritatem poſtponitur, quas tempore anteibat. Nos quia temporum ordinem ſequimur, ſuo loco reddidimus.

Pag. 4. IN VILLA COLONIA.] Holonia dicitur in vulgatis editionibus Synodi Meldenſis. at in veteri eiuſdem Synodi codice Metenſi, & in antiquis Capitulorum exẽplaribus Colonia vocatur, quam villam propè Vindinum Cenomannorum vrbem ſitam eſſe docuimus.

Pag. 8. APVD LAVRIACVM.] Nomen retinet in pago Andegauenſi. Quæ porrò ab Epiſcopis hoc loco ſancita ſunt aduerſus regiæ dignitatis contemptores, haud dubium quin ad Lantberti Comitis, aliorúmque rebellionem ſpectent, cuius cauſa prima hoc anno in Britanniam expeditio à rege ſuſcepta eſt, & de qua inferiùs in Concilio Turonenſi IV.

Pag. 9. SERGII PAPÆ EPISTOLA] Vt Sergio II. adſcriberemus, erat enim vt monui ἀνεπίγραφος, fecit auctoritas Hincmari, qui Drogonem à Sergio prælationem iſtam obtinuiſſe ſcribit epiſtola VI. Adeptum autem anno DCCCXLIV. intelligi licet ex cap. XI. Synodi Vernenſis.

Pag. 11. APVD THEODONIS VILLAM.] In Concilio Meldenſi Synodus hæc præponitur Lauriacenſi. priùs enim capitula commemorat, quæ apud Theodonis villam ſtatuta fuerant, tum quæ apud Lauriacum. Conſtat autem vtramque Synodum vno eodem menſe habitam, hanc in Caroli regno, illam in Lotharij.

CONC. VERNENSE II.] Primum id fuit, quod ſub Pippino rege celebratum vidimus Tomo II. Ebroinus Pictauorum Epiſcopus, vt apparet ex diplomate Caroli calui, quod ſequenti anno datum eſt monachis Foſſatentibus, Archicapellanus erat ſacri palatij: eáque opinor cauſa eſt, cur præſente Archiepiſcopo præſideat huic Concilio. Pag. 17.

CONC. BELVACENSE.] Qui Synodo huic adfuiſſe dicuntur, quarum ſedium fuerint Epiſcopi, mox docebit priuilegium Ratberto Corbeienſi conceſſum in Synodo Pariſienſi, cui iidem omnes ſubſcripſere, præter Lupum Catalaunenſem. Pag. 23.

CONC. MELDENSE.

HVIC Concilio, vt præfatio docet, adfuere Metropolitani Vvenilo Senonenſis, & Hincmarus Remenſis cum ſuffraganeis ſuis: Rodulfus item Archiepiſcopus Bituricenſis. ceteri verò Epiſcopi per litteras aut legatos. Ab his canones primùm ex proximè habitis Synodis collecti XXIV. tum alij conditi LVI. Ita in vniuerſum Concilij Meldenſis canones ſunt XXC. Qui ſupra hunc numerum in vulgatis editionibus adiecti ſunt canones octo, iidem ſunt cum Capitulis octo proximæ Synodi Beluacenſis: quorum excerpta cùm ſuprà iam poſita fuerint canone XVII. & ſequentibus, fruſtra hoc loco integra repeterentur. Quare velut Pag. 25.

Google

temerè ab antiquariis addita omittenda cenſuimus.

Pag.51. Childebertvs Rex.] Huius edicti mentio fit in Concilio Matiſcon.I. can. xiv. Tunc autem editum fuiſſe videtur, cùm in Concilio Aurelianenſi III. Childeberti regis temporibus celebrato, idipſum de Iudæis can. xxx. ſtatutum eſt.

Pag.55. Lvpvs Trecassenorvm Episcopvs.] Atqui Lupus, qui præfuit Concilio III. Aurelianenſi, de quo agitur, non Trieaſſinus, ſed Lugdunenſis fuit Epiſcopus. Quod mirum eſt Synodi huius Epiſcopos non ánimaduertiſſe.

Pag.63. In Sparnaco.] Edita fuerant integra primùm à Petro Pithœo ſub finem Capitularium, tum à nobis Tit.vi. Capitulorum Caroli calui. Hoc loeo ſatis habuimus poſt commemorationes ſingulorum initia indicare, quia plenitudo ipſa in Concilio Meldenſi continebatur. Plenitudinem appellat integrum exemplar. Optatus lib.i. aduerſus Parmenianùm, de Synodo agens Cittenſi Donatiſtarum: *Harum*, inquit, *plenitudinem rerum in nouiſſima parte iſtorum libellorum ad implendam fidem adiunximus.*

Pag.66. Conc. Mogvntiacvm.] Præter hanc breuem, alteram prolixiorem Rabani ad Hincmarum eumdem epiſtolam videre eſt in codice Laudunenſi, vbi Gotheſcalci errores confutat, Hincmarum admonens, vt illum nec ſcribendo, nec loquendo, cuiquam vltra nocere permittat. *Proximo verè*, inquit, *hoc eſt Martio menſe*, &c.

Conc. apvd Carisiacvm.] Sententiæ in Goteſchalcum prolatæ exemplum in antiquis ſehedis à Nieolao Camuzatio ad nos miſſis eſt huiuſmodi.

Eccleſiaſtica ſententia in pertinaciſſimum Goteſcalcum, propter incorrigibilẽ obſtinationem illius, in Synodo apud Cariſiacum habita à xii. *Epiſcopis Eccleſiaſtico vigore prolata.*

„ Frater Goteſcalc, ſacroſanctum ſa-
„ cerdotalis myſterij officiũ, quod irregu-
„ lariter vſurpaſti, & in cunctis moribus ac
„ prauis actibus, atque peruerſis doctrinis
„ eo hactenus abuti non pertimuiſti, iudi-
„ cio Spiritus ſancti, cuius gratiæ munus eſt
„ ſacerdotale officium, per virtutem ſan-
„ guinis domini noſtri Iesv Chriſti noue-
„ ris tibi eſſe, ſi quo modo ſuſcepiſti, ſubla-
„ tum, & ne vlterius eo fungi præſumas
„ penitus interdictum. Inſuper quia & Ec-
„ cleſiaſtica & ciuilia negotia contra pro-
„ poſitum & nomen monachi conturba-
re contemnens iura Eccleſiaſtica præ- «
ſumpſiſti, duriſſimis verberibus te caſti- «
gari, & ſecundum Eccleſiaſticas regulas «
ergaſtulo retrudi, auctoritate Epiſcopali «
decernimus: & vt de cetero doctrinale «
tibi officinm vſurpare non præſumas, «
perpetuum ſilentium ori tuo virtute «
æterni verbi imponimus. «

CONC. TVRONENSE IV.

Pag.69. Ex Synodica Epiſcoporum quo anno habita fuerit Synodus non apparet, nec quo loco. Turonenſem vt appellarent ſuaſit, opinor, & argumentum ipſum quod ad prouinciam Turonicam ſpectat, & Lantrannus Turonum Antiſtes, qui primum obtinet locum. Annum verò dcccxlix. deſignant veteres ſchedæ apud Baronium. Quo fit vt poſterior accipiendus ſit Lantrannus. Duo enim eius nominis in antiquis catalogis recenſentut Archiepiſcopi Turonenſes, atque inter vtrumque Vrſmarus, qui in conuentu apud Sparnacum nominatus eſt anno dcccxlvi.

Pag.74. Ex Epistola ad Nomenoivm.] Apud Gratianum 7.q.1. mendoſè in titulo capitis *Vernoni* ſcriptum eſt, pro *Nomenoio*, in huuc modum: *Item Leo quartus Vernoni Duci Britanniæ.*

CONC. SVESSIONENSE II.

Pag.75. Triplici capite quæ ad hoc Cõcilium ſpectabant diſtincta ſunt. Primo enim loeo poſita ſunt decreta, ſeu canones Concilij, quibus vniuersè omnia perſtringuntur, quæ in ſeptem eius actionibus de diuerſis perſonis ac rebus fuerant definita. Tum deinde ſequuntur Excerpta eorum quæ in ſingulis Concilij actionibus (integras enim actiones non habemus) de vno eodémque negotio, hoc eſt de clericis ab Ebone poſt reditum ordinatis, agitara & ſtatuta fuerant. Poſtremò ſubneiuntur mandata Miſſis dominicis, quorum in canone vii. fit mentio, à rege præſcripta, atque in actione vii. Concilij relecta. Ex his omnibus vnicum id caput, quod ad Ebonis clericos pertinebat, Nicolao Papæ poſtea non placuit, ideóque retractari, vt ſuo loco videbimus, in alia Synodo iuſſit: de ceteris nulla fuit controuerſia. Quare non rectè faciunt, qui hoc Concilium velut reprobatum ac minùs legitimum titulo ſuo infamant.

Hinc-

Pag.81. Hincmarvs Archiepisc. dixit.] Eſt caput i. *De libelli oblatione*, in libro ii. Decretalium tit.iii. niſi quòd perperam *Ignarus* Epiſcopus eo loco ſcriptum eſt, pro *Hincmarus*.

Pag.83. xliv. *Epiſcoporum*.] Eumdem numerum habent vulgati, & codex Metenſis. at rectiùs Flodoardus quadraginta tres legit lib.ii.c.xx. Nam & apud Hincmarum Remenſem, & in codice Laudunenſi, vbi Epiſcoporum qui Ebonis depoſitioni adfuerant catalogus texitur, xliii. tantummodo recenſentur.

Pag.85. *Sed & de baculis & anulis*.] Aiebant Ebonem, poſt reditum ſuum ad Eccleſiam Remenſem, tres Epiſcopos, qui ipſo abſente fuerant ordinati, datis anulis & baculis confirmaſſe. Sic enim habet in codice Atrebatenſi vetus ſcheda clericorum Remenſium nomine compoſita:
» Fuerunt, inquit, per longum ſpatium
» eius exulatus ordinati Epiſcopi eo ab-
» ſente, Simeon Epiſcopus, Lupus Epiſco-
» pus, Erpuinus Epiſcopus, quod omni-
» modis ſanctiſſimis prohibetur canoni-
» bus. Qui completa cum omni gaudio &
» lætitia conſecratione & ſolennitate ſa-
» crificij, præſente omni Eccleſia depre-
» cati ſunt eum, vt ipſius auctoritate eo-
» rum ſtatueretur ac roboraretur ordina-
» tio. Qui benigniſſimè eorum preces ob-
» audiens, dedit eis publicè coram ſacro-
» ſancto altari anulos & baculos ſuæ au-
» ctoritatis in confirmatione eorum ordi-
» nationis, & allocutus eſt de eis omni Ec-
» cleſiæ, vt ſcirent vniuerſi ſe in caritate,
» quæ ex Deo eſt, eorum ordinationi con-
» ſentire. Quod Ebonis factum exagitans Hincmarus in epiſtola quadam ad Anaſtaſium bibliothecarium ſcripta poſt Synodum Tricaſſinam dccclxvii. ipſum potiùs Ebonem, qui à gradu ſuo deiectus fuerat, ab Epiſcopis anulum & baculum accipere, & non Epiſcopis dare debuiſſe docet.

Pag.88. *Et caſis Dei*.] Legendum, *Ex caſis Dei*, ſicut in Capitularibus Caroli calui: vbi & alia quædam emendatiùs, quàm hoc loco, edita videntur.

Pag.91. Conc. Vermeriense II.] Primum enim, cui Pippinus rex interfuit, editum eſt initio Tomi II. hoc ipſum etiam inter Caroli calui capitula tit x.

Pag.95. Lotharii Imp. Ivssv.] In ea enim regni parte, quæ Lothario in diuiſione fratrum obtigerat, ſitæ erant Valentia & reliquæ ciuitates, quarum Epiſcopi huic Concilio ſubſcribunt. Inter hos Ebbo Gratianopolitanus, Ebbonis Remenſis nepos, & monachus olim S. Remigij, quem ſex primorum Concilij canonum auctorem habitum docet Hincmarus in priore epiſtola ad Carolum caluum, apud Flodoardum lib.iii. cap.xv.

Capitula quatuor.] Illa nimirum, quæ ab Hincmaro contra Gotheſcalci errores compoſita Synodus apud Cariſiacum anno dcccxlviii. approbans ſuſceperat, vt in eius Synodi actis videre eſt. Quæ à Valentina Synodo nunc exploſa, & ab auctore incerto, Lugdunenſis Eccleſiæ nomine, confutata in libello de tenenda ſcripturæ veritate, Hincmarus idem ſcripturarum, patrumque teſtimoniis confirmare conatus eſt in poſteriori opere aduerſus Gotheſcalcum. Pag.98.

Alia xix. *ſyllogiſmis*.] Ioannis Friugenæ Scoti, (ſic enim, nō Erigenam, vocāt libri manuſcripti) cuius extat in bibliotheca Corbeienſi de vnica prædeſtinatione liber capitum xix. ad Hincmarum & Pardulum Epiſcopos. Contra hunc autem Ioannis Scoti librum ſcripſit, non ſolùm Florus Magiſter diaconus Eccleſiæ Lugdunenſis, cuius refutatio Eccleſiæ Lugdunenſis titulo vulgata eſt, verùm etiam Prudentius Tricaſſium Epiſcopus opuſculum nondum editum, quod in bibliotheca Thuana nunc viſitur.

Capitvla Herardi.] De his Chronicum Vindocinenſe: Anno dccclviii. *Domnus Herardus Turonenſium Archiepiſcopus generali Synodo in Turonica ciuitate habita, quædam neceſſaria ſanctorum canonum capitula excerpſit, quæ firmiùs cuſtodienda ſanxit* xvii. *Kalendas Iunij*. Pag.111.

Epistola Episcoporvm.] Prodiit inter Caroli calui capitula tit. xxiii. Miſſam autem è Synodo fuiſſe teſtatur Hincmarus ad Carolum regem: *Nolite*, inquit, *negligere illa capitula, quæ Synodus de Cariſiaco per Vvanilonem & Erchanraum tranſmiſit ad hunc Attiniacum præterito anno Hludouuico fratri veſtro, & me tranſmittente Hincmarus filius meus vobis dedit, quando vobiſcum in Burgundia fuit. Sed relegite illa diligenter, quia mihi credite plus pro vobis, quàm pro illo facta fuerunt.* Pag 117.

Concilivm Metense.] Capitulorum Caroli calui tit. xxiv. Habitum eſt paulo poſt diſceſſum Ludouici regis, qui ſub initium veris, vt eſt in Annalibus Pithœanis dccclix. de Gallia rediens VVormatiæ ſubſtiterat. Itaque VVormatiæ illum conuenere legati à Concilio miſſi. Pag 131.

CONC. APVD SAPONARIAS.

Pag.137. Collecta ſunt, atque órdine digeſta, quæcumque ad hoc Concilium attinebant. quorum omnium ſummam continent canones XIII. qui primo loco exponuntur: reliquorum enim omnium in his canonibus, ſeu capitulis, fit mentio.

Lothario et Carolo.] Filiis Lotharij Imp. quorum hic Prouinciam inter Rhodanum & Alpes cum Burgundia obtinebat: ille regionem vniuerſam, quę ab eo poſtea regnum Lotharij dicta eſt. Tertius natu maximus Ludouicus Imperium ſortitus fuerat cum regno Italiæ.

Pag.140. *Relecta ſunt denique.*] Capitula ſex prima Synodi Valentinæ, quæ paucis antè diebus in Synodo Lingonenſi confirmata, in hac etiam Synodo apud Saponarias proferente Remigio Lugdunenſi relecta ſunt. Quatuor item Hincmari capitula, de quibus iam dictum eſt: nam hæc etiam poſtera die in hac Synodo relecta fuiſſe, Hincmarus ipſe eſt auctor in præfatione poſterioris operis aduerſus Gotheſcalcum. Occaſionem porrò his omnibus dederant dogmata Gotheſcalci, de quibus inter Epiſcopos, præcipuè inter Hincmarum & Remigium Lugdunenſem, variæ fuerunt altercationes & ſententiæ.

Pag.153. *Andemantunno Lingonum.*] Ita dictum, vt Durocottorum Remorum, Lutetia Pariſiorum. Nam Lingonum caput Andemantunnum oppidum in Tabula Peutingeri, & in lapidibus antiquis.

Cum rege ſuo Karolo.] Lotharij regis fratre, vt paulo antè dictum eſt. Hinc verò apparet, ad Karoli huius regnum pertinuiſſe Lingones.

Porrò capitula num. XIX.] De his quoque dictum eſt ad can. IV. Synodi Valentinæ. Cur verò de his agens Synodus Lingonenſis aliter quædam expreſſerit, quàm concepta fuerant in Valentina, & cur quatuor Capitulorum mentionem penitus omiſerit, cauſas exquirit atque exagitat Hincmarus cap. XXX. operis ſuprascripti.

Pag.156. Commonitorivm Herardi.] In codice S. Petri Redonenſis, poſt capitula Herardi, ſequebatur hoc eius Commonitorium: quod ad Synodum Tullenſem, cauſámque Vveniloni in eo diſcuſſam pertinere manifeſtum eſt.

CONC. APVD TVSIACVM.

Pag.160. Synodi huius decretorum duplex fuit editio, quam vtramque repræſentamus. vna breuior, cum Epiſcoporum ſubſcriptionibus, quam priore loco poſuimus: altera prolixior, quæ Synodicâ, quæ mox ſequitur, Concilij epiſtolâ continetur, cuius auctor fuit Hincmarus Remenſis. Qua in Synodo relecta, Epiſcopi ob prolixitatem ipſius alteri breuiori ſubſcripſerunt. De his ergo inter Hincmarum vtrumque fuit controuerſia. Nam cùm ab Hincmaro paruo reprehenſus eſſet Laudunenſis, quòd breuiore illa vteretur, ipſe in epiſtola nondum edita ſic reſpondit: *Quod ſcripſiſtis*, Ceterùm cariſſime frater, de ſcedula quaſi Epiſcoporum definitionem continente in Synodo quæ apud Tuſiacum fuerat habita, valde miratus ſum, vbi & quomodo adinueniſti. quam antequàm per Hettoné clericum tuum audierim numquam vidi, vel nuſquam audiui: ſed nec qui modò adfuerunt Epiſcopi eam ſe vidiſſe vel audiſſe dixerunt. *Et ego illud non ab re admiror, ſi Harduicus Epiſcopus, qui adfuit, eam ſe non vidiſſe nec audiſſe dixit. Nam ab eo illam accepi, & relegens tranſcribi iuſſi.* Et iterum poſt alia. *Quòd dicitis*, Et miranda eſt tua prudẽtia, qualiter ſic placuit hanc mendacem, & in quibuſdam ſacris regulis obuiantem, compilationem habere & mihi tranſmittere, quàm veram Synodi definitionem, & ſacris regulis congruentem habere, & à me qualicumque primate tuo iuxta regulas ſacras tenendam & ſequendam accipere. *Illam epiſtolam, quam vos in eadem Synodo à vobis Archiepiſcopali adminiſtratione dictatam recitari feciſtis, penes me habeo, & reminiſcor quia ob prolixitatem ipſius quibuſdam ſatagentibus, huic compendioſiùs diffinitioni collecta ſubſcripſimus. Nam veſtram, Tetraſtichum domino regi deuotinum præmittentes, ita incipitis*: Sancta Synodus congregata in villa Tuſiaco Tullenſis parœciæ. *In hac autem qua incipit*, Cùm in nomine Dei omnipotentis, *primum iſtud ita inchoat capitulum*, In primis igitur propter pertinaciam multorum, *&c.*

Ex prouinciis XII.] In epiſtola Synodali, atque in altera Synodi iuſſu ab Hincmaro ſcripta, quatuordecim prouinciæ numerantur.

Anno Incarnationis.] Ex Hincmari Laudunenſis verbis paulo antè prolatis, atq; ex codice Virdunenſi, cõſtat initium huius epiſtolę ducendum eſſe à ſequentibus verbis: Sancta *Synodus congregata*, &c. Quare quæ præcedunt expũgenda ſunt. Pag.164.

Pag.184. *Quod ſi per ſortiarias.*] Hunc locum ex Hincmaro Remenſi, ſed tacito libri nomine, citant Gratianus 33.qu.1. *Si per ſortiarias,* & Iuo Carnotenſis Parte VIII. cap. 194.

Pag.187. *Vuaniloni Senonenſi.*] Pro Vuanilone Senonenſi, mendosè *Gallioni Senenſi* apud Gratianum legitur 3.qu.9. *Indicas Herimannum.* De Herimanno autem Epiſcopo Niuernenſi, eiúſque infirmitate, ſuperiùs dictum in Synodo Sueſſionenſi II. & Vermetienſi II.

Pag.189. CONC. AQVISGRAN. III.] Triplex de Lotharij & Teutbergæ coniugio habita eſt Synodus Aquiſgrani. Priores duæ anno DCCCLX. in quarum altera regi renuntiarunt adulteram ipſum vxorem retinere non poſſe: in altera publicam Teutbergæ pœnitentiam decreuerunt. Tertia hoc anno DCCCLXII. in qua Lothario, vt aliud iniret coniugium, permiſerunt.

Pag.191. CONC. AGATHENSI cap. LXII.] Eſt canon LXI. de numero eorum qui Synodo Agathenſi poſtea ſunt adiecti, & illi tamen adſcribi iam ſolebant.

Pag.198. *Lotharius rex profitetur.*] Apud Iuonem Parte VIII. cap.354. & apud Gratianum 31.qu.2. duæ voces perperàm inſeruntur, *Lotharius rex in Commonitorio profitetur.* Redundant enim, pertinéntque ad titulum epiſtolæ, quod rectè in Romana Gratiani editione obſeruatum eſt. *In commonitorio* itaque dictum, quod ab aliis *Commonitorium*, vt *Zoſimus Commonitorium presbyteris & diaconibus qui Rauennæ ſunt,* & illud apud Gregorium in dialogis: *Sabinus Chriſti ſeruus commonitorium Pado.*

Pag.202. CONC. SILVANECTENSE.] Plurimorum Epiſcoporum Concilium fuiſſe docet Hincmarus, cauſam ſuam aduerſus Rothadum muniens in epiſtola ad Nicolaum Papam, quam recitat Flodoardus lib. III. cap. XII. *Diu illum,* inquit, *non ſine timore de periculo animarum ſibi commiſſarum portaui, & cùm amplius portare non debui, ad plurimorum Epiſcoporum Concilium, vt vel eos audiret, deduxi: quorum non audire conſilium, ſed aduerſum me poſtulare iudicium maluit.* De hoc enim Concilio intelligit, quod Siluanectenſe appellamus, quia iuxta Siluanectenſium ciuitatem in Conuicino villa celebratum eſt.

Pag.205. *In Conuicinum villam.*] Gratianus D.X. cap.1. huius epiſtolæ verba laudans: *Nicolaus,* inquit, *Papa ſcribit Epiſcopis in Concilio apud Conuicinum congregatis.* Hic deeſſe vocula videtur, & legendum, *Concilij cauſa conueniſtis.*

Balduinum, qui natam veſtram.] Furtiuæ primùm, poſtea legitimæ inter Balduinum & Iudith actæ ſunt nuptiæ. Hincmarus in eadem epiſtola apud Flodoardum: *Domnus etiam noſter rex, filius veſter, huic deſponſationi & coniunctioni intereſſe non voluit: ſed miſſis publicæ rei miniſtris, ſicut vobis promiſit, ſecundum leges ſeculi eos vxoria coniunctione adinuicem copulari permiſit, & honores Balduino pro veſtra ſolummodo petitione donauit.* Pag.213.

Ludouico & Carolo.] Carolo caluo ex Hermentrude regina filij, vt annales noſtri produnt, quatuor fuerunt, Ludouicus, Karolus, Karlemannus & Lotharius. Lotharius puer Abbas, & Karolus iuuenis rex Aquitanorum, mortui ſunt anno DCCCLXVI. Karlemannus etiam clericus ante patrem obiit. ita ſolus ſuperſtes Ludouicus patri ſucceſſit. Pag.220.

Epiſcopis in regno Lothary.] De hac epiſtola Hincmarus ad Nicolaum ſcribens apud Flodoardum lib. III. cap. XII. *In epiſtola veſtræ ſanctitatis, per Odonem Epiſcopum Epiſcopis in regno Lothary pro præiudicio Camaracenſis Eccleſiæ directa, relegi veſtram auctoritatem ſciſcitaturam, cuius neglectu eadem Eccleſia vltra decimum menſem vacaret.* Vacabat autem poſt mortem Theoderici Epiſcopi, atque hoc tempore ab Hilduino, quem Lotharius immiſerat, detinebatur: donec Hilduino tandem pulſo, legitimis ſuffragiis ſuffectus eſt Ioannes anno DCCCLXVI. Pag.221.

CONC. METENSE.] Præceperat in ſuperioribus epiſtolis Nicolaus Papa, vt Synodo Metenſi tum legatis intereſſent bini Epiſcopi ex regno Karoli, totidémque ex Germania & Burgundia, vbi Ludouicus & Carolus alter imperabant. Sed horum nullus adfuit, ſatagente Lothario vt ſoli regni ipſius Epiſcopi conuenirent, quia conſilium ſuum aliis omnibus improbari ſentiebat. Pag.227.

CONCILIVM ROMANVM.] Damnati hac in Synodo Teutgaudus & Guntharius Archiepiſcopi, Synodi Metenſis anteſignani, virulento aduerſus Nicolaum ſcripto reſponderunt, quod extat in Annalibus Pithœanis, hic verò à nobis edi viſum eſt ſuperuacuum. Pag.228.

Suſceptis beatitudinis tuæ.] Citatur paſſim ab Iuone, & à Gratiano. Ceterùm Pag.235.

in exemplari, quo vſi ſumus, initium capitis II. ab his verbis docebatur: *Primates enim & patriarchas*, priori parte omiſſa, quam ex Gratiano ſuppleuimus.

Pag.137. *Nuper fratres cariſſimi.*] Ad huius epiſtolæ calcem adnotatum fuerat in veteri libro: *Hac recitata eſt apud Sueſſionis Synodum.*

Pag.141. ADVENTII METENSIS.] Alteram huic ſimilem ſcripſerat Franco Tungrenſis, vt patet ex reſponſo Nicolai epiſtola XLIII. Scripſerant & alij fortaſſe ex iis qui Synodo adfuerant Metenſi. Epiſcopis enim Teutgaudi & Guntarij complicibus venia, ſi reſipiſcerent, promiſſa fuerat in Concilio Romano can. III.

CONCILIVM ROMANVM.

Pag.147. QVÆNAM ad hoc Concilium, & quo ordine ſingula pertinerent, ex Anaſtaſij potiſſimum, quæ præfationis loco præfixa eſt, narratione didicimus. Primum ergo locum obtinet libellus Rothadi Epiſcopi Sueſſionenſis, malè antehac Rothadi appellatio inſcriptus, quaſi in Gallia editus tum fuerit, cùm ad ſedem Apoſtolicam appellauit. Conſtat enim Romæ poſtea oblatum fuiſſe à Rothado, cùm is ſextum iam menſem in Vrbe tranſegiſſet. Sequitur deinde Sermo Nicolai Papæ in Miſſa factus de cauſa Rothadi. Sic enim appellandum docet Anaſtaſius, cùm inter Nicolai epiſtolas epiſtolæ titulum falsò gerat, numero XXXVIII. Tertio pòſt loco poſitæ ſunt litteræ abſolutionis, ſeu reſtitutionis Rothadi. Poſtremò diuerſæ Nicolai epiſtolæ ad regem, ad Hincmarum Metropolitanum, ad Epiſcopos Galliæ vniuerſos, ad clerum & plebem Sueſſionenſem, & ad Rothadum ipſum pro Rothado ſcriptæ, cùm is iam abſolutus honorique ſuo reſtitutus rediret in Galliam.

Pag.166. CVM LVDOVICO IMP.] De regno Burgundiæ, vt opinor, poſt Karoli regis obitum fuit controuerſia. Nam à Carolo caluo fuiſſe occupatum indicare videntur capitula in Burgundiam ab eo miſſa tit. XXXII. At Burgundiam Ludouicus Imp. tanquam fratris regnum ſui iuris eſſe contendebat. Hinc illa epiſtolæ huius: *Liceat veſtro nepoti imperium ſuum cum regno proprij germani quieta poſſidere tranquillitate.* & alia in epiſtola ſequenti.

De quodam monaſterio.] Flauiniaco. Chronicum MS. *Anno* DCCCLXIV. *tranſlatum eſt corpus S. Reginæ virginis & martyris apud Flauiniacum præſidente loco Egilo Abbate, poſtmodum Senonenſi Archiepiſcopo.* Pag.175.

SALOMONI REGI BRITTONVM.] Tertio & vltimo, vt eſt apud Gratianum 3. qu. 6. *Hæc quippe eſt.* Sed malè ibidem Ioanni Papæ tribuit hanc epiſtolam, cùm ſit Nicolai. Profert & Hincmarus Laudunenſis in priori defenſione ſua locum, ex altera eiuſdem argumenti ad Salomonem eumdem epiſtola Hadriani Papæ non edita: *Sed & præſens*, inquit, *domnus Papa Hadrianus hæc ex epiſtola nuper ad Salomonem ducem Brittanorum deſtinata ſui ſuorúmque officij non immemor mandauit:* Sacerdotes verò vobis vicinarum diœceſeon ſuper ſe alios deplorant ſuperpoſitos ſacerdotes Brittanicos, ſi tamen ſacerdotes, & non magis peruaſores & ſacrilegos tales dixerimus. Qui etiam, ſi quædam habent negotia, non ad Concilia Epiſcoporum occurrere permittuntur, ſed contra ſacros canones, & venerabiles leges, ad ſæcularium tribunalia pertrahuntur. nec ſuſcipiunt Epiſcopale inſtitutum, ſed appellatum contra regulas populare incurrunt iudicium: & ipſis morte præeuntis, rapitur ſi quod remanſerat ſubſidium. Iudicantur etiam Epiſcopi à lectoribus & laicis hominibus, quos non oportuit niſi canonicis legibus, & Metropolitanis aut nobis præſentibus, ſaltem examinari, dicente Domino per prophetam: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* & iterum: *Qui vos tangit, quaſi qui tangat pupillam oculi mei.* Pag.175. Pſal.104.15. Zach.2.8.

CONC. SVESSIONENSE III.

HERARDO TVRONENSI.] Eiuſdem exempli alteram vidimus, *Adoni ſanctæ Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo.* Cum hac autem generali epiſtola, quæ ad diuerſos miſſa fuit Archiepiſcopos, aliam peculiarem dedit Nicolaus ad Hincmarum Remenſem, quam in Appendice deſcripſimus. Pag.180.

ADNVNTIATIO HERARDI.] Prior pars huius orationis ad Vulfadi ſociorúmque cauſam ſpectat, cuius gratia Synodus fuerat congregata, poſterior ad Hermintrudis reginæ coronationem in eadem Synodo factam, & alio loco editam poſt capitula Caroli calui. Pag.291.

Digitized by Google

Pag.317. *Ad Vulſadum & ſocios.*] Vvlfadi viciſſim, & ſociorum, in codice Laudunenſi extat epiſtola ad Nicolaum, in qua gratias agunt de ſua teſtitutione, petúntque vt ſibi ad altiores gradus prouehi liceat, quam in eadem Appendice protulimus.

Pag.352. *Omnium nos portare.*] Quod ſub finem huius epiſtolæ facete iubetur Hincmarus, vt eam ad alios Atchiepiſcopos deferendam curet, id ab ipſo diligentet præſtitum docet Flodoardus lib.III. capite XVII. *Quam*, inquit, *epiſtolam Hincmarus ſuſcipiens, in Corbanaco palatio conſiſtenis regi Carolo cum pluribus Epiſcopis relegit, & ad alios Archiepiſcopos, ſicut in mandato acceperat, dirigere ſtuduit.* Idem etiam ſuffraganeos ſuos, vt Græcorum obiectis reſpondetent, excitauit, vt Odonem Bellouacenſem, ad quem Hincmari de hoc argumento extat epiſtola IV. Kalend. Ianuarias hoc anno ſcripta. Reſpondit ergo inter ceteros Odo, & librum à ſe compoſitum Hincmato miſit, vt Flodoardus idem tradit lib.III. capite XXIII. catalogum texens epiſtolarum Hincmari ad Odonem. Reſpondit & Æneas Patiſiacenſis Epiſcopus, cuius ea de re liber extat in bibliotheca Thuana.

Pag.352. *Quibus gemitibus.*] Flodoardus lib.III. cap. XXIII. Hincmari ad diuerſos Epiſcopos epiſtolas enumetans: *Hilmerado*, inquit, *Ambianenſi, pro quodam monacho, qui presbyterum & monachum in monaſterio S. Richarij occidit: pro quo domnus Papa Nicolaus litteras eidem domno Hincmaro direxerat pœnitentiæ tenorem continentes.*

CONC. TRICASSINVM.

Pag.353. SERIEM RERVM GESTARVM.] Quam colligi, & ad ſe mitti iuſſerat Nicolaus epiſtola LXX. reſcribens Synodo III. Sueſſionenſi.

Pag.354. *Fugam arripuit.*] Pariſiacam ad vtbem, vt eſt in ſequenti epiſtola Caroli regis. At fuſiùs iſta commemorantur in narratione clericotum Remenſium, cuius ſuprà meminimus: Morabatur, inquir,
» tunc tempotis Ebbo Epiſcopus in mo-
» naſtetio S. Baſoli, infra parochiam Re-
» menſem, claudus vtroque pede, & ni-
» mia afflictus infirmitate. Timens verò,
» quia nec cum Lothario exire poterat,
» nec animum Imperatoris aduetſum ſe
» quicquam emollitum habebat, ne ſicut
tali turbine fieri ſolet, à leuibus & in- «
diſciplinatis hominibus, quaſi pro infi- «
delitate domni Imperatoris perdetetur, «
iuſſit ſe deportari ad fluuium nomine «
Maternam, qui propiùs erat, & mitti in «
nauim, atque Pariſius ad quandam de- «
duci cellulam cuiuſdam recluſi, ſpetans «
ſe ibi tutò latere poſſe, vſque dum aut «
animum Impetatoris quoquomodo pla- «
care potuiſſet, aut recepta ſanitate ire «
poſt Lothatium valetet: Audiens verò «
domnus Imperator eum illuc transfu- «
giſſe, miſit & iuſſit eum deduci ad Fol- «
dam monaſterium S. Bonifacij, ibique «
ſeruari, & poſt biennium adduci ad Teo- «
tonis villam in parochia Metenſi, vbi etat «
placitum Imperatoris publicum. «

Pag.355. *Per diuerſa monaſteria.*] Clericorum
Remenſium narrario: Finito autem «
Concilio, reductus eſt ſub arcta cuſto- «
dia ad idem S. Bonifacij monaſtetium. «
Poſt aliquantum verò temporis, com- «
mendatus eſt ſimiliter ad cuſtodiendum «
Freculfo Luxouienſi Epiſcopo. Inde «
etiam Boſoni Abbati in monaſterio S. «
Benedicti, ſub cuius manu exulabat, «
quando domnus Impetatot viam totius «
ingreſſus eſt carnis. «

Remorum Eccleſiam recepit.] Cletici Re-
menſes: Remiſſus eſt autem à iam dicto «
Imperatote Lothario, ſeu à præfato Con- «
cilio, ad ſedem propriam, Remenſem «
ſcilicet Eccleſiam. Ad quam veniens «
VIII. Idus Decembris, receptus eſt ab «
Epiſcopis ſuffraganeis ſuis, Rothado «
Epiſcopo, Simeone Epiſcopo, Lupo «
Epiſcopo, vnâ cum legatis omnium alio- «
rum Epiſcoporum Remenſis diœceſeos, «
qui variis detenti infirmitatibus illuc «
corporali præſentia occurrete non va- «
lentes, ſuam tamen per Eccleſiaſticos le- «
gatos, & excuſatotias litreras, illi exhi- «
buerunt præſentiam. Inſuper etiam à «
canonicis & monachis, atque cortegio- «
nalibus preſbytetis totius diœceſis, at- «
que infinita multitudine vtriuſque ſe- «
xus. Qui omnes cum tamis palmarum «
& cereis ardentibus, laudéſque Deo in- «
timis cotdibus, & excelſiſſimis vocibus «
ptoclamantes, longè ei ab Eccleſia ob- «
uiauerunt, & vſque ad Eccleſiam indeſi- «
nenter pſallentes eum perduxerũt. Tunc «
otatione completa, ſilentióque impoſito, «
aſcendir Rothadus Epiſcopus ambonem, «
ducens ſecum Ingobertum monachum. «
Et primò allocutus eſt gaudẽte plebe de «
deſidetabili reuerſione proprij paſtotis, «

» & qualirer reſtitutus à ſancto Concilio,
» ſeu ab Imp. Lothario, eis remittebatur:
» & iuſſit Ingobertum monachum alta vo-
» ce ipſam eius reſtitutionem legere. De-
» derunt etiam, præſente omni Eccleſia,
» legati Epiſcoporum vnuſquiſque aſſen-
» ſum proprij ſui Epiſcopi & plebis ſcri-
» ptum. qui omnes ab Ingoberto mona-
» cho publicè relecti ſunt. His ita peractis,
» iterum reboantibus ſignis, & vociferan-
» te omni Eccleſia Te Deum laudamus,
» ductus eſt iam ſæpe dictus Ebo Epiſco-
» pus in veſtiarium, & indutus Epiſcopali-
» bus veſtimentis. ſimiliter etiam alij Epi-
» ſcopi, & proceſſerunt cum eo ad cele-
» brationem Miſſæ. Nam Rothadus Epi-
» ſcopus dextra manu eum ſuſtentans ha-
» buit ſuæ partis Lupum Catalaunenſis
» Eccleſiæ Epiſcopum, & Herminfredum
» preſbyterum, poſtea verò Beluacenſis
» Eccleſiæ Epiſcopum: ſiniſtra autē manu
» ſuſtentans eum Simeon Epiſcopus, ſimi-
» liter ſuæ partis habuit Erpuinum Epiſco-
» pum, & Vitaum Cameracenſis Eccleſiæ
» Chorepiſcopum. Et ſic ad ſanctum alta-
» re cum eo procedentes ad propriam ſe-
» dem eum deduxerunt, atque cum eo
» conſedentes in omni pontificali officio
» ipſa die ei communicauerunt. Et alia
quæ ſequuntur de Epiſcoporum ordinatione datis anulis & baculis confirmata.

Pag. 359. *Quamuis omnium.*] Exſtat, vt monui, tum in codice S. Mariæ Laudunenſis, tum in altero S. Laurentij Leodienſis, in quo alia erant plurima Hincmari opera, quæ coniecturam faciunt, hanc etiam ab Hincmaro regis nomine dictatam epiſtolam fuiſſe.

Pag. 369. *Salomoni Duci Britannorum.*] Epiſtolæ huius Hadriani Papæ ad Salomonem fragmentum ſuprà recitauimus. Integra enim non exſtat.

Pag. 374. Conc. apvd Vermeriam.] Quibus de rebus, & quàm graue Hincmari ſenioris aduerſus nepotem diſcidium fuerit, intelligi licet ex libro capitum LV. & ex prolixa epiſtola, cuius partem recitat Flodoardus lib. III. cap. XXI. Exſtant & Hincmari Laudunenſis epiſtolæ, aliáque opuſcula nondum edita, quibus cauſam ſuam tueri ac munire conatus eſt. In his queri inter cetera ſolet, vnum ſibi infenſum Hincmarum, ab eóque vno accuſatum fuiſſe. Sic enim quodam loco ſcribit: *De eo quod me rogabant ſubſcribere, vt ſacrilegus eſſem, & poſt ſubſcriptionem promittebant mihi reddere officium meum & Epiſcopatum, cùm nullus me accuſaret tunc, nec accuſet, niſi Hincmarus.*

Bernarij Epiſcopi ordinatio.] Tres iſtas de ordinando Bernario epiſtolas ſuppeditauit vnicus codex S. Mariæ Anitienſis, cuius aliorúmque indidem copiam nobis fecit multis, nominibus meritò laudandus Abbas S. Amantij, nunc Archiepiſcopus Toloſanus. Pag. 376.

Carolvs in regno Lotharii.] Adnuntiationes hæ, ſub Caroli calui in regno Lotharij coronationem ab Epiſcopis habitæ, inter eius capitula editæ ſunt titulo XXXV. coronationis, quoque ipſius ordo & ritus, poſt eadem capitula Caroli calui. Pag. 383.

Conc. apvd Attiniacvm.] Decem prouinciarum Synodum paſſim appellat Hincmarus Remenſis, in eáque libellum ab Hincmaro nepote ſubſcriptum ait, quem Hincmarus ipſe Laudunenſis in Synodo habita in Attiniaco per vim & fraudem ſibi extortum ſcribit in epiſtola apologetica, cuius initium eſt: *Relegi curſim ſcripta veſtra celſitudinis.* Pag. 386.

Vbi Synodalia ventilari.] Hincmarus idem iunior in altera epiſtola, cuius initium: *De his quæ vobis per Httonem, &c. Vocaſtis me*, inquit, *litteris veſtræ auctoritatis Attiniacum ad Synodum. Tractata ſunt in eodem Attiniaco à domno rege per aliquot dies quæ viſa ſunt. Cùm autem deſignaretur nobis dies certus, in quo Synodalia tantùm debuiſſent ventilari, qui futurus erat ſexta feria, adueni.*

Sacrorum itaque dogmatum.] Caroli ad ſingula huius epiſtolæ membra reſponſionis meminit Hadrianus in epiſtola XXVIII. Legatos autem, quos à Carolo rege contemptos ait, Paulum & Ioannem Epiſcopos intelligit, de quibus in epiſtola XV. & duabus ſequentibus. Pag. 387.

CONC. DVZIACENSE.

Synodi huius menſem & locum indicat Hincmarus iunior in reclamatione, quam Ioanni Papæ obtulit in Synodo II. Tricaſſina: *A Remorum*, inquit, *Archiepiſcopo ad Synodum ſum vocatus ad Duziacum villam, quam conſtituit hebdomada prima menſis Auguſti, & monuit me de certis cauſis paratum eſſe ibidem vt reſponderem.* Nomen hodiéque retinet locus vltra Moſam, haud procul Moſomo, in finibus Remenſis diœceſis. Olim Duodeciacus vocabatur. Pag. 397

Pag. 400. *Laudabilis caritatis.*] His rurſum Hadriani litteris offenſus Carolus prolixam epiſtolam reſcripſit, quæ inter ceteras edita eſt poſt Hincmari opuſculá, embolo ſub finem adiuncto, quod inſtar habet alterius epiſtolæ, reuera autem ad eandem ipſam referendum eſt. Carolum porrò Hadrianus, acceptis eius litteris, ſequenti epiſtola XXIX. placare conatus eſt.

Pag. 406. *Epiſtola abſolutionis.*] Huic conſimilis eſt altera Hincmari Archiepiſcopi ad Hildeboldum Sueſſionenſem, cui titulus hic præfigitur in codice Leodienſi, vnde hæc etiam deprompta eſt: *Exhortatoria Hincmari Metropolitani ad Hildeboldum diœceſanum Epiſcopum corporea infirmitate detentum. in qua iuxta petitionem litterarum confeſſionis illius, ſua auctoritate eum per abſentiam corporalem reconciliando abſoluit.*

Pag. 407. CONC. SILVANECTENSE.] Ex Synodi huius actis, poſt Indicem quem deſcripſimus, reſtabat in veteri codice initium Proclamationis Karoli regis hoc titulo: *Karolus gratia Dei rex Anſegiſo & Hildegario ac ceteris Epiſcopis, qui in Chriſti nomine congregati huic ſancta Synodo intereſtis*: „ OMNIBVS negotiis diuinæ res præ„ponendæ ſunt. & cetera, vſque ad finem pagellæ. Reliqua enim ad delendam, vt reor, funeſti iudicij memoriam, iam olim exciſa.

CONC. DVZIACENSE II.

Pag. 408. IN codice S. Laurentij Leodienſis, cui Synodum hanc debemus, epiſtolæ Synodicæ titulus eſt huiuſmodi: *Epiſtola Synodica Epiſcoporum plurimarum prouinciarum apud Duziacum Remenſis parrochiæ congregatorum, anno Incarnationis dominicæ* DCCCLXXIV. *Indictione* VII. *Idibus Iuniis, ad Epiſcopos prouinciarum Aquitaniæ regionis, de inceſtis coniunctionibus à quampluribus, & maximè carne nobilibus viris, ibidem perpetratis, & de rerum Eccleſiaſticarum peruaſionibus.* Generale placitum Idibus Iuniis hoc anno à Carolo rege in villa Duzia celebratum auctor eſt Aimoinus lib. v. cap. XXXI.

Pag. 421. CAROLVS IMP. CORONATVS.] Coronationis huius acta non extant. Quæ enim à Pithœo edita ſunt, poſt ſcriptores coætaneos XII. aliò pertinent, vt ſuis locis patefiet.

Pag. 422. *Anſegiſum Coepiſcopum.*] Quem ex Abbate S. Michaelis in epiſcopatu Beluacenſi ad Senonenſem cathedram euectum didicimus anno DCCCLXXI. Romanæ eius legationis, cùm adhuc Abbas eſſet, meminit Aimoinus lib. v. cap. XXVII. Peruersè autem faciunt, qui hunc cum altero antiquiore Anſegiſo confundunt Abbate Lobienſi, qui Caroli magni & Ludouici Pij capitula in quatuor libros digeſſit anno DCCCXXVII.

Quamuis de ſanctitatis tuæ.] Superſtite Hincmaro Laudunenſi alium in eius locum ſubrogari iubet, Carolo Imperatori de illius depoſitione aſſentiens, quam Hadrianus improbarat. Itaque tertio pòſt menſe, vt mox patebit, electus eſt Hedenulfus.

Pag. 429. *Relatione vera.*] Eorum qui tunc à Carolo deſciuere princeps fuit, Aimoino teſte Ingelramnus nuper Camerarius, regíque intimus, hunc Ludouico Germaniæ regi auctor fraterni regni inuadendi. De his ergo Aimoinus idem lib. v. cap. XXX. *Ad obſiſtendum*, inquit, *Ludouico primores regni Caroli, iubente Richilde regina, ſacramento ſe confirmauerunt, quod non ſeruauerunt: ſed ex ſua parte regnum Caroli peſſundantes hoſtili more deuaſtauere. Similiter & Ludouicus cum ſuo exercitu idem regnum peſſundedit.*

CONC. PONTIGONENSE.

Pag. 434. ACTORVM huius Concilij hactenus perpauca, eáque mutila, & cum Ticinenſibus confuſa geſtis habebamus. Nunc multis partibus auctiora, & notis quæque ſuis diſtincta prodeunt, adſcitis etiam ex diuerſis exemplaribus epiſtolis Pontificiis, quæ in hoc Concilio recitatæ ferebantur, & pluſculis aliis monimentis ad eandem Synodum ſpectantibus, quorum fit mentio ferè omnium in ſynopſi Aimoini. Conſtat ergo primùm Romæ coronatum fuiſſe Carolum Imperatorem die Natalis Domini ſub finem anni DCCCLXXV. cuius coronationis, vt dixi, acta non exſtant. Tum deinde celebratum à nouo Imperatore conuentum fuiſſe Ticinenſem menſe Februario DCCCLXXVI. in eóque ab Epiſcopis & optimatibus regni Italici acclamatum ſuſceptúmque Imperatorem, & condita capitula XII. Poſtremò in Synodo Pontigonenſi, menſe Iunio eiuſdem anni, ſuſceptum pariter à Gallis Imperatorem, & Ticinenſia capitula confirmata. Itaque ſubſcriptionum, quæ hic geminæ leguntur, priores, quæ Itali-

corum ſunt præſulum & optimatum, ad Synodum Ticinenſem pertinent: poſteriores, quæ Gallorum ſunt, ad Pontigonenſem referendæ, non ad Ticinenſem, cui malè antea tribuebantur.

Pag.447. IVRAMENTVM.] Apud Pithœum poſt XII. ſcriptores coætaneos inſcribitur, *Generale omnium fidelium ſacramentum.* & veriſimile eſt ab omnibus exactum fuiſſe. Sed Hincmarus in libello ad Carolum Imp. quem in codice Leodienſi nacti ſumus, ſingula Iuramenti huius membra, vt inepta & aliena, exagitat, queritúrque à ſe poſt tot annos requiſitum eſſe, cùm ſatis eſſe deberet profeſſio, quam vt Archiepiſcopus ediderat. *Piæ*, inquit, *memoriæ pater veſter ab Epiſcopis, qui vel voluntarij vel inuiti in ſua deiectione conſenſerunt, ſed nec ab ipſo Ebone, qui auctor & incentor ipſius deiectionis duntaxat inter Epiſcopos fuit, non aliud ſacramentum, niſi libellos profeſſionis à ſe ſubſcriptos, quos ego habeo, requiſiuit. Et à me, qui ante profeſſionem & ſubſcriptionem, & poſt profeſſionem ac ſubſcriptionem, profeſſa & ſubſcripta per tot annos à iuuentute vſque ad hanc ſenectutem ſeruaui, nunc iuramentum aliud non debuiſſet requiri. Sed non mirum eſt, ſi per baiulos inuidiæ ſine cauſa animus benignitatis veſtræ commotus nunc à me requirit, quod nec pater veſter in vita ſua, qui mihi per octo circiter annos ſecreta ſua indubitanter credidit, requiſiuit, nec vos per triginta & ſex annos hactenus requiſiſtis.* Hincmarum aliis Epiſcopis auctorem fuiſſe, vt Ludouicum regem & Germania venientem ſuſciperent, indicat eius epiſtola v.

Pag.453. *Anſegiſo & Adalgario.*] Miſſi ambo Romam à Carolo fuerant, cum legatis Apoſtolicis poſt Synodum Pontigonenſem. Aimoinus lib.v. cap.XXXIII. *Soluta eſt Synodus. Poſtea Imperator legatos muneratos Apoſtolicos, Leonem & Petrum, remiſit Romam, & cum eis Anſegiſum Senenſem Epiſcopum, & Adalgarium Auguſtidunenſem Epiſcopum.*

CONCILIVM ROMANVM.

Pag.457. IAM monui Petrum Pithœum, qui hæc primus in lucem protulit, falſum fuiſſe, quòd ea ad primam Caroli Imp. coronationem pertinere exiſtimauit. Non minùs autem aberrarunt, qui ad Ticinenſem poſtea Synodum referenda cenſuerunt, ac Synodo Ticinenſi in poſtrema Conciliorum editione adſcripſerunt. Pertinent enim ad aliam Synodum, quam Ioannes Papa Romæ Februario menſe habuit, anno DCCCLXXVII. in eáque Carolo imperium, quod à Germanis diſceptabatur, totius Synodi conſenſu iterum confirmauit. Cuius Synodi acta Adalgarius Epiſcopus, qui ad eam miſſus à Carolo fuerat, in Franciam detulit, vt narrat Aimoinus lib.v. cap.XXXV. quod & in vetuſto exemplari adnotatum eſt his verbis: *Synodus, quam attulit Adalgarius Epiſcopus de parte Iohannis Papæ, aliorúmque Epiſcoporum Karolo ad Vrbam ciuitatem, quando pergebat iſdem Karolus Romam.*

CONC. TRICASSINVM II.

IN digerendis actis decretíſque huius Concilij difficile fuit ſtatum ordinem tenere, tum quia ex diuerſis locis congeſta ſunt, tum quia non eumdem ordinem tradunt qui res in eo geſtas commemorant. Conſentiunt tamen de Lantberti & Adelberti, qui Eccleſiam Romanam & Pontificem vexabant, excommunicatione actum fuiſſe primo loco. Quare hinc etiam orſi ſumus. Pag.471.

PASCASIVS EPISCOPVS.] Nomen loci cui præfuit, in ceteris exemplaribus omiſſum, in vno tandem offendimus, & Amerinum Epiſcopum fuiſſe didicimus. Pag.480.

Coronatus Ludouicus] Ludouicum Balbum iam ſuperiore anno regem, coronarat Hincmarus Archiepiſcopus, vt videre eſt in actis illius coronationis poſt capitula Caroli calui. Nunc iterum à Papa coronam expetiit, exemplo Pippini abaui ſui, quem à Bonifacio primùm Archiepiſcopo, deinde iterum à Stephano Papa regem coronatum meminerat. Sunt autem, qui Ludouicum ab Ioanne coronam hoc loco non regni, ſed imperij, ſuſcepiſſe putent. Inde enim Ludouicum Balbum inter Imperatores plerique numerant tum exteri, tum noſtri etiam ſcriptores. Quod mirum certè mihi, falſúmque ſemper viſum eſt, cùm Ioannes ipſe Papa in epiſtola XLVII. & in aliis quas ad Ludouicum poſtea ſcripſit, ipſum regem non Imperatorem vocet: in epiſtola LXXI. ad Ludouicum & Carlomannum Ludouici Balbi filios, Caroli calui nepotes, Carolo eorum auo Imperatoris nomen tribuat, Ludouico patri nomen regis, Imperatorem haud dubiè appellaturus, ſi Imperator fuiſſet: Pag.486.

eodémque modo Hincmarus in epiſtolis, quarum meminit Flodoardus lib. III. cap. XIX. fratres iſtos reges Ludouici regis, non Imperatoris, filios hominet. Quid quòd Ludouici ipſius Balbi, vt alia omittam, diploma exſtat pro Eccleſia Niuernenſi, IV. Idus Septembres, hoc eſt triduo poſt coronationem iſtam Trecis datum, in quo non alium ſe quàm regem vocat his verbis, LVDOVICVS MISERICORDIA DEI REX? Rex ergo fuit, non Imperator: Imperatoris verò titulum, antiquis ignotum, alij poſtea temerè adfinxerunt.

Pag. 489. AGILMARVM EPISCOPVM.] Ex ſubſcriptionibus Synodi Tricaſſinæ, atque ex præcepto Caroli craſſi anno DCCCXXCV. Aruernorum Epiſcopum fuiſſe intelligimus.

Pag. 496. CONC. MANTALENSE.] Ex verbis Paradini, qui hanc Synodum primus in lucem dedit, ſubſcriptiones concinnauimus, ſeriem ſecuti Epiſcoporum quos interfuiſſe narrat. Confirmant porrò Epiſcopi quod modò adſtruebamus. Nam Ludouicum Calui filium regem vocant, non Imperatorem.

CONC. APVD S. MACRAM.

Pag. 502. FINIBVS REMENSIS PAROCHIÆ.] Hodie FIMAS vocitant, celebre oppidum martyrio & cultu S. Macræ virginis. Olim FINES dicebant, quia in finibus pagi Remenſis & Sueſſionici. Itinerarium vetus. *Auguſta Sueſſorum. Fines. Durocortorum* Remorum. Synodi ergo apud Martyrium S. Macræ plures habitæ memorantur. Huius autem, in qua verſamur, meminit Hincmarus epiſtola III. cap. V. XI. & XXXVII. item epiſtola IV. cap. I. & XVII. & aliis locis. Meminit etiam epiſtolæ, quæ non exſtat, ab hac Synodo directæ ad Ludouicum regem in epiſtola quam eidem regi ſcripſit pro electione Epiſcopi Beluacenſis.

Pag. 505. *De rapinis compeſcendis.*] Hincmarus epiſtola IV. cap. XVII. *De rapinis compeſcendis, & pace reſtituenda, ex ſacris ſcripturis, Eccleſiaſticarum legum definitionibus, ac legum ſacrarum conſtitutionibus ſufficienter ex Synodali conuentu apud Martyrium B. Macræ nuper habito collecta fratri huius regis noſtri nuper defuncto per Epiſcopos miſimus.*

Pag. 522. CONC. IN VILLA PORTV.] In iiſdem Narbonenſibus ſchedis aliud etiam memoratur Concilium Toloſæ à Sigebodo Metropolitano aliquot ante annos habitum Iudæorum cauſa, qui ſe duriùs tractari querebantur, aduerſus Bernardum Toloſanum Epiſcopum, in eóque Concilio confutatos atque conuictos fuiſſe Iudæos à Theodardo nondum Epiſcopo.

CONC. CABILONENSE.] In codice Beſuenſi annus adſcriptus eſt DCCCXXCVI. Indictione V. quæ duo minimè cohærent. Sed caſtiganda potiùs Indictio, vt Indictio IV. ſcribatur, & reſtituendus Chriſti annus vt in autographo. Ita fiet vt Concilium hoc ſuperiori anteponi debeat. Pag. 523.

CONCILIVM METENSE.

IRREPSIT in contextum nota annorum Chriſti, & Arnulfi, quæ abeſt à vulgatis, nec conſtare de illa poteſt niſi ope veteris alicuius exemplaris. Si coniecturæ indulgendum eſt, poſſit fortaſſe Concilium hoc ad annum DCCCXCIII. non ineptè referri, quo anno, vt auctor eſt Regino, Arnulfus in Lotharij regnum venit, & præcipuas eius vrbes luſtrauit, poſt bella Nortmannorum, quæ proximis duobus annis anteceſſerant. Pag. 524.

CONC. VALENTINVM.] Ludouici, Baſonis filij, qui poſtea etiam Romæ imperium eſt adeptus, varia exſtant diplomata, Viennæ vt plurimum exarata, & Alexandri Archicancellarij, qui Archiepiſcopus fuit Viennenſis, nomine ſubnotata. Cuiuſmodi eſt illud Arelati Kalēdis Februariis anno XX. editum, quo Manaſſi Archiepiſcopo propinquo ſuo confirmat, res omnes Eccleſiæ Arelatenſis, quas Boſo ipſius pater Roſtagno Manaſſis deceſſori conceſſerat. Pag. 529.

CONCILIVM VIENNENSE.

EDITVM à Baronio in Appendice tomi XII. ex codice Maſſoniano, qui nunc eſt in bibliotheca Archiepiſcopi Toloſani, viſuntur & alia eorumdem canonum quædam exemplaria. Pag. 530.

CONC. REMENSE.] Arguebatur Balduinus, quòd presbyterum flagellarat, quòd baſilicas presbyteris quibuſdam abſtulerat, aliiſque dederat inconſulto Epiſcopo, quòd Nouiomenſis Eccleſiæ res inuaſerat, & monaſterium quoddam ſibi vſurparat, quòd denique contra regem inſurrexerat. Hæc enim, Flodoardo teſte, capita ſunt epiſtolæ, quam Fulco Pag. 531.

Balduino eidem poſt Synodum ſcripſit.

Pag.534. IOANNES HERIVEO.] In codice Tiliano poſt epiſtolam Ioannis ſequebatur prolixior altera eiuſdem argumenti ab eodem Heriueo Remenſi ad Vvigonem Rotomagenſem Archiepiſcopum ſcripta, cuius meminit Flodoardus lib. IV. capite XIV. ſed illa huius loci viſa non eſt. edita eſt autem poſt opuſcula & epiſtolas Hincmari Remenſis.

CONC. TROSLEIANVM.

Pag.535. TROSLEIVM vici nunc etiam nomen eſt paucis millibus diſtantis ab Auguſta Sueſſorum. Vbi & alia deinceps hoc ſæculo habita Concilia, quæ Flodoardus in Chronico identidem commemorat. huius enim an meminerit, quia partem illam Chronici mutilam habemus, incertum eſt. Videntur etiam hoc Concilium ignoraſſe canonum collectores Burchardus, Iuo, Gratianus, & poſteri, ita de illo ſilent omnes: niſi quòd noſtra memoria primus eius teſtimoniis in Epitome ſua vſus eſt Antonius Auguſtinus.

Pag.572. REMIGIVS LVGDVNENSIS.] Rectè hoc ex loco coniecit in Gallia ſua Chriſtiana Claudius Robertus, duos huius nominis Lugduni Archiepiſcopos fuiſſe. Quamquam enim vnicum agnoſcunt vulgati hactenus catalogi, duo tamen reuera fuerunt, duóſque in catalogo ſuo numerat Hugo Abbas Flauiniacenſis, qui ante annos quingentos ſcripſit. Sic enim ab eo recenſentur: *Amulus, Remigius, Aurelianus, Aluuala, Bernardus, Auſterius, Remigius, Anſchericus.*

Aduerſus Hilduinum.] Totius controuerſiæ ſummam compendio refert Frodoardus in Chronico DCCCCXX. *Hoc anno, ſequenti quoque, agitatur inter Hilduinum Epiſcopum & Richarium Abbatem de epiſcopatu Tungrenſi contentio. Siquidem rex illud Epiſcopium Richario, quia Hilduinus à ſe deſciuit cui prius ipſum conceſſerat, dedit. Hermannus verò Archiepiſcopus Hilduinum ibi Epiſcopum, eligente clero ac populo fauente necnon Giſleberto, quem plurimi Lotharienſes principem relicto Karolo rege delegerant, ordinauit. Karolus verò reuerſis ad ſe Lotharienſibus & ipſo Giſleberto, Richario Abbati, non Hilduino, ipſum Epiſcopatum conſentiebat.* & rurſus anno DCCCCXXII. *Richarius, qui Romam profectus fuerat propter Epiſcopium Tungrenſe, reuerſus eſt ordinatus à Ioanne Papa Epiſcopus, Hilduino ab ipſo Papa excommunicato, qui etiam illò abierat.*

Richero Abbati.] Abbas erat Prumienſis monaſterij. Giſlebertus verò, quem Lotharienſes Ducem ſibi adſciuerant, vt dictum eſt, Comes de Capræmonte dicitur à nonnullis. Pag.575.

CONC. INCERTI LOCI.] Huius exemplar alterum poſtea vidimus, quod adnotabat annum DCCCCXXIV. Pag.578.

ADELBERONIS METENSIS.] Depromptum eſt ex tabulario S. Arnulfi. Othonis verò Ducis Lotharienſium, cui Otho rex ducatum hunc aliquanto poſt Giſleberti mortem dederat, meminit in geſtis huiuſce anni DCCCCXLII. Flodoardus. Errat enim more ſuo Sigebertus Giſleberti obitum differens in annum DCCCCXLIII. Pag.582.

SYNODI EIVSDEM.] Narrationis huius prior pars, quæ Artaldi epiſtolam ad Synodum antecedit, ex Flodoardi Chronico petita eſt, epiſtola ex Hiſtoria Remenſi eiuſdem. Quæ verò epiſtolæ ſubiiciuntur, eadem ad verbum leguntur in Chronico & in Hiſtoria. Ceterùm in elencho Epiſcoporum Synodi quædam interpolata paulo aliter quàm apud Flodoardum. Pag.588.

CONC. AD MATRONAM.] De hoc Concilio Hugo Flauiniacenſis: *Anno,* inquit, DCCCCLXII. *celebrata eſt Synodus in pago Meldenſi ſuper Maternam fluuium. vbi abiectus eſt Hugo Remenſis peruaſor à Romana Synodo excommunicatus, & Odolricus inthronizatus à Vvidone Sueſſonenſi, Roricone Laudunenſi, Gibuino Catalaunenſi, Vvigfredo Virdunenſi, Aiſtulfo Nouiomenſi.* Pag.595.

IOANNIS XIII. EPISTOLA.] Meminit huius epiſtolæ Innocentius III. libro II. ad Bartolomæum Turonenſem. Quotus numero Ioannes hic fuerit vetus exemplar non exprimit. Nos ex Arduini Turonenſis Archiepiſcopi ætate Ioannem XIII. coniecimus. Quòd ſi exploratum non eſt, veriſimilius certè, quam vt ex aliorum ſententia Ioanni X. tribuatur, cui conuenire non poteſt. Pag.596.

CONC. REMENSE.] Sententiæ huius exemplum, ex vetere libro deſcriptum, Andreæ Quercetani diligẽtiæ debemus. Annum autem ex coniectura illum adſcripſimus, quo conſtabat damnatum à Benedicto VII. pulſúmque ab Apoſtolica ſede, quam inuaſerat, Franconem qui Bonifacius dicebatur. Theobaldum Pag.597.

porrò ante annos ferè xxx. Epiſcopum Ambianis ordinarat Hugo pſeudoarchiepiſcopus Remenſis. Quam ob cauſam excommunicatus iam fuerat in Synodo Treuirenſi, cui Marinus legatus præfuit anno DCCCCXLIX. & nunc iterum eadem ſententia percellitur.

Pag.598. *Decretum Adalberonis.*] Exſtat in Appendice ad Flodoardum. *Hic etiam*, inquir, *Adalbero Moſomenſe cœnobium à priori dignitate prolapſum in monaſticum ordinem reformauit, eiuſdémque reformationis tenorem, ne per ſuccedentia tempora immutaretur, huiuſmodi auctoritatis ſuæ priuilegio confirmauit.*

CONC. NAMNETENSE.

De epocha huius Concilij ſine auctoritate pronuntiare difficile eſt. Sed cùm duo eius canones, III. & X. inde tranſlati videantur in librum VII. Capitularium, antiquius omnino dici neceſſe eſt, quàm exiſtimarint ij, qui ſub annum Chriſti DCCCC. collocandum cenſuerunt. Quòd ſi quis ad Concilium illud Namnetenſe referri velit, quod Vitaliani Papæ temporibus ſub annum DCLVIII. magna Epiſcoporum frequentia celebratum ex Flodoardo didicimus, liberum eſto iudicium. Pag.602.

Finis Notarum ad Tom. III.

Digitized by Google

INDEX TOMI TERTII
CONCILIORVM GALLIÆ.

Ea ſimul complectens quæ in Appendice continentur, litteræ porrò, quæ paginarum numeris ſubiiciuntur, A. primam, B. mediam, C. poſtremam pagellæ partem denotant.

A

ABBAS negligens, & inconueniens regulis ſacris, remouendus, 141. *b.* Abbatum munus vſurpantes laici damnantur, 32.*c.*33.

Abbatiolæ ex caſis Dei in beneficium datæ, 88.*c.* abbatiæ Teutbergæ à Lothario rege promiſſæ, 372.*c.* abbatia S. Columbæ, 143. *c.* S. Remacli, & S. Columbani in Italia, 356.*a.*

ABBO Epiſcopus Autiſiodorenſis, 131. *c.* apud Saponar. 144.*c.* apud Tuſiacum, 163.*c.*

Abbo Epiſcopus Magalonenſis in Tricaſſ. II. 480.*b.*522.*b.*

Abbo Epiſcopus Maurogenſis, apud Saponar. 144. *c.* Maurianenſis, apud Tuſiac. 163.*c.*

Abbo Epiſcopus Niuernenſis, in Sueſſ. III. 297. *b.*299.*c.* Tricaſſ. 353.*b.* in Pontig. 443.*b.* Tricaſſ. II. 480.*a.*

Abbo Epiſcopus Sueſſionenſis, in Troſleiano, 569 *a.*578.*c.*

Abrincenſes, Abrincatinæ vrbis Epiſcopi, Aoſegaudus, 80.*a.* Vvalrbertus, 144.*c.*

ACCVSATIONIS occultæ fratrum prohibitæ. *Tricaſſ. II. c. 7.* 479. accuſationem nullus ſuſcipiat priuſquam rebus ſuis reſtituatur, 114.LXXI. & poteſtati ſuæ reddatur, 326 *c.* accuſationes & accuſatores, quos ſæculi leges non admittunt, canonum quoque decreta remouent, 115.CIII.

Accuſare abſens per ſcripturam nemo regulariter poteſt, 173.*c.* accuſatores quæcumque voluerint dicunt, 206.*b.* accuſator ſi conuincere non poteſt, rei pœnam paſſurus eſt, 114. XXC. accuſandi locum criminoſus non habet, 114. LXX. niſi proprias cauſas, non tamen Eccleſiaſticas, aſſerere voluerit, 146. *b.* accuſare viles perſonæ, niſi in propriis cauſis, non poſſunt, 115.CIV.

Accuſatores calomnioſos vel ſuſpicioſos nemo ſuſcipiat vel audiat, 115. CI. qui vnum crimen adprobat, ad alıud non admittatur, 114. LXX.

ACTARDVS Epiſcopus Namnetenſis, 276 *b.* in Sueſſ. III. 297. *b.* à Britonibus eiectus, 298. Synodi legatus ad Nicolaum, 299.*b.*302. *c.* in Tricaſſ. 358. *b.* teſtis in depoſitione Ebonis, 361. *a.* Romam à Carolo rege & à Synodo legatus, 364.*c.* vacantem pro illo Eccleſiam petit Carolus, 362.*a.* concedit eum pallij vſu Hadrianus etiam Metropolitanam, 365. *b.c.*367. 368. 369. iudex electus ab Hincmaro Lauduoenſi, 387. transfertur ad Eccleſiam Turonenſem, retento iure Namneticæ, 398. legatus Synodi Duziacenſis ad Hadrianum, 402.*b.*403.*a.c.*

Adahulfus Epiſcopus Bareinooenſis, apud Tuſiac. 163.

ADALARDVS Archiepiſcopus Turonenſis, 469. *b.* in Tricaſſ. II. 480.*a.*483.488.*c.* 489.*a.*519.*b.*

Adalardus Epiſcopus Aruernorum in teſtamento willelmi Comitis, 571.*b.*

Adalardus Epiſcopus Aoicienſis, in Cabilon. 572.*b.* Adalardos Comes, 435.*c.*

Adalbaldus Epiſcopus Bellicenſis, 523.*b.c.*

Adalbero Archiepiſcopos Remenſis, 597. *a.c.* monachos conſtituit in cœnobio Moſomenſi, 598.

Adalbero Epiſcopus Metenſis monachos conſtituit in cœnobio S. Arnulfi, 582. 583.*c.*584. in Conc. Engelen. 585.*c.*588.*c.*591.*c.*

Adalbertus Epiſcopus Laureacenſis in Engelen. 586. Bazſoenſis, 588.*b.*

Adalbertus Epiſcopus Mautiennæ, 470. *a.* in Mantalenſi, 497.*c.*518.*b.c.*

Adalbertus Epiſcopus Morinenſis in Pontigon. 443.*c.*

Adalbertus Marchio rebellis in Italia, 465.*b.*

Adalgagus Archiepiſcopus Hammaburgenſis in Engelen. 585.*c* 588.*b.*

Adalgarius abbas S. Crucis, 61.*b.*

Adalgarius diaconus in Synodo Duziacenſi, 400.*c.*

Adalgaudus Epiſcopos Vercellenſis, 437.*b.*

Adalgaudos presbyter, 446. *b.*

Adelardus Epiſcopus Veronenſis, 437.*c.*

Adelelmus Epiſcopus Laudunenſis, 578. *c.*

Adelelmus Epiſcopus Siluanectenſis, 578 *c.*

ADO Archiepiſcopus Viennenſis, apud *Tuſiac.* 182.186.*b.*351.*c.*376.377.612.*a.*

ADVENTIVS Epiſcopus Metenſis, 131. *c.* à Drogone nutritus, 243.*b.* apud Saponar. 144. *c.* in Aquiſgran. 157. *b.* apud Tuſiac. 163. *c.* in Aquiſgran. III. 189. purgat ſe, apud Nicolaum de cauſa Lotharij, 24·. intercedit pro eo Carolus rex, 243.*b.* veniam indulget Nicolaus, 244. Carolum regem coronat in regno Lotharij, 383.

Index Tomi III.

Adulteria & libidines in domibus ſuis prohibeant potentes, 56. *a.* adulterorum pœnitentia, *in Concilio Namnet. c.* 12. 605. 657. *c.* canones Iſaac de adulteriis, 656.

Ædui. v. *Auguſtodunenſes.*

ÆNEAS notarius ſacri palatij, 66. *a.* creatur Epiſcopus Pariſienſis, 93. *c.* 94. *c.* 118. *c.* apud Saponar. 144. *c.* apud Tuſiac. 163. *c.* in Sueſſ. III. 297. *b.* 299. *c.* 365. *b.* in Tricaſſ. 358. *b.*

Ætherius Epiſcopus Viuarienſis in Pontigon. 443. *b.* in Mantalenſi, 497. *c.*

Agapem pauperum qui defraudant eorum necatores vocantur, 155. *c.*

Agapitus II. Papa, 584. *b.* 588. *b.* 589. *a.*

Agathenſes Epiſcopi, Dagbertus, 163. *b.* Richardus, 497. *c.* Boſo, 522. Gerardus, 533. *c.*

Agenoldus abba in Concilio Virdunenſi, 583. *c.*

Agenulfus Epiſcopus Gabalitanus in Conc. Pontigon. 443. *b.* Gebaldanenſis, 491. *a.*

Agilbertus Epiſcopus Biterrenſis, 522. *b.*

Agilmarus Epiſcopus Viennenſis in Valent. III. 96. *a.* 105. *b* in Lingonenſi, 136. 155. *a.*

Agilmarus Epiſcopus Aruernorum, in Pontig. 443. *c.* in Tricaſſ. II. 480. *a.* Ioannem VIII. in Italiam redeuntem comitatus, 489. *b.* 521. *b*

AGIVS presbyter palatij, Aurelianenſis Epiſcopus, 21. *a.* Aius in Conc. Beluacen. 23. *a.* in Pariſ. 61. *b.* in Turon. IV. 69. *b.* in Sueſſion. II. 77. *a.* in Vermer. 91. *b.* 92. *b.* 94. *b.* apud Saponar. 144. *c.* apud Tuſiac. 163. *b.* Sueſſ. III. 297. *b.* 299. 305.

Agius Archiepiſcopus Narbonenſis, 571. *b.*

Agrippinenſes Epiſcopi, Guntarius, 131. *c.* Vvillebertus, 435. *c.* Herimannus, 573. *c.* Bruno, 596. Agrippinenſem Epiſcopum ſe inconſulto creatum approbare abnuit Hadrianus, 393. *b.*

Aimarus Epiſcopus Ruthenenſis in Pontig. 444. *c.* 490. *a.*

Aimoinus abbas S. Mauritij, 109. *c.*

Alnaldus abbas S. Carilefi in Conc. Pariſ. 61. *c.*

Airardus Archiepiſcopus Auſcenſis, 493. *b.*

Airardus Epiſcopus Nouiomagenſis, 578. *c.*

Aiulfus Archiepiſcopus Bituricenſis, iudex in depoſitione Ebonis, 83. *b.*

Albienſis Eccleſiæ Epiſcopus Lupus, 443. *c.* Elegius, 525. *b.*

Albuſtus abbas apud Ferratias in Pontig. 444. *a.*

Alchierus Epiſcopus Gratianopolitanus, 600. *c.*

Aldo Epiſcopus Lemouicenſis in Sueſſ. III. 297. *b.* 299. 302. *b.*

Aldricus Epiſcopus Cenomannenſis in Concilio Pariſ. 61. *b.* in Turon. IV. 69. *b.* paralyſi diſſolutus Metropolitano commendatur, 77. *b.*

Alduinus Epiſcopus Aueniotenſis, in Pontig. 443. *b.*

Alodes empti de facultatibus Eccleſiæ, 640. *b.*

Altaria ſub Eccleſia principali parochiæ, 3. *c.*

AMALRICVS Epiſcopus Turonorum in Sueſſ. II. 76. *a.* 77. *b.* 80. *a.* 81. *b.* iudex electus in cauſa Hincmari & clericorum Remenſium, 82. *b.*

Ambianenſes Epiſcopi, Ragenarius in Beluacenſi, 29. *a.* in Pariſ. 61. *b.* Hilmeradus, 69. *b.* Geroldus in Pontig. 443. Otgarius in Troſleiano, 569. *b.* Geroldus, 590. *b.* Theobaldus, 594.

Amelius Epiſcopus Vceticenſis, 522. *b.* 533. *c.*

Amulus Epiſcopus Lugdunenſis, 492. *a.*

Anaſtaſij II. Papæ epiſtola quibuſdam non probata, 289. *b.*

Anaſtaſius bibliothecarius, 453. *b.*

ANATHEMA nonniſi pro mortali crimine imponendum, nec ſine conſenſu Archiepiſcopi, vel coepiſcoporũ, 47. *c.* anathemate perpetuo damnatus, nec in fine communionem accipit, nec corpus eius cum pſalmis ad ſepulturam ducitur, 161. *c.* non ſolùm excommunicationis nexibus innodatus, verùm etiam vinculis anathematis obligatus, in gehenna cum diabolo deputabitur, 396. *a.*

Ancherıcus Archiepiſcopus Lugdunenſis, 579. *c.*

Andegauis obſeſſi Nortmanni à Carolo rege, 405. *b.* Andegauenſem Eccleſiam diripiunt Britones, 298. *c.*

Andegauorum Epiſcopus Dodo, 69. *b.*

Andreas Epiſcopus Florentinus, 437. *c.*

Angelberga Auguſta Ludouici Imp. Deo deuota, 501. *b.*

Angeli cum libero arbitrio conditi, 164. *c.* per liberum arbitrium lapſi, 165. *c.* Angeli quot electi remanſerunt, tot homines ſaluandi, 167. *c.*

Angelorum ignota nomina non recipiantur, 111.

Angilramnus Caroli magni ſummus Capellanus, & apocriſiarius ſedis Apoſtolicæ, 243. *c.*

Anſbertus Archiepiſcopus Mediolanenſis, 437. *b*

Anſcharij ſubdiaconi ſacramentum, 139. *b.*

Anſegaudus Epiſcopus Abrincenſis, in Sueſſ. II. 80. *b.* in Vermer. 91. 95. *b.*

ANSEGISVS abbas S. Michaëlis, electus Archiepiſcopus Senonenſis, 394. in Siluanect. 407. *b.* Vicarius ſedis Apoſtolicæ per Gallias & Germanias, 422. *a.* 434. *c.* 435. 436. in Pontig. 442. *c.* 445. *b.* 453. *b.* perſtringitur à Ioanne PP. 454. *a.* 469. *b.* Senonenſis in Tricaſſ. II. 480. *a.* 494. *c.* 600. *a.*

Auſelmus Epiſcopus Lemouicenſis, in Pontig. 442. *c.* 487. *c.* 492. *b.*

Anuli & baculi Epiſcoporum, 361. *c.* 522. *c.* per ferulam, pitacium, & anulum conſtituitur Archiepiſcopus, 402. *b.*

Anulus à Iudith Auguſta Eboni datus, 360. *a.*

Apoſtolicus Vicarius B. Petri, 70. *a.* 435. *c.*

APPELLATIONES ad ſedem Apoſtolicam ſancitæ, 201. *b.* 207. anni metis non præſcribuntur, 281. *b.* appellantes ad ſedem Apoſtolicam Vicarij eiuſdem ſedis audientiæ primùm ſe ſubmittant, 10. *a.* non vexandi, neque impediendi, 203. 204. 206. 208. 211. à nullo iudicandi, 72. *c.*

Appellans ad ſedem Apoſtolicam Rothadus Sueſſionenſis contra regulas depoſitus, 208. 251. *c.*

Appellant Hincmarus Laudunenſis, 374. Herlefridus presbyter Eccleſia ſua priuatus ab Epiſcopo, 376. Artaldus Remenſis, 590.

AQVAM benedictam presbyteri cum ſuis populis in circuitu Eccleſiarum deferant, 115. 227. aquam conſecratam qui vult accipere in ſabbato ſancto, vel Pentecoſte, ante infuſionem chriſmatis accipiat, 113. 211. 673. *b.* aqua benedicta, omni die Dominico ante Miſſam facienda, 619. *a.*

Aquitania Carolo in partem data, 72. c. ſub Pippino iumore vaſtata. *Ibid.* Aquitanorum rex Ludouicus pius, 359. Carolus Calui filius, 361. *a.* epiſtola Nicolai ad Aquitanos, vt Eccleſiis ablata reſtituant, 319. Synodi Duziacenſis ad eoſdem, aduerſus inceſta matrimonia, & peruaſores rerum Eccleſiaſticarum, 406. Synodi Tuſiacenſis ad Epiſcopos Aquitaniæ, de nuptiis Stephani, 175.

Arborum & lapidum ſuperſtitioſi cultus, 607. *b.*

Archidiaconvs reos monachos ad Epiſcopi audientiam deducit, 78. *a.* ordinandos offert Epiſcopo, 88. *a.* ſeruans locum Archidiaconi. 80. *c.* 81. Archidiaconibus data ab Hincmaro capitula de eorum officio, 641. presbyteros ne grauent, dum viſitant, 641. *c.* 642.

Archidiaconi ruſticanas parochias ne confundant vel diuidant, 641. *a.* capellas domeſticas non concedant, [illegible] decanos quomodo eligere debeant, 643. c.

Archidiaconus Viennenſis in Concilio Valentino liber pronuntiatus, *c.* 23. 105.

Archiepiscopi ſine Coepiſcopis, niſi quæ ad proprias pertinent Eccleſias, non debent præſumere, 118. *a.* Archiepiſcopus Epiſcopi infirmi Eccleſiæ cum eius voluntate proſpicit, Archiepiſcopi infirmi Eccleſiæ ipſemet, cum Epiſcoporum conſilio, 45. *b.*

Archipresbyteri per decanias conſtituti, 2. *b.* Archipresbyteri ordinandos offerunt. *Namnet. c.* 2. 604.

Ardradus Epiſcopus Cabilonenſis, 532. *c.* 533. 571. *b.* 572. *b.*

Arduicus Veſontionum metropolitanus Epiſcopus. *Saponar.* 144. *b.* 148. *a.* *Tuſiac.* 162. *a.*

Arduinus Epiſcopus Turonenſis, 596. *b.*

Arduinus Epiſcopus Vellauorum. *Tuſiac.* 163. *b.* *Sueſſ. III.* 297. 299. 302.

Arelatenses Epiſcopi, Rodlandus, 96. *a.* Roſtagnus, 443. *a.* Arelatenſibus Epiſcopis vices ſuas delegare ſoliti Pontifices Romani, 239. *b.*

Aribertus Epiſcopus Ebredunenſis Venciatibus, reiecto electo, ordinat Epiſcopum, 463. *c.* 469. *a*

Arma bellica clerici non tractent, 673. *b.*

Arnaldus Epiſcopus Leucorum in Pontig. 443. *c.* *Tricaſſ.* 480. *b.* Arnoldus in Metenſi, 534. *c.*

Arnulfus rex in Conc. Metenſi, 515. *b.* 528. *c.* 529. *c*

Arnulfus Epiſcopus Tullenſis, apud Saponar. 144. *c.* apud Tuſiac. 163. *b.* in Aquiſgr. III. 189. in coronatione Caroli Metis, 384. *b.*

Arſenius Epiſcopus Hortenſis legatus ſedis Apoſtolicæ, 267. *c.* 269. *a.* 270. *b.* 272. *c.* eius ſententia excommunicationis in Ingeltrudem. 279. 341. *c.*

Artaldus Epiſcopus Remorum, 580. *b.* 581. *a.* *b.* ſede ſua deiectus, 581. *b.* in eamdem reſtitutus in Conc. Virduenſi, 583. c. atque in Moſomenſi, 584. & in Engelenheimenſi, 587. Artoldi literæ ad Synodum Engelen. 592. in Conc. Treuirenſi, 593. 594 595. *a.*

Arvernorvm Comes Stephanus, 226. *b.* Aruernorum Epiſcopi, Stabilis, 163. *b.* Sigo, 226. *c.* Agilmarus, 443. Adalardus, 571. *b.*

Athanaſij ſymbolum diſcere iuſſi omnes presbyteri, 618. *b.*

Attiniacum palatium, 117. *b.* Concilium decem prouinciarum, 386.

Atto Epiſcopus Virdunenſis è monaſterio S. Germani Autiſiodorenſis, 140. *a.* apud Saponar. 144. *c.* in Aquiſgr. 157. *c.* Lotharij regis legatus ad Nicolaum Papam, 158. *b.* apud Tuſiac. 163. *a.* in Aquiſg. III. 189. c. 324. *b.* in coronatione Caroli Metis, 387.

Atto Epiſcopus in teſtamento Vvillelmi Comitis Aruernorum, 571. *b.*

Audeſindus Epiſcopus Roſcellenſium, apud Tuſiac. 163. *a.*

Audinus Chorepiſcopus in Concilio Valentino III. 107. *b.*

Auennicorum Epiſcopi Hilduinus, 163. *b.* Rotfredus, 475. *a.*

Auguſta ciuitas, 279. *b.*

Avgvstodvnensis Eccleſiæ Bernum conſecrari Epiſcopum poſtulat rex Carolus, 68. *a.* Epiſcopo Alteo pallium dare abnuit Leo IV. 74. *b.* Epiſcopus Ionas, 80. *a.* Liudo, 297. *b.* Adalgarius, 443. Herineus, 571. Rotmundus, 600. *a.*

Aurelianenſes Epiſcopi, Agius, 21. *a.* Vvalterus, 443.

Aurelianus Archiepiſcopus Lugdunenſis in Pontigon. 443. *a.* 469. *a.* Tricaſſ. II. 474. *b.* 480. *a.* 492. in Mantalenſi, 497. *b.* 523. *b.* *c.* 529. *c.* 531. *c.*

Auſterius Archiepiſcopus Lugdunenſis, 571. *b.*

Autgarius Epiſcopus Lutenenſis, 533. c.

Avtisiodorenses Epiſcopi, Abbo, 131. *c* Chriſtianus, 163. *a.* Vvala, 443. *c.*

Azo Epiſcopus Eporedienſis.

B.

Badaradvs Epiſcopus iudex in depoſitione Ebonis, 38. *c.* 361. *c.*

Baierna villa, 142. 1.

Baiocenſes Epiſcopi, Baltfridus, Vvaltfridus, 61. *b.* 69. *b.* Tortoldus diaconus Epiſcopalem ſedem occupat, 138. *c.* 144. *a.* Erchambertus, 144. *c.*

Baldemarus Epiſcopus in Conc. Valent. III. 107. *b.*

Baldericus Epiſcopus Traiectenſis in Engelen. 586. *a.* 588. *b.*

Balduinus Comes Iudith Caroli regis filiam ſine patris conſenſu coniugem rapit, 194. *a.* 209. *c.* ob eam rem ab Epiſcopis excommunicatur, 213. *a.* Romam ad Nicolaum interceſſionis cauſa pergit, 194. *a.* Balduini cauſa Nicolaus Carolo gratias agit, 317. *a.*

Balduinus Comes Flandrenſis à Synodo Remēſi correptus, 511. *b.*

Baltfridus Epiſcopus Baiocenſis in Conc. Pariſ. 61. *a.* Vvaltfridus in Turon. IV. 69. *b.* in Sueſſ. II. 80. *b.* in Vermer. 91. *b.* 91. *b.*

Baptismi ſacramentum extra loca & tempora conſtituta, niſi cauſa ægritudinis vel neceſſitatis, conferre non licet, 45. *c.*

112. xxxi. fide perdita non amittitur ab apoſtata, & ideo redeunti non redditur, 182. c 184. e. qui ad ſacrum fontem accedit ſuum nomen dare præcipitur, 81. b. pretium pro baptiſmo nullus accipiat, 112. xxxi.

Baptizandi ſunt infantes de quibus ambiguum eſt, 112. xxxii. 674. c. baptizati omnes abluuntur à peccatis, ſed non omnes ſaluantur, 99. a. baptiſma conferre poſſunt etiam damnati Epiſcopi, 85. a. filium aut filiam nullus à fonte ſuſcipiat, 113. xxxviii. de fonte nemo aliquem ſuſcipiat, niſi orationem dominicam & ſymbolum teneat, 113. lv. non eſt ſeparandus ab vxore, qui filium ſuum cogente neceſſitate baptizauit, 492. b. ſcrutiniom & ordinem baptizandi preſbytero ignorare non liceat, 618. e.

Baptiſmales Eccleſiæ. 45. c. 441. b.

Barcinonenſes Epiſcopi, Adahulfus, 163. a. Frodoinus, 480.

Baſileenſes Epiſcopi Fredebertus, 144. c. wichardus, 586. a.

Basilicam in prædio ſuo condere qui voluerit, dotem conferat, & matri Eccleſiæ ſubmittat, 101. c. baſilicæ à Chorepiſcopis conſecratæ iterum ab Epiſcopis conſecrandæ. *Meld. c.* 8. 527. baſilicæ, quarum dotes auferuntur à laicis, deſtruendæ, vt alio loco pacificè conſtruantur, 101. c.

Bauo abbas Orbacis, 66. a. *in Sueſſ. II.* 80. b.

Bellertudis ſoror Lotharij regis, vidua Berengarij Comitis, 330. b.

Balvacum, Beluacenſe Concilium, 23. a. 28. b. 36. c. 286. c. 356. b. Bellouacenſis pagus, 599. b.

Beloacenſes Epiſcopi, Hildemannus, 85. b. Irminfridos, 61. a. Odo, 206. b. Erluinus, 569. a. Hildegarius, 580. e.

Benedictus III. Papa epiſtolam ad Hincmarum ſcribit de Synodo Sueſſionenſi, 107. ad Epiſcopos in regno Caroli, de Huberto clerico, 109. 148. b. 216. a. 217. c. 237. c. 275. c. 276. a. 283. a. c. 287. a. b. 300. a. 303. b. 306. a. 368. a.

S. Benedicti regula, 66. b. 78 a. 301. 302. 420. b. 570. b.

Benedictus Epiſcopus Cremonenſis, 406 c.

Benedictus Epiſcopus Forouilienſis, 533. c.

Beneficia quidam ſibi ſubtrahi dum metuunt pro iuſtitia loqui renuũt. 323. b. capellæ & abbatiolæ in beneficium ab Eccleſiis datæ, 88. a. ſuper beneficia Eccleſiaſtica, vel præſtarias, præcepta regia non facienda, 90. b. res beneficiatæ, 123. b. diuerſæ res & præſidia Eccleſiæ Soeſſionicæ in beneficium data, 256. c.

Berardus Epiſcopus Virdunenſis in Conc. Pontigonenſi, 443. c.

Berengarius Epiſcopus Maſſilienſis, 522. b.

Berengarius, Beringerus Epiſcopus Virdunenſis in Engelen. 586. c. 588. c.

Berengarius Imp. 576. a. c. 577. a.

Berengarius & Conanus eius filius Britones, 596. e.

Bernaldus Epiſcopus Matiſconenſis in Sueſſion. III. 297. b. 299. c. 302. in Cabilon. 406. c.

Bernardus abbas Floriacenſis, 80. b.

Bernardus abbas Sollemniacenſis, 301. b.

Bernardus Epiſcopus Halberſtatenſis, 585. c. 588. e.

Bernardus Epiſcopus Toloſanus, 522. e.

Bernardus Comes in Ticinenſi, 438. a. 489. c. 517. b. filius Beroardi & Belihildis excommunicatus in Tricaſſ. II. 487. b. Bernardus Marchio, 470. c. 471. b.

Bernarius, diaconus olim Remigij Lugdun. Epiſcopi, poſtea Lotharij regis, Gratianopolitanus Epiſcopus ordinatur, 376. 377. in Pontig. 443. b. 470. a. in Tricaſſ. II. 480. a. in Mantalenſi, 497. b. 518. a. 519. a.

Berno abbas, 570. c.

Berno Epiſcopus Catalaunorum in Tricaſſ. II. 480. b.

Bernoinus Archiepiſcopus Viennenſis, 523. c. 529. a.

Bernus propinquus Caroli regis Auguſtodunenſi Eccleſiæ præponendus ab eo proponitur, 68.

Bertildis mœcha vxor Roſtagni reuocari iuſſa, 491. a.

Bertmundus Epiſcopus E[illegible]dunenſis, in Pontigonenſi, 443. a.

Bertulfus Epiſcopus Treuirenſis, 472. a.

Betto monachus ab Aruentio miſſus ad Carolum, à Carolo ad Nicolaum, 243. 244.

Biberes ſinguli, 606. a.

Bibliothecarius Ludouici pij regis Aquitaniæ Ebbo, 359. b. Hilduinus, 444. a. Anaſtaſius bibliothecarius, 423. b.

Birico Epiſcopus Vappincenſis in Pontig. 443. b. Biraco in Mantalenſi, 497. c.

Biterrenſes Epiſcopi, Maricus, 480. b. Agilbertus, 522. b.

Bituricæ ciuitatis Epiſcopus Rodulfus, 28. b. Vulfadus, 300. b. Madalbertus, 571. b. Primas Archiepiſcopi Narbonenſis, 235. b. Bituricenſis prouinciæ Synodus, 287. c.

Bodo Epiſcopus Aquenſis in Ticinenſi, 437. b.

Bodradus Comes palatij, in Ticin. 438. a.

Boſo Dux Italiæ conſtitutus à Carolo Imp. 421. c. Boſo Dux inclytus, & ſacri palatij Archiminiſter, atque Imperialis Miſſus, *in Ticin.* 438. a. 489. b. 495. b. c. rex creatus, 496. 497. 495. b. c. rex creatus, 496. 497. 498. 501. b. 516. a. c.

Boſo pater Huberti clerici, 109. b. Teutbergæ, 198. b.

Boſo Comes, cuius vxor Ingeltrudis fugitiua, 159. a. b. c. 229. c. 231. c. 242. b. 279. 329. c. 344. a. mortous, 472. a.

Boſo abbas S. Benedicti, 355. b.

Boſo Epiſcopus Agathenſis, 522 b.

Breidingus Epiſcopus Matiſconenſis, *in Sueſſ. II.* 80. b. Braidingus *in Verm.* 91. b. 92. c. Breidincus *Tuſiac.* 163. a.

Breona villa, 143. b. 145 b.

Breuiculos ſcribere prohibentur monachæ, ſine præcepto abbatiſſæ, 415. c.

Britannis petentibus certæ ſedes à Francis conceſſæ, 70. b. Britones Francis ab initio ſubiecti tributum eis pendebant, 149. a. Britonum mores taxantur, 298. vicinas Eccleſias infeſtant. *Ibid.* & 362. à Metropolitano Turonenſi excommunicantur, 140. c. 148. b. 149. b.

Britanni nullam in ſua regione Metropolitanam Eccleſiam habuiſſe memorantur, ſed ſuffraganei Turonenſis ſunt omnes Epiſcopi, 237. a. Britones Turonicam prouinciam diſcindunt, & Dolenſem metropolim ſtatuunt, 298. a. c.

Epiſcopi legitimi ſedibus ſuis pulſi à Nomenoio, & mercenarij introducti, 70.*a*.298.*c*. de his iudicium coram Turonenſi vel Romano Pontifice habendum decernit Nicolaus, 576. 277.

Britonum Epiſcopos à Metropoli ſua ſe diſcindere molientes, vt ei ſe ſubdant, hortatur ſuis literis Synodus apud Saponar. 140. 148.*c*. idem præcipit Ioanoes VIII. 488.*c*. & Ioãnes XIII. 596.

Britonum Epiſcopi ſortibus in iudiciis ſuis vſi, 75.*b*.

Bruno abbas, frater Ottonis regis, 583.*c*. Archiepiſcopus Coloniæ, 596.*a*.

Buccellas ad Eccleſiam adferre, & primitias, fideles monendi, 115. cxiv.

Bulgares ad fidem Chriſtianam conuerſi, 331.*c*.

Burchardus Carnotenſis Epiſcopus ordinari iuſſos, 77.*a*.

Burdegala Nortmannorum incurſibus deleta, 448. ab his Frotarius Epiſcopus ſede ſua eiectus, 448.*b*.

Burgaudus inuaſor rerum Eccleſiæ Laudunenſis, 351.*b*.

C.

CAbilonenses Epiſcopi, Godelſadus, 68 *c*. Giiboldus, 597. *b*. Stephanus, 523. Ardradus, 531. *c*. Hildebaldus, 600. *b*. Cabilonenſi Eccleſiæ ius electionis conceſſum à Carolo Craſſo, 521.*b*.

Cabilonenſe Concilium, 406. aliud, 523. aliud, 535. aliud, 571. Cabilone furtum paſſus Ioannes VIII. Papa, 468.*c*.

Cadurcorum Epiſcopus Vvillelmus, 443.*b*.

Calices quo ſint metallo, 653. *b*. non dandi in wadiom. 620.*b*.

Cameracenſis Eccleſia de regno Lotharij, 221.*b*. Cameracenſis Epiſcopi Theodericus, 60. *c*. Ioannes, 597. *b*. Dodilo, 532. Stephanus, 569. *b*. Fulbertus, 588.*c*.

Canones & Decretales quæ habeãtur in canone, 73.*c*. Canoonum liber, 174. *a*. Canones ignorare nulli ſacerdotum eſt permiſſum, 111 *b*.

Canonum ſtatuta omnes cuſtodiant, 41. *c*. contra canones qui fecerit gradus periculo ſubiaceat, 44. ſi Eccleſiaſticus, gradum, ſi ſæcularis eſt, honorem amittat. *Meld. c.* 79. 57. *b*. canonica interdicta qui non ſeruat, gradu ſubmouendus, 114. xcii. contra canonum ſtatuta qui fecerit, laicos communione, clericus honore priuetur, 116. cxxiii.

Canonum ſtatuta qui non recipit, nec fidem catholicam retinere videtur, 74 *a*.

Canonica forma, & monaſtica religio, 14. *a*. canonica, & monaſteria Eccleſiæ Remenſis, 86. *a*. Canonicorum in ciuitate vel monaſteriis inſtitutio & diſciplina, 46.*c*.

Capellae cum Eccleſiis coniunctæ, 526. *a*. capella, aut titulus per ſe conſtans, 606.*b*.612. *c*. capellæ, vel matrices Eccleſiæ, 653. *a*. capellæ ex caſis Dei in beneficium datæ, 88.*c*.

Capellæ villarum regiarum laicis non committantur, 56. *b*. capellis virorum potentum qui miniſtrant, omnia vitia in eorum domibus reſecent, 56. *a*. capellam domi habere ſine Epiſcopi licentia concedere Archidiaconi non poſſunt, 943.*a*.

Capitula Toloſana I. capitula in Sparnaco excerpta, 61. capitula Herardi Turonenſis, 111. capitula Synodi Ticinenſis, 438. capitula Synodi Lingonenſis, 140.*c*. capitula Miſſis Dominicis à Carolo rege data, 87.*b*.93.*b*. capitula Epiſcoporum ad Ludouicum regem Germ. 117.

Capitula quatuor à Gotheſcalco condita, 64. *b*. capitula quatuor apud Cariſiacum edita, 66.*b*. eadem in Concilio Valentino relecta, *c*. 4.98. capitula xix. Ioannis Scoti in Concilio Valentino exploſa, *c*.4.98.

Capitulorum obſeruatio ſancita, 4.*b*. 8.*c*. 54. *b*. 36.*b*.57.*a*.*c*.58.*c*.

Carcaſonenſiom Epiſcopi, Eurus, 163. *a*. Giſlemannus, 522.*b*. Gimara, 533.*c*.

Cardinales tituli in vrbibus & ſuburbiis, 47. *b*. cardinalis Metropolitaous Turonicæ Eccleſiæ conſtitutus Actardos Epiſcopus, 398. *a*. 402. *b*. cardinalis in Bituricenſi Eccleſia Frotarius Burdegalenſis, 447.*c*. incardinari iuſſus viduatæ Eccleſiæ vacans Epiſcopus Actardus, 365.*a*.*c*.

S. Carileſi monachorum cum Epiſcoporum Cenomannenſi controuerſia, 199.200.205.

Cariſiacum palatium, 65.117. Concilium apud Cariſiacum, 65. Syoodus Cariſiaca, 110. *c*. 117.

Caritas qualis vera ſit, & quàm neceſſaria, 121.*a*. caritas & hoſpitalitas populo commendanda, 111.cxv.

Carlomannus princeps Synodum conuocat Liptinenſem, 18. *b*.

Carlus princeps, Pippini regis pater, primus inter Francorum reges res Eccleſiarum ab eis ſeparauit, 152.*b*.

Carnotenſes Epiſcopi, Helias, 61.*b*. Burchardus, 77. Frobaldus, 94.*c*. Giſlebertus, 144.*c*.

Carolvs magnus Imp. Romanorum Francorũmque concorporauit imperium, 9. *c*. nomen quod familiæ ſuæ peperit clariſſimis actibus adornauit, 18. *c*. 49. *c*. rempublicam prælijs auxit, victoriis dilatauit, ſapientia decorauit, 457.*b*.

Caroli regio adhuc in nomine conſtituti edictum de non vſurpandis rebus Eccleſiarum, 123. *b*. 559.*b*. ſacramentum oblatum S. Petro, relectum in Tricaſſ. II. 475. *b*. lex de compoſitione ſacrilegij, 481 *a*. mos agendi cum ſuis conſiliariis, 514. capitula, 57. *a*. 88.*b*.123.*b*.

Carolvs caluus, Ludouici pij filius, Prumia monaſterio reclusus, quo tempore in patrem eſt coniuratum, 360. *a*. rex Aurelianis conſecratus, 145. *b*. pacificatur cum fratribus, 5. *a*. 17. *c*. Concilium cum iiſdem celebrat apud Theodoniſuillam, 17. Concilio intereſt Sueſſionico II. 75. *c*. 80. *b*. & apud Saponarias, 137. laudatur à Nicolao Papa, 212.*c*. placatur ob duriorem increpationem, 214.*c*. reginam coniugem cur poſt tot annos vngendam curarit, 292.*b*. in regno Lotharij poſt eius mortem coronatur, 383. ob regnum Lotharij occupatum reprehenditur ab Hadriano, 387. &c. Imperator Romæ creatus à Ioanoe VIII. 421. eius

electio Ticini confirmatur ab Italicis, 437. & apud Pontigonem à Ciſalpinis, 438. Romæ iterum confirmata in Synodo, 457. mortuus, 464. filij eius æquiuoci Aquitaniæ regis infirmitas, 614. *c.*

Caroli calui regis Capitulare Toloſanum de exactionibus Eccleſiarum, 1. Capitula Epiſcopis promiſſa in Concilio Beluacenſi, 23. proclamatio aduerſus Vvenilonem Senonenſem, 140. Caroli filiam Iudith rapit Balduinus, 192. eius regnum inuadit rex Ludouicus, 117. *&c.* pacatur cum eodem Ludouico, 138. *a.* excitatur à Nicolao ad pacem cum Ludouico Imp. conſeruandam, 267. defenditur à Ioanne VIII. contra Ludouici regis alteram inuaſionem, 423. *&c.* eius arma implorat Ioannes contra Sarracenos, 451. 453.

Caroli regis epiſtola ad Nicolaum Papam, pro Aduentio Epiſcopo Metenſi, 243. ad eumdem, vt Vvlfado committere liceat Eccleſiam Bituricenſem, 613. *c.* ad eundem, de actis in Synodo III. Sueſſionenſi, 300. ad eumdem, de cauſa Ebbonis, & accelerata Vvlfadi promotione, 339. Adoni Viennenſi, vel ordinet Bernarium Epiſcopum Gratianopoli, 376.

Carlomannus, Calui filius, clericus & abbas plurimorum monaſteriorum à Vvlfado educatus, 361. *b.* abbatiis priuatus propter inſidias in patrem, 386. *c.* ab Hadriano Papa protegitur, 395. 396. diaconi gradu deiectus in Concilio Siluanectenſi, 407.

Carolus minor, Lotharij Imp. filius, rex Burgundiæ & Prouinciæ, in Concilio Lingonenſi, 136. apud Saponarias, 137. 153. *a.* 192. *a.* 345. *b.*

Carolus Craſſus rex Italiæ, 499. *c.* 500. *b. c.* Imperator, 501. *b.* 516. *a.* 521. *b.* 523. *a.* mortuus, 529. *b. c.*

Carolus ſimplex rex, 535. 372. *b.* epiſtola de apiſcopatus Tungrenſis controuerſia, 572.

Catalaunenſes Epiſcopi, Lupus, 23. *a.* Erchanraus, 117. *b.* Vvillebertus, 443. *b.* Berno, 480. *b.* Letoldus, 569. *a.*

Cauallicenſis Epiſcopus Reginardus, 533. *c.*

Cauſæ Eccleſiaſticæ ſcripturam requirunt, 81. *a. b*

Cauſæ capitales & ſtatus non per aduocatos, ſed perſonaliter agendæ, 114. xxciv. ſemel definita, & interpoſitis iuramentis deliberata, nulla debent iteratione retractari, 325. *b.*

Cemenocus Epiſcopus Venetenſis, 519. *c.*

Cenomannenſes Epiſcopi, Aldricus, 61. *b.* Rotbertus, 144. *c.*

Cenomānenſis Epiſcopi cum Monaſterio S. Carileſi controuerſia, 199. 200. Cenomannenſem Eccleſiam infeſtant Britones, 298. *c.*

Cenſua Eccleſiæ ex rebus in beneficium datis, 88. *a.* 123. *a.* cenſus de dotibus Eccleſiarum à ſæcularibus nullus exigatur, 101. *b.* *Troſleian. c.* 6. 548.

Certamine ſingulari qui occidunt vel occiduntur pœnis, velut homicidæ, multati. *Valent.* III. *c.* 12. 102.

CHOREPISCOPVS modum ſuum teneat, & quæ ſolis Epiſcopis debentur non præſumat. *Meld. c.* 44. 44. 677. *a.* Chorepiſcopos verè Epiſcopos eſſe, ſed præter regulas agere nihil debere, 335. *b.* confirmati à Chorepiſcopis, confirmandi ſunt ab Epiſcopo, 676. *c.*

CHRISMA Chorepiſcopus non tribuat, 44. *b.* propter chriſma factum nihil muneris accipiat Epiſcopus, vel miniſter Eccleſiaſticus, 45. *a.* factum chriſma non fiat niſi in cœna dominica, 45. *a.* Metropolitano abſente chriſma conficit ſuffraganeus Epiſcopus, 86. *a.* chriſma ex aqua fluminis à Latinis confici cauillantur Græci, 333. *c.*

Chriſma annis ſingulis petatur, & ſub ſigillo cuſtodiatur, 112. xxII. 613. *c.* 672. *b.* chriſma ſub ſigillo & ſera cuſtodiant preſbyteri. *Met. c.* 6. 126. pro ſubuerendis iudiciis non detur, 112. xxII. 672. *c.*

Chriſmate manus preſbyteris in ordinatione non perunctæ in Eccleſia Romana, nec diaconis, 236. *a.* chriſmate ſacro perunctæ manus pontificis, 119. *c.* chriſmate ſacro reges vncti, 129. *a.* 142. *b.* & reginæ, 590. *a.* chriſmate cælitus ſumpto vnctus Clodoueus, 385. *c.*

Chriſtianus Epiſcopus Autiſiodorenſis apud Tuſiac. 163. *a.*

Chriſtianus Comes in regno Lotharij, 323. *b.*

Chriſtophorus preſbyter Eccleſię ſuę reſtituitur, vnde ob falſum crimen fuerat deiectus, 351. *b.*

CHRISTVS pro omnibus hominibus paſſus eſt, licet non omnes paſſionis eius myſterio redimantur. *Cariſ. c.* 4. 67. Chriſti ſanguis pro quibus effuſus ſit. *Valent.* III. *c.* 4. 67.

Chriſti corporis & ſanguinis ſacramentum, 129. *c.* in altari Chriſti corpus & ſanguis conficitur. *Namnet. c.* 6. 603.

Ciſalpina Eccleſia, 129. *a.* Ciſalpinarum regionum Epiſcopi, 357. *b.* Ciſalpinum regnum, 433. *b*

CLERICI ſpecialis Dei hereditas, 168. *b.* ad ordinationem gradatim veniant, & examinentur, III. IV. 115. xcviII. clericorum omnis ordo Epiſcopo ſubiectus maneat, nihilque ſine eo præſumat, aut degradetur, 114. LXVIII.

Clerici Eccleſiarum ſuarum deſertores ad eas reuerti cogantur. *Vern.* II. *c.* 4. 19. *Canones Iſaac*, 671. *c.* vagabundi ad ſuos Epiſcopos reuocentur. *Tuſiac. c.* 5. 162.

Clerici in alterius parochia ſine formata non recipiantur, nec miniſtrent: criminati ab omnibus excludantur, 46. *a.* clericum alterius parochiæ ad ordinationem furtiuè nullus introducat. *Namnet. c.* 7. 603. clerici, qui cum ſenioribus ſuis ex aliis prouinciis veniunt, non miniſtrent, nec ordinentur, ſine literis Epiſcopi ſui. *Meld. c.* 51. 46. *b.* clerici vagi & inſtabiles, 676. *b.*

Clerici ad ſæcularia negotia non tranſeant, III. vt. laicali habitu non vtantur. *Met. c.* 6. 326. arma militaria non contingant: ſi armati incedant, proprij gladij amiſſione multentur, 42. *b.* ſi armis, ſagis, vel ſabeis vſi fuerint, deponantur, 115. cxIII. clerici ebrietatem non vitantes ut diſtringendi, 676. *a.* clerici quòd in Eccleſia Latina barbas radant, obiiciunt Græci, 333. *c.*

Clericorum habitatio & frequentatio cum feminis interdicta. *Troſleian. c.* 9. 554. Hincmari *cap.* xxI. 624. de illicito acceſſu ad feminas qua ratione arguendi vel purgandi ſint, *Ibid.* 626. *&* xxII. xxIII. *&c.* qui non ſe correxerint, à

miniſterio deiiciendi, 639. 640. clericorum negotia apud Epiſcopum finiantor, non apud ſæculares, 111. VII.

Clericus qui occidunt ſæculares, vel dehoneſtant. *Vienn. c.* 2. 530.

CLERICI Remenſes, ab Ebbone poſt abdicationem ordinati, ſuſpenſi à Synodo Meldenſi, 287. *b.* damnati in Conc. II. Suesſionenſi, 76. *a.* 80. 81. *&c.* & quia gradus Eccleſiaſticos, quibus priuarentur, non habebant, communione priuati, 85. *c.* horum cauſa Nicolai iuſſu iterum in Conc. III. Sueſſionenſi retractata, Synodus reſtitutionem Papæ reſeruandam cenſuit, 294. *c.* malè damnatos declarat Nicolaus, eóſque ſuis gradibus reſtitoi iubet, 303. 310. eorumdem epiſtola ad Nicolaum Papam, poſt reſtitutionem, 617.

Clodouens primus rex Francorum Chriſtianus, 224. *c.* baptizatus in vigilia Paſchæ chriſmate cælitus ſumpto, 385. *c.*

Cloniacenſis monaſterij fundatio, 569.

Coloniæ villæ conuentus, 4. 29. *b.*

Colonos eb Epiſcopis flagellari pro criminibus ſeniores illorum non ægreferant, 89. *c.*

COMITES ſeu iudices poſt caput ieiunij placitum aut mallum non teneant, 56. *c.* 89. *c.* malla vel placita in atriis Eccleſiarum, & diebus feſtis non teneant, 89. *b.* in pauperum domibus, niſi togati, non commorentur, 442. *a.*

Comites & miniſtri reip. quales inſtituendi, 126. *b.* comitom, vaſſorúmque regiorum motua ſit coocordia & auxilium. *Ticin. c.* 12. 441.

Comes paletij, 122. *b.*

Commatris ſpiritalis coniunctio capite vel exilio moltanda, 124. XXVI.

Commonitorium Herardi ad Vvenilonem, 156. *b.* commonitorium Nicolai Papæ Epiſcopis legatis, 198. *a.* 220. *b.*

Commonicare fideles tertia vel quarta hebdomada monendi, 113. *a.*

Communionem ad laicam redactus Ebbo à Sergio Papa, 83. *c.* nec laicam communionem concedendam preſbyteris & diaconis, qui ad belle cum armis procedunt, 113. XLIX.

Commutationes rerum Eccleſiaſticarum vel nullatenus fiant, vel fraus & nequitia omnis caoeatur. *Valent. III. c.* 21. 104. abſque regie conſenſu ne fiant, 79. *c.* 90. *b.* viduatis ſedibus factæ reſcindantur, 37. *c.* inconſultè factæ reſcindendæ, 38. *c.*

CONCILIA per ſingulas prouincias ſaltem ſemel per ſingulos annos celebrentur. *Lingon. c.* 7. 154 *a.* in palatiis regum ſaltem intra triennium Epiſcoporum conuentus agatur, *Ibid.* Concilia bis in anno celebrentur, & ne plus in vnoquoque quàm quidecim diebus quis remoretur, 114. XCI.

Concilium vniuerſele XII. prouinciarum apud Seponsriss, 141. *c.* 144. *c.* 149. *a.* vniuerſalis Synodus, 149. *b.* Concilium generalè ſine ſedis Apoſtolicæ præcepto nulli fas eſt vocare, 253. Apoſtolicæ ſedis auctoritate decernitur, 298. *b.* Conciliom ciuile, & prouincialis Synodos. Herlefridum in ciuili Concilio damnatom ab Epiſcopo ſuo in prouincieli Synodo reſtitui mandat Hadrianus, 376.

Concilia maiore, Duziacenſe, 397. Duziacenſe II. 408. Engelenheimenſe, 585. apud Lauriacum, 8. apud S. Macram, 502. Meldenſe, 25. Metenſe, 524. Namnetenſe, 601. Pontigonenſe, 434. Romana, 228. 247. 457. Sueſſionenſe II. 75. Sueſſionenſe III. 280. apud Theodonisvillam, 11. Tricaſſinum, 353. Tricaſſinum II. 473. Troſleianum, 535. Tullenſe ad Saponarias, 137. Tullenſe II. ad Tuſiacum 160. Turonenſe IV. 69. Valeotinum III. 95. Vermerienſe II. 91. Vernenſe II. 17. Viennenſe, 530.

Concilia minora. Aquiſgranenſe duplex, 157. Aquiſgranenſe III. 189. apud Attiniacum, 386. Beluacenſe, 23. Cabilonenſia, 406. 523. 571. Cariloci, 579. apud Cariſiacum, 65. 110. apud Caſtellum Theoderici, 580. Lingonenſe, 136. Magalonenſe apud Iuniacias, 533. apud S. Macram, 580. Mantalenſe, 497. ad Matronam fluuium 595. Metenſia, 131. 227. Moguntiacum, 64. apud Montem S. Mariæ, 598. Moſomenſe, 584. Nemauſenſe in villa Portu, 522. Pariſienſia, 60. 63. Remenſia, 531. 578. 597. Romanum, 594. Siluanectenſia, 202. 407. Sueſſionenſe, 581. apud S. Theodericum, 595. Treoorchianum, 600. Treuirenſe, 593. apud Troſleium, 578. 579. 580. Valentinum, 529. apud Vermeriam, 374. Virdunenſe, 583.

Concubinas omnino prohibeant preſbyteri, 114. LXXIV.

Confeſſio ſecreta ſacerdoti de reatibus conſcientiæ, 175. *b.* 184. *b.* 185. *b.* confeſſio præmittenda confirmationi, 114. LXXV. confeſſione epiſtola Rotberti Cenomannenſis Epiſcopi, 405.

Confeſſio publica Teutbergæ, 190. *c* 191. *b.* confeſſio puta malè geſtorum à Ludouico exigitur, vt abſoluatur, 132. *b.*

Confirmatio à ieiunis ſuſcipiende, & præmiſſa confeſſione, 114. LXXV. ad confirmationem Epiſcopi deuotè omnes conueniant, 116. CXXXVII. 673. *b.*

Confratriæ quatenus exerceri debeant. *Namnet. c.* 15. 603. *Hincmari cap.* XVI. 622. *a.*

CONIVGIA quæ ſint legitima, 176. in quinta vel ſexta generatione non copulentur, & vſque ad ſeptimam progenies obſeruetur, 111. XXXVI. à quarto geno & infra copulari non valent, quamdiu poteſt affinitatis propinquitas compotari, 173. 174.

Coniugium raptoris & raptæ minus laudabile, 50. *b.* coniugium cum ea, quam viuente marito adolterarat, 51. *c.* mulieris cum duobus fratribus, 657. *b.*

Coniugia religionis cauſa diſſolui humana lex concedit, diuina prohibet, 207. *a.* coniuges fidem mutuò ſeruent, 675 *a.* coniugium continentiæ cauſa diuelli non poteſt, niſi vterque coniugum cælibem vitam amplectatur, 324. *a.* 325. *c.* 327. 318. ſi vir vxori debitum reddere non poteſt, 673. *c.*

Coniugij poſt copulam nuptialem ſolutio niſi morte interueniente fieri non poteſt, 181. *c.* coniugio legitimè diſſoluto aliud coniugiom inire licet, 181. 184. *b.*

Conradus Dux, 93. *b.* Conredus Comes, 494. *c.*

Index Tomi III.

Contadus Dux Lotharingorum, 593. *b.*

ContadusEpiſcopusConſtantienſisinCouc. Engelen. 585.*c.* 588.*c.*

Conſuetudo mala in priuilegiorum ius ab improbis aſſumitur, 315. *b.*

Conſtantiacenſes Epiſcopi, Erluinus, 61.*a.* Seginandus, 297.c.

Cooſtantini magni edictum de ſententiis Epiſcoporum, 106.*c.*

Conuentus in villa Colonia, 4. Epiſcoporum in Eccleſia S. Vincentij Laudun. 593.

Conuicinum villa publica ſecus Siluanectum, 205.*a.*

Corbeienſes abbates, Radbertus, 58.c. Odo, 80. *b.* Traſulfus, 117.c.

Crimina publica ad notitiam Epiſcoporum deducantur, 112. xiv. crimina diffinita nullus refricare audeat, 116. cxix. crimen confitetur qui iudicium refugit, 115. xcix. criminis conſciæ Berta & Erpreda damnatæ in Concilio Duziacenſi II. 414. criminoſus accuſandi locum non habet, 114. lxx. crimen confeſſi vel conuicti merito ſunt à gradu Eccleſiaſtico deponendi. *Hincmari capitula*, 629.630. *&c.*

D

DADO Epiſcopus Virdunenſis in Coucilio Metenſi, 524.*c.*

Dagbertus Epiſcopus Agathenſium. *Tuſiac.* 163. *b.*

Dagobertus rex, 301.*b.* 520.c.

Damaſus Epiſcopus, Stephani VIII. Papæ legatus, 582.

Daniel abbas Sollemniacenſis, 520. *b.*

Decani parochiarum quomodo eligantur, 645.*c.*

DECIMÆ fideliter à populis dentur, & canonicè à preſbyteris diſpenſentur, & ſingulis annis diſpenſationis rationem Epiſcopo reddant, 112. xxxv. decimæ conlaborationum & animalium abſque fraude offerantur. *Ticin.* c. 11.441. *Troſleian.c.*6.549. decimas ſuas omnes fideles Deo offerant de omnibus quæ poſſident, 102.*a.* decimæ dominicæ capellarum regiarum, & decimæ parochianæ, 56. *b.*

Decimas qui abſtrahunt Eccleſiæ ad quam pertinent, & alteri dant, donec reſtituant ab Eccleſiæ ſocietate pellantur, 116.cxxxv.

Decimas Eccleſiæ ſuæ ſolus ſacerdos accipiat, non ſenior laicus. *Met. cap.* 2. 525. decimas nullus ſacerdotum cum lite & iurgio ſuſcipiat, 116. cxxxii. de decimis & oblationibus nullus preſbyteros cenſum perſoluere cogat, 50. *a.*

Decimarum & oblationum quatuor in partes facienda diuiſio. *Namnet.c.*10.604.624.*a.* decimæ quas in res expendendæ, 525. c. pars danda matriculariis, 638. c.

Decimarum cauſæ non apud ſæculares, ſed in ſynodo diſcutiendæ. *Engelen.c.* 9. 587.

Decretales epiſtolæ veterum Pontificum Romanorum quanti faciendæ, 260.261.

Decretum electionis Epiſcoporum, 83. *b.* 84. *a.* 94. *b.* 286.*c.* Anſegiſi Senonenſis, 394. Hedenulfi Laudunenſis, 430.

Depoſitionis caſu clerico dolor in hac vita nullus eſt maior, 304. *b.* poſt depoſitionem Ebbo contra regulas miniſtrauit, 285.*b.* 286.*c.*

Deroldus Epiſcopus Ambianenſis, 590. *b.*

DEVS omnes homines vult ſaluos fieri. *Cariſ.c.* 3. 66. Dei præſcientia nulli malo imponit neceſſitatem. *Valem. III.* c. 2. 96. Deus omnipotens quo ſenſu dicatur, 164. *c.*

Dei honor & cultus, 6. *b.* omnibus rebus præferendus, 18. *b.* apud S. Macram, *c.* 3. 504. Dei imago & ſimilitudo, 164.*c.* 165.*a.*

Deusdedit magiſter militum & Dux, Ioannis Papæ conſiliarius, 472.*c.*

Diabolus ad omnes homines venit, quando egrediuntur de corpore, 119. *b.*

DIACONVS ſi Eccleſiam ſuam deſerit, deponatur, 113. xlviii. ſi in bello cum armis proceſſerit, deponatur, 113. l. diaconis manus in ordinatione an perungendæ, 236. *a.* diaconum apud Latinos, non ſuſcepto preſbyteratus officio, Epiſcopum ordinari obiiciunt Græci, 333. *c.*

Dido Epiſcopus Laudunenſis in Conc. Remenſi contra Balduinum, 532. *a.*

Dimiſſoria epiſtola, per quam Epiſcopus monachum ab Epiſcopo ſuo acquiſiuit, 490.*a.*

Dionyſij Areopagitæ opera à Ioanne Scoto Latinè conuerſa, 352. *b.*

S. Dionyſij abbas Fulradus, 92.c. 122. Ludouicus, 17. *a.* monachus Hincmarus, 24.*c.* in S. Dionyſij monaſterio imperium ab Epiſcopis Ludouico pio reſtitutum, 360.*b.* Caroli Martelli ſepulcrum, 122. *c.* monaſterium Lebraha iuris eſt S. Dionyſij, 92. *b.*

Diptychis Eccleſiarum Nicolai nomen inſcribi mandat Hadrianus, 563. *b.*

Diſcordiæ malum, 150. *b. Troſleian. c.* 12. 560. diſcordantes à Miſſa repellendi. *Namnet.* c. 1. 601.

Dodilo Epiſcopus Cameracenſis in Conc. Remenſi contra Balduinum, 532.*a.*

Dodo Epiſcopus Andegauorum, in *Turon. IV.* 69.*b.* in *Sueſſ. II.* 80. *Tuſiac.*169.*c.* 487.*c.*

Dodo abbas S. Sauini, in *Sueſſ. II.* 80.*b.*

Dodo Epiſcopus Oſnabrubenſis, in Engelen. 586. *a.* 588. *b.*

DOMINICA dies quomodo obſeruanda, 111. II. Dominicis diebus iudicia publica non exerceantur, 79. *a.* malla vel placita Comites non teneant, 89.*b.*

Dominica oratio & ſymbolum cunctis tenenda & frequentanda, 56.*a.* 112. xvi. qui orationem dominicam & ſymbolum non tenet, neminem à ſacro fonte ſuſcipiat, 111. lv.

DROGO Karoli magni filius, Archiepiſcopus Metenſis, Vicarius ſedis Apoſtolicæ in prouinciis trans Alpes, 9.*b.* præſidet Concilio Theodonisvillæ, 11. *b.* Drogonis prælatio ad ampliorem conuentum reiecta in Synodo Vernenſi, 21. *a.* Drogonis nutritius & familiaris Aduentius ſucceſſor, 243. *b* Drogo deprecatione Ludouici pij vnà cum miniſterio Imperatoris & ſedis Apoſtolicæ, id eſt ſummi Cappellani & Apocriſiarij, etiam vſu pallij potitus, 243.*c.* 244. *a.* Drogo ad Sergium Papam profectus, 356.

Duda monacha ſacrilega à preſbytero corrupta damnatur in Concilio Duziacenſi, 414. *b.*

Dudo Epiſcopus Padebrunnenſis in Conc. Engelen. 583. *c.* 588. *c.*

Duodeciacum caſtrum, 583. *c.* Duziacus villa ſecus Moſomum, 408. Duziacenſe Conciliū, 397. 402. *b.* Concilij reſcriptum ad Hadrianum Papam, 403. Duziacenſe Concilium II. 408. epiſtola Synodica ad Epiſcopos Aquitaniæ, *Ibid.* diffinitio de Duda monacha. 414.

E

EBRONIS Epiſcopi Remenſis depoſitio, 24. *c.* 76. *a.* 83. *b.* diœceſis illi Regnorum interdicta, 63. *a.* Ebbo non legitimè reſtitutus, 76. *a.* damnati clerici quos ordinarat, *Ibid.* & 614. *b.* communi laicæ addictus à Sergio Papa, 83. *c.* 285. *a.* 309. *c.* reſtitutus à Lothario, 85. *a.* Ebbonis cauſam retexit Hincmarus, 284. *c.* ordinationes ab eo factas nihil obfuiſſe ordinatis docet Nicolaus, 310. *a.* 313. *b.* totam Ebbonis clericorúmque eius hiſtoriam ab exordio repetunt Epiſcopi Synodi Tricaſſinæ in epiſtola ad Nicolaū, 353. eandem exponit rex Carolus, 359. 366. Ebbo legationem in Græciam à Lothario detrectat, 356. *b.* Epiſcopatum in Germania conſequitur à Ludouico, *Ibid.* Gregorij IV. epiſtola de reſtitutione Ebbonis, 611. 643. *b.*

Ebbo Epiſcopus Gratianopolitanus, in Conc. Valent. III. 96. *a.* 107. *b.* in Lingonenſi, 136. *b.* apud Saponarias, 144. *b.* 153. *a.* apud Tuſiac. 163. *c.*

Eboriſus Epiſcopus Mimidonenſis in Engelen. 586. *a.* Eueris Mindenſis, 588. *b.*

Ebredunenſes Epiſcopi, Bertmundus, 443. Aribertus, 463. *c.* Arnaldus, 322. *b.* 529. *c.*

Ebrietatem vitare nolentes excommunicandi, 672. *c.*

Ebroicenſes Epiſcopi, Guntbertus, 80. *a.* Hilduinus, 297.

Ebroinus Epiſcopus Pictauorum, in Conc. Vernenſi II. 17.

ECCLESIA ſancta modò tranquillitate fruitur, modò tempeſtate concutitur, 5. *a.* regum diſcordia perturbatur, 11. *a.* pontificali & regia auctoritate gubernatur, 13. *a.* 67. *b.* *apud S. Macram c.* 1. 502.

Eccleſiarum immunitates conſeruandæ, 79. *a.* 121. *a.* Eccleſia iniuſtis conſuetudinibus non vexanda, 23. *c.* 37. *a.* 169. *b.* Eccleſiaſticus honor & reuerentia ab omnibus conſeruetur. *Ticin. c.* 4. 439. *Troſleian. c.* 1. 538. Eccleſiarum honor cultúſque & priuilegia obtineant, 6. *b.* 29. *c.* Eccleſiaſticum ius conſeruandum, 23. *b.* Eccleſiis qui vim inferunt, anathematizandi, 116. CXXXVIII.

Eccleſiaſticus ordo ad Epiſcopos & clericos pertinet, 73. *a.* Eccleſiaſticæ auctoritatis contemptores anathemate damnati, 8. *b.* 36. *a.* Eccleſiaſtica diſciplina noxios nemo tueatur, 79. *b.* rei ad Eccleſias vel earum atria confugientes non abſtrahantur, 116. CXXIX.

Eccleſiæ non ſunt talia beneficia & regis proprietas, vt pro libitu dare poſſit, aut tollere, 129. *c.* Eccleſiaſticis dignitatibus excluduntur ex raptore & rapta procreati, 50. *b.*

Eccleſiæ facultates & poſſeſſiones vnde ortæ, 167. *c.* 168. quos in vſus datæ, 131. *a.* *b.* 168. *a.* quæ Eccleſiæ ſunt, ſine dubio Chriſti ſunt, 114. XXV.

Eccleſiæ facultates ad reip. ſubſidium oblatæ, 15. *b.* à ſæcularibus non peruadendæ, & ablatæ reſtituendæ, 14. 15. 21. *b.* 22. 23. 34. 36. *c.* 49. 100. *c.* 122. *b.* 168. *&c.* *Ticin. c.* 10. 441. *Tricaſſ. II. c.* 1. 478. *Vienn. c.* 1. 530.

Eccleſiæ poſſeſſiones ab Epiſcopis non petant, niſi quos canonica permittit auctoritas. *Tricaſſ. II. c.* 2. 478. Eccleſiæ res in alodem datæ, 89. *a.* vnde nonæ & decimæ ſoluuntur, vel non dantur, ſaluæ cuſtodiendæ, 89. *b.*

Eccleſiæ ædificandæ fundamentum nullus iaciat, donec Epiſcopus crucem figat, & accepta dote licentiam tribuat, 113. XLVI. 673. *a.* Eccleſiæ vel altaria ambigua conſecrentur, 112. XXXIII. Eccleſiæ luminibus, ceteriſque decorentur ornatibus, 115 CV. Eccleſias baptiſmales, quas plebes appellant, Eccleſiæ filij inſtaurent. *Ticin. c.* 11 441. Eccleſiæ reſtituantur in ædificiis ab his qui earum rebus vtuntur. *Lingon. cap.* 11. 155. *a.* in Eccleſia quomodo verſari populus debeat, 112. XV. XVI. 115. CXIV.

Eccleſia, quæ titulus per ſe conſtat, 622. *c.* matrices Eccleſiæ, & Capellæ, 623. *a.* Eccleſia principalis, 643. *a.* in Eccleſia ne aues nidificēt, 623. *c.*

Eccleſiam nemo accipiat ſine datione & conſenſu proprij Epiſcopi, 114. LXXII. 675. *b.* pro Eccleſia præmium patrono dari non debet, 641. *a.*

Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ decimis vel poſſeſſionibus non temerè fraudentur, 112. XXXII. Eccleſiæ theſaurus, ſiue miniſterium, vel ornamentum cuſtodiatur, nec quicquam ex eis niſi iuxta inſtitutionem canonicam fieri permittatur. *Valent. III. c.* 20. 104.

Eccleſiæ manſus liber à cenſu, 526. *b.* Eccleſiarum exactiones, 5. 2. 3.

Ecfridus Epiſcopus Pictauenſis, in Tricaſſ. II. 480. *b.*

Ecoleſinæ vrbis Epiſcopi, Launus, 80. *b.* Helias, 302.

Edoldus Epiſcopus Regienſis, in Mantalenſi 467. *c.*

Egil, Egilo, Epiſcopus Senonenſis, monachus, 273. pallio donatur à Nicolao, 274. *a.* in Sueſſion. III. 294. *a.* 297. *b.* 302. *b.* 309. *a.* in Tricaſſ. 318. *b.* 361. *a.* 617. *b.*

Eilbertus Epiſcopus Comenſis in Ticinenſi, 437. *c.*

Eleemoſyna defuncti, 12. *c.* 603. *b.* eleemoſynam Epiſcopi vel presbyteri, ægrotantis vel defuncti, qui defraudat excommunicatur. *Vienn. c.* 3. 531.

Elias Epiſcopus in Conc. Valent. III. 107. *b.*

Eligius Virmandenſis Epiſcopus, fundator Solemniacenſis monaſterij, 301. *b.* 320. *b.*

Eligius Epiſcopus Albienſis, 512. *b.*

Eliſachar Epiſcopus Bellicenſis, 571. *b.*

Emmo frater Bernardi Comitis, 488. *b.*

Engenoldus Epiſcopus Pictauorum, apud Tuſiac. 163. *b.*

Engilharius abbas S. Carileſi, 224. *c.*

EPISCOPI Chriſti vicarij, 12. *a.* 28. *c.* 29. *b.* 121. *c.* diſpenſatores & paſtores Eccleſia-

rum, 14. *a.* 131. *c.* Apoſtolorum ſucceſſores, 29. *b.* 69. *c.* 131. *a. b.*

Epiſcopis honorem deferant ſæculi poteſtates, & coram eis ſedere, niſi illis præcipientibus, non audeant. *Tricaſſ. II. c.* 1. 478. Epiſcopi ſine cauſa non dehonorandi, 129. *a.* in vaſſallatico non debent ſe cuiquam ſacramento commendare, 129. *a.*

Epiſcopi manus corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum conficit, manus facta eſt clauis cœli, 129. *c.* 130. *a.* Epiſcopi ſinguli in ſuo Epiſcopio Miſſorum dominicorum poteſtate & auctoritate fungantur. *Ticin. c.* 12. 441.

Epiſcopi viduatis ſedibus ordinandi, & pulſi reſtituendi, 52. *c.* electio canonica Epiſcopi vt clero & populo permittatur à principe poſtulandum, 100. *a.* Epiſcoporum ſit iudicium in electione Epiſcoporum & ſacerdotum, non populi. *Lingon. c.* 8. 154. Epiſcopi à rege deſignati, 13. *a.* 100. *b.* Epiſcopos ex palatio à regibus procurari nouum non eſt, 68. *a.* ſi minus idonei à ſeruitio principis venerint, princeps adeundus eſt, 100. *b.* Epiſcopi ordinationem ratam vt habeat rex rogatur, 11. *a.*

Epiſcopi per ciuitates ne ordinentur non idonei, *Valent. III. c.* 7. 100. Epiſcopi de eadem Eccleſia aſſumendi, 273. aliunde aſſumi mos frequens in Gallia, *Ibid.*

Epiſcopi domus rectè ordinari & componi debet, 39. *a.* Epiſcopi domi foriſque formam diſciplinæ in vita ſua ſe intuentibus exhibeant, 103. *c.* quales eſſe vel non eſſe debeant, 100. *b.* *Ticin. c.* 6. *&* 7. 439. 440. Epiſcopi proximum Eccleſiæ ſuæ clauſtrum inſtituant, in quo ipſi cum clero ſuo ſecundum canonicam regulam militent. *Ticin. c.* 8. 440. in Epiſcopi domo feminæ non verſentur, 39. *b.*

Epiſcopi quæ ſint partes, 40. *b.* per ſe vel per alios verbum prædicationis, tam in vrbe, quàm in plebibus, exhibeant, 104. *a.* Epiſcopi eſt parochiam tegere & circumire, 73. *a.* Epiſcopi parochias omni anno gyrent, 114. xxvi. Epiſcopi circumeundo parochiam prædicent, confirment, & populi errata inquirant & corrigant, 2. *c.* 112. *a.* *Ticin. c.* 6. 440. viſitatio plebium tam moderata ſit, vt nullum grauent vel contriſtent, 104. *a.* plebes ſibi creditas per ſe viſitent, 40. *c.* Epiſcopi monaſteria viſitent & diſponant. *Lingon. c.* 9. 154. Epiſcoporum torpor & negligentia corripitur. *apud S. Macram c.* 2. 503. Epiſcopale propriè miniſterium eſt, omnium oppreſſorum cauſas pia propugnatione ſubleuare, 106. *b.*

Epiſcopi proprias non deſerant ciuitates otij vel quietis ſtudio, 40. *b.* in pauperum domibus niſi rogati non commorentur, 442. *a.* ſibi commiſſos nulla oppreſſione lædant, 103. *b.* ſi ſtatuto tempore viſitationem per populos non exercent, nequaquam ab eis pecunias exigant. *Valent. III. c.* 22. 103.

Epiſcopi preſbyteros plebium inſtruant & informent, 41. *c.* parochiam circumeundo preſbyteros ne grauent, 2. *a.* à preſbyteris denarios vel munuſcula non exigant, 45. *a.* quam præſtationem à preſbyteris exigere poſſint, 2. *a. c.* ſi non circumeunt, nihil exigant, 3. *c.* non ægreferant, quòd preſbyteri ad regem reclament, 1. *c.*

Epiſcopi parochias preſbyterorum ſine neceſſitate non diuidant, 3. *c.* ſynodos presbyteris plures duabus quotannis non imponant, 4. *b.* titulos cardinales in vrbibus & ſuburbus conſtitutos ordinent, 47. *b*

Epiſcopi qui ad bellum non eunt, homines ſuos aliis committant fidelibus, 10. *b.* ſæculari militiæ ſtudentes reprehenduntur, 271. *a.*

Epiſcoporum miniſterium nullus impediat. *Ticin. c.* 6. 439. Epiſcopi mutuò ſe adiuuent aduerſus rebelles & contemptores, 103. *b.* *Saponar. c.* 2. 138. *Tricaſſ. II. c.* 4. 479. Epiſcoporum & Comitum ac vaſſorum regiorum mutua ſit concordia. *Ticin. c.* 12. 441. Epiſcopi auctoritatem habeant à principe, vt reip. miniſtri ipſos iuuent ad peragendum miniſterium, 52. *b.*

Epiſcopi Metropolitanis reuerentiam exhibeant, 41. *a.* vocati ad Synodum venire non differant, 45. *b* Epiſcopi in Conciliis quod inuenerint, confidenter ſtatuant & enuntient, 154. *b.*

Epiſcopi à minore Eccleſia ad potiorem non adſpirent. *Meld. c.* 30. 41. Frotarij à Burdigalenſi ad Bituricenſem tranſitum non probat Synodus Pontigonenſis, 436. de minori ad maiorem migrantes redire iubet Concilium Tricaſſ. II. 478. Epiſcoporum qui de vna ad aliam tranſierunt exempla, 598.

Epiſcopus alienum clericum ne ſuſcipiat, 19. *c.* ſuper ſacra deinceps iurare non præſumat, 42. *b.* nec cogatur, 129. *c.* 130. *a.*

Epiſcopus accuſatus quomodo ſit euocandus & iudicandus, 148. Epiſcopi damnatio ante legitimum Epiſcoporū numerum facienda, 72. *b.* Epiſcopi non niſi à certo Epiſcoporum numero deponendi, 275. *c.* Epiſcopum non poteſt minor quàm duodenarius Epiſcoporum numerus deponere, 276. *a.* præter ſedis Apoſtolicæ conſenſum deponi non poſſe, 239. *&c.* Epiſcoporum depoſitioni, propter miniſterij reuerentiam, aſſenſum numquam præbere ſtatuit Iudith Auguſta, 360. *b.* Ebonis cauſam voluit Ludouicus non coram laicis, ſed in ſacrario diſponi, 360. *a.* Epiſcopi degradandi veſtes ſciſſæ, baculis ſuper caput fractis anulus detractus, 522. *c.*

Epiſcopus damnatus ordinare ſi conetur, irritum eſt & vacuum, 85. *a.* Epiſcopi qui cum Ebone depoſito communicarant, Synodi indulgentia communionem & gradus Eccleſiaſticos recipiunt, 86. *c.* Epiſcopus ad tempus reiectus, ſine teſtimonio literarum non recipiendus, 91. *b.*

Epiſcopo infirmo qua ratione eius Eccleſiæ proſpiciendum, 45. *b.* Epiſcopi mortui facultates nullus inuadat. *Ticin. cap.* 14. 441. *Troſleian. cap.* 15. 565. Epiſcopo viuo & incolumi Lingonenſem ſedem inuadit Auſcharius ſubdiaconus, 159. *b.*

Epiſcopales ſententiæ perpetuo ſtabilitatis iure firmentur, 107. *a.* doceantur plebes contra Epiſcopos nihil agere vel detrahere, ſed humiliter & reuerenter in omnibus obedire, 113. xxxix. ad Epiſcopi prædicationem & confirmationem omnes deuotè conueniant, eique miniſtrent & obediant, 116. xxxvii.

Epiſcopium, domus Epiſcopi, 39. *b.* 47. *a.* 204. *c.*
Erchambertus Epiſcopus Baiocenſis apud Saponar. 144. *c.* apud Tuſiac. 163. *b.* in Sueſſ. III. 297. *b.* 299. *c.* 302. *b.* in Tricaſſ. 358. *b.* in Pontig. 443. *b.*
Erchanradus Epiſcopus Pariſienſis, in Beluacenſi, 23. *a.* 24. *c.* in Pariſienſi, 61. *a.* in Turon. IV. 69. *b.* 84. *a.* mortuus, 93. 94. *c.* 354. *c.*
Erchanraus Epiſcopus Catalaunenſis, Synodi Cariſiacæ legatus ad Ludouicum regem, 117. in Synodo Metenſi legatus ad eumdem, 131. *c.* Saponar. 144. *c.* Tuſiac. 163. *b.* 252. *a.* in Sueſſ. III. 287. *c.* 297. *b.* 299. *c.* 302. *b.* Tricaſſ. 358. *b.*
Eriarth monachus homicida, 352. *a.*
Ericus abbas Corbionis in Sueſſ. II. 80. *b.*
Ericus homo Ludouici II. Imp 614. *c.*
Erlebaldus Comes Caſtricenſis pagi excommunicatus, poſt mortem abſoluitur, 578. *b.*
Erluinus Epiſcopus Conſtantiæ in Conc. Pariſienſi, 61. *a.* in Sueſſ. II. 80. *b.* in Vermer. 91. *b.* 92. *b.* 131. *c.* apud Saponar. 144. *c.*
Erluinus Epiſcopus Beluacenſis, in Troſleiano 569. *a.*
Erogatorij & elaemoſynarij Eccleſiaſtici, 441. *c.*
Ermemirus pſeudoepiſcopus Gerundenſis degradatus, 521. *c.*
Erpoinus Epiſcopus Silnanectenſis in Concil. Beluac. 23. *a.* in Pariſ. 60. *c.* apud Cariſiac. 65. *c.* in Turon. IV. 69. *b.* in Sueſſ. II. 80. *a.* 85. *b.* in Vermer. 91. *b.* 92. *c.* apud Saponar. 144. *c.* Tuſiac. 163. *c.* Sueſſ. III. 297. 376. *b.* 600. *a*
Euchariſtiæ perceptione mens & corpus reparantur, 184. *a.* ſacra oblatio in pyxide reſeruata ad viaticum infirmis, 623. *b.*
Eulogias die Dominico & feſtis presbyter benedicat, vnde accipiant fideles qui non communicarunt. *Namnet. c.* 9. 603. 619. *b.*
Eulogiis voluntariis presbyteri Epiſcopos venerari debent, 45. *a.* eulogias ſeu benedictiones vt ad Concilia deferant cogendi non ſunt presbyteri, 73. *b.*
Eulogias monachæ à quoquam accipere vetantur ſine præcepto abbatiſſæ, 415. *a.*
Eulogias à presbyteris, niſi ſponte oblatas, Archidiaconi non exigant, 642. *c.*
Eulogiæ à presbyteris in menſa, 606. *a.*
Eurus Epiſcopus Carcaſonenſis apud Tuſiac. 163. *c.*
Euſtorgius Epiſcopus Toloſenſis in Mantalenſi, 497. *c.*
EXCOMMVNICATIO. Epiſcopus quemlibet ſine certa & manifeſta cauſa peccati communione non priuet Eccleſiaſtica, 47. *c.* 112. xxv.
Excommunicatus ab Epiſcopo ſuo, vel à Synodo, ſi ex miniſterio ſacro quicquam attigerit, ſpem reſtitutionis nullam habeat, 113. 11. 670. *c.* excommunicati accuſare non poſſunt, 85. *b.* 670. *c.* excommunicatum in Eccleſiam qui introduxerit excommunicatur, 594. *b.*
Excommunicatus à proprio Epiſcopo ab aliis non ſuſcipiatur. *Tricaſſ. II. cap.* 5. 479. *b.* excommunicatos à presbytero alius non recipiat, 116. cxxi.
Excommunicatis nemo communicet, 114. xxix. 234. *b.* 237. 669. *b.* excommunicatis communicantes communione priuantur, 86. *b. c.* 133. *c.* 148. *b.* 669. *c.* ſeruis, libertis, & beneficiatis, in communione dominorum veniam debent Epiſcopi, 518. *b.* excommunicatis communicans Epiſcopus à Miſſarum celebratione ſuſpenditur, 490. *c.*
Excommunicatis curæ eſſe debet vt abſoluantur, 127. *b.* excommunicati per ſcripturam & libellos reconciliantur, 81. *b.* 86. *b.* abſolui non poſſunt à minore numero Epiſcoporum, 595. *c.* excommunicatus poſt mortem abſolutus, 578. *b.* Canones Iſaac Epiſcopi de excommunicatis, 669.
Expoſitus ante Eccleſiam collectus, 674. *b.*

F

FALSA præcepta regio nomine conficta, 78. *b.*
Falſæ literæ Epiſcoporum à clericis Remenſibus productæ, 85. *b.* falſæ literæ Artaldi nomine ab aduerſariis confictæ, 591. *a.* falſæ literæ ab iiſdem prolatæ trium Epiſcoporum nomine, 592. *b.*
Farabertus Epiſcopus Tungrenſis in Engelen. 586. *a.* 588. *b.*
Faſtearius Epiſcopus Brito in Concilio apud Saponar. 148. *a.*
Felix Epiſcopus Brito in Conc. apud Saponarias, 148. *a.*
Feminæ publicis conuentibus & placitis non ſe immiſceant. *Namnet. c.* 19. 606. feminarum cohabitatio ſacerdotibus interdicta, etiam earum quas canones permittunt. *Namnet. c.* 3. 602. in Epiſcopi domo verſari non debent, 39. *b.* de illicito clericorum ad feminas acceſſu, 626. *&c.* 639. *b.*
Feſtiuitates anni feriari quæ debent, 113. xxt. feſti dies quo modo celebrandi ſint, 115. cxiv. feſtis diebus ſæculares ad publicas ſtationes occurrant. *Ticin. c.* 7. 440.
Filiaſtros qui ad confirmationem coram Epiſcopis tenent, non ideo vſque ad ſeparationem coniugij puniendi ſunt, 236. *b.* ſeparentur, 672. *a.*
Filiaſtram ſi quis viro dederit contra ipſius voluntatem & parentum, 672. *a.*
Fines Remenſis parochiæ, vbi Concilium apud S. Macram. 502. *b.*
Folcardus presbyter iniuſtè ab adulteris euiratus, 527. *c.*
Fontanicum prælium, 388. *b.* 427. *b.*
Formatam Epiſcopi ſui non ferentes clerici in alterius parochia non recipiantur, nec miniſtrare ſinantur, 46. *a. b.*
Formatici, caſci, 642. *b.*
Formoſus Epiſcopus Portuenſis Romæ cum aliis damnatus in Synodo, 431. 432. 445. *c.* in Tricaſſ. 475. *b.* 477. *b.* 519. *b.* Formoſi Papæ legati in Concilio Viennenſi, 530. *b.*
Fornicantium pœnitentia. *Namnet. c.* 3. 605.
Fornicatio omnibus peccatis periculoſior, 656. *c.*
Fornicationis cauſa ſeparati coniuges permanere innupti debent, aut inuicem reconciliari,

183. *b*. 184. *b. c.* mulieri ob viri fornicationem ſeparatæ non licet, viro dimiſſa vxore aliam ducere licet. *Aquiſg. III. c.* 8. 191.

Framegaudus recluſus, 760. *a*.

Franci per S. Remigium ad fidem conuerſi, 123. *c*. Britannis petentibus certos fines cōceſſerunt, 70. *b*. Francorum reges ex gēnere prodeunt, 142. *a*.

Francorum regnum cùm in concordia eſſet magnum, nunc in diſcordia pene nullum, 150. *b*. Francia, Burgundia, Aquitania, Septimania, Neuſtria, Prouincia, 438.

Franci pauperiores à iudicibus villarum regiarum ne opprimantur, nec plus ſolito ab eis exquirant, 126. *a*.

Pranco Epiſcopus Tungrenſis apud Saponar. 144. *c*. in Aquiſgran. 157. *b. c.* Tuſiac. 163. *b*. Aquiſgran. III. 189. *c*. veniam impetrat à Nicolao, quòd particeps fuerit Synodi Metenſis, 245. *c*. in coronatione Caroli Metis, 383. *a*. in Pontig. 443. *c*.

Freculfus Epiſcopus Lexouienſis in Pariſ. 61. *a*. Lexouiorum, in Tur. IV. 69. *b*.

Fredebertus Epiſcopus Baſileenſis apud Saponarias, 144. *c*. Tuſiac. 163. *c*.

Fredoldus Epiſcopus Narbonenſis apud Tuſiacum, 162. *c*.

Fridericus Epiſcopus Moguntiacenſis, 584. *b*. in Engelen. 585. *c*. 588. *c*. 591. *c*. 592. *a*.

Friſchinga ſex denariorum, 2. *a*. quatuor denariorum, 3. *a*. Friskingas à preſbyteris Archidiaconi ne petant, 642. *b*.

Frobaldus Epiſcopus Carnutum in ordinatione Æneæ Pariſ. 94. *c*.

Frodoinus Epiſcopus Barcinonenſis. Tricaſſ. II. 480. *b*. 522. *b. c.*

Frotarius Epiſcopus Burdegalenſis apud Tuſiac. 162. *c*. 173. *a*. Sueſſ. III. 294. *a* 297. *b*. 299. 302. 351. *b*. in Tricaſſ. 358. *b*. in Pontig. 435. *b*. à Burdigala Pictanos, inde ad Bituricum migrauit, *Ibid.* migrationem eius ad Bituricenſem Eccleſiam non admittit Synodus Pontig. 436 *b*. 443. *a*. transfertur à Ioanne VIII, 447. *a*. 448. 449. 469. *b*. 471. *a*. 483. 486. *b*. falsò inſimolatur, 487. 519. *b*.

Fulbertus Epiſcopus Cameracenſis in Engelen. 586. *a*. 588. *c*. 592. *b*.

Fulco abbas preſbyter Remenſis Eccl. detentor, 24. *c*. nouem annis tenuit, 286. *b*. 356. 360.

Fulcoinus Epiſcopus Taruanenſis in Conc. Pariſ. 60. *c*. Morinenſium Epiſcopus apud Cariſiacum, 65. *c*. 85. *b*. 600. *a*.

Fulcricus Epiſcopus Tricaſſenſis, in Sueſſion. III. 297. *b*. 299. *c*. 302. *c*. in Tricaſſ. 358. *b*.

Fulradus abbas S. Dionyſij monaſterium Lebraha, & cellā S. Hippolyti S. Dionyſio contulit, 92. *c*. ſummus Capellanus regis Pippini, 122. *c*.

Fures qui equum & vas abſtulerant à Ioanne Papa, excommunicari, 468. *c*.

G

GABALITANVS Epiſcopus Agenulfus in Pontig. 443. *b*. Gebaldaoenſis, 491. *c*.

Gallicarum Eccleſiarum mos in Epiſcoporum confirmatione, 361. *c*.

Gauzlinus abba & archicancellarius in Pontig. 444. *a*. Gozlinus S. Dionyſij abbatiam tenet, 486. *a*.

Geneuenſis Epiſcopus Optandus, 516. *b*.

Geniciariæ, 56. *c*. 607. *a*.

Georgius legatus ſedis Apoſtolicæ in Synodo Liptinenſi, 123. *a*. Georgius Epiſcopus cum Ioanne Sacellario, 181. *b*.

Geraldus, Gerardus Epiſcopus Matiſconenſis, 523. *b. c.* 532. *c*. 533. *b*. 572. *b*. 579. *c*.

Gerardus Epiſcopus Laudenſis, 437. *b*.

Gerardus Epiſcopus Agathenſis, 533. *c*.

Gerardus Comes, 6.

Gerardus Comes vir inluſtris, 377. *b*. Gerardus Comes & Berta vxor, monaſterij Pultarienſis fundatores, 494. *c*. 495. *a*. 496. *c*.

Gerberga regina, 588. *c*. ab Artaldo benedicta, & chriſmate vncta, 590. *a*.

Gerboldus, v. Girbaldus.

Gerfredi monachi, qui Epiſcopum necaſſe dicebatur, purgatio, 532. *b*.

Germardus Epiſcopus Arauſicenſis in Mantalenſi, 497. *c*.

Gernobrius Epiſcopus Turonicæ, apud Cariſiacum, 65. *c*. Garurbrius Epiſcopus, apud Saponar. 148. *a*.

Geroldus Epiſcopus Ambianenſis, in Pontigon. 443. *b*.

Geroldus Epiſcopus Iuuanenſis, in Conc. Engelen. 585. *c*. Heroldus Salſburgenſis, 588. *b*.

Gibuinus Epiſcopus Catalaunenſis, 595. *c*. 596. *a*.

Gimara Epiſcopus Carcaſonenſis, 533. *c*.

Girbaldus, Gerboldus Epiſcopus Cabilonenſis in Sueſſ. III. 297. *b*. 299. *a*. 302. *c*. in Cabilon. 406. *c*. in Pontig. 443. *a*. in Tricaſſ. II. 480. *a*. in Mantalenſi, 497. *a*. moribundus, 521. *b*.

Giſalbertus Dux in Burgundia, 600. *b*.

Giſlardus inuaſor ſedis Namneticæ altero viuente, 74. *b*.

Giſlebertus Epiſcopus Carnotenſis apud Saponarias, 144. *c*. Tuſiac. 163. *c*. Sueſſ. III. 297. *b*. 299. *a*. 302. *b*. Tricaſſ. 358. *b*. in Pontig. 443. *a*. 451. *b*. in Tricaſſ. II. 480. *b*.

Giſlebertus in Lotharij regno, Caroli regis infidelis, 576. 577.

Giſlemarus Remenſis Epiſcopus, electus poſt Vulfarium, in examine reiectus vt imperitus, 359. *b*.

Giſlerannus Epiſcopus Carcaſonenſis, 522. *b*.

Gloria in excelſis ab Epiſcopis in Miſſarum ſolemniis dicenda in cœna Domini, 236. *b*.

Godefridus abbas S. Gregorij à Ludouico pio miſſus ad Gregorium Papam, 361. *a*.

Godelſadus ex palatio Epiſcopus Cabilonenſis, 68. *c*. in Sueſſ. II. 80. *a*. in Vermer. 91. *b*. 92. *c*. apud Saponar. 144 *c*. apud Tuſiac. 163. *a*.

Goffridus Epiſcopus Veſontionenſis, 400. *b*.

Gontarius Epiſcopus Magalonenſis, 533. *c*.

Goſlenus Epiſcopus Tullenſis, 583. *c*. 584. *a*. in Engelen. 586. *a*. 588. *b*. 590. *c*.

GOTHASCALCVS monachus de prædeſtinatione Dei prauè ſentiens in Conc. Moguntino damnatus, 64. item apud Cariſiacum, 65. *b*. honore preſbyterali deiectus, virgis cæſus, ergaſtulo eſt retruſus, 66. *b*.

Gotheſcalcus Epiſcopus Lauſanenſis, 600. *c*.

GRÆCORVM odij & inuidiæ aduerſus Latinos origo, 131. *b*. Græci Nicolao Papæ infe-

ſti, 363. *b.* à legatis ſedis Apoſtolicæ libellum fidei & canonicas literas exigunt, 333. *c.* Græcorum aduerſus Latinos obiectiones in Galliam à Nicolao miſſæ, vt refellantur, 333. *b.*

Gratia ſaluantur credentes & beatè viuunt, 99. *b.* liberum hominis arbitrium per gratiam redintegratum. *Ibid.* gratia Dei liberum arbitrium ſanat & adiuuat. *Tuſiac.* 165. *b.*

Gratianopolitanus Epiſcopus Bernarius, 376. *b.* 377.

S. Gregorij Papæ Homilias legere debent preſbyteri, 619. *c.*

GREGORIVS IV. Papa in Eliſatium vſque progreſſus, Ludouici Aug. exauctorationem non probauit. 354. *b.* Epiſcopatum in Germania Eboni contulit, 356. *b.* 361. *a.* Gregorij eiuſdem epiſtola de reſtitutione Ebonis, 609.

Gualo Epiſcopus Æduenſis. v. *Vvalo.*

Guilbertus Epiſcopus Nemauſenſis, Gibertus, 492. *c.* 522. *b.*

Gundulfi villa, 521. *c.*

Guntardus Epiſcopus Matiſconenſis, in Mantalenſi, 497. *c.*

Guntbertus Epiſcopus Ebroicenſis, in Soeſſ. II. 80. *b.* 290. *c.* in Vermer. 91. *b.* 92. *c.* apud Saponar. 144. *c.* Tuſiac. 163. *c.*

Guntbertus primicerios Metenſis Eccleſiæ, 527. *a.*

Guntboldus Epiſcopus Rotomagenſis in Conc. Pariſ. 29. *b.* 60. *c.* in altero Pariſ. 69. *b.* 357. *b.*

GVNTHARIVS Agrippinæ Coloniæ Epiſcopus, 131. *c.* 144. *b.* 148. *a.* ſummus Capellanus in Conc. Aquiſg. 157. *b. c.* apud Tuſiac. 162. *c.* ſacri palatij Archicapellanus, in Aquiſgr. III. 189. *b.* 242. *a.* legatus Concilij Metenſis ad Nicolaum, 227. *b.* depoſitus Romæ in Concilio, 229. 230. à ſacro miniſterio non deſiſtit, 234. *b.* 237. 238. 240. 242. *a.* 244. *b.* 245. *b.* 246. *b.* alterum eius loco Antiſtitem creari iubet Nicolaus, 339. *c.* pro eo intercedi vetat, 342. 343. Guntarij & Teutgandi totam hiſtoriam deſcribit Nicolaus, 344.

H.

HABITV Franciſco indutus Carolus caluus Imp. 434. *c.* more Germanico, 436. *b.* more Romano legiti. *Ibid.*

HADRIANVS II. Papa, reſpondet Synodi Tricaſſinæ literis ad Nicolaum miſſis, 362. Nicolai nomen in diptychis ſcribi iubet, 363. *b.* Salomoni duci Britonum, de priuilegiis Eccleſiæ Turonicæ, 369. *a.* Ludouici Imp. & Lotharij regna diripi vetat, 371. Teuthergæ diuortium abnuit, & Lotharium inſtigat, vt eam recipiat, 371. 372. Vvaldradam quibus legibus abſoluerit, 373. Lotharij regnum, poſt eius mortem, Ludouico fratri conſeruandum docet, 379. 380. Carolum arguit, quòd regnum illud inuaſerit, 387. item ob vexatum Carolomannum filium, 395. Carolomannum bello peti aut excommunicari vetat. *Ibid.* 396. Hincmari Laudunenſis cauſam euocat, 399. Carolum regem ipſius literis offenſum placare ſtudet, imperiúmque promittit, 401.

Hadriani eiuſdem epiſtolæ, Actardo Epiſcopo, 369. Carolo regi, 366. 375. 376. 387. 395. 400. 401. Epiſcopis Synodi Tricaſſinæ, 362. 364. Epiſcopis Germaniæ, 373. Epiſcopis in regno Ludouici, 393. in regno Caroli, 381. 389. 396. Epiſcopis Synodi Duxiacenſis, 397. Herardo Archiepiſcopo, 368. Hincmaro Archiepiſcopo, 367. 375. 382. 390. Lothario regi, 371. Ludouico regi, 370. 392. proceribus regni Lotharij, 379. proceribus regni Caroli, 380. 391. 395. Vvaldradæ, 373.

Hadebertus Epiſcopus Siluanectenſis, in Pontig. 443. *c.* Adebertus, in Tricaſſ. II. 480. *b.*

Hadulfus Epiſcopus Nouiomenſis, 596. *a.*

Halduinus abbas Altuillaris monaſterij, 66. *c.* 85. *c.*

Hedenolfus Epiſcopus Laudunenſis electus, 431. *c.* in Conc. Pontig. 443. *b.* Edenulfus in Tricaſſ. II. 480. *b.* cùm abſolui peteret, à Ioanne VIII. confirmatus eſt, 486. *b. c.*

Heinricus rex Germaniæ, Caroli III. regis inimicus, 573. *b.*

Heirardus Epiſcopus Lexouienſis, in Sueſſ. II. 80. *b.* Eirardus in Vermer. 91. *b.* 92. *c.* Airardus, apud Saponar. 144. *c.* in Pontig. 443. *b.*

Helias Epiſcopus Carnotenſis in Conc. Beluacenſi, 23. *a.* in Pariſ. 61. *a.* in Turonen. IV. 69. *b.*

Helias Epiſcopus Ecoleſmenſis in Soeſſ. III. 297. *b.* 299. *c.* 302.

Helias Epiſcopus Vaſionenſis in Mantalenſi, 497. *c.*

Hemico Epiſcopus Dienſis in Pontig. 443. *c.* in Mantalenſi, 497. *c.*

HARARDVS Archiepiſcopus Toronenſis, iudex in cauſa Vvenilonis, 142. *a.* 144. *b.* 145. *c.* 148. apud Tuſiac. 162. *c.* 202. *b.* 280. *c.* 294. *a.* 297. *b.* 298. *a.* 299. 302. 351. *b.* in Tricaſſ. 358. *b.* Herardi capitula, 121. commonitorium ad Vvenilonem, 156. *b.* adnuntiatio in Sueſſ. III. 291.

Heribertus Comes, 579. *b.* 580. *a. b.* princeps, 581. *b.* 582. *a.* 589. *b.* Heribertus, Heriberti Comitis filius, 594. *c.*

Heriboldus Epiſcopus Autiſiodorenſis in Turon. IV. 69. *b.*

Herilaodos Epiſcopus Morinenſis, 532. *a.*

HARIMANNVS Epiſcopus Niuernorum, in Turon. IV. 69. *b.* propter infirmitatem Metropolitano ſuo commendatus, in Sueſſ. II. 76. *c.* 80. *a.* Eccleſiæ ſuæ diſpoſitioni reſtitutus, in Vermer. 92. *b.* 94. *c.* de eius infirmitate rurſum in epiſtola Nicolai Papæ, 188. *b.*

Herimannus Epiſcopus Agrippinæ, 577.

HARIVAVS Archiepiſcopus Remenſis, 534. *a.* eius adlocutio in Conc. Troſleiano, 536. *a.* 569. *a.* 578. *b.* 589. *b.* 598. *b.*

Herilueus Epiſcopus Æduorum, 571. *c.* 572. *b.*

Herleſridus preſbyter Siluanectenſis ab Epiſcopo Eccleſia ſua priuatus ſedem appellat Apoſtolicam, 576.

Herluinus Comes, qui vxorem duxerat alia viuente, 580. *a.*

HERMENFRIDVS Epiſcopus Bellouacenſis, Irminfridus in Conc. Pariſ. 60. *a.* Yrminfridus apud Carſiacum, 65. *c.* Hermenfridus in Turon. IV. 69. *b.* Ermenfridus in Sueſſion. II. 80. *a.* in Vermer. 91. *b.* 92. *c.* apud Saponar. 144. *c.* apud Tuſiac. 163. *a.*

Hermengardis regina, vidua Boſonis, 529. *b.*
Hermengardis Comitiſſa, 571.*c.* 572.*b.*
Hermentrudis regina, Caroli calui. 194.*c.* 251.*a.* 233.*a.*
Herilo Epiſcopus Nouiomenſis, 533.*b.*
Hieronymus Epiſcopus Lauſanenſis, in Mantalenſi, 497.*c.* 499.*c.* 500.501.
Hildebadus Epiſcopus Cabilonenſis, 600.*c.*
Hildeboldus Epiſcopus Sueſſionenſis, in Pontigon. 443. Tricaſſ. II. 480.*b.*
HILDEBRANNVS Epiſcopus Sagenſis, in Sueſſon. II. 80.*b.* in Vermer. 91.*b.* 92.*c.* apud Saponar. 544.*c.* Hildebrandus in Sueſſ. III. 297.*b.* 299. 302.*b.* in Pontig. 443.*b.* 487.*c.*
HILDEGARIVS Epiſcopus Meldorum in ordinatione Æneæ Pariſ. 94.*c.* 118.*c.* 131.*c.* apud Saponar. 144.*c.* in Aquiſgr. 257.*c.* apud Tuſiac. 162.*c.* in Sueſſ. III. 297.*b.* 299. 302.*b.* in Tricaſſ. 358.*b.* Siluanect. 407.*b.*
Hildegarius Epiſcopus Bellouacenſis, 580.*c.* 590.*c.* 598.*b.*
Hildemannus Epiſcopus Bellouacenſis, 85.*b.*
Hildibaldus Epiſcopus Mimegardvvrdenſis, 585.*c.* in Engelen. 586.*a.* 588.*c.*
Hildradus Epiſcopus Albenſis, 437.
HILDVINVS abbas & Bibliothecarius, in Pontigon. 444.*a.*
Hilduinus Epiſcopus Ebroicenſis in Sueſſ. III. 297.*b.* 299.*a.* 302.*c.* Tricaſſ. 358.*b.*
Hilduinus Epiſcopus Aſtenſis, 457.*c.*
Hilduinus Epiſcopus Aucnnicorum. *Tuſiac.* 163.*b*
Hilduinus clericus Cameracenſis Eccleſiæ inuaſor. 222 223.
Hilduinus de Tungrenſi Epiſcopatu contendit cum Richario, 573.574.575.
Hilmeradus Epiſcopus Ambianorum in Turon. IV. 69.*b.* in Sueſſ. II. 80.*a.* in Vermer. 91.*b.* 92.*c.* apud Saponar. 144.*c.* *Tuſiac.* 163.*c.* 352.*c.*
HINCMARVS Remenſis in Concilio Vernenſi II. 17.*a.* presbyter & vocatus Archiepiſcopus in Beluacen. 23. conſecratus in eodem, 24. 286.356. ordinatus à Rothado, 84.*b.* pallium cum priuilegio adeptus à Leone IV. 287.*a.* in Meldenſi, 28.*b.* in Pariſ. 60.*c.* in Spamaco, 61.*b.* in altero Pariſ. 63.*c.* 64.*b.* apud Cariſiacum, 65.*c.* in Turon. IV. 69.*b.* in Sueſſ. II. 76.*a.* 77.*a.* 80.*a.c.* in Vermer. 91.*b.* 92.*c.* 107.*c.* 118.*c.* in Concilio Metenſi legatus ad Ludouicum regem, 131.*c.* 135.*c.* 144.*b.* 145.*c.* 148.*a.* apud Tuſiac. 162.*c.* in Tricaſſ. 358.*b.* 367.*c.* 382.*c.* 403.*a.* 422.*c.* in Pontigon. 443.*a.* in Tricaſſ. II. 474.*b.c.* 475.*a.* 480.*a.* 599.*b.* 600.*a.* 657.*b.c.*
Hincmari eiuſdem epiſtola, Synodi Tuſiacenſis iuſſu ſcripta, ad Metropolitanos Aquitaniæ, 173. taxatur à Nicolao in cauſa Rothadi, 255. 257. ſchedulæ quatuor in Concilio Sueſſion. III. ab Hincmaro prolatæ contra wlfadum & ſocios, 282. excuſatur à Synodo & à rege apud Nicolaum, 297.299.300.302. perſtringitur à Nicolao de actis in Synodo, & literis vitiatis, 300. & ſeqq. 310. &c. 316. 338.*b.* 353.*b.* iuramentum ab Hincmaro exactum in Synodo Pontigon. 447. Hincmari capitula ad presbyteros parochiæ ſuæ, 618. &c.
HINCMARVS Epiſcopus Laudunenſis, 531.*c.* apud Saponar. 144.*c.* apud Tuſiac. 165.*a.* in Sueſſ. III. 287.*c.* 297.*b.* 299.*c.* 302.*c.* in Tricaſſ. 358.*b.* accuſatus, apud Vermeriam in Synodo ſedem appellat Apoſtolicam, 374. iterum appellat in Concilio apud Attiniacum, 386. in Concilio Duziacenſi Epiſcopatu deiectus, 397. depoſitionem improbat Hadrianus, & Romam euocat, 399. 401. 403. Epiſcopum eius loco creari iubet Ioannes VIII. 422. Hincmari reclamatio in Concilio Tricaſſino II. 482. cæcus benedictionem populo dat in Concilio Tricaſſino, parte Epiſcopatus Laudunenſis retenta, 486.*b.c.*
Hoellus & Guereeh fratres Britones, 597.*a.*
Homicidij voluntarij, aut non voluntarij, pœnitentia. *Namnet.* c. 17.18. 606. homicidium trium filiorum à Vvimaro perpetratum, 188.*c.* de homicidis. *Trosleian.* c. 25. 562. de homicidiis canones Iſaac Epiſcopi, 653. &c. homicidium in Eccleſia, 653.*b.* qui ſeipſos necarit, 677.*b.*
Hoſpitalia Scotorum, 43.*a.* 124.*b.* hoſpitalitas presbyteris ſectanda, 112. XVIII. omnibus inculcanda fidelibus, 115. CXV.
Hubertus clericus, Boſonis filius, à Benedicto Papa Romam vocatus, vt de criminibus reſpondeat, 109. frater Teutbergæ, 192.*c.* 198.*b.* Hubertus abbas, 220.
Hucbertus Epiſcopus Meldorum in Turon. IV. 69.*b.* in Sueſſ. II. 80.*a.* in Vermer. 91.*b.* Hucbertus alter Epiſcopus Meldorum in Conc. Troſleiano, 569.*b.*
Huncfridus ex diacono apoſtata, 470.*a.*
HVGO abba in Pontig. 444.*c.* 494.*c.* 495.502.*b.* 517.*b.* 519.*a.*
Hugo Comes, 489.*c.* princeps, 581.*b.* 582.*a.* à Ludouico rege accuſatus, in Cōcilio Engelen. *c.* 1.586.588.*b.* iterum excommunicatur in Treuirenſi, 593. Rodulfum Laudunenſem ſede ſua eiicit, 587.*a.*
Hugo Lotharij regis filius naturalis excommunicatur ob violata regi ſacramenta, 488.*b.*
HVGO Heriberti Comitis filius, Diaconus Eccleſiæ Autiſiodorenſis, 590.*b.* Remorum Epiſcopus deiecto Artaldo conſecratur, 581.*b.* pallium accipit à Stephano VIII. tranſmiſſum, 582. ſede priuatus Moſomi commorari permittitur, 583.*c.* ſuſpenſus à communione in Conc. Virdunenſi, 583. iterum in Moſomenſi, 584. & in Engelenheimenſi, 587.*a.* & Romæ, 593.*c.*
Hungerus Epiſcopus Traiectenſis, apud Saponar. 144.*b.* Vngerius, apud Tuſiac. 163.*c.* Hungarius, Aquiſgr. III. 189.*c.* ægritudine detentus ne Metenſi adeſſet, 227.*b.*
Huntbertus presbyter monachæ corruptor damnatur in Concilio II. Duziacenſi, 414.
Huntfridus Epiſcopus Morinenſium, apud Tuſiac. 163.*b.* in Sueſſ. III. 297.*b.* 299.*c.* 302.*c.* ne Eccleſiam ſuam ob Normannorum perſecutiones deſerat, monetur à Nicolao, 350.*c.*

I.

IEIVNIA quatuor temporum, & alia pro diuerſis neceſſitatibus, non ſoluenda, 111. X. ieiuniorum diebus abſtinendum à coniugibus, 113. LXII. ieiunium triduanum & preces pro

rege indictæ in Concilio Metenſi, *c.* 13. 518.

Ignatius Patriarcha à Photio inuaſore deiectus, 331.*b.*

Immo Epiſcopus Nouiomagenſis in Conc. Beluacenſi, 23.*a.* in Pariſ. 61.*a.* apud Cariſiacum, 65.*c.* in Turon. IV. 69.*a.* in Sueſſ. II. 80.*a.* 84.*c.* 85. *b.* in Vermer. 91.*b.* 92.*c.* in Concilio apud Saponar. 144.*b.* apud Tuſiac. 163. *c.* 600.*a.*

Inceſta omnia abſque acceptione perſonæ à preſbyteris iudicentur, tra. XIV. inceſtuoſi à liminibus Eccleſiæ ſeparandi, 180. inceſtuoſi non per guadios vel ſacramenta conſtringãtur, ſed Eccleſiaſticè corrigantur, 113. XLII.

Inceſtus non pœnitentia, ſed ſeparatione ſanatur, 174.*a.* 180. 185.*a.* aduerſus inceſta coniugia epiſtola Synodi Duziacenſis II. 408. de inceſtis nuptiis Conc. Troſleianum, *c.* 8. 552. de inceſtis canones Iſaac Epiſcopi, 658.

Inceſti, & alij perditi, qui examen Epiſcoporum refugiunt, per iudices publicos ad eorum audientiam compellantur, 79. *b.* 660. *a.* inceſti non fidelium loco habendi, ſed gentilium, aut catechumenorum, vel energumenorum, 661.*a.*

Inceſta coniunctio Stephani cum vxore, cuius antea propinquæ ſe miſcuerat, 573. &c. inceſta matrimonia in prouincia Auſcenſi, 493.*b.*

Indulgentia Ludouico regi à Synodo Metenſi certis legibus oblata, 131. 134. indulgentia eorum qui contra paganos pugnantes occubuerant, 490.*b.*

Indulgentia vti miſericordia interueniente ſolet Eccleſia, 288. 289.

Infirmi quomodo à presbyteris viſitandi & ſpiritaliter releuandi. *Namnet. c.* 14. 602. qua lege reconciliandi. *Ibid. c.* 5. 603. in infirmitate poſiti abſque dilatione reconcilientur, & viaticum viuentes accipiant, & benedictione ſacrati olei non careant, 112. XXI.

Ingelberga Willelmi Comitis Aruernorum vxor, 570.*a.* 571.*a.*

Ingeltrudis Matefredi Comitis filia, 290.*b.* 472. *b.* Boſonis Comitis vxor fugitiua, 159. 229. *c.* in Concilio Mediolani excommunicata, 344. *b.* per ſeptem annos vagabunda, iterum excommunicata in Conc. Romano, 230. 237. *c.* 240. ab Epiſcopis perperam abſoluta, 242.*b.* eius coram Arſenio legato iuramentum & periurium, 279.*c.* excommunicatur iterum ab Arſenio, 279. 329. *c.* 343.*b.* Ingeltrudis hiſtoria retexitur, 344.*a.* 346.*a.*

Ingeluuinus Epiſcopus Pariſiacenſis in Concilio Pontig. 443.*a.* in Tricaſſ. II. 480.*b.*

Ingoberrus Epiſcopus Vrgellitanus, 522.*b.c.*

Interdicta canonica ſeruentur, 114. XCII.

Innolatus Epiſcopus Conuenenſis, 493.*b.*

Ioannes VIII. Papa 405. Carolum caluum Imp. coronat, 421. vices ſuas in Gallia & Germania Anſegiſo Senonenſi delegat, 422. pro Carolo Imp. ſcribit ad diuerſos contra inuaſionem Ludouici regis, 423. &c. Frotarium à Burdigalenſi Eccleſia transfert ad Bituricam, 447.*c.* Caroli opem implorat aduerſus Sarracenos, 451. 461. Carolo imperium confirmat in Synodo Romana, 457. Ludouicum Balbum regem ſibi conciliat, 464. Concilium apud Trecas celebrat, 473. 479. Ioanni Papæ honor & obedientia vt ab omnibus exhibeatur. *Ticin. c.* 2. 439.

Ioannis eiuſdem epiſtolæ. Adalardo Archiepiſ. Turonenſi, 483. Adalberto Epiſcopo Maurienn æ, 518. Aimaro Epiſcopo, 491. Airardo Archiep. Auſcenſi, 493. Anſelmo Epiſc. Lemouicenſi, 492. Archiepiſcopis diuerſarum ſedium, 469. Arelatenſis ſuffraganeis, 469. Arelatenſi & Narbonenſi, 488. Ariberto Archiep. Ebredunenſi, 463. Aureliano Lugdunenſi, 491. Bernardo Marchioni, 471. Bernardo Comiti, 487. Bituricenſi clero & ordini, 448. Boſoni Comiti, 495. Carolo caluo Imp. 447. 450. 451. 452. 453. 455. 461. 463. Carolo craſſo regi Italiæ, 499. Cemenoco Epiſcopo Venetenſi, 519. Comitibus in regno Baioariæ, 426. Comitibus in regno Caroli, 423. Epiſcopis Galliæ, 467. 484. Galliæ & Germaniæ, 422. 431. Epiſcopis in regno Ludouici regis Baioariæ, 429. in regno Caroli, 462. Epiſcopis & Comitibus in regno Caroli, 428. Epiſcopis qui à Carolo deſciuerant, 429. Epiſcopis diuerſis, 487. Prouinciæ Bituricenſia, 448. Epiſcopis in regno Ludouici, 490. Epiſcopis Britanniæ, 488. Frotario Burdigalenſi, 449. 471. 483. Gallis & Germanis, 431. generalis omnibus, 468. 481. 484. Geneuenſibus clero & populo, 516. Giſilberto Epiſcopo Carnotenſi, 451. Hincmaro Remenſi, 422. 470. Hugoni abbati, 495. 519. Hugoni, Theoderico, & Boſoni Comitibus, 489. Hugoni & Radulfo, 495. Innolato Epiſcopo Cõuenenſi, 493. Iſaac Epiſcopo Lingonenſi, 468. Ludouico balbo regi, 464 489. Ludouico & Carolomanno regibus, 501. 517. Luitberto Epiſcopo Moguntino, 471. Liutuuardo Epiſcopo Vercellenſi, 500. Mahen Dolenſi, 488. Marfredo Comiti, 472. Mironi & Huncfrido fratribus, 470. Odoni Bellouacenſi, 490. Otteranno Viennenſi, 492. 516. 518. Pulrarienſibus monachis, 494. Richildi Auguſtæ, 450. 454. 456. Roſtagno Arelatenſi, 466. 471 472. 519. Rotberto Archiep. Aquenſi, 492. Sarſtono Bigorrenſi, 493. Sigebodo Narbonenſi, 492. 519. Teutranno Tarantaſienſi, 469. Theoderico Biſuntino, 472. 491. 492. 500. Vvainardo Conſeranno, 493. Vvalæ Metenſi, 491. Vvidoni Epiſcopo, 491. Vviſredo Vencienſi, 490. Vviliberto Colonienſi, 520. Vvlgario monacho, 490.

Ioannis IX. Papæ epiſtola ad Heriueum Remenſem, qualis pœnitentia iis debeat iniungi, qui poſt baptiſmum gentiliter vixerunt, ſi reſipiſcant, 534.

Ioannes X. Papa Hilduini & Richarij de Epiſcopatu Tungrenſi contendentium cauſam euocat, 575.*c.* 577.*a.*

Ioannes XII. Papa Hugonem Remenſis Eccleſiæ inuaſorem excommunicat, 595.*c.*

Ioannis XIII. Papæ epiſtola ad Epiſcopos Britones, vt Archiepiſcopo Turonenſi debitam reuerentiam exhibeant, 596.

Ioannes Epiſcopus Rotomagenſis in Pontigon. 443.*a.* 469.*b.* Rodomnenſis, 519.*b.*

Ioannes Epiſcopus Cameracenſis in Sueſſ. III. 297. *b.* 299. 302. Tricaſſ. 358. *b.* iudex electus ab Hincmaro Laudun. 387.*a.* in Pontig. 443.*a.*

Ioannes Archiepiſcopus Rauennas ſacramento purgatus ab Apoſtolica ſede receptus eſt, 187.*b.*
Ioannes Epiſcopus Ticinenſis, 437.*b.*
Ioannes Sacellarius in Conc. Liptinenſi, 181.*b.*
Ioannes Epiſcopus Ficolenſis, legatus ſedis Apoſtolicæ, 192.*a.* 193.*b.* 194.*b.* 195.*a.* 197.*b.* 210.*b.* 570.*b.* 572.*a.*
Ioannes Tuſcaneoſis Epiſcopus, legatus cum Ioanne Ficulenſi Epiſcopo, 425.434.435.436. in Pontigon. 442.*c.*
Ioannes Epiſcopus Aretinus, 437.*b.* legatus ſedis Apoſt. 435.*b.* 436. in Pontig. 445.*c.*
Ioannes Scotus multæ ſcientiæ, non ſanæ, Dionyſij Areopagitæ opera in Latinum tranſtulit, 355.*b.*
Ionas Epiſcopus Auguſtodunenſis, in Sueſſ. II. 80.*a.* in Vermer. 91.*b.* 92.*c.* Æduorum Epiſcopus, apud Saponar. 144.*b.* apud Tuſiac. 163.*a.*
Iſaac diaconus Parduli, 66. Epiſcopus Lingonenſis, 139.*b.* apud Saponar. 144.*c.* Tuſiac. 163.*a.* in Sueſſ. III. 597.*b.* 299. 302. in Pontigon. 443.*a.* vocatus ad Synodum Tricaſſinam, 468.*b.* in Tricaſſ. II. 480.*a.* 495.*c.* 523. Iſaac Epiſcopi canones, 644.
Iſaac Epiſcopus Valentinenſis, 523.*b.c.*
Iſaac Diaconus Remenſis Eccleſiæ, 81.*c.*
Iſaac Comes cum Epiſcopo Cameracenſi reconciliatus, 579.*b.*
Iſraël Epiſcopus Brito in Concilio Virdunenſi, 583.*c.*
Ivdæi ſeruos non circumcidant, 53.*a.b.* Chriſtiana mancipia non habeant, 53.*c.* 54.*c.* ſi circumciderint, ab eorum poteſtate auferantur, 676.*b.* cauſas non agant, nec militent, nec adminiſtrationem gerant, 53.*b.*
Iudæi à cœna Domini in primum Paſcha non ambulent, 53.54.55. iudices Chriſtianis non deputentur, nec telonarij eſſe permittantur, 54.*b.*
Iudæorum conuiuia etiam laicis prohibita, 54. connubia cum Iudæis non iungenda, 55.*b* munera non accipienda, 55.*b.* nemo Chriſtianus cum Iudæis manducet & bibat, vel quicquid comedi aut potari poteſt ab eis accipiat. *Conc. Meten. c.* 7.257.
Iudæi nullam ſynagogam exſtruant, 53.*b.* ante ſacerdotes conſeſſum, niſi ordinati, non præſumant, 54.*b.*
Iudæorum filij & filiæ, ne parentum inuoluantur erroribus, deputandi monaſteriis, vel Chriſtianis Deum timentibus, 55.*c.*
Iudicare de iis qui ad Dominum migrauerunt facilè non licet, 366.*b.*
Iudices idonei conſtituantur, qui iuſtitiam miſeris perficiant, 155.*c.* iudices villarum regiarum quales inſtituendi, 157.*b.* iudicis non eſt quemlibet damnare ſine legitimo accuſatore, 673.*a.* clericos ſine Epiſcopi conſcientia iudices non diſtringant, 675.*a.*
Iudices electi à partibus ſine prouocatione, 82.*b.* 100.*b.* 201.*b.* 505.*b.* iudices electi ab Hincmaro in cauſa clericorum Remenſium, 85.*b.* ab Ebbone Remenſi, 83.*b.* ab Hincmaro Laudunenſi, 387. in cauſa Vuenilonis, 142. 145.*c.*
Iudicia Eccleſiaſtica ex canonibus & decretalibus peragenda, 73.*a.* iudicij Eccleſiaſtici ordo, 174. &c.
Iudicia publica in locis ſacratis, & diebus feſtis non fiant, 79.*a.*
Iudicium, loci nomen ſecus Theodoni ſuillam, 11.*b.* 124.*a.*
Iudith Auguſta, Ludouici pij coniux, in nullius Epiſcopi damnationem conſentire ſtatuit, 360.*a.*
Iudith Caroli calui filia à Balduino ſine patris conſenſu rapta, 194.*a.*
Iuniariæ, Concilium apud Iuniarias in territorio Magalonenſi, 533.
Iuo Epiſcopus Siluanectenſis, ab Hugone Remenſi ordinatus, excommunicatur in Concilio Treuirenſi, 594.*b.*
Iuramentum ſecundum legem diuinam omnis humanæ controuerſiæ finis eſſe debet, 105.*b.* 506.*b.* iuramento in forenſi iudicio vna ex parte allato alterum nullus opponat. *Valent. III. c.* 11. 105. iuramenta legitima multorum impio iuramento euacuare auſus damnatur. *Ibid. c.* 53. 106.*c.* canones Iſaac de iuramentis, 669.
Iurare, vt ſæculares, ſuper ſacra Epiſcopi non debent, 159.*c.* 130.*a.* iuſiurandum in rei dubiæ iudicio exigendum, 175.*a.* Chriſtiani à iuramentis caueant, 116. CXXII.
Iuramentum Hincmaro Remenſi indictum, 447.

L.

Laici infra cancellos ſtent, & oblatio populi foris ſepta recipiatur, 114. XXCII. presbyteros Eccleſiarum ſuarum non abdocant à miniſterio ſuo, nec turpi villicationi aut negotiationi implicent, 46.*a.* clericos abſque permiſſu Epiſcopi non compellant ad cauſas ire ad publicum, 111. VIII.
Laici ſine licentia Epiſcopi Eccleſias presbyteris non dent, nec auferant. *Engelen. c.* 4 587. presbyteros non vexent. *Ibid. c.* 5. 587. Monaſteria velut abbates regere non præſumant, 33. de Eccleſiæ negotiis diſponendi nullam habent facultatem, 114. LXIV. 673.*b.*
Laicus non debet in Eccleſia publicè lectionem recitare, nec alleluia, ſed pſalmos & reſponſoria, 116. CXXVI. laicus vxores pluſquam duas non habeat. 115. CXI.
Lantbertus Epiſcopus Matiſcenſis, in Concilio Pontigon. 443.*a.*
Lantbertus, Vvidonis Ducis Spoletani filius, rebellat contra Eccleſiam Romanam, 463. excommunicatur in Synodo Tricaſſ. II. 474. &c. 519.*b.*
Lanthertus Comes rebellat contra Carolum regem, 70.*b.* 71.
Lantrannus Archiepiſcopus Turonenſis in Concilio Pariſ. 63.*c.* Landrannus in Turon. IV. 69.*b.*
Laudunenſes Epiſcopi, Simeon, 23. à Pardulus, 61.*c.* Hincmarus, 131.*c.* Hedenulfus, 431.*a.* Dido, 531.*a.* Rodulfus, 569.*a.* Adelelmus, 578.*c.* Rodulfus, 586. Ronco, 595. Laudunenſis Eccleſia, dum Hincmarus Romam pergit, regi & Archiepiſcopo commendata, 375. Laudunum, Lugdunum, 77.*a.*

Launus

Launus Epiſcopus Æquolcſinæ, in Soeſſ. II. 80. *b*. Tuſiac. 163. *b*.
Lautiaci Concilium in pago Andegauenſi, 8. 28. *a*. 36. *a*.
Lauſanenſis Eccleſia vacans, 472. *c*.
Lebraha monaſterium, vbi S. Alexander quieſcit, 92. *c*.
Ledaldus primus abbas Moſomenſis, 598. *b*.
Legati Nicolai & ſedis Apoſtolicæ in Franciam, Rodoaldus & Ioannes Epiſcopi, 192. *a*. Arſenius Epiſcopus, 267. *c*. Hadriani II. Paulus & Leo Epiſcopi, 380. Ioannes, Petrus, wibbodus, & Ioannes Epiſcopi, & Petrus presbyter, 387. Ioannis VIII. Gadericus, Formoſus, & Ioannes Epiſcopi, 444. *b*. Ioãnes & Ioannes Epiſcopi, 423. Leo Gabinenſis, & Petrus, Epiſcopi, 433. Petrus & Petrus Epiſcopi, pro auxilio contra Sarracenos, 456. Formoſi Papæ, Paſchalis, & Ioannes Epiſcopi, 530. *b*. Stephani VII. Damaſus Epiſcopus, 382. *a*. Agapeti Papæ, Marinus Epiſcopus, 585. Benedicti VII. Stephanus Diaconus, 397.
Legatis obuia fit turba ciuitatis ac circumiacentis regionis Sueſſionicæ, 251. *c*.
Legatos ſuos à Carolo rege contemptos conqueritur Hadrianus, 387. *c*. commonitorium Nicolai legatis datom, 198. *a*.
Legia Eccleſia, Leogis, Leodium, 576. 577.
Leo IV. Papa, 64. *a*. Apoſtolicus, 70. *a*. 275. *c*. 281. *b*. 287. 304. 364. *a*. Leonis epiſtola ad Prudentium Epiſcopom, 71. *b*. ad Epiſcopos Britanniæ, 72. 148. *b*. 275. *c*. ad Nomenoium, 74. *b*. 612. *c*.
Leo Epiſcopus Gabinenſis, apocriſiarius, Ioannis VIII. nepos, eiúſque legatus in Concilio Pontigoncoſi, 433. *c*. 436. *c*. 445. 446. Romam reuerſus, 448. 455. *b*.
Leo Epiſcopus cum Paulo legatus ab Hadriano ad Carolum miſſus ob regnum Lotharij, 380. 381. 382.
Leo notarius regionarius, & ſcriniarius ſedis Apoſtolicæ, 219. *c*.
Leo à ſecretis legatus Michaëlis Imp. ad Nicolaum, 332. *a*. *b*.
Leodonius Epiſcopos Maſſilienſis, in Mantalenſi, 497. *c* alter Mutinenſis, 437.
Leoninus Epiſcopus Veſontienſis, 571. *b*.
Letoldus Epiſcopus Catalaonicæ in Conc. Troſleiano, 369. *a*.
Leuboinus Chorepiſcopus Lugduncoſis, 406. *c*.
Lex vnicuique competens ſeruanda, 6. *c*. 30. *b*. leges mundanæ canonicis interdum contrariæ, nec in omnibus Eccleſiaſticis controuerſiis vſurpandæ, 206. *a*. 207. *a*.
Lexooienſes Epiſcopi, Freculfus, 61. *a*. Heirardos, 80. *a*.
Libellus Hincmari de electione iudicum, 82. *b*. Ebbonis propriæ confeſſionis, 83. *b*. 284. *c*. 354. *a*. proclamationis clericorum Remenſium, 83. *a*. 304. *a*. Caroli regis aduerſus Vvenilonem, 140. *a*. 142. confeſſionis Teutbergæ, 157. *c*. 139. *a*. Lotharij contra Teutbergam, 190. *a*. appellationis Teutbergæ ad ſedem Apoſtolicam, 198. *c*. proclamationis Rothadi Epiſcopi, 248. profeſſionis Proculi Epiſcopi, 282. *c*. iuramenti Vulfadi, 290. *c*. Epiſcoporum de reſtitutione Ludouici Imperat. 354. *c*. Hincmari Laudunenſis in Synodo Attiniaca, 386. *b*. reclamationis cleri & plebis Laodunenſis, 403. *c*. proclamationis Eccleſiæ Remenſis aduerſus Ludouicum regem, 446. Theodotici Epiſcopi Veſontionenſis ſuper ſuffraganeos ſuos, 475. proclamationis contra Iudæos Merenſes, 527.
Libellũ fidei à legatis Papæ exigunt Græci, 335. *c*.
Libellaris ſatisfactio & purgatio lapſorum, 81. *b*. 86. *b*.
Libellarium ios, vel emphyteuticarium, 441. *a*.
Libertatis impugnatæ iudicium in Archidiacono, 105. *b*. 106.
Liberum arbitrium hominis & Angeli, 164. *c*. liberum hominis arbitrium per gratiam ſanatur. *Cariſ. c.* 2. 66. infirmatom in primo homine per peccatum, per gratiam Domini Iesv fidelibus eius redintegratum & ſanatum. *Valent. III. c.* 6. 99. *Tuſiac.* 163. *b*. *c*.
Lidac Epiſcopus Ribuenſis, 588. *b*. Liopdagus Epiſcopus Ripuenſis, 586. Lioptacus Ribunenſis, 588. *b*.
Lingonenſe Concilium, 136. Lingonicæ ciuitatis Epiſcopi, Teutboldus, 65. *c*. Iſaac, 68. Geylo, 523. *c*. Teutbaldus, 332. *c*. Lingonicam ſedem viuo Epiſcopo peruadit Anſcharius ſubdiaconus, 139. *a*.
Litania Romana ſeruetur, 114. xcrv. Litaniæ maioris ieiuniom, ſicut in Rogationibus, exerceatur. *Engelen. c.* 7. 587.
Litio, ſeu lithio, ex honeſto tabula altaris, 636. *c*.
Liudo Archidiaconus Parduli Laudunenſis, 81. *b*. 82. *c*. Liudo Diaconus Romam miſſus ad Nicolaum cum literis Caroli regis & Hincmari, 231. *c*. 233. *c*. Liudo diaconos, 250. *b*.
Liudo Epiſcopos Æduorũ in Sueſſion. III. 297. *b*. 299. 302. in Tricaſſ. 358. *b*. in Cabilon. 406. *c*.
Liutbertus Epiſcopus Moguntiacenſis, in Sueſſ. III 294. 297. *b*. 471. *c*.
Liutuuardos Epiſcopus Vercellenſis, 500. *b*. Archicancellarios Caroli craſſi Imp. 521. *c*.
Lotharivs Imp. 8. *b*. 9. *b*. 38. *c*. Ebbonem Remenſem ſedi ſoæ reſtituit, 85. *b*. Concilium Valentinum conuocat, 95. *c*. et qui filiam rapuerat indulſit, 213. *a*. 331. *a*.
Lotharivs iunior rex, 131. *c*. 133. *b*. in Concilio apud Saponarias, 137. 143. *b*. 137. *c*. 159. *c*. Teutbergam coniugem repudiat, 157. 191. *c*. 192. *c*. 193. *b*. alteram ducit, 195. *b*. 198. *b*. *c*. 210. *b*. conqueritur per literas apud Nicolaum, 239. Romam ne veniat interdicit Nicolaus, 271. *c*. Vvaldrada repulſa Teutbergam reſtitoit, 322. *c*. Teutbergæ iudicium inſtaurare parat, & monomachia decernere, 325. Teutbergam vt foueat, Vvaldradam declinet, hortatur Nicolaus, 329. Romæ cauſam agit cum Hadriano, 377. 378. moritur, 378. 379.
Lotharius idem Hilduino clerico non idoneo Eccleſiam Cameracenſem tradit, 221. 222. Adoni Viennenſi ſcribit de ordinando Epiſcopo Gratianopolitano, 376. totam eius repudij hiſtoriam deſcribit Nicolaus, 344. *c*.
Lotharios rex, 596. *a*.
Lvdovicvs pivs rex Aqoitanorum, 359. *b*. Imperator à Stephano Papa coronatus, 359. *b*.

360.a.385.c. ex progenie Clodouei, 385.c. Ludouici conſtitutio, 47.a. iuſſio, 49.c. capituls, 57.58.c. duplex in eum coniuratio, 459.c.460.a. exauctoratio & reſtitutio, 354.359.360. Ludouici deiectionem omnis pene mundus ingemuir, de reſtitutione exultauit, 286.a.b.

Ludouicus rex Germaniæ, 58.c.64.b. 65.a. inuadit regnum Caroli fratris, 117.143. a. indulgentia ei oblata à Synodo Metenſi, 131. 132. a. 135.b. pax inter Ludouicum & Carolum, 138. a.157.c.192.a.c.279.329.330.339. monetur à Nicolao, vt intercedere deſinat pro Teutgaudo & Guntario, 342. 392. 399. Ioannis Papæ literas recipere dettectat, 444. b. Caroli fratris regnum iterum inuadit, 423. &c. Ludouici oratores à Carolo auditi in Concilio Pontigonenſi, 435.c. cenſura in eum Synodi eiuſdem, 445.c. filij eius Carolomannus, Ludouicus, & Carolus, 465.c.

Ludouicus II. Imperator, 110.a.193.b.217.b.219.c.229.b.341.c. pugnat, & vincit Sarracenos, 370.c.380.c.388. 390. 392. 393. 444. 501.b. 529.b.614.c. Adoni Viennenſi ſcribit de ordinatione Bernarij Epiſcopi, 376.

Ludouicus balbus rex, 464. b. coronatur à Ioanne VIII. 486.b. 487. a. 488. b. 489. 490. b. 517.a. eius defenſionem, exemplo prædeceſſorum, implorat Pontifex in Concilio Tricaſſino, 484.b.

Ludouicus & Carlomannus reges, 501.a.517.a. b. Ludouicus, 519.b. Carlomannus, 519.b. 520.c.

Ludouicus IV. rex, 582.a cum Ottone colloquitur, 583. b. in Concilio Engelen. accuſat Hugonem Comitem, 585.b.586.b.587.b.588.b

Ludouicus & Carolus, Caroli calui regis filij, 220.

Ludouicus filius Ludouici regis Germaniæ, 446.a.472.a.388.a.

Ludouicus abbas S. Dionyſij in Conc. Vernenſi, 17.a. in Pariſ.61.b. in Vermer. 93.a.

Ludouicus Boſonis filius rex creatur, 529.

Lugdunenſes Epiſcopi, Amulus, 67. b. Remigius, 96.a. Aurelianus, 443.a. Remigius II. 572.b.

Lugdunenſis Eccleſia, Laudunenſis, 375.587.a.

Lupus Epiſcopus Catalaunenſis, in Conc. Beluacenſi, 28.a. apud Cariſiacum, 65.c. in Sueſſ. II.80.a.85.b.c.600.a.

Lupus Epiſcopus Albienſis in Pontigon. 443.c.

Lupus abbas Ferrarienſis in Sueſſ. II. 80.b.83.b.

Luxuria fugienda. *Troſlejan.c.*10.558.

M.

MACARIVS Epiſcopus Loteuenſis, *in Nemanſenſi villa portu*, 522.c.

Maceriæ ab Erlebaldo Comite ædificatæ, 578.b.

Madelbertus Archiepiſcopus Bituricenſis, 571.b.

Magalonenſe Concilium,. 533. Magalonenſes Epiſcopi, Abbo, 480.b. Giſlerannus, 522. Gontranus, 533.c.

Mahen Epiſcopus Dolenſis, 488.c.

Maimboldus Epiſcopus Matiſconenſis, 600.c.

Malla ſeu placita ſecularia quibus diebus teneri vetitum, 89.b.c. 644.c. quibus in locis vetita, 645.a.

Malefici prohibeantur, & pœnitentiæ publicæ ſubdantur, 111.

Mali pereunt, non quia boni eſſe non potuerũt, ſed quia boni eſſe noluerunt. *Valent. III. c.* 2.97.b. malorum malitiam non prædeſtinauit Deus, ſed pœnam. *Ibid.c.*3.

Mancipia Eccleſiaſtica, niſi ad libertatem, non commutanda, 90.b.

Manſus Eccleſiæ, ſine cenſu, 49.c. 113. xL. 645.b. nullum cenſum ſoluat. *Meten.* c.4.526. manſus bunuaria habens duodecim, 623.a. manſi ingenuiles & ſeruiles. *Ibid.*

Mantala in territorio Viennenſi, 496.b.497.b.

Maricus Epiſcopus Biterrenſis, in Tricaſſ. II. 480.b.

Marinus Papa, 520.b.

Marinus Epiſcopus Polymartenſis, Agapeti Papæ Vicarius præſidet Concilio Engelen. 585.b.586.b.588.b.592.b. in Treuirenſi, 593.

Marſnæ conuentus, & chirographum regum. 124.a.135.b.

Martini feſtiuitas inter præcipuas, 370.a.

Matfredus, Mattefridus Comes Ingeltrudis pater, 230.b.279.c. Matfredus Comes eius filius, 472.b.

Matfridus Archiepiſcopus Aquenſis, *in Nemauſenſi villa Portu*, 522.b.

Matiſconenſes Epiſcopi, Breidingus, 80.b. Bernaldus, 297.b. Lantbertus, 443.a.

Matrices Eccleſiæ, 623. a. matricularij in Eccleſiis quales deligendi, 624. a. gratis ſuſcipiendi, 638.c.

Matrimonia de propria cognatione copulare non licet, 73. c. 112. xxxvi. laicus pluſquam duas vxores non habeat, nec mulier viros, 115. cxi. virginem, aut viduam, ſacratam nullus ducat, 116. cxxx.

Mauriennas Epiſcopus ſuffraganeus Tarentaſiæ, 470.a.

Mediomatricum ciuitas, 131. c. Metis ciuitas 172.c.

Meldenſe Concilium, 25.39.287.b. Meldorum Epiſcopi Hubertus, 69.b.80.a. Hildegarius, 94.c.

Meletij & Meletianorum cauſa, 289.a.b.

Melodunum caſtellum, 143.c.

Meingardus Comes, 435.c.

Menſuræ iuſtæ ſint & æquales, 111.b.

Metenſe Concilium de indulgentia Ludouici regis, 131. alterum de repudio Teutbergæ, 227. damnatum in Romano, c. 2. 229.242. b. 345. b. Concilium Metenſe ſub Alnulfo rege,

Metenſes Epiſcopi, Drogo, 9.b. Aduentius, 131. c. Vvalenus, 491.b. Rotbertus, 524.c.

METROPOLITANIS ſua iura ſeruentur, eiſque à comprouincialibus Epiſcopis reuerentia exhibeatur, 41. a. Synodos bis aut ſemel in anno habeant cũ diœceſanis Epiſcopis, 41.b.

Metropolitani cum ſuffraganeis ſuis curam præcipuam habeant de vita, non ſolùm totius cleri, ſed etiam ipſorum Epiſcoporum. *Valent. III.c.*19.104.

Metropolitani & Epiſcoporum iudicio Epiſcopi promoueantur, 154. b. ſine conſenſu Metropolitani nec ordinari in prouincia poteſt

Epiſcopus, nec generale aliquid ſancire, 148. *b*. Metropolitanus prouideat ne indignus Epiſcopus de palatio imponatur, 100. *b*. *c*. viſitatorio officio fungitur in Eccleſia infirmi Epiſcopi, 92.*b*.

MICHAEL & Baſilius Imperatores Græcorum, 331.*b*. 332.*a*. Michael rex Bulgarorum cum gente ſua inſtitutores, ac doctrinam petit à ſede Apoſtolica, 331.*c*. Michaël protoſpatharius legatus Michaëlis Imp. ad Nicolaum, 332.*b*.

Michaël Epiſcopus Ratisbonenſis in Engelen. 586.*a*. 588 *b*.

Miniſteria ſacra in wadium non danda, 620.*b*.

MINISTRI reipublicæ auxilio eſſe debent Eccleſiaſticis, ſi neceſſe ſit, 16. *b*. 35. *c*. 52. *b*. quos Epiſcopus per excommunicationem non poterit, ipſi regia auctoritate ad ſatisfactionem adducant, 90. *a*. admonitio ad miniſtros reip. *apud S. Macram, c.* 6. 508.

Miniſtri Epiſcoporum denarios, vel quælibet munuſcula, à presbyteris non exigant, 45. *a*. colonos virgis flagellare non prohibeantur, 89.*c*.

Miniſtri palatij, 126. *b*. miniſtri reip. *ibid*. miniſtri Comitis, 127.*a*.

MISSAM presbyter ſolus non canat, 112. XXVIII. Miſſas qui canunt omnino communicent, 114. XC. Miſſas presbyteri cum ſandaliis celebrent, 115.EV.

Miſſa niſi in domibus ab Epiſcopo conſecratis non celebretur, 112. XXXIV. Miſſæ in locis non conſecratis ne fiant, id eſt in ſolariis, vel in cubiculis. *Concil. Meten. c.* 8. 527. Miſſa in domo cuiuſquam celebrari ſine Epiſcopi licentia noo debet, 643.*b*. 674.*b*. in altario non conſecrato, vel ſine tabula conſecrata, non cantanda, 636.*c*.

Miſſas publicas coram excommunicatis, & in parochia & prouincia alterius Epiſcopi ſine licentia, celebraſſe arguitur Vvenilo, 143. *b*. ad Miſſam non admittendi excommunicati, nec diſcordantes, vel alterius Eccleſiæ parochiani. *Namnet. c.* 601.

Miſſarum latibuloſa officia nemo celebrare præſumat ſine licentia Epiſcopi. *Ticin. c.* 7. 440. Miſſæ celebrandæ interdictum & ſuſpenſio, 204.*a*.*c*. 208.*b*. 209.*b*.

Miſſa pro defunctis, 116. CXVI. 141.*c*. nominum in Miſſarum ſolemnibus recitatio, 363. ante Miſſam completam non exeundum, 112. XV. ad Miſſam alterius parochianum recipere non licet, 112. XXIX. itineris vel placiti cauſa recipere licet. *Namnet. c.* 2. 602. incenſum ſuper oblationem, 619.*b*.

MISSI Dominici, qui ſcelerum patratores coërceant, & diſciplinæ contemptores, 18.*c*. qui monaſteriorum ſtatum inſpiciant, 19.*b*. & inſtaurent, 78. *c*. 87. *b*. qui inquirant de iis quæ ad rempub. pertinent, 37.*b*. qui res Eccleſiaſticas in alodium datas inbreuient, vt corrigantur, 43.*c*. legati principis Epiſcopi & Comites, 105.*c*.

Miſſus reipublicæ, id eſt miniſter Comitis, cum Epiſcopis ſi iuſſerint eat, qui liberos homines ad Epiſcopi placitũ venire faciat, 122.*a*.

Modoinus Epiſcopus Auguſtodunenſis iudex in cauſa Ebbonis, 83.*b*. 360.*c*.

Moguntiacum Concilium, in quo damnatus Gotheſcalcus, 64. 65. Moguntinæ prouinciæ Epiſcopium Hildeneshem in regione Saxoniæ, 356.

Moguntini Epiſcopi, Rabanus, 64. Liutbertus, 294. Fridericus, 585.*c*.

MONACHI vagi ad ſua loca reuocentur, 19. *b*. *Tuſiac. c.* 5. 162. deſertores vel eiecti qua ratione diſtringendi. *Vern. II. c.* 4. 19. ad militiam vel ad nuptias deuoluti pœnitentia publica purgandi. *Ibid*.

Monachi ad ſæcularia negotia non tranſeant, 111. ad palatium ne paſſim adeant, nec aliò euagentur, 47.*c*. in miſſaticis aut in villicationibus ne inſtanter inſeruiant. *Ibid*.

Monachus de monaſterio, ſine conſenſu Epiſcopi, aut vicarij eius, non eiiciatur, 48.*c*.

Monachi duo, qui Pippinum è monaſterio abducere ſunt conati, ab Epiſcopis presbyterij gradu deiecti, & in alia monaſteria relegati, 78.*a*.

Monaſticus ordo à Deo inſpiratus, & ab Apoſtolis fundatus, 13.*b*.

Monaſteria religioſa ſecundum ordinem vt viuant rectores ſollicitè prouideant, 124.*b*. ſtrenuè viſitentur à propriis Epiſcopis, & diſponantur. *Lingonen. c.* 8. 154. *b*. Monaſteriorum cura Epiſcopis ſuſcipienda. *apud S. Macram. c.* 4. 504. per Miſſos dominicos ſcrutanda & corrigenda, 19.*b*. 78.*c*. 87.*c*.

Monaſterium omne in poteſtate Epiſcopi conſiſtere debet iuxta canonicam auctoritatem, 401. *b*. congregationi vnicuique liceat ſuæ profeſſionis habere prælatos. *Lingonen. c.* 12. 155.*b*.

Monaſteria laicorum curæ & poteſtati non committenda, 13. *b*. 223. *c*. quæ laici tenent, eorum interim prouidentiam gerant Epiſcopi, 25.*b*. 32 *a*.

Monaſteriorum ſtatus collapſi reparatio. *Troſleian. c.* 3. 541. monaſteria in allodium data, 43.*c*. 88.*b*.

Monaſteria canonicorum, monachorum, & ſanctimonialium, 87. *c*. 123.*a*. 154. *c*. canonicorum & ſanctimonialium quæ ſub eadem forma viuere videntur, 15.*b*.

Monaſterium Adremari, 71.*b*. Attiuillare, 66. *a*. S. Baſoli, 590.*b*. S. Benedicti Floriacenſe, 80. *b*. 141.*b*. 484.*c*. Bethleem Ferrarias, 80. *b*. 444.*a*. S. Bonifacij, 354. S. Carileſi, 61.*c*. 199. 201.*a*. 224. Cluniacenſe, 569.*b*. S. Columbæ, 143.*c*. 145.*b*. Corbeienſe, 58.*c*. 66. *a*. 80.*b*. 217.*c*. Corbionis, 80.*b*. S. Crucis, 61.*b*. S. Dionyſij, 24.*c*. 92.*c*. 93.*c*. 122.*c*. 360.*b*. Flauiniscũ, 469.*a*. 532.*b*. Foſſatenſe, 93.*c*. S. Genouefæ, 93.*a*. S. Germani Autiſiod. 140.*b* S. Germani Pariſien. 93.*c*. S. Gregorij, 362.*a*. Lebraha, 92.*c*. Luxouienſe, 109.*c*. S. Mauritij, 109. *b*. Monaſterium maius, 401. *b*. SS Medardi & Sebaſtiani, 75. *c*. 80.*c*. 360.*a*. S. Medardi Turon. 401. *b*. Michaëlis Bellouac. 394. Moſomenſe, 598.*b*. Orbacenſe, 64. *b*. 66. *a*. 80. *b*. Prunia, 360.*a*. Pultarienſe, 494. 495. 496. S. Remigij, 81.*a*. S. Sabini, 80.*b*. Solemniacenſe, 301. S. Theoderici, 81.*a*. Trenorchianum, 600.*b*. S. Trudonis, 122.*b*.

Monomachiam noſquam, vt pro lege teneatur, diuina ſancit auctoritas, 316.*a.*

Mons S. Mariæ in pago Tardanenſi, 599.*a.*

Morinenſes Epiſcopi, Fulcoious, 61. *a.* Huntfridus, 163. *b.* Adalbertus, 443. *c.* Stephanus, 569.*b.* wicfredus, 594.*b.*

Mortuorum exequiæ qoomodo celebrandæ, 113. lviii. 619. *a.* anniuerſaria dies, &c. 621. *a.* orationes, eleemoſynæ, & Miſſæ pro defunctis, 116. cxvi. Miſſæ & vigiliæ pro defunctis, 141.*c.*

Mortui non facilè iudicandi, ſed Dei iudicio relinquendi, 366.*b.*

Mortem qui ſibi inferunt, aot pro ſuis ſceleribus puniuntur, pro eis nulla ſit oblatio, nec cum pſalmis ad ſepulturam ducuntur, 116. cxxxiv.

Moſomum caſtrum, 584. Moſomenſe Concilium, 584. 591. Moſomenſe cœnobiom, 598.

Mvlieres ad altare non accedant, & ſacramenta & panes ſanctorum, exeeptis qoæ offerunt, non attingant, 112. xxiv. 675.*c.* nulla femina ad altare præſumat accedere, aut preſbytero miniſtrare, aut infra cancellos ſtare. *Namnet.c.* 3. 602.

Mulieri non licet velom ſemel ſuſceptum reiicere, 112. xxxvii.

Mulier poſt partum ſtatim vt voluerit Eecleſiam introeat, 113. lx. 674.*c.* molier quæ dormiens filium ſoum opprimit, 114. xxcviii. 655.*c.*

N.

Namnetense Concilium, 601. Namneticæ ſedis vſurpator Giſlardus, 74.*b.* Epiſcopus Actardus, 276.*b.* Namneticam Eccleſiam infeſtant Britones, 198. vrbem incendunt & diruunt, 362.*a.*

Nantigiſus Epiſcopus Vrgellitanus, 533.*c.*

Narbonenſes Epiſcopi, Fredoldus, 162. *c.* Sigebodus, 235. *c.* Theodardus, 522. Arnuſtus, 533. *c.* Agius, 571.*b.*

Negotia maiora, quæ ad ſedem Apoſtolicam referenda ſunt, non Metropolitanorum tantùm, ſed Epiſcoporum ſunt iodicia, 259. &c.

Neoſtria, 277.*c.* 274.*a.* 281.*c.* 286.*c.* 298.*c.* 301. 318. *c.* 612.*a.*

Nicolavs Papa legatos mittit ad Synodum Metis cogendam in cauſa Lotharij regis & Teutbergæ, 191. 195. &c. 217. intercedit pro Balduino, qui Caroli filiam rapoerat, 194. 209.*c.* Rothadum Epiſcopum depoſitom reſtitui iubet, 203. 204. & Romam ad retractandum iudicium mitti, 209. 211. &c. 274. confirmat Synodum Soeſſionenſem II. & Remenſis Eccleſiæ priuilegia, 219. *c.* Synodum Metenſem damnat in Concilio Romano, Guntarium & Teutgaudom priuat epiſcopatu, 223. Aduentio Epiſcopo Metenſi veniam indulget, 244. & Franeoni Tungrenſi, 245. Rothadum Epiſcopum Sueſſionenſem ſedi ſuæ reſtituit, 254. Carolum ad pacem hortatur cum Lodouico Imp. 267. Synodum Soeſſione cogi præcepit ad retractandam Vvlfadi caoſam & ſociorum, 280. 611. Vvlfadum ante Synodi exitum promoueri vetat, 615. *c.* Græcorum contra Latinos obiectiones refellendas mittit in Galliaco, 331. &c.

Nicolai nomen vt ſcribant in diptychis hortatur Hadrianos ſucceſſor, 363. 368.*a.*

Nicolai eiuſdem epiſtolæ, Adoni Viennenſi, 186. 351. Aduentio Metenſi, 244. Aquitanis, 319. Carolo regi, 159. 192. 193. 201. 204. 212. 232. 254. 266. 273. 316. 324. 330. 338. 352. 615. Egiloni Senonenſi, 274. Epiſcopis in regno Caroli, 159. 199. 268. 331. in regno Ludouici, 343. in regno Lotharij, 227. 269. 322. Epiſcopis Galliæ & Germaniæ, 195. Galliæ, 259. Epiſcopis & principibus Galliæ, 223. Epiſcopis in Concilio Metenſi, 196. Synodi Silnanectenſis, 205. Synodi Soeſſionicæ, 303. Epiſcopis legatis in Franciam, 197. 198. Epiſcopis in prouincia Turonica, 280. vniuerſis Epiſcopis, 228. 277. Franconi Tungrenſi, 245. Frotario Burdigalenſi, 351. Herardo Turonenſi, 280. 351. Hermentrudi reginæ, 194. 231. 233. Huntfrido Morinenſi, 350. Hincmaro Remenſi, 159. 200. 203. 211. 215. 234. 257. 310. 331. 352. 611. Huberto abbati, 220. Lothario regi, 191. 222. 327. Ludouico Germaniæ, & Carolo caluo regibus, 270. Ludouico regi Germaniæ, 329. 339. 342. Ludouico II. Imp. 193. Ludooico & Carolo filiis Caroli regis, 220. Monachis S. Karileſi, 199. Riuoladro Epiſcopo, 188. Rodolfo Biturricenſi, 235. 237. Rotberto Cenomannenſi, 202. Rothado Sueſſiouenſi, 215. 231. 265. Rotlaodo Arelatenſi, 238. Salomoni regi Britonum, 275. Stephano Comiti Aruernorum, 226. Sueſſiouenſi clero & plebi, 194. Traſulfo abbati Corbeienſi, 217. Vvenilooi Senonenſi, 187. Vvlfado & ſociis, 317.

Niuernenſis Epiſcopus Herimannos, 69.*b.* 76.*c.*

Nomenoius Dux, Prior gentis Britannicæ, Synodi Toronenſis epiſtola perſtringitur, 63.*b.* 148.*b.*

Nonæ & decimæ ex poſſeſſionibus Eccleſiaſticis tribuendæ, 19.*a.* 89.*a.* in Synodo Liptinenſi dari ioſſæ, 123.*b.*

Nonæ & decimæ de rebus Deo ſacratis fideliter Eccleſiis, qoibus iure debentur, miniſtrentur. *Lingonen. c.* 13. 155. nonæ & decimæ de fiſcis & villis ſæcularium, Eccleſiis. vnde ſubtractæ ſunt fideliter perſoluantur, 102.*a.*

Nonas & decimas ex rebus Eccleſiaſticis perſoluere qui negligunt, & ſarta tecta, ab Eccleſiaſtica communione ſeparandi, 49.*b.*

Nonæ & decimæ Turonenſi Eccleſiæ ſolui iubentur, 488.*a.*

Nortmanni Chriſtianitatis perſecutores Pariſios vſque veniont, 28. *b.* plurima Deo ſacrata loca incendunt & vaſtaot, 162. *b.* Bordigalam incurſibus vaſtant, 448. *c.* Belgicam primam infeſtant, 525. *b.* Turonenſem prouinciam turbant, 596. *b.* item Prooinciam, 529.*b.*

Nortmanni impij & Eccleſiæ Dei inimici, 194. Nortmannorum feritas, 299.*b.* Nortmannis data monaſteria, vel ab eis vaſtata, 88. *b.*

Nortmanni à Carolo rege victi, 214. *c.* obſeſſi apud Andegauos, 405.*b.*

Nortmannus Laudunenſis Eccleſiæ res detinens, 375. *b.c.* 386.

Notho Archiepiſcopus Arelatenſis, teſtis in

cauſa Ebbonis, 83. *b.* 360. *c.*

Notho Remenſem Eccleſiam annum & dimidium tenuit poſt Fulconem, 286. *b.* 356. *b.*

Nouiomagenſes Epiſcopi, Immo, 23. *a.* Rainelmus, 163. *b.* Hetilo, 532. Raubertus, 569. Airardus, 578. Tranſmarus, 594. *a.* Hadulfus, 596. *a.*

Nouitates vocum omni ſtudio vitandæ. *Valent. III. c.* 1. 96.

Nuptiæ quæ ſint legitimæ, 198. *b. a.* quænam habeant in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum, 176. 177. 185. *b.* inceſtuoſæ Chriſti ſacramentum non habent, 185. *a.* nuptiarum bonum triplex, fides, proles, ſacramentum, 177. *b. c.* 182.

Nuptias occultas nemo faciat, 116. CXXX. *Troſleian. c.* 8. 552. 676. *c.*

Nuptiæ à quinquageſima vſque ad octauas Paſchæ non fiant, & in Chriſtianorum nuptiis non ſaltetur, 111. CXII.

O

OBLATIONES appellantur res & facultates Eccleſiaſticæ, quia Domino offeruntur, 168. *c.* 169. omnia quæ Deo offeruntur, conſecrata habentur in vineis, terris *&c.* 514. LXV. oblationum interceſſione peccata delentur, 14. *b.*

Oblationes fidelium, quæ altari deferuntur, ad laicalem nihil omnino pertineant poteſtatem. *Engelen. c.* 8. 587. de oblationibus fidelium preſbyteri cenſum perſoluere non cogantur, 50. *a.*

Oblationes quæ offeruntur à populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel panes quos offerunt fideles ad Eccleſiam. *Namnet. c.* 9. 603.

Odalricus Epiſcopus Aquenſis Remenſem Eccleſiam ab Heriberto regendam ſuſcipit, 589. *b.* Ragenoldum Comitem excommunicat, 595. *b.*

Odelardus Epiſcopus Maurianenſis, 571. *b.* 579. *c*

Odelingus Abbas in Conc. Aquiſgranenſi, 157. *b*

Odilo abbas in Concilio Virdunenſi, 583. *c.*

ODO abbas Corbeiæ, 80. *b.* 217. *c.* Epiſcopus Bellouacenſis acta Concilij Siluanectenſis Romam defert ad Nicolaum, 206. *b.* 208. *b.* 210. *b. &c.* 218. 220. 231. 256. 287. 291. *b.* Hodo in Sueſſ. III. 297. in Tricaſſ. 358. *b.* in Pontigon. 436. *b.* 443. *b.* Odonis inſtitutio de canonicis in Eccleſia S. Petri, 599.

Odolricus, Hugonis Comitis filius, fauente Lothario rege ordinatur Epiſcopus Remenſis, 596. *a.*

Oeconomus præter voluntatem Epiſcopi in eius Eccleſia non conſtituendus, 45. *b.*

Officium matutinale, & horæ ſingulæ preſbytero perſoluendæ, 610. *a.*

Opera bona ad ſalutem æternam non proſunt ſine baptiſmatis ſacramento, 584. *b.*

Optandus Epiſcopus Geneuenſis, à Papa conſecratus, quia Metropolitanus cunctabatur, 516. *a. b.* vexatus ab Archiepiſcopo Viennenſi à Ioanne PP. protegitur, 517. *c.* 518.

Orado Epiſcopus Suewicenſis, 586. *a.* Horat Neouicenſis, 588. *b.*

Oratorium qui domi habere vult, Miſſa in eo [illegible] Epiſcopi non celebranda, 647. *b.*

ORDINES [illegible] qui ſuſcipiunt, quæ tempora in vnoquoque habere debeant, 115. XCVIII. ordines acceptum triduum ante ſpatio examinandi. *Namnet. c.* 11. 604. ordines Eccleſiaſtici, qui per impoſitionem manuum tribuantur, id eſt vſque ad ſubdiaconatum, 44. *b.*

Ordinandus nemo, qui ſaltem vno anno vitam ſuam & doctrinam in clero certo non probauit, 46. *c.* ad ordinationem Archidiaconus non introducat minus idoneos, 643. *b.* ordinandi non ſunt ſine magna vtilitate Eccleſiæ, qui ex raptoris & raptæ coniugio nati, 50. *b.* ad ordines gradatim prouecti poſt pœnitentiam, qui impuberes homicidium commiſerant, 490. *c.*

Ordinatus à ſuis ordinatoribus literas accipere iubetur, 81. *b.* 84. *b.*

Ordinationis ſuæ tempus omnes agnoſcant, & nullus alteri ſe præferat, 113. LIV.

Ordinatos ab Ebbone nihil offendiculi ſuſcepiſſe docet Nicolaus, 310. *a.* 315. *b.* non bene facit Actardus, qui ordinatos à Giſlardo denuo conſecrat, 276. *b.*

Ordinis ſacramentum manet in eo, qui aliqua ſua culpa ab officio remouetur, 182. *a.*

Oſcellus inſula Sequanæ, 143. *a.*

Otfridus Epiſcopus Siluanectenſis in Concil. Troſleiano, 569. *b.*

Otgarius Epiſcopus Ambianenſis in Concil. Troſleiano, 569. *b.*

Otto rex, 583. *a.* in Concilio Engelenheimenſi, 585. *b.*

Otto Dux Lotharingorum, 583. *a.*

Ottramnus Archiepiſcopus Viennenſis in Pontigon. 443. *a.* Otteramnus, 469. *a.* in Tricaſſ. II. 480. *a.* 492. *a.* in Mantalenſi, 497. *b.* Romam vocatur purgaturus ſe quòd Boſoni faueat, 516. *c.* & quòd Epiſcopum Geneuæ Optandi loco conſecrarat, 517. *c.* 518.

Ottulfus Epiſcopus Tricaſſinæ, in Conc. Pontig. 443. *c.* in Tricaſſ. II. 475. *b.*

P

PALLIO Apoſtolico vti illis Epiſcopis eſt licitũ, quibus ab Apoſtolica ſede permiſſum eſt, 236. *b.* pallium non dari, niſi poſt legitimam fidei profeſſionem. 520. *b.* pallij vſus quibus diebus & vbi concedatur, 366. *c.*

Pallium Adalgario Auguſtodunenſi donatum à Ioanne VIII. 454. *a.* Hugoni Remenſi miſſum à Stephano VIII. 582. *b.* pallium ſuum petentibus aduerſariis tradere abnuit Attaldus, 591. *a.*

Palma Carolo caluo Imp. miſſa à Ioanne VIII. 461.

Parauerados à preſbyteris Epiſcopi non exigant, 3. *c.* laici à preſbyteris non requirant, 548. *b.*

PARDVLVS Epiſcopus Laudunenſis, apud Cariſiac. 65. *a.* in Turon. IV. 69. *b.* in Sueſſ. II. 77. *a.* 80. *a.* 290. *c.* iudex electus in cauſa Hincmari & clericorum Remenſium, 81. Hincmari locum ſeruat in Synodo, 82. *b.* in Vermer. 91. *b.* 92. *b.*

Parentibus honor & adiutorium exhibendum, 512. XIII.

Pariſienſe Concilium, 19. *b.* 6x *a.*

Pariſiacenſes Epiſcopi, Erchanradus, 23. *a.* 61. *a.* 69. *b.* 84. *a.* Æneas, 93. *c.* Ingeluuinus, 443. *a.*

PAROCHIÆ Epiſcopi circumitio, 2. *c.* 3. *a. b.* parochiam omnem generaliter cum omnibus ruſticanis parochiis habet in ordinationa ſua Epiſcopus, 548, *c.* parœcia Tullenſis, 164. *a.* 173. *b.*

Parochiæ preſbyterorum quas ob cauſas diuidendæ, 3. *c.* parochias ruſticanas confundere vel diuidare vetiti Archidiacones, 643. *a.* parochiales presbyteri à ſæcularibus oppreſſi, & eorum poſſeſſiunculæ ablatæ, 101. *b.*

PASCHALIS feſtiuitatis feriati ſint dies octo ab omni opere, 57. *a.* Paſchalis hebdomada feſtiua tota celebretur. *Engelen. c.* 6. 587. Paſchæ & Pentecoſtes dies octo qualiter feriandi, 115. xcvii. Paſchali careant communione, qui ſabbato ſancto vſque ad noctis initium non ieiunant, 114. xxciii.

Paſcha annotina rememoretur, 114. xciii. agnum in Paſcha more Iudæorum ſuper altare cum corpore Dominico à Latinis edi mentiuntur Græci, 333. *c.*

Paſchaſius Epiſcopus Amerinus. *in Tricaſſ. II.* 480. *a.*

Paſtos laici à presbyteria non exquirant, 548. *b.* paſtos in confratriis interdicit Concilium Namnetenſe, *c.* 15. 605. paſtelli inter presbyteros, 621. *c.*

Patriarchatus, ſeu primatus, iura quæ ſint, 235. *b. c.*

Patrini filiolos, quia fideiuſſores, erudiant, 112. xxvii. ſcire quid debeant. *Meten. c.* 6. 526.

Paulus Epiſcopus Rotomagi in Conc. Turon. IV. 69. *b.* in Vermer. 91. *b.* 92. *b.*

Paulus Epiſcopus Aptenſis, 522.

Paulus Epiſcopus legatus Hadriani Papæ, 381. 382.

Paulus Epiſcopus Placentinus, 437. *c.*

PAX & concordia prædicanda, 116. cxviii. pacem & concordiam publicam qui infringunt, Epiſcopali & regia auctoritate compeſcendi, 7. *b.* 81. *a.*

Pax & concordia inter Ludouicum & Carolum, 138. *a.* inter Carolum & nepotes eius Lotharium & Carolum, 138. *c.*

Peccata præcedentia quid mereantur, 14. *b.* peccantes irrationabiliter acrius iudicandi, 111. *c.*

Pentecoſtes ſecunda, tertia, & quarta feria, vt dies Dominicus, celebrentur. *Engelen. c.* 6. 587.

Peregrinantes Romam ex Gallia & Germania orationis cauſa, 327. peregrinatio ad S. Michaëlem Archangelum, 189. *a.* peregrinorum curam habeat presbyter, 620. *a.*

Periurium deteſtandum eſt malum, 42. *c.* periuria cohibenda. *Troſleian. c.* 11. 559. 669. *b.* periori diſtrictæ pœnitentiæ ſubdendi. *Tuſiac. c.* 3. 161.

PARVASORAS rerum Eccleſiaſticarum, 14. 15. 21. 22. 34. publicæ pœnitentiæ ſubiiciantur, 49. *a.* excommunicandi, *Valent. III. c.* 9. 100. damnantur, 169. 170. *in Tricaſſ. II.* 477. *b.* peruaſor Bernardus Comes excommunicatus, 487. *b.*

Peruaſoras rerum Eccleſiarum, & qui dant vel accipiunt præter conſcientiam Epiſcopi, anathemati ſubiiciuntur. *Tuſiac. c.* 1. 161. *Duziac. II.* 413. *b.*

Peruaſores rerum Eccleſiaſticarum, quaſi à principibus ſibi indultarum, excommunicandi ſunt & anathematizandi, 187. *b.*

S. PETRI merita viuunt in ſucceſſoribus, 366. *b.* S. Petrus, vel eius ſucceſſores, Eccleſias omnes fundarunt Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, 566. *b.*

Petrus Epiſcopus Semproniensis, 431. *c.* legatus in Conc. Pontigon. 435. *c.* 436. *c.* 445. 446. in Tricaſſ. II. 479. *c.*

Petrus Epiſcopus Spoletanus legatus Leonis IV. miſſus ad renouandum iudicium de Vulfado & ſociis, 305. *a.*

Petrus notarius regionarius & ſcriniarius ſedis Apoſtolicæ, 266. *b.*

Photius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pulſo Ignatio inuaſor, 331. *b.* ex laico tonſuratus per ſaltum ad Epiſcopatus apicem prouectus, 333. *c.* Archiepiſcopum & vniuerſalem Patriarcham ſe appellat, 335. *a.*

Pictauorum Epiſcopi, Ebroinus, 17. *a.* Engenoldus, 163. *b.* Hecfridus, 480. *b.*

PIPPINVS rex, 49. *c.* à Zacharia conſenſum accepit, vt decedentibus Epiſcopis probatiſſimos ſubrogaret, 68. *a.* Synodum apud Liptinas congregauit, 129. *a.*

Pippinus, Pippini regis Aquitaniæ filius, attonſus in monaſterio S. Medardi monachus, 77. *c.*

Placita in atriis Eccleſiarum, & diebus feſtis non tenenda, 89. *b.* placita ſæcularia in Eccleſiis, vel in domibus, earúmque atriis non fiant, 115. cix.

Plebes, Eccleſiæ baptiſmales, 441. *b.*

POENITENTIA publica purgandus monachus, qui ad militiam vel ad nuptias deuolutus eſt. *Vern. II. c.* 4. 19. Pœnitentiæ publicæ ſubiiciendi qui nuptias ineunt cum ſanctimonialibus. *Ibid. c.* 5. 19. *Meld. c.* 67. 51. peruaſores rerum Eccleſiaſticarum, ex criminali & publico peccato, 49. *a.* raptores virginum & viduarum, 50. *a.* alienarum ſponſarum, 51. qui vxorem ducit eam, cum qua viuente marito adulterarat, 51. *c.* pœnitentiæ publicæ addicta Teutberga ob inceſtum, 157. *c.* pœnitentiam publicam vt ſubeant publici peccatores presbyteris curandum eſt, 635. *b.* poſt pœnitentiam publicam relapſi, 643. *b.*

Pœnitentia Vvimaro impoſita, qui tres filios necarat, 189. monacho, qui monachum presbyterum occiderat, 352. *c.* Diacono qui cum ſanctimonialibus peccarat, 527. *c.*

Pœnitentia eorum qui bello Sueſſionico interfuerant, 578. *c.* eorum qui poſt baptiſmum ad gentilitios mores redierant, 539. Herlumi Comitis, pro vxore quam duxerat alia viuente, 580. *a.* inuaſoris rerum Eccleſiaſticarum, 351. *b.* adulterorum. *Namnet. c.* 12. 605. fornicantium. *Ibid. c.* 13. eorum, quorum alter eſt coniugatus. *Ibid. c.* 14. homicidij voluntarij. *Ibid. c.* 17. 606. eius qui non volens fecit homicidium. *Ibid. c.* 18. eorum qui arbores vel lapides ſuperſtitioſè colunt. *Namnet. c.* 20. 607.

Pœnitentia vltima nulli deneganda, 636. *a.*

POENITENTES feria quarta in capite ieiunij

mariis impoſitionem ad vacandum pœnitentiæ & diuinis officiis accipiunt, 56.*c.* reconciliandi, vel adhuc ſuſpendendi, in die cœnæ Domini per presbyteros ad Epiſcopum deferantur, 112.XIV. pœnitentes de occultis iuſſione Epiſcopi reconcilient presbyteri, & infirmantes abſoluant vt communicent, 113. LIX. pœnitentes in cœna Domini reconciliari, 579.*a.* à pœnitentibus presbyteri, vt eis faueant, munera non accipiant, 610.*c.* de pœnitentibus canones Iſaac Epiſcopi, 645.646.&c.

Pœnitentes nullus cogat manducare vel bibere, niſi redemptio permiſſa ſit, & priùs donet pro ipſo redemptionem, 112. XXVI. 645.*c.* pœnitentes nulla lucra negotiationis exercere conuenit, 115.*c.* Pœnitentes à conuiuiis, & ornamentis, atque alba veſte abſtinere debent, 116. CXX. Pœnitentiam qui agunt abſtinere ab vxoribus debent, 185.*b.c.* pœnitentiam pro criminibus agentes ad cingulum militiæ ſi reuertuntur, contra regulas ſacras faciunt, 236.*a.* pœnitentiam agentem qui interficit, 645.*c.*

Pœnitudo de præteritis erroribus agenda, 16.*c.* 36.*c.* *apud S. Macram, c.* 7. 511.

Pontigonenſe Concilium, 434. Pontigo, 438. *a.b.* 444.*b.*

Pappo Epiſcopus Vvirciburgenſis, 585.*c.* 588.*c.*

Precariæ quomodo fieri ac renouari debeant. *Meld. c.* 22. 38. precariæ & commutationes vacante ſede factæ reſcindantur, & aliæ fiant. *Meld. c.* 21. 37. precariæ in Synodo Liptinenſi fieri iuſſæ de rebus Eccleſiaſticis, 123.*a.* precariam de monaſterio Lebraha fieri ſibi à S. Dionyſio poſtulat Conradus, 93.*b.*

Præcepta illicita de rebus Eccleſiæ reſcindenda, 23.*c.* 37.*a.* præcepta pro Eccleſiis facta confirmanda, 24.*a.* 38.*c.* præcepta regalia de precariis fieri non debent, 38.*b.* 90.*b.* præcepta falſa regio nomine compilaſſe dictus Diaconus purgare ſe iuſſus, 78.*b.*

Preces quas pro ſe inuicem condixerunt Epiſcopi & abbates in Concilio apud Saponarias, 141.*c.*

Prædæ & deuaſtationes inhibendæ ab Epiſcopis & Comitibus, 442.*a.*

PRÆDESTINATIO vna tantùm, *Cariſ. c.* 66. prædeſtinatio electorum ad vitam, & prædeſtinatio impiorum ad mortem. *Valent, III. c.* 3. 97.*c.*

Prædeſtinatiani moderni, vt veteres, de S. Auguſtini verbis ſuam hæreſim compilantes, 184.*c.* prædeſtinatos ad malum qui dicunt aliquos, deteſtandi ſunt. *Valent. III. c.* 3. 98.*a.*

Prædicari fidelibus quæ debent, 111.*b.* 113. IX. in prædicandis diuinis ſcripturis ſanctorum patrum ſenſus ſequendus, 41.*c.*

Præſcriptio tricennalis integræ libertatis, 105.*c.* 114. LXXIX.

Præſtarias ſuper, & beneficia Eccleſiaſtica, præcepta regiæ confirmationis fieri vetita, 90.*b.*

PRESBYTERI Eccleſiarum, 56.*c.* promittant ſtabilitatem loci ad quem ordinentur, 671.*c.* per Kalendas inter ſe conuenire ſoliti, 621.*a.* presbyteri parochiarum ſimul canonici monaſteriorum eſſe non poſſunt, 637. aſſiduè apud ſuas Eccleſias habitent, 42.*a.* *Ticin. c.* 8. 440. non amplius ſinguli quàm vnam Eccleſiam habeant, 113. XLIX. *Namnet. c.* 8. 603. niſi fortè capella ſit adnexa. *Meten. c.* 3. 126. de loco ignobili ad nobilem non tranſeant per ambitionem, 113. LIV. defuncti alterius presbyteri titulum aut capellã ne ambiant ſine conſultu Epiſcopi, 621.*c.* ſi Eccleſiam ſuam deſerit deponatur, 115. XLVIII. presbyterorum inſtructio in Capitulis Hincmari, 618.

Presbyter vnuſquiſque in ſua ordinatione, ac diſpoſitionis iure ſuam habeat parochiam cum dote & decimis Eccleſiæ, cum ſui Epiſcopi conſilio & diſpoſitione. *Troſleian. c.* 6. 548.*c.*

Presbyteri diſcere quæ potiſſimum debeant, 618.*b.c.* chriſma, oleum, & Euchariſtiam ſemper habeant, 113. LVI. benedictionem publicè ſuper populum non fundant, 114. LXXVIII. de inceſtis, infirmis, pœnitentibus, & mortuis, omnem curam habeant, & concubinas omnino prohibeant, 114. LXXIV. regulariter pœnitentias dent, & munera inde non exigant, 114. XXCVII. erga publicos peccatores curare quid debeant, 635.*b.* infirmos viſitare & inſtruere quomodo debeant. *Namnet. c.* 4 & 5. 602. 619.*a.* 623.*b.*

Presbyteri venationem non exerceant, arma non portent, habitum decentem aſſumant. *Ticin. c.* 9. 440. ſi in bella cum armis proceſſerint, deponantur, ita vt nec laicam communionem habeant, 113.*b.* mulierum frequentationem deuitent, 42.*a.* 112. XIX. *Ticin. c.* 9. 440. *Meten. c.* 5. 526. Hincmari cap. XX. XXI. 614.*b.c.* etiam earum, quas canones permittunt. *Namnet. c.* 3. 602. per mercata & domos non diſcurrant, 113. XLIII. domos religioſas habeant, & nitida veſtimenta, 114. XXCVI. ebrietatem, & omnia inania vitent in conuiuiis, 621.*a.b.c.* tabernas & comeſſationes fugiant, 624.*c.*

Presbyteri ſicut ordine ſanctiores, ita verbo, inceſſu, & actu ſint reuerentiores, 115. CVII. omnibus vitiis careant, & ſubiectis ducatum præbeant, 114. XXCV. pauperes & indigentes ad menſas ſecum habeant, 115. CVIII. 620.*a.*

PRESBYTERI in Eccleſiis ſine ordinatione Epiſcopi eſſe non poſſunt, 641.*a.* presbyteri Eccleſiæ omnes ſub diſpoſitione ſint Epiſcoporum, 88.*c.* *Ticin. c.* 8. 494.*a.* presbyteri parochiales ſub Epiſcopis liberi & quieti maneant, 101.*b.* rationem miniſterii ſui & creditorum omnium, Epiſcopo reddant, 114. LXXVI. libros ſuos & veſtimenta Epiſcopo in Synodo oſtendant, 526.*c.* quibus de rebus inueſtigandum ſit à presbyteris, 623.

Presbyteri quam præſtationem Epiſcopis annuam debeant, 2.*a.* quam impenſam Epiſcopis, dum circumeunt, 3.*a.* 4.*a.* presbyteri non cogendi vt eulogias ad Concilia deferant, 73.*b.* presbyteros decet cum voluntariis eulogiis Epiſcopos congruo tempore venerari, 45.*a.*

Presbyteri res quas in ſacris ordinibus adquiſierint propriis Eccleſiis derelinquant, 113. XLIV. 624.*b.* 640.*b.* presbyteri defuncti Eccleſiam vicinus presbyter à ſeniore non obtineat, ſine Epiſcopi conſultu. *Namnet. c.* 16. 606.

Presbyteros quòd vxores ſortiri Latini prohibeant, Græci inter cetera reprehendunt, 333.*b.* & quòd presbyteri baptizatorum frontes chriſmate linire inhibentur. *Ibid.*

Preſbyteris honot congruus & iura debita conſeruanda, 122. *a.* preſbyteri quibus de rebus cenſum nullum debeant, 39. *c.* 526. *b.* preſbyteri o ccíſi Epiſcopo ſoluendi, 653. *a.*

Preſbyterorum cauſæ quomodo examinandæ, 519. *c.* 520. preſbyter ob ſtuprum à Rothado Epiſcopo depoſitus, 203. *b.* 248. *c.* 253. *a* preſbytero, qui neque conuictus, neque confeſſus fuerat, Eccleſiam ſuam reſtitui iubet Nicolaus, 351. *b.* preſbyteri ſuſpicioſi purgatio, 672. *b.*

Preſbyteris in ordinatione manus in Eccleſia Romana chriſmate non peruoguntur, 236. *a.*

PRIMATES, ſeu Patriarchæ, nihil priuilegij habent præ ceteris, niſi quantum canones concedunt, 235. *c.* primates Eccleſiarum Teutgaudus & Guntarius, 242. *a.* primatus Metropolis Remorom, 82. *c.* 108. *c.* primas metropolitana auctoritate, 84. *c.* 85. *c.* 108. *b.* 216. *b.* primatis ſoi, & non aliorum diœceſeos antiſtitum, iudicio debet Epiſcopus ſede ſua priuari, 351. *a.*

Primatus Eccleſiæ Romanæ in B. Petro conceſſus, 336. *a.* primatum B. Petro in omni orbe terrarum Deus dedit, 70. *a.* 216. *b.* primatus B. Petri Dei voce perceptus, 216. *b.* 310. *a.*

Primitiæ omnes frugum benedictionis gratia ad Eccleſiam deferantur, 113. LVII.

Priuilegia ſedis Apoſtolicæ remedia ſunt totius Eccleſiæ catholicæ, 209. *c.* à nullo violanda, 211. *c.* 212. *a.* 214. *b.* 263.

Priuilegia Eccleſiis conceſſa maneant incorrupta, 113. LXIII. 121. *c.*

Priuilegium monaſterij S. Benedicti Floriacenſis, 141. *a.* 484. *c.* S. Carileſi, 223. Corbeienſis, 58. 217. Eccleſiæ Pictauenſis, 481. *b.* Solemniacenſis monaſterij, 301. 520. Eccleſiæ Turonicæ, 483. *c.*

Proſper ex delegatione ſedis Apoſtolicæ libros ſcripſit, 184. *a.* de vocatione gentium, *Ibid.*

Prudentius Epiſcopus Eccleſiæ Tricaſſinæ, in Conc. Pariſienſi, 61. *b.* in Toron. IV. 69. *b.* 71. *b.* in Sueſſion. II. 80. *a.* iudex electus in cauſa clericorum Remenſium, 81. *c.* 94. *c.*

Pultarienſe monaſterium, 494. 495.

Purgatio legalis malæ famæ, 52. *a. b.* 77. *b.* 78. *b.* 175. *a.* purgans ſe ſacramento Ioannes Rauennas à ſede Apoſtolica receptus eſt, 187. *b.* purgare ſe canonicè iuſſus Adalgaudus preſbyter in Concilio Pontigonenſi, 446. *b.* purgatio Gerfredi monachi per corpus Domini, 532. *b.*

Q

QVADRAGESIMALI tempore Comites & iudices poſt quartam feriam, quæ caput ieiunij nominatur, placitum aut mallum tenere non præſumant, 56. *c.* 89. *b.*

Quadrageſimali tempore preſbyteri diſcendi gratia veniant ad ciuitatem, vel ad loca conſtitota, 114. LXXII. qui ſabbato ſancto vſque ad noctis initium non ieiunant, excommunicentur, & à paſchali communione ſecernantur, 114. XXCIII. Græci Latinos reprehendunt, quòd non octo hebdomadibus ante Paſcha, vt ipſi, ab eſu carnium, ſeptem à caſei & ouorum eſu abſtineant, 333. *c.*

Quadrageſimarum trium in anno pœnitentia, 579. *a.*

Quatuor temporibus malla non tenenda, 89. *a.*

R

RABANI Epiſcopi Moguntini epiſtola ad Hincmarum de Gotheſcalco, 64. *c.*

Raganfridus diaconus, qui præcepta regio nomine falſa compilaſſe dicebatur, 78. *b.*

Ragenarius Epiſcopus Ambianenſis, in Conc. Beluacenſi, 23. *a.* in Pariſ. 61. *b.* apud Cariſiacum, 65. *c.* 66. *a.* Ragnarius, 85. *b.* 600. *a.*

Ragenfridus Epiſcopus Meldenſis, in Pontigon. 443. *b.*

Ragenoldus Comes excommunicatus ob villas detentas Eccleſiæ Remenſis, 595. *b.*

Ragenutus Epiſcopus Auenionenſis, in Valent. III. 107. *b.*

Ragimundus Comes, & filia eius Stephano nupta, 173. *b.* 174. 185. *b.*

Raginerius abbas in placito Ticin. 437. *c.*

RAINELMVS Epiſcopus Nouiomagenſium, in Tuſiac. 163. *b.* Raginelmus Tornacenſis, in Sueſſ. III. 287. *c.* 297. *b.* 299. 302. iudex electus ab Hincmaro Laudunenſi, 387. *a.* in Pontigon. 443. *a.*

Rapinæ compeſcendæ, *apud S. Macram c.* 5. 505. *Troſleian. c.* 7. 551. Rapinas, incendia, & alia ſcelera qui committunt, & qui cum eis communicant, diſtinguntur. *Tuſiac. c.* 4. 162. 170. *c.* 171. Canones Iſaac de rapacibus, 664.

RAPTORES puellarum, qui excommunicationem patui pendunt, regum auſteritate terreantur. *Vern. II. c.* 6. 20. raptores principum ſeueritate diſtringendi, quouſque ſubdantur Eccleſiaſticæ diſciplinæ, 156. *a.* raptores virginum & vidoarum deinceps anathematizentur, 50. *a. b. c.* raptores ſanctimonialium, 51. *a.* raptores virginum & viduarum, & ex his procreati, 50. *a. b. c.* raptor viduæ excommunicatur, 528. *a.*

Raptores alienarum ſponſarum, 51. *b.* 662. *b.* pœnitentiam publicam agant, & multam ſponſo componant, *Ibid.* qui rapiunt vel ſeducunt feminas, licet ipſis & parentibus conueniat, eas vxores non habeant, 115. CIX. 673. *c.* de raptoribus Canones Iſaac, 661.

Rapta puella ei, à quo deſponſata fuerat, reddenda eſt, 20. *c.* raptæ parentibus legaliter reſtituantur, 50. *c.* de raptis & occultis nuptiis, *Troſleian. c.* 8. 552.

Rataldus Epiſcopus Argentarienſis, apud Saponar. 144. *c.* Stratburgenſis, apud Tuſiac. 163. *b.* Rataldus Argentoratenſis, Aquiſg. III. 189. *c.*

Ratbertus Epiſcopus Valentinenſis, apud Saponar. 144. *c.* apud Tuſiac. 163. *c.* in Pontigon. 443. *b.* in Mantalenſi, 497. *b.*

Ratbertus abbas Corbeienſis, 58. *c.* 61. *b.* apud Cariſiacum, 66. *a.*

Ratbodus Epiſcopus Treuirenſis, in Conc. Metenſi, 524. *c.*

Ratbomus Epiſcopus Auguſtanæ Eccleſiæ, in Ticinenſi, 437. *c.*

Ratfridus Epiſcopus Auenionenſis, Rotfridus in Tricaſſ. II. 475. *a.* Ractefredus, 488. *a.*

Ratfridus in Muntalenſi, 497. *c.*
Raubertus Epiſcopus Nuuiumagurum in Troſleiane, 569. *a.*
Recunciliandi ordinem memuriter diſcere debent preſbyteri, 619. *a.*
Redemptiu ieiunij, 379. *a.*
Redonis ciuitas, 28. *a.*
Reginardus Epiſcopus Cauallicenſis, 533. *c.*
Reginardus Epiſcopus Biterreuſis, 533. *c.*
Reginbrandus Epiſcopus Atauſicenſis, 586. *a.*
Reliquiæ in cunſecratione munaſterij, 72. *c.* in alrari reconditæ, 623. *b.*
S. Remigius Francos conuertit, 123. *c.* Francurum Apoſtolus, 385. *c.* 534. *c.*
Remigius Epiſcopus Lugdunenſis in Valent. III. 96. *a.* 107. *b.* in Lingonenſi, 136. apud Saponar. 142. *a.* 144. *E.* 145. *b.* 148. *a.* 133. *a.* apud Tuſiac. 162. *c.* 282. *a.* in Sueſſ. III. 282. *b.* 290. *a.* 294. *a.* 297. *b.* 299. 302. 377. *a.* in Cabilonenſi, 406. *a.* 612. *a.* 613. *b.*
Remigius II. Epiſcupus Lugdunenſis, 372. *b.*
REMORVM Eccleſia paſtore diu deſtituta, 20. *c.* poſt Ebbonem à Fulcune detenta, & poſt eum à Nothone, 24. *c.* Epiſcopus creatur Hincmarus, 23. 24. Capitula, quæ Carulus rex Eccleſiæ Remenſi ſe conſeruaturum promiſit, 23. Remenſium clericorum, quus Ebbu poſt depoſitionem ſuam ordinarat, examen in Cuncilio Sueſſionenſi, 76. *a.* 8u. *c.* Remorum Eccleſia, quæ Ebbuni reſtitutu communicarat, cummunioni reſtituta, 86. *a.* Remenſis Eccleſiæ priuilegia confirmat Benedictus III. 1u8. 306. 312. coofirmare differt Nicolaus, 2tt. *c.* tandem cunfirmat, 216. *b.* Remenſis & Treuetenſis Eccleſiæ ſorores, 385. Remurum Epiſcopus reclamat in Synodo Pootigunenſi aduerſus primatum Anſegiſi Senonenſis, 433. *b.*
Remenſis diœceſis Epiſcoputum epiſtola ad Ludouicum regem, 117.
Remenſes Epiſcopi, Hincmarus, 23. Fulco, 33t. Herioeus, 514. Seulfus, 378. Hugu, 381. *b.* Artaldus. 589. Odalricus, 596. *a.* Adalberu, 597. *a.*
Remenſes clerici, v. *Clerici Remenſes.*
Reuculfus Epiſcopus, Arnulfi regis legatus, 529. *c.*
Repudium Teutbergæ vxuris Lotharij regis, t57. 189. 189. 196. *b.* 227. *b.*
REX vnde dictus, & quod ſit eius ufficium, 120. *c.* 124. *&c.* 134. *a.* *Troſleian. c.* 2. 539. ita viuere debet, vt ſubditis ſit exemplu, t29. *a. b.* domum & domeſticos, ac miniſtros quales habere debeat, *Jbid.*
Regibus Eccleſiæ ad tuendum, & defendendum, ad propagandum commiſſæ, 13. *a.* rex Eccleſiaſticum vigorem tueri debet, 16. *b.* 134. *b.* Eccleſias contra deprædatores & oppreſſores defendere, 24. *a.* 38. *c.* monaſteriis ſubuenire; 47. *a.* regibus ſubſidium de rebus ſuis Eccleſia uffetre ſolet, t3. *b.*
Rex confert Epiſcopatus, & ſine eius auctoritate non conſecraniur, 576. 577. 597. *b.* Eccleſias inconſultè pro libitu dare vel tullere non poteſt, 129. *c.* libertatem Epiſcopis ad peragendum in ſuis parochiis miniſterium ſuum tribuat, maximè Aduentus & Quadrageſimæ tempore, 40. *b.* 122. *a.* in dumo Epiſcupi reuerenter inhabitet, 39. *b.*
Rex impleri faciat quod docent Pontifices, 67. *c.* Canonicos in ſuo ſcruitio ſine conſenſu Epiſcopi noo recipiat, 48. *b.* ad regem reclamaot preſbyteri contra Epiſcopos, 1. *c.* rex permittit vt appellans ad ſedem eat Apoſtolicã, 376. *b*
Regi vicem ſui oominis Chriſtus confert in terris, 189. *c.* regius honor & poteſtas incunuulſa permaneat, 6. *b.* 30. *a.* *Ticin. c.* 5. 439. contra regem eiúſque honorem qui muliuntur, prodendi ſunt, 6. *b.* *Ticin. c.* 15. 442. contra regiam dignitatem ſatagentes anathemate damnantur, 8. *b.* 36. *a.* *Engelen. c.* t. 586. regiæ poteſtati non obtemperantes anathematizantur, 8. *c.* 36. *a.* Regis in fide conſtantes à Ioanne Papa laudantur Epiſcopi & Comites, infideles reprehenduntur, 428. 429.
Rex legem vnicuique competentem ubſeruare debet, 6. *c.* 30. *b.* iudicium & iuſtitiam umnibus reddere, 16. *b.* 18. *b.* contra iuſtitiæ ratiunem nemo regi quicquam ſuggerat, 7. *a.* 30. *b.* regi ſi quid ſubreptum ſit, fideliter admunendus eſt, 7. *a.* 30. *c.* prouidendum regi, ne ciuitates, per quas tranſit, deprædentur, 39. *c.*
Reges mutuam inter ſe caritatem & concordiam habere ſtudeant, 12. *b.* 31. *b.* Regis conſiliarij du vtroque urdine deligendi, 314. *c.* regibus exemplo Dauid & Ezechias, t8. *a.* admunitio ad regem, *apud S. Macram, c.* 6. 508. *&c.* 8. 514.
Richardus Epiſcopus, in Cunr. Valent. III. 107. *b*
Richardus Epiſcopus Agathenſis, in Mantalenſi, 497. *c.*
Richardus Dux & princeps, 529. *b.*
Richarius abbas cum Hilduino contendit de Epiſeopatu Tungrenſi, 575. 576.
Richauo Epiſcopus Vangionenſis, *in Engelen.* 583. c. Richoo Vvormatienſis, 388. *c.*
Richildis Auguſta in Synodum corunata ducitur, 436. *c.* 454. *c.* 456.
Riculfus Epiſcopus Helenenſis, 522. *a.*
Riculfus Epiſcopus Sueſſionenſis, 532. *a.*
Rigboldus Chorepiſcopus Remurum, 65. *c.* Ricbuldus, 80. *b.*
Riuoladrus Epiſcopus, 188. *c.*
Roculfus Comes Matiſconenſia, 571. *b.*
Rodlandus Archiepiſcopus Arelateoſis, *in Valent. III.* 96. *a.* 107. *b.*
Rodoaldus Epiſropus Portuenſis, legatus ſedis Apuſtulicæ, 192. *a.* 193. *b.* t94. *b.* 197. *b.* 21u. *b.* 270. *b.* 272. *a.*
Rudoaldus Archidiaconus Remenſis, 66. *a.*
RODVLFVS Epiſcopus Bituricenſis, 28. *b.* 141. *b.* iudex in cauſa Vvenilonis, *apud Saponar.* 142. *a.* 145. *b.* 148. *a.* *apud Tuſiac.* 162. 173. *a.* Rodulfi conſultis reſpondet Niculaus, 235. 237. defunctus, 614. *c.*
Rudulfus Epiſcopus Laudunenſis, in Troſleiano, 569. *a.*
Rodulfus II. Epiſcopus Laudunenſis, in Engelen. 586. *a.* ſede ſua deiectus ab Hogune, 387. *a.* 388. *c.* 392. *b.* in Treuerenſi, 593.
Rodulfus rex, 38u. *a. b.* 389. *b.*
Rugatiouum dies reuerenter celebrandi, t14. xcv. rugatiunũ diebus malla non tenenda, 89. *b*
RUMANÆ Eccleſiæ primatus, 1u. *a.* principatus, 193. *c.* apex Epiſcopatus, magni Petri ſedes,

205. *b.* caput & apex Epiſcopatus, Romanus Pontifex, 216. *c.*

Romana Eccleſia caput omnium Eccleſiarum ab omnibus honoretur. *Ticin. c.* 1. 439. aliarum doctrinam non ſequitur, quæ omnes docet, 335. *b.* Romanæ ſedis contemptores perſtricti, 183. *a.* 230. *c.* Romanæ res Eccleſiæ nemo diripiat. *Ticin. c.* 3. 439.

Romanam ad Eccleſiam veniæ cauſa multi confugiunt de diuerſis mundi partibus, 194. *a. c.*

Romam Sarraceni à proditoribus introducti, 432. *a.*

Rorico Epiſcopus Laudunenſis, 595. *c.* 596. *a.*

Roſtagnus Epiſcopus Arelatenſis, in Pontigon. 443. *a.* pallium & vices ſedis Apoſtolicæ adeptus à Ioanne VIII. 466. vocatus cum ſuffraganeis ad Synodum Tricaſſinam, 469. *a.* 471. *a.* 478. *a.* 480. *a.* 488. *a.* 492. *c.* in Mantalenſi, 497. *c.* 519. *c.* 522. *b.* in Valentino, 529. *c.*

Rotbertus Epiſcopus Cenomannenſis, apud Saponar. 144. *c.* ad Vvenilonem miſſus ab Herardo Metropolitano, 156. *b.* eius controuerſia cum monachis S. Carileſi, 199. monachi priuilegio liberi, 224. in Sueſſ. III. 297. *b.* 299. 302. ægrotans confeſſionis literas mittit ad Epiſcopos, 405. 487. *c.*

Rotbertus Archiepiſcopus Aquenſis, 469. *a.* 492. in Mantalenſi, 497. *b.*

Rotbertus Epiſcopus Metenſis, in Concilio Meten. 524. *c.*

Rotbertus Epiſcopus Treuirenſis, 583. *c.* 584. in Engelen. 585. *c.* 588. *b.* 591. *c.* 592. *a.* in Treuirenſi, 593.

Rotbertus rex, 579. *a.* 589. *b.*

Rotfridus Epiſcopus Auenionenſis. v. *Ratfridus.*

ROTHADVS Epiſcopus Sueſſionenſis, in Bellvacenſi, 23. *a.* in Pariſ. 60. *c.* apud Cariſiac. 65. *c.* in Turon. IV. 69. *b.* in Sueſſion. II. 78. *a.* 80. *a.* 84. *a.* 85. *b.* in Vermer. 91. *b.* 92. *b.* apud Saponar. 144. apud Tuſiac. 163. *c.* ab Hincmaro Remenſi, ſedem appellans Apoſtolicam, contra regulas depoſitus, & in monaſterio retroſus, in Conc. Siluanect. 202. *c.* 208. 209. à Nicolao Romam euocatus, 215. 231. *c.* à monaſterio Nicolai iuſſu eductus, 231. *&c.* Romæ libellum offert Nicolao, 248. priſtinum in honorem in Conc. Romano reſtituitur, 254. reſtitutus Miſſas ibidem ſolemniter celebrat, 247. cum Apoſtolicis literis ad priſtinam ſedem remiſſus, 254. paratus eſſe iubetur aduerſariis reſpondere, ſi quid conentur obiicere, 265. 272. in Sueſſ. III. 297. *b.* 299. 392. in Tricaſſ. 358.

Rotmundus Epiſcopus Ædoenſis, 600. *a.*

Rotomagenſes Epiſcopi, Guntboldus, 29. *b.* 60. *c.* Paulus, 69. *b.* 91. *b.* Vvenilo, 117. Ioannes, 443. *a.* Vvito, 569.

Rotomagenſis diœceſis Epiſcoporum epiſtola ad Ludouicum regem, 117.

S

SABBATI ieiunium ſancti Siluestri tempore ſtabilitum, 334. *c.*

Sabbatinus Epiſcopus Ienuenſis, 437. *b.*

Sacerdotum eſt diuino à populo dare mandata, & referre reſponſa, 27. ſacerdotum vexatio & inhonoratio. *Troſleian. c.* 5. 545. ſacerdotes qui officium ſuum diſcere non ſatagunt remouendi, 675. *a.*

Sacramenta Eccleſiæ nihil habent caſſum, nihil ludificatorium, ſed totum verum, 99. *a.*

Sacramentum Anſcarij ſubdiaconi, 139. Ingeltrudis vxoris Boſonis, 279. *c.* ſacramentum quod Hincmarus edere iuſſus eſt apud Pontigonem, 447. *a.*

Sacrilegi, qui Eccleſias vel loca ſacrata infringunt, & Eccleſiaſticos affligunt, canonicæ ſententiæ ſubigantur, 48. *c.* ſacrilegorum diuerſa genera damnantur. *Troſlean. c.* 4. 543. vt ſacrilegi ab Eccleſia pellendi, qui nonas & decimas de rebus ab Eccleſia ſubtractis retinuerint, 102. *a.* Lex de compoſitione ſacrilegij edita à Ioanne VIII. in Synodo Tricaſſina, 480. c Canones Iſaac de ſacrilegis, 666.

Sæculares Eccleſias non dent abſque Epiſcopis, nec à presbyteris ad introitum quicquam exigant. *Vienn. c.* 4. 531. Eccleſiæ facultates ne peruadant vel detineant, 21. *b.* parochiarum dotes baſilicis qui auferunt, 101. *b.*

Sæculares honores ſæculares poſſideant, Eccleſiaſticos Eccleſiaſtici ſortiantur, 22. *b.*

Sagenſes Epiſcopi, Saxabodus, 61. *a.* Hildebrannus, 80. *a.*

Salaco Epiſcopus Dolenſis ſede ſua eiectus, 298. *c*

Salomon Epiſcopus, 135. *c.*

Salomon Britonum princeps promiſſam fidem Carolo regi vt obſeruet, moneri iubetur, in Synodo apud Saponar. 140. *b.* & de aliis multis capitibus, 149. *a.* Salomoni regi Brittonum, 275. Dux Britannicus, 299. *a.*

Sanctimoniales virilem habitum ſumere, vel crines attondere prohibitæ, 20. *b.* ſanctimoniales ob facinus monaſterio eiectæ ſine velo, velum recipere iubentur, & in monaſterio diſtringi. *Meten. c.* 9. 527. ſanctimonialium nuptiæ vetitæ, 19. *c.* 51. *a.* ſanctimoniales, quæ ſub velamine religionis libidinibus inſeruiunt, Epiſcopali & regia auctoritate coërceantur, 52. *a* ſanctimonialis virgo, vel vidua, conuentus generales ne adeat, & niſi à principe fuerit conuocata, vel ab Epiſcopo ſuo. *Namn. c.* 19. 607.

Sanctorum interceſſio, 14. *b.* Sanctorum ignota nomina non recitentur, 111. *c.*

Saponariæ, Tullenſe ſuburbium. Concilium apud Saponarias, 137. 142. *a.* 148. *a.* 149. *b.*

Sarraceni Italiam & Romam infeſtant, 370. 380. 388. 390. 451. 455. 461. 462. 463. Prouinciam depopulantur, 529. *b.*

Sarſtonus Epiſcopus Bigotrenſis, 493. *b.*

Saxobodus Epiſcopus Sagenſis, in Conc. Pariſ. 61. *a.* Saiorum, in Turon. IV. 69. *b.*

Scholæ diuinæ & humanæ literaturæ, nec non & Eccleſiaſticæ cantilenæ, ab Epiſcopis inſtituendæ. *Valent. III. c.* 18. 104. ſcholæ publicæ ſacrarum literarum, & humanæ quoque literaturæ, & idonei ad docendum conſtituantur. *Lingon. c.* 10. 154. *c.* ſcholas presbyteri pro poſſe habeant, & libros emendatos, ita. xvii. clericū habeant, qui ſcholam tenere poſſit. 623. *c.*

Schola domus regis cur dicta, 125. *c.*

Scotorum hoſpitalia, 43. *a.* Scotorum pultes puritati fidei nauſeam inferentes, 99. Scoti Ioannis capitula xix, reiecta in ſynodo Va-

lentina *c.* 4. 98. & in Lingonenſi, 153. *c.*

Scripturis diuinis exponendis vel prædicandis ſanctorum patrum ſenſum quiſque ſequatur, 41. *c.* vocum nouitates fugiendæ, 41. *c.*

SEDES Apoſtolica in tota Chriſti Eccleſia, ſpeciali prærogatiua, leges ac decreta ſtatuit, 238. *b.* non ſolùm quoſlibet Metropolitanos, verùm etiam Patriarchas, damnat vel abſoluit, *Ibid.* quod ſingulari auctoritate perficere valet, multorum ſæpe ſacerdotum decernit definite conſenſu, 192. *c.* de ſedis Apoſtolicæ iudicio nemini iudicare conceſſum, aut illius ſententiam retractare permiſſum, 536. *a.* ſedis Apoſtolicæ præſulem, vel eius decreta ab Epiſcopis non reſpui quanti interſit, 364. *c.* maiora negotia ad ſedem Apoſtolicam referenda ſunt, & cauſæ Epiſcoporum. ſed & presbyterorum quoque & clericorum inferioris gradus cauſæ, cùm ratio exigit, 359. *b.* 361. *c.*

Segenandus Epiſcopus Conſtantiacenſis in Sueſſ. III. 297. *b.* 299. 302. Sigenandus in Conc. Pontigon. 443. *b.*

Selua Narbonenſis Eccleſiæ inuaſor, 522.

Senonum Epiſcopi Vvenilo, 17. Egilo, 275. Anſegiſus, 394.

Septimania, 438. Septimaniæ Epiſcopi & presbyteri, 1. *c.* 470. *c.* Septimaniæ regnum, 553. Septimaniam vaſtat Miro, 470. *c.*

SEPVLTVRA in Eccleſiis quibus ſit concedenda, 52. *c.* 620. *c.* alterius non violanda, *Ibid.* & 636. *b.* 675. *c.* in Eccleſia nullus ſepeliatur, ſed in atrio, aut in porticu, vel extra Eccleſiam. *Namnet. c.* 6. 603. pro loco ſepulturæ ſi quis aliquid largitus Eccleſiæ fuerit, nullum inde cenſum à presbyteris exigere liceat, 50. *a.* 620. *c*

Sepulcrorum venditiones, & qui pro ſepulturis munera exigunt, puniantur, 114. LXVII. pro ſepultura pretium non exigendum, 52. *c.* 636. *a.* pro ſepultura nullum pretium detur. *Meten. c.* 4. 526. de ſepulcris, & ſepulturæ, nihil muneris exigatur à presbyteris. *Namnet. c.* 6. 603. ſepulturæ locus à presbytero accipiendus, non hereditario iure vſurpandus. *Hincmar. capit.* 636. *b.*

Serui Eccleſiarum, quibuſcumque poteſtatibus ſubditi, ſaltem XXX. diebus in anno Eccleſiæ ſeruire ſinantur, 49. *b.*

Seruus-Dei Epiſcopus Gerundenſis, 522. *a. c.*

SERGII Papæ II. epiſtola de prælatione Drogonis, 9. *b.* Sergius Ebbonis iudicium reparari iubet, 63. *b. c.* Ebbonem communione laica multat, 83. *c.* 84. 285. 286. *c.* 287. *a.* cur Ebboni pallium negarit, 309. *c.* 310. *a.*

Seulfus Epiſcopus Remenſis, 578. *c.* 579. *b.* ex Archidiacono aſſumptus, 589. *b.* tertio epiſcopatus anno defunctus, 589. *c.*

SIGEBODVS Archiepiſcopus Narbonenſis, 235. *c.* 469. *a.* 470. *c.* In Tricaſſ. II. 480. *a.* primæ ſedis Narbonenſis Epiſcopus, 480. *c.* 488. *c.* 492. *c.* 519. *c.* mortuus, 522.

Signa pulſentur horis canonicis, 113. LIV. ſigna quo ſint metallo inueſtigandum, 623. *c.*

Sigo Epiſcopus Aruernorum ſede ſua eiectus à Stephano Comite, 226. *c.* in Sueſſ. III. 297. *b.* 299. 301.

Siluanectenſe Concilium, 202. 205. 407. Siluanectenſes Epiſcopi, Erpuinus, 23. *c.* Hadebertus, 443. *b.* Otfridus, 569. *b.* Adelelmus, 578.

Simeon Epiſcopus Laudunenſis in Beluac. 23. *a.* in Pariſien. 60. *c.* 85. *a.*

SIMONIACA hæreſeos peſtis ab Epiſcoporũ ordinatione ſubmouenda, 13. *a.* nemo per Simoniacam hæreſim regiminis locum obtineat, 44. *a.* ſimoniaca hæreſi polluti ad Epiſcopatum non promouendi, 100. *b.* ſimoniaci Epiſcopi in ordine pœnitentiam agere non poſſunt, ſed extra ſacerdotalem fieri gradum, 72. *b.* Spiritus ſancti gratiam venundantes iuxta canones coërcendi, 245. *a.* ſimoniaci qui præmia dant pro Eccleſia, 641. *a.* qui pro munere ad reconciliationem pœnitentes, vel ad ordinationem introducũt non idoneos, 643. *b.*

Sollemniacom monaſterium à S. Eligio fundatum, eiúſque priuilegium in Synodo Sueſſ. III. confirmatum, 301. Abbates, Bernardus, 301. Daniel, 520.

Solidi in denariis, 2. *a.*

Sortes diuinatoriæ damnantur, 73. *b.*

Sortiariæ maleficæ impedimentum nuptiis ſi adferant, quo remedio vtendum ſit, 184. *b.*

Spiritum ſanctum dici à patre & filio procedere criminantur Græci contra Latinos, 333. *b.* 335. *a*

SPONSVS & ſponſa quomodo benedici & iungi ſoleant, 114. XXCIX.

Sponſus deſponſam ab alio corruptam non eſt cogendus accipere, 491. *b.* ſponſam neſciente ſponſo corruptam, & poſtea nuptiali fœdere iunctam, dimittere non licet, 187. *a.*

Sponſas alienas qui rapiunt, vel accipiunt, & qui eis conſentiunt *Meld. c.* 68. 51. *b.*

Sponſalitiorum infractio, 174. *b.* fides infracta, 181. *b.* fractorum multa ſecundum legem eiuſlem componitur, 181. *b.* 182. *a.* 185. *c.*

Stabilis Epiſcopus Aruernorum, in Conc. Tuſiac. 163. *b.*

Starcandus Epiſcopus Eiſtetenſis, 585. Eiſtadienſis, 588. *b.*

Stephanus Comes Aruernorum, qui Sigone Epiſcopo deiecto alterum ſubſtituerat, peruaſorem expellere iubetur à Nicolao PP. 226. *b.*

Stephanus vxorem Regimundi Comitis filiam, quia cum eius propinqua ſe miſcuerat, intactam habet, 173. *b.* 174. &c. 185. *b.*

Stephanus V. Papa, 522. *a. c.* 529. *a. b.* Stephanus VIII. Papa legatos mittit in Franciam ad proceres, vt Ludouicum regem recipiant, 582. *a.*

Stephanus Epiſcopus Cabilonenſis, in Concil. Cabilon. 523. *b. c.*

Stephanus Epiſcopus Cameracenſis, in Conc. Troſteiano, 569. *b.* 578. *c.* 579 *b.*

Stephanus Epiſcopus Morinorum, in Troſteiano, 569. *b.*

Stephanus Diaconus legatus Benedicti VII. Papæ, 597. *b. c.*

Stodilo Epiſcopus Lemouicenſis, *Tuſiac.* 163. *c.*

SVBDIACONI ordo ſine impoſitione manuũ, 44 *b.* Subdiaconi ſacras lectiones ex ambone populo nuntiant, 109. *b.* Subdiacono vxorem ducere non licet, 351. *c.* Subdiaconus Anſcarius Lingonenſem Eccleſiam peruadit, 139. *b.*

SVESSIONENSE Concilium II. 75. 91. *c.* 108. 287. *c.* 503. *b.* Concilium III. 280. Sueſſionenſem II. Synodum confirmare differt Leo IV. 74. *c.* 504. *c.* confirmat Benedictus III. 108. *c.*

305.*b*.cõſirmat iterũ Nicolaus, 215.*a*. idem eius acta examinat & redarguit, 303.*&c*.310.*&c*.
Sueſſionenſes Epiſcopi, Rothadus, 23. *a*. Hildeboldus, 443. *a*. Riculfus, 532. Abbo, 569. Vvido, 596. *a*. Sueſſione qui Rothadi loco fuerat ſubſtitutus, Dei iudicio interiit, 254. *a*. clero & plebi Sueſſionenſi ſcribit Nicolaus, vt reſtitutum Epiſcopum ſuum Rothadum recipiant, 264.
Sueſſionicum bellum inter Robertum & Carolum reges, 578.
Suffredus Epiſcopus ſede ſua pulſus reſtitui iubetur, 351. *a*.
Superbi clerici & laici excommunicentur, 116. cxxvi.
Suſannus Epiſcopus Venetenſis ſede ſua pulſus à Britonibus, 298. *c*.
Synodi per ſingulas prouincias bis aut ſemel in anno, 41.*b*. Synodi presbyterorum duæ quotannis, 4.*b*. Synodi comprouinciales in Belgica prima diu intermiſſæ, 525.*b*.
Synodi comprouinciales cum Epiſcopis, & ſpeciales cum presbyteris, 122. *b*. Synodus prouincialis Metropolitani, Synodus generalis Vicarij ſedis Apoſtolicæ, 10. *b*.
Synodi ex conſenſu regum coactæ, 138.*c*. ob diſcordiam regum intermiſſæ, 138. *b*. vocati ad Synodum occurrant, vel condemnentur, 116. cxxxiii. in Synodo prius generales cauſæ tractandæ, poſtea ſpeciales, 10. II. nullus ſacerdotum ignoret quid ſit in Synodo conſtitutum, 116. cxl.
Synodus Romana in Eccleſia S. Mariæ ad Martyres, 472. Turonenſis Herardi Epiſcopi, 111.

T

TADO Archiepiſcopus Mediolanenſis, 229.*c*.
Talamaſcæ, laruæ dæmonum, 621.*a*.
Tarantaſiæ Epiſcopus Teutrannus, 163. Tarantaſiæ ſuffraganeus Epiſcopus Maurienna, 470.
Tardanenſis pagus, in quo Mons S. Mariæ, 599. *a*.
Taruanenſis Epiſcopus Fulcoinus, v. *Morinenſes Epiſcopi.*
Tempeſtarij prohibendi, & pœnitentia publica multandi, 111. *a*.
TESTES ieiuni iurent, non minores annis xiv. recipiantur, nec qui ſemel periurati, 111. xii. teſtes de re manifeſta non quærendi, 174. *a*. ſacramento conſtringendi, 676. *a*.
Teſtificantium perſonæ examinandæ, 174. *c*. teſtes falſi diſtrictæ pœnitentiæ ſubdantur. *Tuſiac. c*. 3. 162.
Teſtimonia pagenſium xxiv. qui diaconi Viennenſis integram libertatem iuramento probauerunt, 106. *a*.
Tetbaldus Epiſcopus Ambianenſis ab Hugone ordinatus excommunicatur in Conc. Treuirenſi, 594. *b*. rurſum in Conc. Remenſi, 597.
Teudulfus Epiſcopus Terdonenſis, 437. *b*.
Teutbaldus Epiſcopus Lingonenſis, 532. *c*.
TAVTBERGA Lotharij regis vxor, filia Boſonis, 198. *b*. ſoror Huberti clerici, 192. *c*. 198. *b*. Aquiſgranenſis Concilij iudicio ſeparata, & publicæ pœnitentiæ addicta, 157. *b*. *c*. ad ſedem Apoſtolicam recurrit, 191. *b*. 196. *b*. 210. *b*. 272. *b*. tædio victa ſeipſam accuſat, & ſeparationem à coniuge petit, nec impetrat à Nicolao, 320. Romam venire vetatur, *Ibid. &* 327. à Lothario, pulſa Vvaldrada, reſtituitur, 322. *c*. 324. Teutbergam nouo iudicio perſequi inſtituit Lotharius, 315. non tractatur vt regina, 341. *a*. Teutbergæ hiſtoriam retexit Nicolaus, 344. *a*. Teutberga Romæ diſſolutionem matrimonij fruſtra flagitat ab Hadriano, 372.
Teutboldus Epiſcopus Lingonenſis apud Cariſiac. 63. *c*. 68. *c*. in Vernuer. 91. *b*. 92. *b*.
TEVTGAVDVS Treuirorum Epiſcopus, apud Saponar. 144. *b*. in Aquiſg. 157. *b*. *c*. legatus Lotharij regis ad Nicolaum, 158. *b*. apud Tuſiac. 162. *c*. in Aquiſg. III. 189. *b*. 190. *b*. legatus Concilij Metenſis ad Nicolaum, 227. *b*. depoſitus in Conc. Romano *c*. 2. 229. 230. *a*. 237. 238. poſt cenſuram ſacrum miniſterium non præſumpſit, 240. *b*. 241. *c*. 246. Treueris alium antiſtitem creari iubet Nicolaus, 359. *a*. pro eo intercedi vetat ab Epiſcopis, vel à rege, 342. 343. Teutgaldi & Guntharij hiſtoriam ab exordio repetit Nicolaus, 344. *a*.
Teutolo Archiepiſcopus Turonenſis, 580. *b*.
Teutrannus Epiſcopus Tarantaſiæ, Tuſiac. 163. *b*. 469. *a*. *c*. in Mantalen. 497. *b*.
Theodardus Archiepiſcopus Narbonenſis, 522.
Theodardus Epiſcopus Hildeneſheimenſis, 585. Tethardus, 588. *c*.
THEODERICVS Epiſcopus Cameracenſis, in Conc. Pariſ. 60. *c*. Teudericus, apud Cariſiac. 65. *c*. in Sueſſ. II. 80. *c*. 83. *b*. teſtis in cauſa Ebbonis. *Ibid*. 85. *b*. 360. *c*.
Theodericus Epiſcopus, 135. *c*.
Theodoricus Epiſcopus Veſuntionenſis, in Pontig. 443. *c*. 472. *b*. in Tricaſſ. II. 474. *c*. 475. *b*. 480. *a*. 491. *a*. 492. *a*. in Mantalenſi, 497. *c*. ſanctæ Chryſopolitanæ ſedis Archiepiſcopus, 500.
Theodericus Comes, 483. *c*.
Theodonisuillæ Concilium, 11. 28. *a*. 31. *b*. alterum de reſtitutione Ludouici Imp. 354. 355.
Theotarius Epiſcopus Gerundenſis, in Pontigon. 444. *c*. Teutherus, in Tricaſſ. II. 480. *b*.
Theotbertus abbas Floriacenſis, 486. *a*. *b*.
Theotiſca lingua, 591.
Tiberius primicerius ſedis Apoſtolicæ, 217. *b*. 219. *b*.
Ticinenſis Synodus, vbi Caroli imperium ab Italicis comprobatum, 437.
Tituli cardinales in vrbibus & ſuburbiis conſtituti, 47. *b*. Eccleſia quæ per ſe titulus extitit, 622. *c*. 623. *c*.
Toloſanum Capitulare de exactionibus Eccleſiarum, 1.
Tornatrices, ioca turpia facientes, 621. *a*.
Tortoldus diaconus Baiocenſem cathedram occupat, 138. *c*. 144. *a*. 145. *c*.
Tractoriæ more auctoritas ſigillo regio roborata, 52. *b*.
Tranſmarus Epiſcopus Nouiomenſis, 594. *b*.
Traſulfus abbas Corbeienſis, 217. *b*. 249. *b*.
Tricaſſinum Concilium, 353. 362. *c*. Concilium II. cui Ioannes VIII. interfuit, 473.
Tricaſſinæ Eccleſiæ Epiſcopi, Prudentius, 61. *b*.

Fulericus, 297. *b.* Otte[illegible]lfus. 445. *a.*
Tricennali tempore omnis quæſtio excluditur legibus Eccleſiaſticis & mundanis, 285. *b.* Tricennarij iure qui Eccleſiam poſſidet, nullus deinceps ſubtrahat, 114. LXXIX.
Treuirorum Epiſcopi, primates Belgicæ prouinciæ, 229. *b.* Teutgaudus, 144. *c.* Bertulfus, 472. *a.* Rathodus, 524. *c.* Rotbertus, 583. *c.* Treuirenſe Concilium, 593.
Troſleium, in pago Sueſſionico, Concilium Troſleianum, 536. *a.* 578. 579. 580.
Tullenſe Concilium apud Saponarias, 137. Tullenſe II. apud Tuſiacum, 160 413. *b.*
Tungrenſis Eccleſia inter duos diſceptatur, 572.
Turonica prouincia S. Martini diœceſis, 70. *a.* eius ciuitates pene deſtructæ, 401. *b.* metropolim diripiunt Britones, 298. ſemper venerabilis S. Martini meritis, & inter Gallicanas prouincias ſecunda vel tertia, 401. *b.* eius peruaſores excommunicati, 487. *c.*
Toronenſe Concilium IV. 69.
Turonenſes Epiſcopi, Vrſmarus, 61. *b.* Lantrannus, 63. *c.* Amalricus, 76. *a.* Herardus, 111. *a.* Actardus, 398. Adalardus, 469. *b.* Teutolo, 580. *b.* Arduinus, 596. *b.*
Tuſiacus villa territorij Tullenſis, Concilium apud Tuſiacum, 160.

V.

VAGI clerici & monachi ad Epiſcopos & abbates ſuos reuocentur. *Tuſiac.* t. 162.
Valentinum III. Concilium, 91. aliud de Ludouici regis electione, 529. Valentiæ Epiſcopus criminibus diffamatus, 95. *c.*
Valentinæ ſedis Epiſcopi, Ratbertus, 144. *c.* Iſaac, 523. *c.*
Valentinos Epiſcopus Portuenſis, 521. *b.*
Valpertus Epiſcopus, 490. *a.*
Vaſa & veſtimenta Eccleſiæ pro pignoribus preſbyteri non dent abſque licentia Epiſcopi, 112. XX.
Vdalricus Epiſcopus Auguſtenſis, in Conc. Eogelen. 585. *c.* Odelricus, 588. *c.*
VELVM mulier ſemel ſuſceptum non reiiciat, 112. XXXVII. mulier non veletur ſine licentia Epiſcopi, nec ante xxx. dies, & conſilio parentum ac vicinorum, 112. XXIII.
Velatæ & ſacratæ Deo virgines, aut viduæ, ſi clàm adulterauerint, vel publicè nupſerint, vſque ad finem vitæ ergaſtulis retruſæ pœnitentiam agant. *Tuſiac.* *c.* 2. 161. Verſindis velata pòſt coniugium ſortita, 474. *c.*
Venciates Epiſcopum eligunt Vvaldenum diaconum, 463. *c.* Vvifredus Epiſcopus, 490. *b.*
Vendetcuenſis villa, 475. *b.* Vendoara villa Pultarienſis cœnobij, 495. 496.
Vermeria palatium, Vermerienſe Concilium, 91. 92. 93. 374 387. *a.*
Vernum, 17. *b.* Vernum palatium, 28. *a.* Vernenſe Concilium II. 17. 28. *b.*
Veſontionẽſes Epiſcopi, Arduicus, 144. *b.* Theodericus, 443. *c.* Goffridus, 600. *b.*
Viaticum de ſæculo tranſeuntibus, 20. *a.* 112. XXI. LIX. non dandum laico cuilibet ad deferendum infirmis, 623. *a.*
Vicarius ſedis Apoſtolicæ, & poteſtas ei conceſſa, 9. 10.
VIDVAM infra dies xxx. viduitatis quicumque acceperit, vltra non attingat, 113. XLI. viduæ quæ in domibus ſuis turpiſſimè viuunt, & filias proſtituunt. *Tuſiac.* *c.* 2. 161. viduarum raptus, 661. *c.* viduæ raptor Theodericus excommunicatur, 528. *a.*
Viennenſes Archiepiſcopi, Agilmarus, 96. *a.* Ado, 186. *b.* Ottramnus, 443. *a.* Bernuinus, 523. *c.* Viennenſis Archidiaconi libertas impetita, 105. *c.* Viennenſe Concilium, 430. Vienna metropolis Galliæ, 530. *b.*
Vigiliæ Paſchæ & Pentecoſtes lectiones, 111. XCVI. vigiliæ & Miſſæ prò defunctis, 141. *c.*
Villarum regiarum iudices quales conſtituendi, 127. *b* villæ regiæ moderatis caſticiis ædificandæ, 127. *c.*
Virgines Deo ſacratas qui ſibi ſociant, 656. 659 *b*
Virdunenſes Epiſcopi, Atto. 140. *b.* Berardus, 443. *c.* Berengarius, 586. *a.* Virdunenſis Synodus, 583. 591. *a.* *b.*
Viſitatorio officio fungitur Metropolitanus in Eccleſia infirmi Epiſcopi, 92. *a.*
Vrſmarus Epiſcopus Turonenſis, in Sparnaco, 61. *b.*
Vrſus circumſoraneus, 621. *a.*
Vſuras in ſeipſis, & in Eccleſiaſticis, atque in omnibus Chriſtianis, compeſcant Epiſcopi, 77. *b.* vſurarum turpia lucra inhibentur. *Valent.* *III.* *c.* 10. 102. 151. v.
Vvaiſarius Aquitanorum princeps, 123. *a.*
Vvainardus Epiſcopus Conſerannus, 493. *b.*
Vvala Epiſcopus Autiſiodorenſis, in Conc. Pontigon. 443. *c.*
Vvalbertus Epiſcopus Portuenſis. *Tricaſſ.* *II.* 474. *c.* 479. *c.* 485. *b.*
Vvaldenus diaconus à Venciatibus electus, 463. *a*
VVALDRADA, 192. *c.* à Lothario poſt Teutbergæ repudium coniugio adſcita, 195. 196. *b.* 198. *b.* *c.* 210. *b.* à Lothario reiecta vrgente Legato, 322. *c.* à Nicolao excommunicata, 277. *c.* 322. 323. Lothario nubere etiam mortua Teotberga non potuit, 310. *c.* 328. *a.* in Italiam venire iuſſa, in prouinciam regreſſa eſt, 322. *b.* Lothario reuocante, 340. *b.* Vvaldradæ hiſtoria retexitur, 344. *c.* *in Tricaſſ.* 358. *b.* Vvaldradam abſoluit Hadrianus ea lege vt ad Lotharium non redeat, 373.
Vvalefridus Epiſcopus Vcetienſis *in Tricaſſ.* *II.* 480. *b.* ſuper Epiſcopo Auenionenſi reclamat, *Ibid.* & 488. in Mantalenſi, 497. *c.*
Vvalenus Epiſcopus Metenſis, 491. *b.*
Vvalo Epiſcopus Æduenſis, 522. *b.* 533. pius Præſul. 572. *a.*
Vvaltarius Comes regni Lotharij, 323. *b.*
Vvaltbertus Epiſcopus Abrincatenſis, apud Saponar. 144. *c.* apud Tuſiac. 163. *c.*
Vvalterus Epiſcopus Aurelianenſis, in Pontigon. 443. *a.*
Vvarinus, 4. *b.*
VVENILO ex clerico capellæ regiæ Epiſcopus Senonenſis, in Conc. Vernenſi II. 17. Agium Aurelianorum ordinat Epiſcopum, 21. *a.* in Conc. Beluac. 23. *a.* 24. *c.* in Meldenſi, 28. *b.* in Pariſ. 61. *a.* in Sparnaco, 61. *b.* in altero Pariſ. 63. *c.* apud Cariſiac. 65. *c.* in Toron. IV. 69. *b.* in Sueſſ. *II.* 76. *a.* *c.* 77. *a.* 80. *a.* iudex electus

in cauſa Hincmati & clericorum Ebbonis, 82. *b.* in Vermerienſi, 91.*b.* 92.*b.* Æneam ordinæt Epiſcopum Pariſienſem, 94. 108. *a* à Carolo rege accuſætur apud Saponarias, 140. *a.* 141. Synodi epiſtola ad Vvenilonem, 144.*b.* 148.*a.* 156.*b.* apud Tuſiæcum, 161.*c.*

Vvenilonis epiſtola ad Amulum Lugdunenſem, 67. Nicolæi epiſtola ad Vvenilonem, 187.

VVENILO Epiſcopus Rotomagenſis, ante epiſcopatum Ragenarium Epiſcopum ſecutus in Synodo contra Gotheſcalcum, 66.*a.* Synodi Cariſiacæ legatus ad Ludouicum regem, 117. *a.* 118.*c* à Synodo Metenſi legatus ad eundem, 131.*c.* iudex in cauſæ Vvenilonis Senonenſis apud Saponarias, 142.*a.* 144.*b.* in Conc. Aquiſgran. 157.*c.* apud Tuſiacum, 162.*c.* in Sueſſ. III. 282. 288.*a* .290.*a.* 294.*a.* 297.*b.* 299. 302. 600. 612.*a.*

Vvernarius Epiſcopus apud Saponar. 148.*a.*

Vvicbertus Epiſcopus Nemauſenſis, 533.*c.*

Vvichardus Epiſcopus Baſileenſis in Egelen. 586. *a* 588.*b.*

Vvicfredus Epiſcopus Morinenſis, in Conc. Treuirenſi, 593. 594.

Vvicfredus Epiſcopus Colonienſis in Engelen. 585.*c.* 588.*b.*

Vvicfredus Epiſcopus Virdunenſis, 596.*a.*

Vvido Epiſcopus Lugdunenſis, in Trenorchiano, 600.*b.*

Vvido Epiſcopus Vellauenſis in Pontigon. 443. *b.* 491.*a.*

Vvido Epiſcopus Sueſſionenſis, 592.*b.* in Treoir. 593. 594 596.*a.*

Vvifredus Epiſcopus Vencienſis à Miſſarum celebratione ſuſpenſus, 490.*c.*

Vvillebertus Archiepiſcopus Coloniæ, Ludouici regis orator in Concilio Pontigonenſi, 435. *c.* 472.*a.* 520.*b.*

Vvillebertus Epiſcopus Catalaunorum in Pontigon. 443.*b.*

Vvillelmus Comes Aruernorum, & Dux Aquitaniæ, 569.*b.* 571.*a.*

Vvillelmus Epiſcopus Cadurcorum, in Pontigon. 443.*c.*

Vviſadus Epiſcopus Orgellitanus, apud Tuſiæc. 163.*b.*

Vvito Epiſcopus Rotomagenſis in Troſleiano, 569.*a.*

Vvittecherius Epiſcopus, 472.*a.*

Vvitaus Chorepiſcopus Camaracenſium, 65.*c.*

VVLFADVS Remenſis ab Ebbone ordinatus, 80. 81. ægrotat in monaſterio S. Medardi, 81. *b.* 82.*c.* cum ſociis gradu priuatus in Synodo II. Sueſſ. 85.*a.* eorum cauſæ retractari iuſſa in Synodo III. Sueſſ. 280. 282. 611. 612. Synodus illius & ſociorum reſtitutionem Papæ reſeruat, 294.*c.* Bituricenſis à Carolo Epiſcopus renuntiatur, 300. 302.*b.* 303.*c.* 310. 361. 613. 614.*c.* reſtitutionem ipſi & ſociis gratulatur Nicolaus, 317.*b.* Vvlfadi hiſtoriam exponit Synodus Tricaſſ. Nicolao, 355. in Tricaſſ. 358. *b.* pallium ei concedit Hadrianus II. 363.*a.* 364.*c.* 366.*c.* Karlomannus Caroli filius à Vvulfado educatus, 361.*b.*

Vvlfadus Remorum metropolis Oeconomus, 66.*a.* Vvlfadus Lingonenſem Eccleſiam paſtore viduatam vſurpat, 290.*b.*

Vvlfardus abba in Conc. Pontigon. 444.*a.*

Vvulfarius Archiepiſcopus Remenſis, 359.*b.*

Vvormatia, 135.*c.* 279.*c.* 355.*b.*

VXORES ſuas viri diligere debent, 114. LXVII. vxor fugitiua Boſonis, 159.

Vxore dimiſſa, nec aliam vxorem illa ſuperſtite ducere licet, nec concubinam habere, 187.*a.* vxoribus viuentibus qui alias ducunt damnati in Tricaſſ. II. 477.*c.* 494.*a.*

Vxor à viro continentiæ ſtudio ſeparari non poteſt, niſi vir idem ſtudium amplectatur, 322.*a.* 325.*a.*

Vxores duas eodem tempore habere, vel cum vxore concubinam, non licet, 494.*a* vxorem qui duxit eam, cuius priorem virum occiderat, excommunicatur in Concilio Meten.*c* 11. 528.

Vxorum interfectores, niſi fortè adulterarum, ad pœnitentiam redigendi ſunt, & coniugium iis denegatur, exceptis adoleſcentibus, quibus indulgentia conceditur, 236.*b.*

X.

XENODOCHIA Scotorum, & alia, in priſtinum ſtatum reuocanda, 43.*a.* hoſpitalia peregrinorum & aliorum in eos vſus, quibus ſunt conſtituta, reſtaurentur. *Lingon.c.* 14. 355. *c.* xenodochiorum rectores Epiſcopis ſint ſubiecti, & Epiſcoporum conſilio adminiſtrent, 124.*c.*

Z.

ZACHARIAS notarius & ſcriniarius ſedis Apoſtolicæ, 217.*b.* 521.

Errata vel omiſſa in Tomo III.

IN CONC. MELDANSIS, EX ALIO COD.) Pag. 19. c. 1. ampliatæ fuerunt, ſalua æquitatis ratione, ita p.

Pag. 30. c. 2 noſtrorum conſueuerat exhibeatur. *&* *paulo poſt*, & noſter honos. Eadem c. 3. fauente Deo me obſeruaturum perdono. & c. 4. noſtra auctoritas val.

Pag. 34. c. 21. b. nocerens adhuc, & qui in ſordibus erant ſordeſcerent adhuc *& infra*, redderent & augerent.

Pag. 44 c 43. a. aut donatione per ſe.

Pag. 49. c. 61. & antiquum dictum, Qui n. e. perdit agsum.

Pag 55 c. 68 optamus, quis de gradu, &c.

Pag. 81 a *ad illa*, Hincmarus Archiep. *adde in margine*. De libelli oblat. cap. Hincmarus..

Pag 88 c. 3. abbatiolis ea caſis Dei.

Pag 89. c. 5. vel quantum exinde ſit, deſeribant. Eadem c. 6. vt perſolui, & c. 9. aut miniſtri Epiſc.

Pag. 93. *in titulo*, Epiſcopi Pariſienſis.

Pag 97. c. 3. *ad illa*, Qui fecis quæ fui. *adde in margin.* Eſaia 45. 11. iuxta LXX.

Pag 149. *in titulo*, excommunicatos.

Pag. 157. a. *adde*, Finis Concilij apud Saponarias.

Pag. 186. adde, Finis Concilij apud Tuſiacum.

Pag. 205. *ad marginem*, Epiſt. 71.

IN CONCILIO ROMANO NICOLAI.) Pag. 228. c. id ipſum ſcribentibus. *& mox*, ſæpiſſimè prædicati.

Pag. 229. a. reſurreximus. *& mox*, Vnde veſtra fraternitas. *item* caueat, *& rurſum*, catalogo præſumat. Eadem c. a. Coloniæ Archiepiſcopos.

Pag. 250. c 4. propter contumaces eam iterum anathem. *ibidem*, vniuerſa ſancta Dei. *& mox*, Petri ſedem Romam properans. *& rurſum*, Romam ſpecialiter properanti

Pag 251. *in fine epiſt.* Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere

Pag. 266. b. *adde*, Finis Concilij Romani.

Pag 280. c habere nos oporteret.

Pag. 281. *in titulo pag.* Sueſſionenſe III.

Pag. 358. *adde*, Finis Concilij Sueſſionenſis III.

Pag. 325. b *ad illa verba*, quoniam quod benè ſemel, *in margine*, 6. q. 4 Quod benè ſemel.

Pag. 329. *ad illa*, Præcipuè Vualdradam, *in margine*, 31. p. 1. Præcipuè.

Pag 336 a. *ad illa*, Nemini ſit, *in margine*, 27 q. 4. Nemini eſt de ſedis.

Pag. 368 *adde*, Finis Concilij Tricaſſini.

Pag 381. Sanctimonia, *adde marg.* Ex cod. Laudunenſi.

Pag. 385 c. *lege*, cælitus ſumpto chriſmate.

Pag 388. a. regnum perdidiſti, numquid.

Pag. 401. *adde*, Finis Concilij Duziacenſis.

Eadem, *ad illo*, Ille ſolùm, *in margine*, Ex cod. Leodienſi. *item & pag. ſequente.*

Pag. 408. *in titulo*, S. Laurentij Leodienſis.

Pag. 421. adde, Finis Concilij Duziacenſis II.

Pag. 422. c *in titulo epiſtola*, IOANNES, non HADRIANVS.

Pag. 430. c. promptius liberiúſque.

Pag. 467. b. Ad hoc, *in margine*, S. Gregor. lib. IV ep. 51.

Pag. 485. Epiſtola XLI. *His numerus iterum pag. 483.*

Pag 505. b. damnationem ſecum ferent.

Pag. 516. a *adde*, Finis Concilij apud S. Macram.

Pag. 555 b. *ad illa*, Chriſtiani Imperatores, *in margine*, Nouella Iuſtiniani 12 c. 19.

Pag. 569. b. *adde*, Finis Concilij Troſleiani.

Pag. 579 c. niſi redemerint.

Pag. 580. a Herluinus Comes.

Pag. 581. *ad illa*, Totius ordo, *in marg.* Ex cod. S. Arnulfi.

Pag. 592. c. Poſt quorum lectionem.

Pag. 593. a. *adde*, Finis Concilij Engelenheimenſis,

RVRSVM IN TOMO I.

Pag. 1. c *lege*, remeaſſe prohiberent.

Pag 46 b. quos eximioata diſſenſio coërc.

Pag. 49. c. Lut. Eccleſiæ cleri, ordinis, vel plebis.

Pag. 73. c. 17. *in aliis*, inferendus.

Pag. 106. b. Dominus eſt ordinator, *in aliis*, autem.

Pag. 119. a. Valentiniano VIII. & Anthemio.

Pag. 179. a. *in aliis*, perceperit & exire noluerit, à domino.

IN EPISTOLA CONCILII ARVERN. EX ALIO CODICE.

Pag. 245. b. qui dubitatæ regendæ vitæ. *& mox*, pariter ſederemus.

Eadem c. & repenſationem cæleſtis. *& mox*, gratiam habeatis.

Pag. 256. a. ad Eccleſiam conuenientes orat. gratiæ vacent.

IN INDICE a. Monachus ſi poſtea, &c. *poſt* agas, *lege*, Turon. II. c. 15.

[illegible]

Google